

BIBLIOTECA
DE · OSUNA





THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARUM ITALIAE.

TOMI NONI PARS OCTAVA,

QUAE

PRIORVM TOMORVM SVPPLEMENTI VICEM PRAESTANS,

PRAETERITOS, ET POSTEA DEMVM ACCEPTOS SCRIPTORES SECVNDVM ORDINEM REGIONVM ITALIAE DISPOSITOS CONTINET.





THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE.

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

LONGOBARDIAE, ET RELIQVAE ITALIAE,

res & Antiquitates memoriae prodiderunt;

Quique

PRIORVM TOMORVM SVPPLEMENTI VICEM PRAESTARE POSSVNT,

Secundum ordinem Regionum Italiae in illis dispositi;

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI NONI PARS OCTAVA.

Series Auctorum hujus Voluminis, post Praefationem Partis Sextae ejusdem Tomi Noni reperitur.



LUGDUNI BATAVORUM,

Excudit PETRUS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXIII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.



ANDREÆ CHIOCCI,

Medici, & Philosophi, Sapientissimi Collegii Veronensis Alumni,

DE

COLLEGII VERONENSIS ILLUSTRIBUS MEDICIS ET PHILOSOPHIS,

Qui vel scribendo, vel publicè profitendo Collegium, Patriam, & bonas literas illustrarunt,

Ex quorum moribus & institutis, præceptisve perfecta optimi Medici Idea colligi potest,

COMMENTARIORUM SECTIONES TRES.

Editio Novissima, priori nitidior, purior, auctiorque.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa.
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

ÆQUO LECTORI NOVÆ HUJUS EDITIONIS S. D.

TYPOGRAPHUS.



Istoria maximi certe momenti est, maximamque secum affert utilitatem, dum omnis generis pulcherrima exempla profert ad imitandum in omnibus actionibus; non solum iis, quæ Rerumpubl. tractant administrationem, & administrandi, regendique prudentem, temperantem, fortem, justam rationem retinent, omnemque virtutem, & splendorem, virtuti congruentem complectuntur, verum etiam iis, quæ considerationem continent, cognitionemque rerum cœlestium, & earum, quas a natura occultas, & latentes indagare mens potest; unde duplex felicitas, altera agendi, altera contemplandi originem habet. Cum autem huc pertinere videantur ANDREÆ CHIOCCI De Collegii Veronensis illustribus Medicis & Philosophis Commentarii, Veronæ, *in quarto typis* Angeli Tami *M DC XXIII. descripti, quibus multi sapientes viri recensentur, multa præclara sapientiæ specimina commemorantur, & illustres præstantissimorum Doctorum & Philosophorum actiones celebrantur, existimavi, me non exiguum apud orbem literatum initurum gratiam, si hos cæteris Historiis adjungam. Quoniam ex his perfecta Medici optimi Idea colligi potest. In recudendo nihil immutatum fuit, nisi quod nomina propria literis Cursivis sint impressa, & numeri paginarum prædictæ Editionis in oris nostræ sint appositi, in quibus addendis in Editione jam jam dicta bis errarunt operarii; videlicet a pag.* 90. *ad* 93. *& iterum a pag.* 110. *ad* 113. *ubi characteres duarum paginarum sunt omissi,*

vide nostram Editionem pag. 32. 33. & 39. Hæc te admonere debui, ne in suspicionem incidas, errores a nobis esse commissos. Duplicem quoque Indicem in calce adjeci, alterum cum Cognominibus ante nomina illustrium Medicorum solum, alterum rerum & nominum. Quem laborem, ut benigno animo accipias, etiam atque etiam rogo, meque benevolentiæ tuæ commendo. Vale

---

HORTENSIO PINEOLATO
COMITI, ET J. C^TO.
&
GASPARI A VERITATE
COMITI
VERONÆ DUUMVIRIS
Amplissimis, & præstantissimis.



UÆ de Collegii *Veronensis* amplissimi, & perveteris Illustribus Medicis digna erant, quæ ab eruditis legerentur, hoc libello complexum *Andream Chioccum*, ejusdem Collegii Alumnum eruditissimum cum perspicerent nonnulli Academici Philarmonici ornatissimi, & complures alii bonarum literarum amantes, statim mihi Auctores fuerunt ab hinc quinquennium, ut ipsum in lucem ederem; sed non proinde Auctor exorari est passus, illud enim *Herodoti* mihi disertè objiciebat, Festinare quod vis negotium gignit errores, unde maxima detrimenta exoriri solent; at in cunctando bona insunt, quæ se non statim talia videantur, tamen in tempore bona quis esse reperiet: illud etiam alterius maximi historici, omnia non properanti clara, & conspicua sunt; Festinatio omnis improvida, & cæca; sæculum etiam respectabat, in quo rudes multi, & lividi ad quæ ipsi nec possunt, nec volunt adspirare, statim naso suspendunt adunco, & nigræ loliginis succo conspergunt. Accedebat posse aliquem adhuc percelebrem sui Collegii Medicum sibi occurrere ab ipso prætermissum, cujus memoria justa commemoratione defraudanda non esset. Sed cum ab exteris etiam classicis Philosophis, & Medicis magnis penè convitiis efflagitari cerneret, tandem meæ fidei creditum, ut publici Juris facerem permisit, multa etiam

in hoc libello adſperſa ſunt clarorum Virorum apophthegmata, & præcepta medica, & philoſophica, quæ non parum omnes eruditos viros, & Muſarum alumnos oblectabunt, tum medicinæ factitandæ addictis Medicis non omnino infructuoſa fore doctiſſimi quidam, & cordati homines profitentur. Meo igitur huic typis imprimendi labori Duum viri nobiliſſimi & ſapientiſſimi volentes, & libentes favere ne dedignemini, qui Collegium hoc Medicum ſumma ope fovere, atque tueri ſub auſpicatiſſimis Sereniſſimæ Reipub. *Venetæ* auſpiciis non deſinitis; quibuſque propterea hoc ſyntagma dicatum volui, tamquam ſummæ virtuti, & dignitati veſtræ debitum munuſculum. Vobis ſanè ampliſſimum hoc munus Duumviratus, atque alia præclara ſæpè injunguntur, cum ob ſummam prudentiam, dexteritatem, & rerum agendarum peritiam ea ita tractetis, & geratis, ut omnibus venerationi, & admirationi ſitis. Ejus porrò Auctorem veſtri nominis ſtudioſiſſimum, & Academicum Philarmoniæ hujus literariæ promum, & condum accuratum pro veſtra ſumma benignitate fovere, atque ornare ne gravemini. Valete.

Veronæ die XXI. Martii CIƆ IƆC XXIII.

Veſtrarum Dominationum

Cliens obſequentiſſimus

Angelus Tamus Typogr. Veron.

BARTHOLOMÆI BURCHELATI,

Phyſici Tarviſini,

DE

Collegii Veronenſis Luminibus Eloquium.



CLARISSIMIS *præ cæteris luminibus antiquiſſimi Collegii Medicorum* Veronenſium Fracaſtorio, Montano, Valdaneo, Guarinonio *Numinibus anteſignanis, nullo ævo, nullo ſæculo ab hominum ſapientum mentibus delendis oblitterandiſvè, promptiſſimum æquè, ac humillimum præſtat obſequium hoc Eloquio* BARTHOLOMÆUS BURCHELATUS, *Phyſicus* Tarviſinus *ſeptuagenarius, illorum prælustrium operum ſedulus admirator, nedum præſentes, ſed magis poſteros in tantorum admirationem Virorum advocans, ac invitans, cum quibus & præſens* ANDREAS CHIOCCUS *ejuſdem Ordinis Vir præſtantiſſimus præ humaniorum literarum Dominio, præ medicarum operum dignitate, præ linguarum prærogativa, & gratia, præ libris editis, & vel Muſæi ipſius* CALCEOLARII *interpretatione annorum Myriadas victurus per ora doctarum frontium, procul omni dubio eſt adnectendus, ut interim, brevitati inhians, tot aliorum tanti conventus celebres memorias prætermittam, quorum liber hic profectò declaraturus eſt immortales.*



ANDREAM CHIOCCUM

Summum Philosophum, Medicum celeberrimum

V E R O N A

Colit, veneratur, admiratur,
Hic Apollinis Arte humana corpora
Curat, perpetuat,
Hic Illustrium Virorum Collegii sui Famam
Ingenua eloquentia revocat;
Gaudeat igitur humana vita tanti viri sapientia,
Doleant Parcæ tanta Regni sui jactura,
Collegium Physicorum
Gaudeat, exultet, triumphet,
Hac enim præclara doctissimi Chiocci
lucubratione
Tandem reviviscit.

Anonymi ex Collegio Medici nobilissimi,
atque eruditissimi amoris ergò.

Ejusdem ex Collegio Med. & Phil.

LECTOR QUISQUIS ES

Haud hæc novisse pudeat, vel pigeat,
Antiquorum Physicorum Veronensium per-
honestos Mores, selectam Doctrinam,
elimatam Praxim.
Perpendito animadvortito.
Quorum invida Temporis longævitas Nomina,
& Cognomina
Delerat, Absumpserat,
Gravioris Famæ Typum extriverat meritam
memoriam, oblivioni
Tradiderat.
Injurias verò Ævi indignatus
ANDREAS CHIOCCUS Philosophus, &
Medicus præstantissimus.
Ingenuo Ingenio ejusdemmet detegit, & abigit
Pravitatem,
Et ad Parentum, ac Patriæ decorem,
Pientissimus;
Hæc concise, & eruditè
Lubens
Perennatura promit.

De Viris Illustribus Collegii Medicorum Veron. digno Elogii honore ab
ANDREA CHIOCCO celebratis.

VIRGILIO-CENTO.

6. æ. ILLUSTRES animæ, nil magnæ laudis egentes, 5. æ.
7. æ. Semine ab ætherio, famæ pars maxima nostræ: 2. g.
2. g. Quas propter tantos potuit perferre labores 12. æ.
8. æ. Flos veterum, virtusque virûm, super æthera notus; 1. æ.
3. æ. Dum medicas adhibere manus rebusque salutem 12. æ.
2. æ. Incumbit, generis lapsi sarcire ruinas. 4. g.
10. æ. Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
9. æ. Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

B. Bruschus.

ANDREA, excultis celebras dum nomina chartis,
Doctorum reparas dum monumenta patrûm;
Insignes Verona tulit quos Pæonis arte,
Immemorique ætas jam tumularat humo:
En, ait exclamans tota urbs, Epidaurius alter,
Qui vocat extinctos in nova sæcla viros.

Leon. Tod. Can. Veron. &
Acad. Philarm. &c.

Jo.

Jo. Francisci Rambaldi Philos.
Æq. & Acad. Philarm.

PRæclarum, infestos membris depellere morbos,
Divinum extinctos jam revocare senes.
O magnum Andream: morbos fugat arte, gravesque
En patrios Medicos ab nece restituit.

De Elogiis Medicorum
Coll. Veron.

MUsarum satis est nullus pro numero cantus
O nimium Medicis grata caterva Diis.
Non fictis opus est, ornat quos plurima virtus
Et quos doctrinæ clara corona beat.

Incerti.

De Perill. ac Excel. ANDREA CHIOCCO,

Operis Auctore.

EXhibuit Natura viros per sæcula claros,
Sed penè extincto nomine nullus erat;
Andreas enixus at illos parturit omnes,
Semper & hoc partu quisque superstes erit:
Nunc cedit Natura parens, mirata laborem,
Quo vita functos vivere posse videt.

O. B.

Responsum Andreæ Chiocci
extemporarium.

OBstetrix ego, non Mater, miranda virorum
Agmina produxi, Pæoniamque Domum;
Abdita quæ Famæ gremio dispersa volabant
Docta per ora virùm, sed modò juncta vigent:
Asclepi Mystas tu carmine tollis amico,
Nobilior vita est, quàm tua Musa parat.

DIALOGUS.

SIREN, & MERCURIUS.

QUO tædio affectus, quavè muneris mole gravatus, *Mercuri*, fessus, tardus, ac perturbatus incedis? MERC. O quam propius per vultum cor meum, *Siren*, perscrutaris: nuncius ego graviter ægrotantis Junonis missus ad convocandos in concilium principes *Græcos* Medicos, præcipuos *Arabas*, & *Latinos*, eximios omnes modò reperi, præter *Veronenses*, quos inveniendi spes adhuc me fallit. S. Viventes nè quorum Collegium laudibus viget immortalibus? M. Non in me est, moriturum accersere in Cœlum, deducerevè ad thalamum Deorum. S. Disquisivistinè umbrarum diverticula? M. Quid hæsitas? Perlustravi modò superas Cœli regiones omnes, Elysii campos omnes totius Inferni latebras, singulasque terrarum plagas, atque neminem adhuc comperi, miser, & infelix. S. Nullibi ergo adsunt? M. Nullibi; aut oculos ira cœcos effugiunt umbræ luce coruscantes. S. Sedato, ac læto animo mecum unà pergas, mi *Mercuri*, per hanc *Veronæ* portam, suscita emortuos pedes, accelera gradum, en patent fores, ingrediamur, ingrediamur domum Doctissimi ANDREÆ CHIOCCI. M. Quæ monstra hiccine accidunt? Quævè hic video? Sedentes in convivio beatas umbras extra Elysium! S. Cesset nunc admiratio tua, mi *Mercuri*, tantus enim est in meum Alumnum *Apollinis*, & *Æsculapii* favor, *Palladis*què amor; ut præ cæteris mortalibus unus à Diis immortalibus

bus adametur: ſapientia hujus, ſcientiarumque ſublimium, & ſanctiorum artium culmen, copia dicendi triplex, multiplexquè carminum melos potentes trahere in utrumque, & conſopire mortales, & æternas mentes quid unquam à maximo Deorum non obtinuere? M. Mirum divino tantummodo intuitu dignum ſpectaculum tot ſummos, *Siren*, intueri Philoſophos Medicos, & omni præditos eruditione hoſpites ſimul admodum opiparè convivari. Juſſus ergonè mandatorum obliviſcar? an revertar ad Reginam Deorum nullo præſtito nuntio? S. Sedeamus. M. Feſſinè omnes? S. Annuente *Apolline* compotores hujuſce nectaris ocyſſimè comprimuntur, en nobis loca duo inania patentia. M. O ſapientum Concilium, ò Deorum Symposium, in throno ſub triplici umbraculo regali conſident *Apollo*, *Pallas*, & *Æſculapius*: igitur ſedeamus. S. Nuncii non obliti demum audiamus hoſce ſermones admirandos CHIOCCI, Sireniaciſque auribus gratos, ſilentioque *Mercurii* dignos.

Alexandri Peccanæ ex Collegio Med. & Phil.

APPROBATIO.

Ego Fr. Paulus Landonius Cruciger Sacræ Theologiæ Mag. vidi, & ſumma cum voluptate conſideravi præſens opus De Collegii Veronenſis Medicis, & Philoſophis.

Auctore Præſtantiſſimo ejuſdem Collegii, & inclyto Archiatro, ac Philoſopho Andrea Chiocco: dignumque non luce ſolùm, ſed laude ſumma duxi.

Imprim.
Fr. Sylveſt. Inquiſitor Veronæ.

1622. *die* 5. *menſis Januarii.*

Pro impreſſione

Excellentiſſimus Senatus Venetiarum Secretarius Auguſtinus Dulcius.



AN

1 ANDREÆ CHIOCCI,

Medici & Philosophi,

DE

COLLEGII VERONENSIS MEDICIS ET PHILOSOPHIS SECTIO PRIMA.

PROOEMIUM.



COLLEGII VERONENSIS *dignitatem, vetustatem, & admirabilem splendorem, si quantum conniti ingenio possum, velim pro meritis explicare, haud sane enucleatius possim, quam* Onuphrii Panvinii *Civis nostri Antiquarii, & Historici clarissimi, & celeberrimi præcisis verbis, quæ ex* Lib. VII. suarum antiquitatum Veronensium *desumpta sic ad unguem se se habent.*

2 *Urbem* Veronam *præstantissimorum Medicorum Collegium mirum in modum exornat, in quo licet, semperque licuit multos Æsculapios, atque* Machaonas *admirari, qui omnium artium, & philosophiæ eruditione præstantes non modo languentia ægrotantium corpora saluti restituunt, verùm anhelosa suspiratione, & gemebundo singultu laborantes homines ad vitam revocant; fugientesque ab ore animas in pectora redire cogunt: Nec tantum hac salubri doctrina Patriæ, ac suis prodesse contenti; sed universæ pene* Italiæ, *& exterarum Nationum Gymnasia, Academiasque tum legendo, tum scribendo compleverunt, quorum ex eis, qui scripserunt.*

CAPUT I.

Aventinus, & Jacobus Lavagnolus.

AVENTINUM, & JACOBUM LAVAGNOLUM nobilissimos suo sæculo Medicos his verbis in *Italia* illustranda commemorat *Blondus Flavius* Foroliviensis, ubi de *Verona* loquitur, Medicos genuit *Verona* sui sæculi præstantissimos AVENTI-
3 NUM, & JACOBUM LAVAGNOLUM Equestris ordinis: JACOBUS porrò Vir fuit humanitatis studiis, & eloquentia exornatus. De his Medicis profectò non ita scriberet gravis Historicus, nisi illi in sua arte verè magnum nomen suum per universam *Europam* propagassent: sicut enim Historici obvias quasque, & triviales actiones non commemorant; sic nec Viros, aut artifices vulgares, aut minorum gentium Medicos, aut Philosophos; quod ego judicium libenter tuli tum de *Panvinii*, tum de *Blondi* præclaro hoc testimonio; id enim ex lege, aut dignitate Historiæ (*Ammiano* teste) discurrere per negotiorum celsitudines, non humilium minutias indagare causarum.

Chioccus.

CAPUT II.

Bernardus Alberti filius à Campania.

TRITAVUS meus maternus longè omnium sui temporis præstantissimus fuit: de quo, cum Gentilis sit, ne in eo laudando videar cognationi nonnihil indulsisse ea tantum de eo dicam, quæ *Blondus Flavius* Foroliviensis centum annis antea in *Italia* illustranda tradidit; sic enim ubi de Urbe nostra loquitur, de hoc Viro scri-
4 bit. *Bernardus* honesto genitus *Campaniæ* gentis

Hæc Panvinius.

A loco non parvum *Veronæ* attulit ornamentum: quod Medicus, & Philosophus insignis tanta viguit memoria, ut *Themistoclis* instar, nihil illi exciderit, quod aut discere, aut eum attentius legere contigisset, scripsit autem de re medica commentarios. Principibus *Scaligeris*, quorum sanitatem tuebatur, gratissimus fuit, atque ab iis ad summos honores, & amplas opes provectus est: vixit autem circa annum Christi CIↃ CCC. Avus hic fuit Patris Matris meæ, obiit *Mantuæ*, quo se contulerat, ut illius Urbis Principi ægroto manus medicas admoveret; ibique sepultus. Hæc *Panvinius* ad verbum.

B

CAPUT III.

Joannes Arculanus.

JOANNES ARCULANUS Veronensis Medicus scripsit expositionem in librum *Rabazæ* ad *Almansorem*, paucis exceptis capitulis ab eo (morte præveniente) non explanatis; item Commentarium super 4. fen. *Avicennæ*, in cujus libri fine hæc leguntur.

Herculeo Arnulfus genitus sacra saxa Joanni 5
Hæc statuit merita pro pietate Patri
C *Ille Vir Hippocratem medicans, & Apollina vicit,*
Atque fuit nostro tempore verus Apis:
Doctrinæ præclara sua monumenta reliquit,
Multaque per doctos scripta Joannis eunt.
Codicibus febres, pestes, cunctosque nocentes
Corporibus morbos scripsit in orbe tribus.
Pulcra salutifero VERONA exultat alumno
Hujus enim medicam mundus adorat opem,
Sub Duce quem Borso clarum Ferraria vidit;
Fataque corpus habent, cætera cuncta Deus.

CAPUT IV.

Aleardus de Pindemontibus.

HIc nobili genere *Veronæ* ortus ante septuaginta annos in Urbe nostra floruit; scripsit libellum ad *Hermolaum Barbarum* Episcopum *Veronensem de fontibus*, seu *Balneis Calderii Veronensis agri*; item alium libellum *de virtute Balneorum Calderianorum*, *de modo bibendi aquam*, *de Diæta*, *& abstinentia sumentium balnea*, *de somno meridiano*, *de modo succurrendi accidentibus supervenientibus:* impressi sunt autem ambo libelli *Venetiis* à
6 Junctis, cum variorum Authorum scriptis de Balneis.

Hunc in doctissimo Dialogo de Thermis Calderianis ad *Andream Bandam* J.C. loquentem induxit *Jo. Antonius Pantheus* Civis noster, & Presbyter pereruditus; qui sanè Dialogus dignus est, ut passim recudatur, & omnium manibus teratur; cum Physicam doctrinam, & eruditionem omnigenam contineat: In eo ita de *Aleardo* nostro HERMOLAUS BARBARUS *Veronæ* Episcopus, *Aleardus* alter *Machaon*, alter *Asclepius* nostro ævo est, auxiliaribus Pharmacis detinet à cadaveribus evolantes animas, Philosophantium omnium, quos ego quidem norim, facile Princeps & habetur, & est: ejusdem *Panthei* extat etiam de Laudibus *Veronæ* opusculum, cum *Aleardo* floruit circiter annum M CCCC XXX. & antea; in novo aliquo, & subito morbi discrimine magnus hic Medicus id *Taciti* usurpabat, cunctatione non opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas: Inter ancipitia deterrimum esse, media sequi; quia Medici eo tempore nec provident satis, nec audent: quæ præcepta majorum gentium Politici magnis Principibus solent inculcare.

7 CAPUT V.

Franciscus Pedemontanus, *seu de Pindemontibus.*

FRANCISCUS *Pedemontanus* Veronensis Medicus scripsit quædam de balneis, ut ejus Gentilis *Aleardus*; item additiones in Mesuem, quæ cum *Mesue* impressæ valdè utiles passim leguntur.

CAPUT VI.

Gabriel Zerbus.

Chioccus.

GABRIEL *Zerbus* Civis noster perhonesta familia natus, summus fuit Philosophus, & Medicus, ingenio vivido, & perspicaci, & ad acerrimas disputationum salebras complanandas affabrefacto; In primis *Italiæ* gymnasiis publice professus summam sibi eruditionis, & diligentiæ laudem conciliavit. De eo sic *Onuphrius Panvinius* Civis nostras magni nominis antiquarius: *Gabriel Zerbus Veronensis*, & ipse Medicus scripsit anatomen corporis humani, anatomen infantis,
8 commentaria egregia in Metaphysicam Aristot. artem venandi distinctiones, cautelas Medicorum, Geratocomium, omnia excusa. De hoc Auctore sic *Marinus Brocardus* Physicus cum ipsum *Zerbum* alloqueretur, sed dic rogo, quid est, in quo tu Vir ista eruditione nostro judicio indigeas? tanquam tua studia ad hunc diem probata non fuerint? quæ *Sixtus* Pont. Max. omnium, qui nostra tempestate fuerunt, ut dignitate summa, ita eruditione longe Princeps in metaphysicis probavit, quæ in Medicinæ præceptis *Innocentius*, & ipse Pontifex, quorum jussu res tuæ in Vaticana Bibliotheca honestissimum sunt locum sorti-
A tæ, hoc certè plus fuit, quam quod *Hippocrati* dedit *Græcia* ob prævisam pestilentiam, quod *Ptolemæus Theombroto*, *Mithridates* Rex *Asclepiadi*, quod demum Romana Civitas *Antonio Musæ*: fuerunt illa multitudinis judicia, cujus proprium est nihil sapere, aut Regum, qui clausis (ut verissime scribit *Seneca*) donant oculis suum animi affectum, non rationem sequuti; at duo Sapientissimi Pontifices veritatis amicissimi falli non potuerunt, quod monumenta tuorum studiorum æternitati consecrarunt.

Solebat hic præstantissimus Medicus id *Galeni* dictum in ore habere lib. *de præcognitione ad* *Subdit Chioc.*
B *Posthumum*; Medici disciplinis imbuti & verita- 9
tis propter seipsam amantes quamvis ingnoti vulgo sint, summo tamen rerum Opifici Deo noti primum, & amici sunt: illud etiam præterea: Medici, qui medicinam exercent, ut Philosopho convenit, & *Æsculapii* successorem decet, permittant, ut in existimatione sint improbi apud Vulgares. Memoriæ proditum est, cum quidam ejus familiaris Medicus lucro deditus ei *Hippocratis* verba *lib. de præceptionibus* inculcaret, si à mercede curationem inchoaveris conducit hoc universo negotio: Ægroto quidem cogitationem inducis, quod videlicet non ipso relicto abibis, si
C verò non pacisceris, quod ipsum negliges, & de quibusdam in rem præsentem non admonebis; Curare igitur oportet de constituenda mercede: Hæc igitur cum ille obtrusisset, statim *Zerbus Galeni* auctoritatem objecit 9. *lib. de placitis Hippoc.* & *Plat.* ubi Medicorum finem quatenus sunt Medici minime gloriosum, aut utilem esse statuit, sicuti neque *Diocli*, nec *Hippocr.*, aut *Empedocli*, aliisque compluribus ex veteribus fuit, qui humanitate, & benignitate hominibus medebantur: multos etiam *Hipp.* attributos libros spurios à doctis Viris existimari; Verum & eodem libello præcipere *Hippocratem*, ut Medicus ma- 10
D gis existimationis suæ, quam commodorum rationem habeat, ut quandoque gratis curet, ut gratitudinis memoriam potiorem, quam præsentem existimationem auferat. Hæc seniores Medicos de Clarissimo *Zerbo* memorasse interdum, memoria tenemus.

CAPUT VII.

Alexander Benedictus.

E ALEXANDER BENEDICTUS Medicus *Veronensis* scripsit de morbis medicandis à capite ad calcem libros triginta, Aphorismorum Medicorum librum unum, de Medici, & ægri officio, de peste, ejus causis, & materia auxiliorum librum unum, Anatomicæ administrationis libros quinque, Diaria de bello Carolino opus perelegans, ad fidem historicam excultum. Hic profecto insignis Medicus *Venetiis* cum medicinam factitaret ab Illustrissimis Provisoribus, vel Præfectis belli Tarrensis summis præmiis, & honoribus invitatus exercitui *Veneto* medendo interfuit, & summam gratiam ob fidelem operam navatam à Serenissima Republica proborum, & litteratorum munificentissima Altrice, inivit. Vi-
F xit diutissime *Venetiis*, ibique etiam defunctus 11
est. Ex *Celsi* sententiis unam improbare, alteram laudare solebat; illa est, Bis in die cibum capere potius, quam semel potest homo, & semper quamplurimum, dummodo hunc concoquat: hoc enim rationi, & Hippocrati adversari putabat, qui ἄσκησιν ὑγείης ἀκορίην τροφῶν, ἀοκνίην πονῶν hoc est non satiari cibis, & impigrum esse ad laborem sanitatis exercitationem, statuit.

Altera *Cornelii Celsi* sententia, sed à doctissimo

Be-

Benedicto collaudata, fuit: Sanguinem incisa vena mitti, novum non est, sed nullum pæne morbum esse, in quo non mittatur, novum est: item illa, in mittendo sanguine, non tam annos Medicus numerare, quam vires ægrotantis æstimare debet: Hoc argumentum in libello nostro copiose tractavimus, qui propediem edetur, ubi & solidis rationum momentis, & manifesta *Galeni* auctoritate in febribus Dierum Canicularium prætermittendam venæ brachii sectionem, substituendas cucurbitulas, demonstravimus: Illud etiam ex reconditiore Philosophia sæpe usurpatum à præstantissimo hoc Philosopho ferunt: Ne fœdes spiritum, neque in profundum exaugeas, quod est planum, quod oraculum *Zoroastro* acceptum referunt. Eo monemur, non esse inqui-
12 nandum æthereum vehiculum animæ maxime cognatum, neque cum crasso corpore permiscendum, quod purum, tenue, & fulgidum est, a *Platone* in *Phædro* Currum animæ nuncupatum; verum hoc ex Platonicorum placitis: illud ex vera Politicorum doctrina: Rempublicam *Venetam* Serenissimam, si non Principatus amplitudine, majestate tamen, & generosa nobilitate veterem Rempublicam Romanam adæquare: Legum vero optimarum observantia, Pietate, Justitia, & Imperii diuturnitate longe superare, quam Deus firmum adversus Barbaros propugnaculum constituit, quod dictum libens, & volens Collegium Nostrum arripuit, cum sub ejus felicissimis auspiciis, & justissimo imperio, & incrementa, & ornamenta complura se nactum prompte fateatur, & ex animo glorietur.

CAPUT VIII.

Hieronymus Turrianus.

E NOBILISSIMA Familia ortus HIERONYMUS TURRIUS, vel *Turrianus* cum ab ineunte ætate admirabile ingenii specimen dedisset, hu-
13 maniorum litterarum, Rhetoricæ, ac Dialecticæ studiis, in quibus mirificos progressus fecerat, nominis sui famam passim propagans, mox se Philosophiæ doctrina imbuendum censuit, quam Moralem, Physicam, & Divinam cum plane degustasset, legendo, disputando, & implicatos difficultatum nodos, & labyrinthos evolvendo, & excutiendo maximum nomen *Patavii* est adeptus: qua laude minime contentus, se propere ad Medicinæ rationalis studium convertit; muta dogmata, & præcepta illius artis experimentis, & accurata ægrotantium, & ægritudinum observatione veluti animans, & corroborans: Hinc factum est, ut anno CIↃ CCCC XLII. in Collegium percelebre Medicorum Patavinorum fuerit cooptatus, quamvis Collegii illius decreta aperte ipsi refragari viderentur; tantum eximiæ, & præcellentis eruditionis meritum valere apud nobiles, & ingenuos Viros potuit. Lecturam mox praxeos medicæ extraordinariæ adeptus sub auspiciis Serenissimi Ducis *Venetiarum* NICOLAI MARCELLI maxima ingenii, doctrinæ, & indefessi laboris inter legendum, & medendum, documenta exhibuit, idque Juvenis admodum, antequam doctoratus Medici insignia nancisceretur: quæ deinceps nactus Lectura publica ordinariæ praxeos medicæ, celeberrimo Corradino
14 Collega ab amplissimo Senatu acerrimo illustrium
A meritorum judice est cohonestatus. Accersitus mox ad *Ferrariense* Gymnasium, quod eo tempore mirabiliter florebat conditionem opimam, & honorarii optimi, & primæ Cathedræ non recusavit, idque AUGUSTINI BARBADICI Principis Reipublicæ Sereniss. nutu; sed statim summo Patavini Gymnasii studio, & desiderio revocatus, & amplissimo stipendio Inclytæ Reipublicæ beneficio auctus XIX. continuos annos publice est professus. Porro legimus in domesticis ejus familiæ Annalibus *Hieronymum* nostrum non solum legendo fuisse admirabilem, sed in curandis ægris desperatis, & depositis quantum arte Medi-
B ca singulare ingenium, & pæne divinum progredi valet, cumulate præstitisse, & sæpissime felicissimos curationum exitus inspexisse: longe etiam dissitos ægrotos curationum consultationibus ad unguem elaboratis per universam *Europam* transmittendis juvasse: Ut rerum notitia *Pythagoræ*, judicio *Democrito*, & *Hippocrati*, ordine *Herophilo*, experientiæ copia *Galeno* par esse omnibus videretur. Hac peritiæ fama, & longinquos Barbaros permovit, ut ad se ipsos curandos ipsum nobiliss. præmiis propositis invitarent, ut ab *Artaxerxe* etiam *Hippocrates* fuit accersitus: 15
quare & à *Schenderio*, *Serviæ* Præfecto, & Satrapa
C invitatus, qui gravem morbum ex belli laboribus contraxerat, ire recusavit, Clariss. *Zerbi* exemplo forsitan deterritus; Sed & à Sereniss. *Cypri* Regina bis accersitus est, idque per Ducales litteras Serenissimæ Reipublicæ, cui CATHERINÆ CORNELIÆ Heroinæ salus, & incolumitas curæ erat. Reges etiam, & Dynastæ præcipui summi beneficii & bonæ fortunæ loco habebant si is eorum curationi præesset. Fides, humanitas, prudentia, dexteritas, præter eximiam artis notitiam, & peritiam, imprimis omnibus probata: Pietatis Christianæ laude potissimum floruit, quæ in operibus potissimum charitatis elucet, ut nul-
D lum umquam egenum, & pauperem à se non largiter, & munifice donatum dimiserit: Cæterum dum multa medica opera à se pridem concepta limare, & in lucem edere cogitaret, & se in quietis portum recipere. Patriæ, cognatorum, amicorum, & Collegii Nostri adspectu frui jam secum constitueret LXII. ætatis annum agens Anno CIↃ IↃ VI. gravi febre decumbens, sibique prognosi facta, extremum vitæ diem prædicens, animam Deo Opt. Max. reddidit. Julio Jurisconsulto *M. Antonio* Medico, & Philosopho gravissimo, & *Jo. Baptista* Philosopho, & Astrono- 16
mo percelebri, & *Raymundo* liberis relictis, &
E paternæ virtutis æmulis.

Funus tanti Viri, & Doctoris magnificentissime peractum, & frequenti Auditorum Academiæ Patavinæ numero illustratum, sed potissimum præter Elogia, & alia Epicedia, duarum funebrium orationum encomio, quæ à duobus illius tempestatis Clarissimis Oratoribus sunt habitæ *Parthenio*, & *Jo. Pierio Valeriano*; cohonestato consessu, præsentia Illustrissimorum Urbis Rectorum ANDREÆ GRITTI Prætoris, & PAULI PISANI Præfecti. Translatum mox *Veronam* cadaver, & in D. *Firmi* majoris Templo in *Turrianorum* Basilica conditum ab ejus Filiis præclaro
F Mausoleo extructo ære cælato, & aurichalco tum pretiosis marmoribus elaborato. Duobus etiam Epitaphiis exornatum Mausoleum: quorum unum versus partem Septentrionalem è regione altaris

HIERONYMO TVRRIANO PATRI OPTIMO
ET M. ANTONIO FRATRI MAXIME VNANIMI
IVLIVS, IO. BAPTISTA, ET RAYMVNDVS
FRATRES P.
AMBORVM OSSA, QVÆ DIVERSIS PRIVS
IN LOCIS, VT QVEMQVE MORS OCCVPAVERAT
CONTEGEBANTVR IN PATRIAM TRANSLATA
EODEM VNA TVMVLO COLLOCAR.

17 Versus partem Meridionalem è regione sepulchri, quod cummune est universæ familiæ Turrianæ.

VIXIT PATER ANN. LXII. NEQVE VLLI TAMEN
OB PRÆCLARAS INGENII ARTES
QVÆ TVM MAXIME IN ILLO FLOREBANT
NON IMMATVRE ERIPI VISVS EST
FILIVS CVM IS IAM PATRIÆ NON SOLVM
LAVDI ÆQVARETVR,
SED ET IN MAIOREM, ET NESCIO QVAM SVI
EXPECTATIONEM HOMINES EREXISSET
XXX. ÆTAT. ANNO ACERBISS. OMNIVM FATO PERIIT.

A Ab hoc præclarissimo Medico *Turriano* fluxisse ajunt præceptum illud, & documentum maxima dignum observatione, & à Medicis ex trivio neglectum, aut non intellectum: Morbos nimirum Epidemicos peculiari animadversione, & curatione esse tractandos, cum enim ab aëris noxii constitutione procreentur, & in aliqua Civitate plures ejusdem generis grassantur à communi causa ortum ducunt; & in iis perspiciendum, an aliquid divini subsit, ejusque habenda providentia, ut præcipit magnus *Hippocrates*: quocirca operæ pretium esse, non eadem curandi ratione eos tractari, qua iidemmet tractantur, cum sporadici sunt, non Epidemici, & ab erratis in victus ratione proveniunt, aut à quapiam hujusmo-
18 di privata occasione: Eo fieri, ut febres etiam Synochæ cum putredine mali moris vel in juvenibus robustis, & initio tutius cucurbitulis curentur, quam phlebotomia, quoniam licet in prima humorum ebullitione nullum symptoma mali moris se prodat, in sexta tamen, & in septima die, in lotio, pulsu, & facultate animali cerebri certissima erumpunt illius indicia, cum maxima virium debilitate, cui non exiguam ansam præbuit venæ sectio initio administrata; Cucurbitulas, præterquam quod Vicariæ sunt Phlebotomiæ, partibus infernis, & profundioribus scarificationibus adhibitas corporis habitum laxare & cutis obstructionem, vel adstrictionem, aut Constipationem aperire, & rarefacere, & succis intro protrusis, vel compactis transpirationem conciliare, qua ratione, & ulterior ebullitio, & putredo eam consequens prohibetur, & sic feliciter hujusmodi febres percurantur, quæ maxima ex parte ex cutis constipatione, & succorum retrocessu oboriuntur: At venæ sectio & currere facit humores, ut loquitur *Avicennas*, & intro eos trahit, ex *Galeno*, quasi confluxui illi ex constipatione obsecundans. Cucurbitulæ ergo nec vires debilitant, & proximam causam febrium istarum cutis scilicet obstipationem tollunt, à corde no-
19 xios succos avertunt, sanguinemque pro necessitate, & indigentia detrahunt; quæ si parcior videbitur facta detractio, apertione hæmorrhoidum, vel salvatellæ facile suppletur. Hinc observatum sæpe in talibus cœli constitutionibus (in quibus & occulta vis influxus siderum timeri solet) ex triginta ægrotis morbo acuto conflictatis, quibus fuerit vena secta, duos tantum bono fato convaluisse; quibus vero affixæ Cucurbitulæ unum duntaxat defunctum, quod multi prudentes rerum æstimatores observarunt, vel ægrorum numero, qui passim in Civitate decumbebant in adversaria relato, & exitu felici, vel infelici observato.

Profecto testis ego esse possum ex αὐτοψία, Anginis, & Pleuritibus spuriis anni 1602. quæ ineunte Februario in constitutione aëris austrina calida, & serena, λευκόνοτον vocant, grassabantur, omnes fere, quibus secta fuerit vena, jugulatos, quibus administratæ cucurbitulæ, non sine insignium medicorum admiratione maximam ægrorum partem expedite convaluisse. Ratum ergo,
B & certum in praxi Medica præceptum esto ex Clarissimi *Turriani* præscripto in morbis Epidemicis, in quibus suspicandum est aliquid inesse divini, longe diversam ineundam curationem, quam in iisdem morbis cum sporadici sunt; quoniam 20
non à causa agente adeo valida, & efficaci percelluntur corpora, qualis est influxus ille cœlestis, vel aëris noxia constitutio, quæ sine magno etiam corporum apparatu malignas, & pestilentes febres solent invehere.

CAPUT IX.

C
M. Antonius Turrianus.

HIERONYMI Medici præstantissimi Filius M. ANTONIUS Parentis virtutem, ingenium, præclaras animi dotes, natura, industria, vivida quadam & feraci mentis fœcunditate superavit, quod de *Epicuro Lucretius*, id verissime de eo profiteri possum,

Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Præstrinxit stellas, exortus uti ætherius Sol.

Quinimmo sua ætate passim dictitabant duos Phœnices doctrinæ, ingenii mirabilis, & omnium
D litterarum vigere *Jo. Picum Mirandulanum*, & *Marcum Antonium Turrianum*; is cum valde in Mathematicis, & Dialecticis studiis profecisset, Artium, & Medicinæ Doctor renunciatus, & Theoricam extraordinariam, quam vocant per a- 21
liquot annos publice *Patavii* professus: ad ordinariam mox lecturam evectus Serenissimæ *Venetæ* Reipublicæ Senatus consulto, licet ætate adhuc valde adolescens, sed ætatem anteveniens, & prævertens Virtutum, & ingenii meritis, studio indefesso, & gravitate morum mira affabilitate, & comitate condita. Eodem tempore prælege-

legebat *Hieronymus* Parens ordinariam praxim, cui tacitum pertentabant gaudia pectus, quod eximio, & divino ingenio Filium ad summum laudis, & existimationis apicem, & decus cerneret properare; cum enim ab aliis superari in virtutum; & industriæ curriculo omnes homines ægre ferant, à liberis tamen vinci summæ felicitatis, & laudis loco ducunt, vivæ enim sunt Patrum imagines, & traduces, ut quasi in se ipsis propagari virtutem illam, & incrementa suscipere sibi persuadeant. Ad *Ticinense* Gymnasium mox accersitus primæ cathedræ dignitate est cohonestatus; Anatomicam disciplinam eorum temporum primus & sectione publica, & scriptis editis illustrans, ut *Mundini*, & *Zerbi*, qui in eadem Palæstra pro eorum captu desudaverant, diligenti usuum particularum, & numeri observatione, & disputandi acumine, & soliditate, fa-
22 mam obscuraret, dum etiam *Galeni* placita perperam impugnata tueretur, aut male intellecta dilucide explanaret: Et cum imprimis oporteat Medicum esse fortunatum, ipse maxima ex parte felicissimas difficillimorum morborum curationes est expertus; quod præclare *Fracastorius* vir maximus (qui ei inter paucos fraterno pene amore, atque intimo devinctus fuit) iis doctissimis carminibus testatus est.

Nam quid ego aut laudes memorem, aut tua maxima laudum
Præmia; quam humano profueris generi?
Aut quam sæpe animas positas jam sedibus Orci
Ad sua Apollinea membra vocaris ope.

Cæterum cum delicato, & imbecilli corporis habitu esset, & longa itinera, ut amicorum commodis inserviret, libens susciperet, antequam immortalibus eximii ingenii monumentis extremam manum imponeret, ut *Paulus Jovius*, qui ejus in *Ticinensi* Academia Auditor fuit, testatur. E vivis subreptus Ripæ ad *Benacum* pestilenti febre, quæ nullas dedit inducias, conflictatus, cum vix XXX. ætatis annum explevisset *Galeno*, & *Hippocrati* par futurus, si longiusculæ adhuc vitæ usu-
23 ram Deus concessisset. Plurium eruditorum Epitaphiis ejus obitus cohonestatus, *Nicolai* Comitis de *Arco* Viri perillustris id præcipuè commendatum.

Ante annos scivisse nocet, nam maxima virtus
Persuasit Morti, ut crederet esse senem.

Verum & magni *Fracastorii* Elegia funebris in obitu *M. Antonii Turrii* ad *Jo. Baptistam Turrium* Fratrem, apud omnes doctos omne tulit punctum, cujus initium

Et si egomet tanti casu perculsus amici
Solamen nostris discuperem, lachrymis, & quæ seq.

Iidem, quos testes citavi, annales testantur *M. Antonium* solitum juniores auditores suos acerrimè monere, ut omissis omnibus voluptatum illecebris se totos studiis optimarum artium dederent, quare eos sæpe in omnem partem versabat, & acri examine excutiebat, an serio, & ex animo in literis proficerent, usqueadeo talis profectus ei curæ erat; si quem rudem, & refractarium, & genio sinistro, aut fulguriti ingenii deprehenderet, huic Auctor erat, ut Domum rediens se œconomiæ, aut militiæ obeundæ manciparet: gravissime enim in Medicina peccari ab iis, quibus Minerva non arrisit, & cervicosi, aut cerebrosi sibimet palpum obtrudentes, & plaudentes Agyrtarum more, sine legitima institutione medici-
24 nam exercent; cum ex *Galeni* testimonio nemo possit esse optimus Medicus, nisi sit optimus Philosophus, cujus libellum aureum uberrima Paraphrasi per Dialogismum superioribus annis ipse sum interpretatus, cum bardus quidam *Acesius*

A Medicos Philosophos hominum occisores esse, profiteri non erubesceret. Perdoctam etiam, & fructuosam disputationem, cum *Ticinensibus* Medicis instituisse ferunt, qua conficiebat vinum aquosum rite, & ex *Galeni* doctrina febricitantibus posse exhiberi peractis purgationibus, & apparentibuss coctionis signis, aut in maxima virium vitalium prostratione (adhuc perdurante febre) adversus Muliercularum, & popularium sententiam à timidioribus Medicis enutritam, cum non in Diariis modo febribus, sed & in acutis, teste *Galeno*, vinum concesserit *Hippocrates*, & peractis evacuationibus lib. VIII. methodi
B *Galenus* ipse in febribus putridis vini usum opportunum esse fateatur, cum omnes evacuationes promoveat; in tertiana etiam apparentibus coctionis signis dilutum vinum concedat, quæ cum saltem evidentia in fine augumenti compareant eo tempore tuto exhiberi poterit: Sed & cum vinum prohibent *Galenus*, & *Hippocrates* semper meracum, & generosum intelligunt, cujus usus in 25
Græcia fuerat frequens, & sanis consuetus (unde Græcari verbum, quasi de meracissimum potantibus usurpatum) at oligophorum, & aquosum vinum nullibi diserte a *Galeno* prohiberi constanter contendebat *Turrius* noster superstitiosarum
C in Arte nostra opinionum acer insectator. Verum doctissimam Epistolam hac de re scripsit alter *Turrianus Bergomensis* Paganus scilicet Vir celeberrimus & theoria, & praxi Medica inter Medicos *Italos* nulli secundus, quam mihi ab eo donatam *Veronæ* typis vulgandam superiori anno curavi, ne tam fructuosa disputatio medentibus, & ægrotis, cum Reipublicæ medicæ detrimento, diutius suppressa lateret.

Nihil enim (ut pressius in Musæo Calceolario describendo disputavi) omnes disciplinas pervertit eo sophismate, quod à secundum quid ad simpliciter dicitur, cum novarum opinionum fla-
D tu turgentes id quod est per accidens ab eo quod est per se nesciunt distinguere, & ex propria aliqua observatione perperam expensa statim propositionem universalem colligunt contra analyticæ doctrinæ *Aristotelis* præcepta; ita omnem pleuritidem, pulmoniam esse colligebant nonnulli: quoniam casu secto cadavere pleuritico 26
pulmonum inflammationem deprehenderunt; omnem dysenteriam intestinorum erysipelas quoniam fortuito id deprehensum; ita in re Herbaria, & Anatomica innovandi pruritus professores, quantumvis celebres, in ridiculos, & putidos errores sæpenumero inducit.

E Idem contigit in vino febricitantibus exhibendo, cum enim importune, & sine methodi legibus exhibetur non usque adeo dilutum, & aquosum, quis obesse posse inficietur? At proloquium generale inde colligere, omne scilicet vinum omnibus febre affectis nocere sophistica est propositionum complexio, & ratiocinatio; debitis enim cautionibus, & exceptionibus observatis, & *Hippocrates* in morbis, & febribus acutis exhibuit, & *Galenus* apparentibus coctionis signis, & post peractas evacuationes ad promovendas omnes residuas evacuationes, aquosum probavit, ut superius perstrictum est.

F

CAPUT X. 27

Antonius Fumanellus.

NULLA ætas ingeniis producendis tum *Veronæ*, tum alibi feracior, quam hæc nostra fuit; in qua cum in omni disciplinarum genere tùm in medicina Viri præcellentes viguere; inter quos neque in postremis est ANTONIUS *Ex Panv.*

Fumanellus Veronensis Medicus, qui multa in arte, quam profitebatur, composuit, cujus editos libros ita Augustana Bibliotheca recenset sub titulo libri Medici Pluteo XVI. & XVII. num. V. *Antonii Fumanelli Veronensis* opera in quibus continentur,

1 De vita, & moribus Galeni compendium.
2 De Senum regimine, sive de eorum salubri victa Commentarius.
3 De Balneis aquæ potabilis libellus.
4 De vini temperatura, & facultatibus Commentarius.
5 Bacchi sylva, idest de uvæ, vinique facultate.
6 Responsiones ad librum Consalvi Barrotti Hispani de vini facultatibus.
7 Epistola medicinalis ad Audasium, in qua quorundam errata corriguntur de vini facultate.
28 8 Propugnacula tria contra asserentes vinum humidum esse.
9 De rosarum, partiumque ipsarum, & omnium, quæ ex rosis sunt facultatibus.
10 De compositione medicamentorum generis cujuscumque ad morbos diversos.
11 Febrium dignoscendarum absolutissima methodus.
12 De pestis curatione liber.
13 De lepra, & elephante morbo, eorumque curatione libellus.
14 De Rheumate, sive destillatione à capite libellus.
15 De capitis ustione in oculorum, & pulmonis affectibus ob humorum defluxum.
16 De calvariæ fractura, & ejus curatione, vulnere pectoris, & pulmonis, Phlegmoneque consilium.
17 De ventriculi affectibus præter naturam Epistolæ.
11 De recrementorum corporis humani præternaturali retentione, & evacuatione liber.
19 De sanguinis ab ore rejectione, pulsus intermissione, sonitu, & gravedine in imo pectoris consilium.
20 De dolore in pene percepto, sive de ardore urinæ, & vesicæ ulcere Consilium.
29 21 Ad removendam sterilitatem Consilium.
22 De totius corporis virium imbecillitate, capitis præcipuè vertigine, renum dolore, & calculo Consilium.
23 De morbis variis in viis urinariis, & eas attingentibus Commentarium.

Pluteo XVII. num. XII.

Antonius Fumanellus Veronensis de Aquis Calderianis scripsit.

Hujus etiam Clarissimi Medici ea fuere medica apophtegmata, si febris depingi coloribus queat, Rhabarbarum ipsi vicinum tamquam ejus hostem acerrimum depingendum fore; omnem enim febrem ab obstructione ortum ducere, præter ephemeras, & hecticas: nam & Synochus absque putredine infarctum sanguinem consequi videtur, recentiores ustionem addendam censuerunt, quæ sæpe febrem absque evidenti putredine accendere videtur.

Medicos sollicitos esse debere in custodiendis, & tuendis tribus partibus, quæ ad corporis constitutionem pertinent continentibus, contentis, impetum molientibus, quæ ab Hippocrate ἴσχοντα, ἰσχόμενα, & ὁρμῶντα vocantur: spirituum, quæ proxima facultatum instrumenta sunt, potissimam rationem habendam. Plus Arti obesse
30 rudes Scriptores, qui sine ullo delectu, & judicio ab aliis colligunt, quæ non bene intelligunt, aut concoxerunt, quam rudes Empiricos, cum hi sola experientia freti minus imponant, quam qui passim rationali methodo perperam utuntur.

CAPUT XI.

Hieronymus Fracastorius Pauli Philippi Fil.

Bonarum artium, & omnis doctrinæ, Urbisque nostræ splendidissimum lumen nostro sæculo fuit Hieronymus Fracastorius Nobilissimus Civis, Philosophus, Medicus, & Poeta omnium, qui post *Cæsaris Augusti* tempora unquam toto Terrarum Orbe omnium consensu fuerint, proculdubio maximus. Hic multa elegantissime, accuratissimeque conscripsit, in quibus Principem locum Syphilis, idest libri tres de Morbo Gallico, heroicis versibus ad *Petrum Bembum* divine edidit, tenent; quibus nihil divinius elaboratius ne à *Virgilio* quidem ipso fieri potuisse existimo. Edidit præterea *Joseph* Poëma, quod morte præventus absolvere non potuit; Homocentrica, seu de Stellis, & de causis Criticorum 31
dierum per ea, quæ in nobis sunt; de Sympathia, & Antipathia librum unum; de contagione, & contagiosis morbis, eorumque curatione libros tres; *Turrium*, seu de intellectione libros duos; & *Fracastorium*, vel de anima; de Temperatione vini pro disceptatione, quæ inter *Antonium Fumanellum*, & *Bartholomæum Gajonum* percelebres Collegii nostri Medicos versabatur; Navagerium, sive Dialogum de Poëtica præclarum. Obiit eximius Vir superioribus annis *Veronæ*, repentino morbo, non sine maxima literarum jactura oppressus; Cui ex Senatus Consulto Statua in foro, cum reliquis illustribus *Veronensibus* erecta est, ejus imagine ad vivum expressa, cum hoc, quod ego addidi, Elogio

HIER. FRACASTORIO
PAULI PHILIPPI F.
EX PVBLICA AVCTORITATE
ANNO M. D. LIX.

Chioccus hæc adjicit. 32

Sed in præcipuis etiam Magni *Fracastorii* laudibus id ponendum est, quod Virorum Clarissimorum floruit amicitia *Bembi* potissimum, *Gasparis Contareni*, & *Navagerii* trium Reipublicæ *Venetæ* splendidissimorum luminum, tum & *Joannis Baptistæ Ramnusii* Senatus à Secretis Viri magni arcta benevolentia, quin *Navagerium* in secessus Caphios *Fracastorii Parnasum*, & *Tempe* sæpenumero cum *Turrianis* suis deductum, cum *Veronam* ad eum invisendum accederet, scimus. Ex Epistolis etiam *Bembi*, & *Contareni* facile intelligitur quantum ab ipsis æstimaretur, quantumve ab universa Republica præclarissima ingeniorum fautrice, & Judice.

Scripsit & *Alconem*, seu de cura Canum venaticorum, & carminum librum unum.

Circumferuntur & familiares *Fracastorii* Epist. Italice scriptæ, & cum aliis Illustrium Virorum impressæ, in quibus morum, studiorum, & vitæ consuetudinis tanti Viri veluti Idea ad unguem expressa conspicitur.

Cum porro doctissimus *Pola* Juris Consultus, & Civis noster hoc Elogium in Clarissimum *Fracastorium* adhuc vivens mihi donasset, ad majus præconii robur, & incrementum, huc juremerito censui inserendum.

ELO-

33 ## ELOGIUM

HIERONYMI FRACASTORII Ex Musæo Francisci Polæ J. C. Veron. Viri doctissimi.

DETRAHE Veronensibus HIERONYMUM FRACASTORIUM aut nulla, aut non tam clara *Verona* erit. Hic generosa peranti-quæ Familiæ Stirpe oriundus mira Vitæ incunabula à divina, fataliqueCœlestium Numinum benignitate auspicatus est. Matrem enim infans adhuc, & tantum non vagiens, cum ipsa ei in sinu susultanti blandulos garriret jocos ictu fulminis horribili confectam illæsus sensit, si modo sentire potuit. Deinde per adolescentiam opulentis politiorum omnium literarum opibus conquisitis incomparabili memoriæ, ingeniique, & corporis vi secretiores omnes doctrinarum omnium, Mathematicæque præcipue facultatis recessus, & penetralia invasit, & in Medicinam denique totus peregregie *Patavii* incubuit. Exin Livianum *Bartholomæum* non minus diligentem Phœbi Cultorem, quam fervidum, & præcipitem Martis Alumnum, non in Academiis modo,
34 sed & in Castris ad Abduanam usque Cladem sequutus est. Sed postliminio reversus in Patriam, maritalique obligatus vinculo, naturæ facilis, moribus temperatus, ingenio apertus, victu parcus, cultu humilis, curis solutus, minime ambitiosus exquisitum laudabilis vitæ genus adamavit.

Verum in *Fracastorio* tam fortunata medendi præstantia enituit, ut illum omnibus *Europæ* Medicis præexcellentem Proceres quique *Itali*, & Reguli non solum, sed cæteri etiam prægrandibus honorariis evocatum in dubia, & plane desperata vitæ salute undique consulerent, quomodo & idem Concilii *Tridentini* pars neque ultima, neque ingloria fuit. Porrò has perillustres *Fracastorii* virtutes una illa splendide superavit, quam à summa, & æterna Poëticæ gloriæ auctoritate, & Virgiliana Carminum dignitate, omni omnium Poëtarum ordine applaudente, sibi comparavit. *Sannazarius* sane Poëta cultus, & egregius, idemque non largus, nec suavis alienæ citharæ laudator cum Syphilida perlegisset ultro fasces. *Hyppolito* Medice Cardinali teste, nec sine tacita invidia, *Fracostorio* submisit. *Scaliger* ille noster severus Poëtarum castigator pauca habuit, quæ in *Fracastorio* notaret; nec ea scite, scienterque notavit, ut luculento opusculo edito *Andreas*
35 *Chioccus* municeps itidem noster, Medicusque singularis, & variæ eruditionis significavit.

Petrus Lætus Juliodunensis Medicus eximius Poëma ipsum de Gallico morbo, Gallico carmine egregie donavit. *Areostus* etiam *Ludovicus* tanti *Fracastorium* fecisse dicitur; ut divinum illud suum Etruscum Poëma non nisi ab ejus animadversione quamplurimis in locis, & in ipsa operis ingressione emendatum, edere voluerit, eumdemque serius, quam optaverat judicium de illo suum prorogantem, ne interpellare quidem, nisi demississime, ausus fuerit. Quid? *Carolus* Quintus Imperator cum ad *Aphricanam* expeditionem infelici conatu properaret, & jam supra *Veronam* ad *Buxolengum* oppidum (*Buxetum* proprie dicendum) pervaderet, pergrato unius *Fracastorii*, quem ei procul stantem *Madrutius* Cardinalis digito ostenderat, intuitu captus, aliquantisper substitit, & perhumano capitis motu annuens Virum, doctrinæ fama præclarum contemplatus est: Inconfesso jugiter apud optimos Viros est,
A *Margaritam Valesiam Galliarum* Regis sororem, eandemque peregregiam liberalium Artium altricem percelebri hujusce hominis laude commotam, peculiarique ejus divino Carmine celebratam muneribus pretiosioribus adhibitis, corolla- 36
que præsertim ex solido auro artificiose contexta, quasi absens absentem, quasi Poëtarum Principem coronare in præsentiarum profitebatur, mox præsentem solemni pompa publice coronaturam pollicebatur ad *Galliam* illustrandam sollicitasse: sed frustra, pro eo tantum scilicet, quod homo consideratus, & prudens, cum sese infacundum, ac pene elinguem à natura creatum cognosceret, in-
B gentem nominis sui existimationem à solida doctrinarum peritia, admirabilique scribendi ratione conflatam apud *Gallos* volubili ingenii velocitate, & facili dicendi copia prævalidos, bene se tueri posse diffidebat: ille enim re vera uti secum tacitus, ac fere attonitus, labiaque sibi levi dentium morsu promulcens perpetuas faciebat cogitationes; ita per quam raro, & nisi plurimis, adeoque importunis amicorum precibus impulsus loquebatur; & quamvis satis hilaris, & urbanus esset, severam tamen faciem, & tetricam præseferebat, id quod isthæc ejus imago præclare depicta, lati isti humeri, nigra, prolixaque coma,
C & facies subnigris oculis, nasoque contracto, & pæne simo rotunda, facile persuadere, vel primo obtutu, possunt. Secessus ei fuit ad *Caphios* Montes *Benaci*, & *Athesis* hinc illinc præterfluentium 37
despectu amœnissimus, & aëris temperie saluberrimus. Huc ille, quam frequentius poterat convolabat, hic per otium Historias lectitabat, Musicæ vacabat, Astrologiam scientissime pertractabat, hic Cosmographiæ studio oblectabatur, adeo ut & orbes ligneos, locis, regionibusque à vera intervalli dimensione descriptis adamussim fabricaretur; hic herbariam tum montes peragrando, tum Commentarios scribendo, commo-
D de percolebat; hic fere omnia ingenii sui monimenta, quæ quamplurima sunt, condidit, hic denique septuagenarius jam factus, sacramque *Joseph* historiam, quam deinde *Franciscus Luisinus* nobili appendice perfecit, Heroico illo suo, Juppiter, Carmine adornans, apoplexia inter prandendum correptus ultimum clausit diem VIII. Idus Augusti CIↃ IↃ LIII. quod mortis genus jampridem Astrologicis ratiocinationibus initis sibi ipse prædixerat. Æternam defuncti, & ad D. *Euphemiam Veronæ* tumulati memoriam variis honoribus posteri mortales prosequuti sunt. Nam & *Joannes Baptista Rhamnusius* Vir undique præclarissimus marmoream tabulam, sculptas *Fraca-*
E *storii*, *Naugerii*que effigies exprimentem *Patavii* ad Divi *Benedicti* Pontem extruxit. Et Municipes *Veronenses* togatam ei Statuam inter priscas 38
Civium literatorum imagines publice in foro dicarunt, cui inscriptionem *Panvinius* noster fecit.

CAPUT XII.

Joannes Baptista Confalonerius.

F JO. BAPTISTA CONFALONERIUS *Veronensis* scripsit de Vini natura, ejusque alendi, & medendi facultate in gratiam, ut fertur, *Bartholomæi Gajoni*; qui cum *Antonio Fumanello* Collega suo acrem disputationem de Vini facultate instituerat; ille enim calidum, & humidum esse, *Fumanellus* calidum, & siccum esse scriptis editis censuerunt: cumque Judicem *Fracastorium* V. C. delegissent, is pro *Fumanelli* sententia pronuntiavit præclaro libello de Vini temperatura, qui extat inter *Fracastorii* opera, quo nihil doctius,

ctius, aut limatius in eo genere legi potest, hæc addenda *Panvinio* censui. Scripsit etiam *Confalonerius* de mundi efficientia, & æternitate secundum Philosophos ad *Reginaldum Polum Britannum*; prælegit etiam *Patavii* Philosophiam naturalem extraordinario loco anno 1520. Ejus porro de
39 vini natura sententia valde *Aristoteli* consentanea videtur, qui lib. 4. Meteorum Vinum aqueæ naturæ, & à prædominio aqueum censuit, calidum vero ob alienum calorem à vite contractum, qui talis est vino considerato, quatenus mistum, quoquo pacto animatum est.

CAPUT XIII.

Joannes Baptista Montanus.

Hæc Panv. INTER nostræ Civitatis Medicos omnium confessione primus locus JOANNI BAPTISTÆ MONTANO Dei dono mortalibus concesso, qui accuratissime, doctissimeque multa in Arte Medica edidit, vel potius cura, & industria auditorum suorum sunt edita. E græco in latinum *Aëtium Amidenum* convertit, & summa cum laude, & applausu *Patavii* à Serenissima Republica *Veneta* præclaro stipendio invitatus Theoricam, ut vocant, & Praxim Medicam magna audito-
Chioccus. rum frequentia est professus. Ejus porro leguntur multa, de quibus *Antonius Riccobonus* libro primo *de Gymnasio Patavino* hæc habet. *Jo. Baptista Montanus Veronensis*, qui *Aëtii* Medici libros
40 decem latine convertit, nempe septem priores; & tres posteriores, aliaque complura conscripsit, è quibus edita sunt Metaphrasis summaria eorum, quæ ad Medicamentorum doctrinam attinent; Libellus de gradibus, & facultatibus medicamentorum; Expositio in nonum librum Rasis ad Almansorem Regem Arabum; Explicationes in Aphorismos *Hippocratis*, cum tabula de causa fluoris albi, & siccitatis; & altera de alimentorum differentiis, libri duo, alter de fecibus, vel excrementis alvi; alter de urinis, quibus accessit quæstio, quomodo medicamentum æquale, vel inæquale dicatur, videlicet calidum, frigidum, humidum, siccum; Consiliorum Medicinalium Centuria prima in primum *Fen. Avicennæ* in artem curandi ad Glauconem, de simplicibus medicamentis, in artem parvam; in primum *Hipp.* Epidemiorum, Examen Aureæ Alexandrinæ, Idea Hipp., de aquis destillatis; de coctione, & præparatione humorum; de differentiis medicamentorum simplicium; Explicatio qualitatum simplicium, & compositorum medicamentorum; Periocha Methodica in Galeni libros de Elementis; De atra bile; De natura humana; De temperamentis, & naturalibus facultatibus; De generatione pituitæ; Methodus universalis in Ar-
41 tem Galeni ad Glauconem; de componendis medicamentis; Explicatio locorum medicinæ; De uteri affectibus, summaria declaratio eorum, quæ ad universam cognitionem maxime faciunt, cum ejusdem Consiliis decem; De characterismis febrium, quæstiones de febre sanguinis, de febre hectica, de febre pestilente; Consultationum medicarum opus absolutum, atque perfectum; De ordine in edendis, legendisque *Galeni* libris servando. Redeamus ad *Panvinium*. Obiit paucis annis ante Terratii sua Villa in Gymnasiorum feriis, cum *Patavii* medicinam summa cum omnium admiratione profiteretur. Hæc *Panvinius*. Subdit *Chioc.* Et quoniam Illustrium Medicorum dicta, & Apophtegmata plurimi sunt æstimanda, memini *Valdaneum*, qui fuit familiaris *Montani* auditor, commemorare solitum duo illius Clarissimi Viri monita, unum

A in curandis morbis, sæpe nihil agere esse totum agere, alterum Medicorum levium, & rudium proprium esse felices duntaxat curationum exitus, & eventus jactare & passim ostentare, His *Cornelii Celsi* auctoritatem objicere solebat, qui *lib.* VIII. *cap.* IV. hæc de *Hippocrate* habet; A *Lib. 8. cap. 4.* suturis se deceptum esse *Hippocrates* memoriæ tradidit more scilicet magnorum Virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium, nam levia 42
ingenia quia nihil habent, nihil sibi detrahunt, magno ingenio, multaque nihilominus habituro convenit etiam simplex veri erroris confessio; præcipueque in eo ministerio, quod utilitatis cau-
B sa posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus est.

Hæc *Cornelius Celsus*, latinus *Hippocrates* ex ore Clarissimi *Montani*.

Solebat præterea mihi Clarissimus *Juliarius* senior referre consuetum *Montanum* à Novatorum plus æquo ambitiosorum novis doctrinis abhorrere: sed & Jejunias Galenicorum quorundam disputationes floccifacere, sola auctoritate, & nudis narrationibus, nulla firma ratione subnixas, profiterique se plus discere ex duabus *Tadæi Florentini* paginis, quam ex talibus recentiorum vel immensis Commentariis.

C Narravit mihi sæpe etiam idem doctissimus *Valdaneus*, qui *Montani* fuerat diligens Auditor, solitum *Montanum* Collegii *Patavini* Medicos adhortari, ut acri, & severo examine Juvenes Doctoratus Lauream adepturos excuterent, & versarent, quod in Artium nulla sit ignorantia, & inertia Artificum perniciosior, quam in Medicina: solitumque magnum illum Virum sæpe iis Medicis 43
verba *Plinii* nostratis (se audiente) inculcare. Itaque hercule in hac Artium sola evenit, ut cuicumque Medicum se professo credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus, non tamen illud intuemur; adeo blanda est sperandi pro se cuique
D dulcedo, nulla præterea Lex, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ; Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt; Medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est. Quinimmo transit convitium, & intemperantia culpatur, ultroque, qui periere, arguuntur.

Et quoniam summus hic Vir elegantioris etiam litteraturæ laude floruit: Junior Tragopodagram *Luciani Samosateni* Tragœdiam jambicis versibus è græco in latinum convertit, quæ ab illius ætatis eruditis *Bembo*, & *Casa* valde est probata: Sed & Epigrammata complura scripsit, quale illud
E est percelebre, & doctiorum sermone, & memoria pervulgatum, ubi Juvenis adhuc fortunæ suæ acerbitatem deplorat.

Est Pater Euristheus, sed Juno Noverca, supersunt
Ærumnæ, Alcides, da mihi robur, ero.

Si quis verò alia complura curiosa, & utilia 44
cognitu de *Montano* nostrate intelligere cupit, Præfationem luculentam legat *Joannis Cratonis Vratislaviensis* Medici Cæsarei, quam lectionibus *Montani* in IX. lib. Razæ ad Reg. Almansorem præfixit *Basileæ* impressam anno MDLXII. ipse enim intimus *Montani* Auditor, & morum,
F studiorumque tanti Viri præclarus, & fidelis testis extitit.

Extat & de hoc clarissimo Viro ejusdem Excellentissimi *Polæ* Elogium olim impressum, quod hic denuo describendum censui, habet & versus quosdam adjunctos summæ in *Montanum* observantiæ non obscuros Testes.

ELO-

ELOGIUM
JO. BAPTISTÆ MONTANI
Ex Musæo Francisci Polæ Jurisconś. Veronensis.

NIHIL est quod miremur Jo. BAPTISTAM MONTANUM ad summum in præclara medendi Arte principatum pervenisse, inibique jugiter stare, æternumque commoraturum esse, perpetuo Medicorum
45 omnium applaudentium concessu, & suffragatione. Medicina enim ipsa videtur hunc hominem vel à materno utero decidentem propriis manibus excepisse, suisque ipsa uberibus lactasse, & sibi tantum aluisse, & eduxisse. Certè constat eam à Genitore legem studiis ejus dictam fuisse, ut totum se Juris prudentiæ comparandæ traderet; at ille, Genio trahente, paternam legem posthabuit, nec omnino impune: Pater enim re cognita dum peregre Disciplinarum causa vagatus est nullas ei nummorum suppetias unquam tulit, & cum in Patriam Medicus renuntiatus rediisset, eum oculo retorto perdiu prospexit; adeo ut ipsa nimia Patris severitate suboffensus hoc Carmen effunderet,

Est Pater Euristheus, Juno fortuna, supersunt
Ærumnæ, Alcides, da mihi robur, ero.

Eum porro aliquando pœnituit, non esse Jurisconsultum factum; cum scilicet JULIUS Tertius Pontifex declaratus, olim à Patre hospitio exceptus, & certa, agnitaque familiæ cognatione conjunctus ipsam ad præaltas rerum maximarum spes tacite excitasset, atque erexisset. Futurus igitur erat omnino Montanus incompara-
46 bilis salutaris Artis professor, in quem vere, & gloriosissime evasit, à præcellenti quippe instructus, & plena latinæ, græcæque linguæ cognitione, quas à *Marco Musurio* Viro litteratissimo didicerat, elatus ab exquisita Philosophiæ omnis indagatione, ad quam tum græcis Auctoribus diligenter evolutatis, tum *Petro Pomponatio* Præceptore *Bononiæ* incubuerat: ab exacta denique Medicinæ inquisitione sublimis, in qua *Ferrariæ* sub *Nicolao Leoniceno* versatus fuerat. Sed non ita facile, neque ita cito ad tanti nominis celebritatem, ad tam excelsum famæ immortalis fastigium ascendit. Nam & dum ætate, studiisque adolesceret, & ad extremum usque spacium multiplex, illudque semper egregium fœcundi, & maxime eruditi ingenii specimen laboriose præbuit. Non raro enim latine, & græce declamavit: per omne Carminum, & Poëmatum genus commode, & laudabiliter ivit; Bella suis temporibus gesta heroico versu expressit, quod opus, malum, deperiit: *Orphæi* Argonauticam: *Musæique* de Ero, & Leandro fabellam latinis Carminibus apposite donavit, quorum viginti cum casu attrita essent, & perdita ego quamquam plane ineptus, ea verti, & addidi: Lepidissimam *Luciani* Tragopodagram, una tantum de nocte cum
47 evigilasset, Romanam fecit, ejusdem metri lege religiose servata. *Neapoli* in Cœtum lectissimorum litteratorum alacriter cooptatus est, à *Jovianoque Pontano*, & *Actio Sannazario* mirifice adamatus: adeo ut hic honoris, amicitiæque respectu, inserere eum voluerit suæ *Arcadiæ*: *Siciliæ*, ubi gentium aliquandiu apud Comitem Colessanum egit, *Pindari* Poëmata plausibiliter interpretatus est publice, *Romæ* autem in Contubernio *Hyppolyti* Medicis Cardinalis vixit acceptissimus, *Matthæo Curtio* frustra æmulante, cujus etiam Cardinalis rogatu *Aëtium Amidenum* priscum Medicæ disciplinæ Auctorem è Græcia in Latium transvexit egregiè: *Joannes* vero *Manardus Pannoniæ* Regis Archiatrus tanti fecit mirabilem *Montani* indolem, ut senex Juveni non paucas suarum Medicarum Epistolarum dederit: illum demum Patavina Academia ad viginti fere annos admirabunda habuit summa oris, staturæque dignitate gravissimum, oratoria pœne facundia docentem, incredibili facilitate dura quæque, & difficillima explanantem, subsellia æmuli *Francisci Frigimelicæ* depopulantem, maxima gentium omnium frequentia, ingentique palmario profitentem, scholasque plerumque habentem non ex comparato, sed ex tempore, prout eas uberrimi ingenii, doctrinæque 48
exsuperantia subito suggerebat Viro ad dicendum paratissimo. Neque illinc locorum unquam eum, aut *Caroli V.* Imperatoris, aut *Francisci Gallorum* Regis, aut *Cosmi Etruriæ* Magni Ducis pollicitationes dimoverunt peramplæ; *Franciscus Maria Feltrius Urbinatum* Princeps ter tantum à Senato *Veneto* impetravit excellentis beneficii loco, ut exoptata ejus opera perpaucos aliquot dies in gravissima Uxoris, suaque valetudine uteretur, quadrigis ita diligenter per iter dispositis, ut eis tractim mutatis quam citissime, & suavissime ille ferretur. Quæ vero de re medica infinita prope ejus volumina luculentissima circumferuntur, quæque quotidie Medicorum omnium manibus conteruntur, & quotidie novis ubique typis recuduntur, quotidie in plerisque Gymnasiis publice præleguntur eorum ulla cave putes ab eo unquam edita. Discipuli ejus ea avide ex ore docentis exceperunt, emiserunt; nihil ipso invulgante, imo quatenus potuit omnia abdente, & occultante, adeo ut quos ipse inter prælegendum libros de sublimatione non semel promiserat, ii nunquam emerserint. At *Montanus* cum primum, & sexagesimum natus esset annum, & à Catarrhali febre correptus mortem præsagiret, & prædiceret. *Patavio* digressus *Terratium*, qui est *Vero-* 49
nensis Agri pagus, in familiare prædium se molliter deferri curavit, ibique obiit anno CIƆ IƆ LI: Ei *Veronam* translato parentatum fuit solemni, memorabilique pompa; amplissimi siquidem Magistratus *Veneti*, qui tum regendæ Urbi præerant, mutatis Togis funeri non solum adfuerunt, sed & ejus filios intra domesticos eorum parietes inviserunt, non parumque ibidem honoris causa mæstissimi substitere. *Nicolaus Chioccus Calvus*, homo bene doctus de suggestu defunctum laudavit in Templo *D. Mariæ* ad *Scalas*; in quo & ille sepultus, eo apposito Epitaphio, quod *Fracastorius Hieronymus* ei charitate, studiis, ævoque conjunctissimus fecerat. Maximi hujusce Viri maximus adhuc extat filius MARCUS ANTONIUS paternis opibus splendide locupletatus, septuagenaria ætate venerandus, omni Romanæ antiquitatis notitia stupendus, rara numismatum veterum supellectile, & cognitione perillustris, integritate, magnificentia, liberalitate ubique præclarus: *Adolphus Occo* Augustanus Vir summi ingenii, & doctrinæ, carmen, quod jam jam ponam Præceptori optimo fecit, quomodo & ejus effigiem ære incidi, atque exprimi liberaliter curavit; quæ tamen *Montanum* minime ad vivum repræsentat. Nescio 50
enim quo malo casu acciderit, ut nullam ejus veram, propriamque imaginem habeamus, nam & ea, quæ ad Pontem novum in Ædibus *Murariorum* visitur memoriter à *Dominico Brusasortio* depicta fuit, & quam olim *Patavii Titianus* ille memorabilis, quamquam furtim, nec sentiente *Montano*, qui numquam se pingi passus est, fecerat,

rat, ea à negligentia cujusdam exteri adolescentis Medicinæ diligentis, cui commodata fuerat, male periit.

Hieronymi Fracastorii.

DUM medica MONTANE doces ope vincere fata,
Et Lachesi invita vivere posse diu:
Lethæo indignans pressit te Parca sopore,
Et secuit Vitæ grandia fila tuæ,
Sic animas & tu (Asclepi) dum subtrahis Orco,
Te quoque sævorum perdidit ira Deûm.

Adolphi Occonis.

51 *HIC apud Euganeos Medicas fœliciter Artes*
Ingenio docuit clarus, & eloquio.

Andreæ Chiocci Medici, & Phil.

Montanus ipse loquitur.

DOcta Arabum septa, & vastos tibi Græcia campos
Excolui, pariter victor utrimque fui.
Infœlix Sophiæ Lolium, Tribulosque nocentes
Pæonia evellens fortiter Arte prior;
Hinc nitidum Medicina decus, formamque venustam
Prætulit, & certam stravit ubique viam;
Perdoctis modo POLA suis intexere chartis
Me voluit, Nomen nempe feremus idem.

Federici Ceruti.

52 *MONTANUS iste providus*
Natus juvare quoslibet
Hi seu fuissent Divites
Domos colentes lucidas,
Sive hos egestas clauderet
Tectis, tenebris obsitos,
Dum sanat ægra corpora
Amara miscens dulcibus
A morte plures vendicat:
Mens recta semper adfuit,
Viro nocere nescio,
Recteque functo munere
Decus quod ipsi injunxerat.
At dira mors insignibus
Circumfluentem dotibus
Virum rapit, ne pharmacis
Prodesse posset amplius,
Sed fallitur; nam dogmata
Ægris levandis optima
Reliquit ipse plurima,
Nos posse queis docebimur
Obstare mortis viribus,
Vitæque cursum ducere
53 *In longiores terminos,*
Et jam benigno sydere
Quacumque Sol perlabitur,
Vectus quadrigis aureis
Scriptis ab ipso prodita
Cunctis patescunt Gentibus,
Nostris ab oris dissitis,
Orbemque totum pervolant,
Miris probata laudibus
Verona alumno plausibus
Gaudet, sibique plurimum
Pulso dolore maximo,
A *Quem corde dudum presserat:*
Nam Parca quicquid abstulit,
Hoc fama large reddidit.

CAPUT XIV. 54

Julius C. Scaliger, vel Bordonius Med. & Philos.

CUM se passim Veronensem Civem in operibus editis compluribus celeberrimus hic Philosophus, & Medicus profiteatur, civilis, & B perhumani moris erit tantum Virum vel adoptione, vel sua confessione nostratem, communi Patria non defraudare: tametsi is alibi natus, & educatus, in *Gallia Burdigalæ* diutius vixerit, alii *Venetiis* natum, & *Scrutarii* filium *Bordonium*, non *Scaligerum* esse putant, qua de re consulendus *Gaspar Scioppius* in suo Elencho. Noctuas Athenas afferat, & Samum vasa, qui *Scaligerum* libris editis in vario disciplinarum genere suopte marte clarissimum nova præconii prærogativa insignire conetur. De eo præclara ejus ingenii monumenta, & constans fama per universam *Europam* satis loquuntur; inter ejus opera exercita- C tiones contra *Cardanum* eminent, in quibus interiores litteras omnes solide eum percepisse, & tum falsitatis, tum ruditatis Adversarium convicisse doctiores omnes, & cordatiores fatentur: Huic impotenti ingenio, & petulanti scriptione 55 dispar *Josephus* Filius, qui adversus Magnos Principes, & eruditos viros, haud impune debacchatus, ne hiscere quidem adversus *Scaligerum Hypobolimæum* solidis rationum telis munitum est ausus, à Mercuriali etiam Medico clarissimo, *Titio*, aliis viris doctiss. ejus maximi errores ostensi.

Hujus summi Medici Theriacam in terra *Apulia* a *Tarantula* commorsos feliciter usurpare, D alias mihi ab amicis relatum, cujus rei fides pœnes Auctores esto: ille quippe Exerc. 185. Ascauli sono aboleri eum morbum, cum docuisset; interea (ait) curantur Antidotis, quorum unum recenset Aristolochiæ rotundæ, *Mithridati* singulorum uncias duas, Terræ sigillatæ unciæ semissem, Muscas, quæ de Napelli frondibus victum capiunt, duodeviginti, Succi citri quantum satis: Namque vel adversus hoc maleficium, vel contra quamvis alium morsum, nulla cum hoc est comparanda Theriaca. Hæc ille.

Scripsit præter Exercitationes *lib. de Poëtica*, *de origine linguæ latinæ*, Comment. in *lib. Theoph.* E *de causis plant.* in *lib. Aristotelis de animalibus*, *lib. nobilium Exercitat.* in *lib. duos de plantis Aristoteli adscriptos*, Poëmata multa, quorum Epigrammata Sacra ab Hæreticis malitiose suppressa, demum luci publicæ restituta: Alia permulta scripserat quæ Hæredum incuria perierunt. Com- 56 mentarius in *Hippocratis* librum de Insomniis semper à me plurimi habitus, in quo rerum divinarum, & physicarum optimæ disquisitiones: vere enim ejus ingenium tale fuit, quo nullum feracius, & capacius simul ejus ætas est admirata, censuræ libertatem visus est nonnullis justo plus exercuisse, mihi quoque, qui ab ejus F Hypercritico abhinc multis annis mirabilem *Fracastorii* Siphilidem vindicavi, quæ in lucem à *Bernardo* Fratre meo fuit evulgata. Commentarius etiam ille per Dialogismum in *lib. Aristotelis de Plantis Aristoteli* adscriptos eruditi plurimum laudant Epistolas, & Orationes, eam maximæ, qua *Erasmi* Ciceronianum perstrinxit.

Inter Epigrammata Sacra id mihi pergratum de Sancto *Antonio Patavino* nostræ Domus Divo Tutelari, *Bonaventura* loquitur.

En

En ubi nunc rigidi, mors, eſt victoria teli!
En tanquam ſpirans integra Lingua viget,
Quæ nunquam Domini liquiſti candida verbum,
Te numque voluit linquere, ſemper eris.

Inter *Lipſii* Epiſtolas *Scaligeri* una ad *Paſcha-*
57 *ſium* reperitur, quam Filio moribundus dictavit,
quave vitam ſuam ſuccincte, ſed plene complexus videtur: Virum hunc omiſeram, cum in Collegii noſtri Albo non ſit deſcriptus, ſed cæteris adjungendum, vel convitio à me extorſit *Bernardus Bruſchus* Vir doctiſſimus, nam etiam illius Elogium tanquam Medici *Veronenſis* à *Pola* ſcriptum fatebatur.

CAPUT XV.

Dominicus Monthesaurus Junior Anno 1530.

HUJUS præſtantiſſimi Medici cum *Veronæ* triennio ante de longa, & devia via feſſus graviter ægrotarem, ope, & arte amiſſam recepi ſanitatem. Ipſe multa in medica facultate ſcripſit, multa etiam adornavit. Hactenus *Ariſtotelis* Commentarium de admirandis auditionibus in Latinam linguam tranſtulit; idem *Galeni* Commentariolum de Comate ſecundum *Hippocratis* ſententiam ex Græco exemplari, & antiqua verſione reſtituit; item *Michaëlem Epheſium* in pri-
58 mum de partibus animalium è Græco tranſtulit,
& *Simeonem Sethi* de alimentorum facultate à *Lilio Gregorio* Ferrarienſe olim latinitate donatum, correctum edidit, & pene reformatum, excuſus eſt *Baſileæ* apud *Petrum Pernam* Anno MDLXI.

Hæc duo opuſcula prætermiſit *Panvinius*, ſicut quæ ego olim vidi in Bibliotheca *Veronenſi* Fratrum Sancti *Bernardini*, hoc eſt opus Problematum *Ariſtotelis* in latinum converſum, & manuſcriptum, nec dum editum ad Patavinam etiam Medicinæ lecturam invitatus otium domeſticum, & quietem literariam jam ſenex illi muneri prætulit. Dicere ſolitus in Arte conjecturali, qualis eſt Medicina, multos ſæpe errores obvenire, quos velle pertinaciter tueri, muliebre, & puerile vitium eſſe; ſatius eſſe eos agnoſcere, fateri, & emendare; & ſuo quemque periculo cautiorem fieri; hoc pacto Medicam prudentiam comparari; qua generales methodos ſingularibus recte applicare perdiſcimus. Longam, & acerrimam diſputationem habuit hic præſtantiſſimus Medicus cum *Petro Bonalino* Avunculo meo de febrium intermittentium continenti, proximaque cauſa; quam extra venas computreſcere, & acceſſionis
59 initio è venis in corporis habitum propelli cum
Galeno, & priſcis Medicis *Bonalinus* contendebat, idque magni *Trincavellii* Doctoris ſui rationibus contra *Fernelium* productis ſatis munitus, cum ægreferret illam opinionem à *Fernelio* vocari fraudulentam, & pernicioſam humanæ ſaluti, palamque jactari nondum ullius intermittentis febris veram curationem perceptam, ſolutionemque ſponte ſæpius, quam arte ſuccedere. *Monthesaurus* non quidem Galenicam ſententiam rejiciebat; verum & *Fernelii* doctrinam, & obſervationem non floccifaciendam putabat, ſi ratione, & quotidiano rerum uſu veritati conſentanea videbatur, quæ omnium intermittentium propriam ſedem, & originem in prima corporis regione ſtatuit circum præcordia, circum ventriculum diaphragma, Jecoris cava, lienem, pancreas, meſenterium, & omentum, à quibus partibus, vel vomitione ejectus, & exturbatus humor noxius citam febris ſolutionem affert. Et quoniam *Bonalinus* ſtudia ſua familiariter cum *Monthesauro*,

A & *Valdaneo* communicabat, quod Epiſtolæ, & eruditæ ſchedulæ ultro, citroque miſſitatæ, quæ ſuperfuerunt, ſatis declarant; de vera *Nicandri* intelligentia ſæpe inter ipſos diſputatum, & tranſactum; potiſſimum cum de Toxico mentio incidit, quod *Plinius* à Taxo Arbore dictum falſo e- 60
xiſtimavit, quo ſagittas imbui ſolitas proditum eſt, quæ Τόξα à Græcis vocantur, quamquam & dorycnio id præſtabant veteres, genus tamen veneni peculiare fuiſſe non quodvis, quo inficiebantur ſagittæ, ſatis oſtendunt Auctores potiſſimum *Nicander*, & *Dioſcorides*. Hæc fuſius in eorum ſchedis, ſicut de Aconito thelyphono,
B cujus radix fæminarum genitalibus indita, eodem die necem inferebat, hoc *Calphurnius* Beſtia uxores dormientes interficiebat, ut per eorum mortes ditior fieret. Quæ hiſtoria à *Plinio* recenſetur *lib.* XXVII. *cap.* 2. à quo Mercurialis *lib.* II. *de venenis cap.* 10. & Jo. Gorræus in *Scholiis Alexiphar. Nicandri* tranſcripſerunt, Medici profecto doctrina, & moribus præcellentes, Alexiterium porro Aconiti ruta, origanum, Balſamum. Illud etiam non injucunda, & utili inquiſitione dignum fuit, cur in ſuffocatione ex concreto lacte, in ventriculo cum lixiviam proponat *Nicander* θρύπτειραν, hoc eſt maxime incidentem, *Dio-*
C *ſcorides* hanc vocem ſua proſa convertens Πιλοποιητικὴν κονίαν dixerit, hoc eſt lixiviam, quam parant hi, qui coactis lanis pileos concinnant; illi enim lana ſuccida, quæ in ea madet, partium tenuitatem conciliat. Ea *Galenus* uſus 6. metho-
di ad nervorum punctum in alterius medicamenti 61
penuria, cum à pileorum confectore, qui ægro erat vicinus, aquam lixiviam poſtulaſſet Πιλοποιὸν enim legendum, non Πηλοποιὸν, ut *Linacer*, contendebat Avunculus meus, quod poſtea à doctiſſimo *Gorræo* latino *Nicandri* Scholiaſte obſervatum; lixivium enim digerendi, & incidendi vi
D maxima præditum addito præſertim aceto, quod quamvis noſtri pileorum artifices non admiſceant, (ait *Gorræus*) quondam tamen addere ſolitos, Plinius *lib.* VIII. teſtatur. Cæterum *Monthesaurus* noſter in *Geſneri* Viri doctiſſimi, & aliorum Illuſtrium Medicorum amicitia conquieſcens, cum quibus per litteras ſæpe eruditiſſima colloquia miſcebat, *Veronæ* potiſſimum cum *Franciſco Calceolario* ſeniore, Pharmacopæo, & Herbario præſtantiſſimo mutua neceſſitudine, & familiaritate junctus de exoticis herbis, ſuccis, radicibus, & aliis metallicis ſæpe diſſerebat; is Calceolarius primus (ni fallor) inter Seplaſiarios in *Italia* hujuſmodi rerum Muſæum inſtituit ab hinc annis
E LXXX. cujus ego deſcriptionem abſolvi ſuperiore anno, cum *Franciſcus* junior egregia rerum novarum ſupellectile ipſum locupletaſſet.

De Conyza etiam & agno dubitatum, de quibus *Nicander* ſæpe meminit, quas ſtirpes nonnul-
li maximo ingenii errore eaſdem faciunt; objecit 62
Nicandri locum in Theriacis *Bonalinus*.

Φραζέαθαι δ' ἐπέοικε χαμαιζήλοιο κονύζης,
Ἄγνου τε βρύα λευκά, καὶ ἐμπρίοντ' ὀνόγυρον.

Conyza enim herba eſt, Agnus arbor, Vitex etiam dictus, in Themoſphoriis Matronas Athe-
F nienſium caſtitatem cuſtodientes illa ſibi ſolitas cubitus ſternere Viri eruditi cum *Dioſc.* memoriæ prodiderunt. Cæterum quid Onogyros ſit, adhuc ignoratur à Viris doctis, Herbam quandam eo nomine deſignari *Heſychius* docet, qualis ſit non declarat, ἐμπρίον ſcholiaſtes græcus ἀκανθώδη καὶ τραχὺν exponit, *Gorræus* ſpinis Onogyron acutis.

CAPUT XVI.

Bernardinus Plumatius.

HIC *Alberti Magni* Dialecticæ opera omnia à
se emendata in lucem edidit anno 1506. a-
cerrimus Dialecticus, atque Philosophus, & Me-
dicus præstantissimus ab ævi sui eruditis appella-
63 tus: id vero Logicum opus *Georgio Cornelio* Se-
natori, atque Equiti gravissimo, ac magnanimo
Patritio *Veneto* dicatum voluit, luculenta Episto-
la nuncupatoria, tum *Marino Broccardo Veneto* Phi-
losopho, & Medico consummatissimo: In fine
porro operis ita de se ipso testatum reliquit *Plu-
matius.*

Ego *Bernardinus Plumatius* de *Verona* recogno-
vi totam hanc *Alberti* Logicam, & eam ab erro-
ribus expurgavi, quibus undique scatebat, di-
stinxi quoque expositiones ejus juxta *Aristotelis*
textus, quos in margine signavi, ut cujusque
particulæ expositionem facile esset invenire. An-
notavi etiam alia, quæ utilia esse judicavi, & to-
tum hunc laborem perfeci, die ultimo Januarii
1506; pro quo sint laudes ei, qui est Trinus, &
A Unus, ac Beatæ Virgini.

Dictitare solitum Medicum hunc eximium me-
moriæ proditum purgationes illas minuentes ini-
tio febrium cruda adhuc materia non esse ad men-
tem *Hippocratis*, & *Galeni* institutas, qui conco-
cta purgare, non cruda, præcipiunt, nec quic-
quam ponderis habere prætextum illum, quo se
multi tuentur, nostro scilicet tempore homines
esse in cibis indulgentiores, & magis sese ingur-
gitare; nam & *Galeni* ætate idem eveniebat, *Hip-
pocratem* enim Eunuchos Podagra non laborare
dicentem ita excusat, quod illius tempestate, non 64
B sua, homines temperatissime vivebant, atque ita
exsecti Podagram evitabant: Hanc doctrinam *Ber-
nardinus Paternus*, & *Alexander Massaria* duo ma-
ximi Medicinæ in Academia Patavina interpretes
nuperrimis annis latius sunt persequuti: Nonnulli
etiam quatuor illa Semel, quæ incolumes, & sa-
nos permultos annos Romanos veteres servarunt,
Plumatio attribuunt,

Semel in die cibum capere.

Semel in Hebdomade cum uxore venere uti.

Semel in mense vomere (ἐμετικὴν agere dice-
C bant)

Semel in anno sanguinem mittere.

SECTIONIS PRIMÆ FINIS.

---

65 SECTIO SECUNDA.



HACTENUS aliqua ex parte
Panvinius, magna ex parte nos
ipsi, qui cæptum ordinem tum
eorum, qui prætermissi sunt,
tum subsequentium Medicorum
illustrium Nostri Collegii, qui
vel scripserunt, vel publice sunt
professi, pertexemus.

Cum originem, & vetustatem Collegiorum
diligenter inquirerem in MARSILII CAGNATI
Medici *Veronensis* Viri doctissimi, de quo inferius
mentio habebitur, varias observationes forte in-
66 cidi, è quibus isthæc breviter colligenda putavi,
quæ legentibus haud injucunda sunt futura; Ista
igitur ille libro secundo variarum observationum
cap. xv. ubi de Archiatris verba facit, quæ nos
summatim perstringemus. Archiatri appellatio
uni tantum Medico attributa videtur saltem us-
que ad *M. Aurelii Antonini* sæculum, quando
Galenus floruit, qui Magni, ac *Demetrii*, quos
Archiatros factos se vivente testatur, ita mentio-
nem facit, ut facile credas non simul plures, sed
unum fuisse Archiatrum appellatum; postea ve-
ro quoniam plurimi Artem hanc exercebant, at-
que (ut verisimile est) quod ætate quoque nostra
usu evenit, promiscue senes, juvenes, docti,
rudes, advenæ, indigenæ, servi, ingenii, libe-
ri; qui se cæteris præstare existimarent, & con-
stanti bonorum laude ob doctrinam, & bonos
mores cæteris præferebantur hos seorsim congre-
gatos, & certis statutis juribus Collegium quod-
dam instituisse crediderim; in quod qui cooptati
essent, Archiatri appellati sunt, è quorum nume-
ro quoque delegi soliti fuerint, qui Principibus,
& Familiaribus eorundem mederentur: hæc ad
verbum *Cagnatus.* Deinceps plures fuisse Archia-
tros, & hos fuisse etiam distinctos à cæteris Me-
dicis posteriorum Imperatorum temporibus pro-
67 bat ex Titulis Legum Codicis Justiniani, qui
præ manibus habetur. Fuisse vero tamquam Col-
legium quoddam Archiatrorum docet *Cagnatus*
ex titulo LII. lib. x. ubi præclara Lex ab Impe-
ratore *Valentiniano*, & *Valente* habetur, quæ ta-
lis existit.

Si quis in Archiatri defuncti locum est promo-
D tionis meritis aggregandus, non ante eorum par-
ticeps fiat, quam primis, qui ordine reperientur
septem, vel eo amplius judicantibus idoneus ap-
probetur; ita tamen, ut quicumque fuerit ad-
missus non in priorum numerum statim veniat,
sed eum ordinem consequatur, qui cæteris ad
priora subvectis ultimus poterit inveniri, ex hoc
autem numero potius, quam ex aliis delectos,
qui Principis, & ejus familiæ valetudinem cura-
rent, per se credibile est.

Ostendit demum *Cagnatus* Comites Archiatro-
rum dici, qui cæteros anteirent, de quorum e-
ligendorum ratione scriptum esse à *Cassiodoro* VI.
E lib. Variarum, colligit mox Archiatri nomen
significasse, qui præcipuum inter Medicos lo-
cum teneret, non qui Principi inserviret, licet
ex eo Archiatrorum Collegio deligeretur, qui
Principi inservire deberet: Quæ cum ita se ha-
beant Collegia omnia præclara *Italiæ*, & no-
strum potissimum normam hanc, & legem per- 68
veterem examinandi, approbandi, & cooptan-
di sequuta videntur, cum nulla cautio, & di-
ligentia in explorando ingenio, & profectu me-
dicorum in Arte communi Hominum bono, &
saluti destinata aut inanis, aut supervacanea vi-
deri Viris prudentibus, atque æquis rerum hu-
F manarum Æstimatoribus possit: cum & Sacer-
dotes Confessarii, qui animos à peccatis expiant,
tametsi specimen sæpe in provecta ætate suæ
industriæ, & virtutis dederint, & multoties
fuerint etiam examinati, & approbati, in ea
tamen Civitate, in qua hoc munere audiendi
peccata functuri sunt, novo se examini subji-
cere sunt soliti: cum vera ratio, Lex, mosque
gentium ita ferat, ut unusquisque Legibus pro-
priis, & Municipalibus cujusque Civitatis se se
accommodet, & submittat; quanto magis suæ
Pa-

Patriæ: quemadmodum & Civitas nostra præclaram, & veterem Legem habet de iis per examen approbandis, qui quomodocumque *Veronæ* medicinam facere voluerint.

Unaquæque porro *Italiæ*, immo *Europæ* Civitas tam ampla, quam mediocris Collegium pro-
69 prium Medicorum Physicorum obtinet, in quod certis conditionibus, & bonorum natalium, & morum comprobatis, & eruditionis, profectusque in re medica, & philosophica per acre examen periculo facto juniores cooptantur: hæc porro cooptatio per viam ordinariam vocatur, vel etiam alii, si insigne specimen suæ industriæ, vel doctrinæ ediderint, vel scribendo, vel publice profitendo, aut aliquas Theses propalam propositas disputando, quibus licet civilitatis, vel majorum claritatis aliqua desint ornamenta per viam (ut ferunt gratiæ) facilis patet, post aliquod tempus in Collegium adytus: quis tale Collegium Urbi nostræ amplissimæ invideat? à *Veneto* Principe Serenissimo Fideli vocatæ, sub cujus inclytæ Reipubl. auspiciis Justitia, Pax, Libertas, omnes virtutes, & disciplinæ uberrime florent; cum Academiam Patavinam totius *Europæ* præstantissimorum Doctorum, & professorum opera locupletatam esse semper studeat, eosque amplissimis stipendiis invitet, & foveat, quod vix à magnis Principibus præstitum observamus. Ab hoc bonarum Artium Mercatu Juniores Medici nostrates profecti, ut in Collegium cooptentur, vel ut medendi facultatem nacti *Patavii* acrius calcar sibi ipsis subdi sentiant ad profectum me-
70 dicum, ut prætermissis ludicris, & inanibus ludis, & voluptatibus se totos medicinæ, & optimis studiis dedant, examini diligenti quidem, sed sincero, & candido denuo subjiciuntur ex ejusdem Collegii Legibus, cooptandorum prima Matricula nuncupatur; simpliciter approbandorum secunda. Hoc pacto etiam divini *Platonis* sententia in *Clitophonte* observatur, qui medicinæ Διττὰ τὰ ἀποτελούμενα esse tradit duo opera unum sanitatem ipsam, alterum Ἑτέρους ἰατροὺς ἐπεξεργάζεσθαι alios medicos reddere; sicut, & ædificatricis facultatis duplex opus domum extruere, & alium ædificatorem efficere. At quo pacto alter Medicus peritus efficitur, nisi diligenti studio, & labore *Hippocratem*, *Galenum*, & *Avicennam* perlegat, & intelligat, aliosque ejusdem farinæ Auctores, methodosque generales particularibus exercitationibus ingeniose, & sedulo applicare sub magnis Magistris condiscat? Hujus profectus per examen Theoreticum periculum fit, tum casu proposito, ut vocant, hoc est curationis exemplo singulari, quod explicatum à Juniore Medico, veluti consultatio evadit pro ægroto decumbente: hic examinis stimulus, hoc calcar, ne per mortes peritiores fiant, cum in nulla artium perniciosius, aut periculosius peccetur ex nostratis *Plinii* decreto: Si quis haud omnino bene se in respondendo gerunt. Seme-
71 stre tempus, atque amplius ipsis ad solidiorem exercitationem, & meditationem conceditur, idque paterna benignitate, & amabili hortatu, ut hac ratione torpida ingenia excitentur, aut nimis fluxa, & vagantia ad bonam frugem maturius revocentur: Quis hic non agnoscat Collegii Nostri vere piam, & Cristiano homine dignam charitatem, quæ & publici boni totius Civitatis, & ipsorum Medicorum existimationis optimam rationem habet. Hocce porro Collegium vetustissimum est, cum ejus origo memoria immemorabili constet.

Hujus Collegii ut aliorum omnium Collegiorum usus est, ut bonorum morum ratio habeatur, ut Doctores collegæ frequenti Conventu se

A agnoscentes mutuo amoris, & charitatis vinculo magis devinciantur (quoniam ex Empedocle amicitia omnia coalescunt, discordia penitus intercidunt) ut honestarum rerum, Dei gloriæ, & communis boni exactam sibi curam demandatam credant; quod certis legibus, quibus sese obstringant, sancitum & cautum est; iisdem decretis subjecti extra Collegium Medici, sed à Collegio approbati, in quorum observantiam omnes sancte, & religiose jurant. Eo fit, ut satyrici illius convitii à Conciliatore positi expertes reddantur; 72
Medicum scilicet esse invidiæ pelagus inexhaustum, detractionis organum, ambitionis perfora-
B tam clepsydram: quod in improbos Medicos, & rudes jactatum à celebri Viro putandum, non in eruditos, & candidos; qualis *Galenus* fuit, qui se nihil unquam ad hominum gloriam; sed ad veritatem omnia se fecisse profitetur. Ejus libellum inscriptum, qui optimus Medicus est, eumdem esse optimum Philosophum superioribus annis (cum essem Junior) paraphrasi mea per dialogum conscripta illustratum volui, quam etiam in lucem edidi, cum rudis quidam, & prophanus Medicus advena philosophiam, & bonas litteras medicæ praxi noxias, palam agyrtarum more insolenter proclamaret. At vero *Galenus* in for-
C manda perfecti Medici Idea Encyclopediam in Medico requirit, quam Philosophiæ nomine significari voluit, quæ cum rationis organa, naturales res, morales Mathematicas, & divinas comprehendat, omnium etiam disciplinarum ambitum in se includere existimanda est.

CAPUT I.

Gerardus Bolderius, & Matthæus ejus frater. 73

GERARDUS BOLDERIUS maxima praxeos Medicinæ fama Magnates Viros, Marchio-
D nes scilicet *Mantuæ*, & Patritios *Venetos* curavit, quare in suam familiam maximam divitiarum vim intulit, quod peritiæ medicæ, & felicium curationum fuit certissimum argumentum. Is sane, dum cum *Matthæo* fratre *Patavii* publice Medicinam profiteretur, *Venetias*, ut ibi Medicinam faceret, est accitus, cum in praxi medica exercenda felicissimus haberetur: propterea etiam Senatus consulto ejus profitendi onus in fratrem *Matthæum* est collatum: Hujus præclari Medici tria feruntur familiaria dicta, unum *Avicennæ*, cum morbum ingnoras, subtilia regimen; alterum *Hippocratis*, Medicum uti pro-
E videntia optimum est; tertium *C. Celsi*, optimum medicamentum est opportunè cibus datus.

Matthæus Bolderius.

DE MATTHÆO BOLDERIO jure id dixerim, quod de *Q. Hortensii* in Oratoria palæ- 74
stra ingenio *Marcus Tullius* ejus quippe ingenium, ut Phidiæ signum in Medicina facienda, & publice explicanda simul adspectum & probatum est. Is sane primum *Bononiæ* medicinam perhonorifico stipendio publice docuit, mox *Fer-
F rariæ* bis eo profitendi munere est cohonestatus, dum ab humiliori lectura ad majorem, & altiorem est evectus. Et quoniam unusquisque fidelis subditus ante omnia proprio Principi inservire debet, cum ad Patavinum profitendi munus invitaretur, prompte conditionem propositam admisit, & deinde per varias veluti profitendi Classes in locum *Zachariæ Feltrensis* Medici præclarissimi defuncti fuit subrogatus, idque tanto, ac tali Academiæ Patavinæ studio, & favore, ut unum

 exi-

existimarent *Matthæum*, in quo Medicinæ dignitas, & splendor ea tempestate *Patavii* niteretur. Testantur porro pervetusta, & probata Nobilissimæ Familiæ monumenta, quæ mutuatus ab ornatissimis pronepotibus diligenter excussi, cum
75 anno MCCCCLXI. *Gerardus Bolderius* frater à prælegendi munere destitisset *Venetias* amplissimis conditionibus accersitus ad Lecturam illam practicæ Medicinæ magno applausu, & consentientibus omnium Scholarium suffragiis esse delectum; quæ electio postmodum eodem anno confirmata, & comprobata fuerit per Excelsum Consilium Rogatorum, cujus judicia sunt sapientissima: Hæc enim perveteris annalis sunt præcisa verba, in quibus id memoriæ proditum ipsum, dum publice profiteretur, plures Auditores habuisse, quam quilibet alius in facultate Medicinæ suo tempore haberet; ejus summam peritiam, doctrinam, experientiam in medendo, & publicis Illustrissimorum Rectorum *Patavii*, & totius Inclytæ *Venetæ* Reipublicæ testimoniis, & diplomatis testatam, & comprobatam semper fuisse: gratiam vero in curandis ægris, & felicissimo sanandorum corporum eventu apud omnes semper prædicandam, & admirabilem extitisse.

Illud etiam memoriæ proditum præclarum hunc Medicum moribus ingenuis, & candidis præditum fuisse, quales vere Hippocraticum Medicum, & Philosophum decebant; propterea sæpe id suis Auditoribus dictitare solitum, ut cane pejus & an-
76 gue familiaritatem, & consuetudinem caverent illorum, qui affectata morum, cogitationum, & sermonis ratione in vulgi admirationem sese insinuare contendunt; tum illos etiam Medicos, qui phaleratis verbis, & periodis, tum ingenii ostentatione, & veluti ægrotorum nundinatione de morbis consultationem habent; hos enim inanium utrium, vel solo vento expletorum persimiles esse profitebatur, ut nihil sani, nihil prudentis afferant omnia ad propriam ambitionem, & Collegarum contemptum referant: & quamvis *Arabum* doctrinam, quæ ea tempestate florebat, enixius sectaretur, tamen sæpe *Senecam* lectitasse fertur, ejusque sententias aureas, quarum libellus circumferebatur, sæpe in ore habuisse, quarum illa, quæ ad ejus consilium valde faciebat, illi valde arrisit, cujuscumque orationem videris sollicitam, & politam, scito animum quoque non minus esse pusillis occupatum, magnus ille remissius loquitur, & securius, quæcumque dicit plus habent fiduciæ, quam curæ Oratio vultus animi est, si circumtonsa est, & fucata, & manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, & habere aliquid fracti.

Diuturnam controversiam cum Medico Germano de Lapide vesicæ exercuit, cum ille omnis
77 calculi primum ortum renibus adscriberet, ob eas forsitan rationes, quas mox sequenti sæculo *Fernelius* attulit: noster vero *Matthæus* aliquem calculum in renibus, aliquem in vesica, ut pueris, ex *Hippocrate* gigni contenderet. De hac omni controversia nos in editis quæstionibus, & Libro XXXVIII. variarum observationum nostrarum plenius disserimus; nam quod nucleum à cortice diversum calculus habeat, nihil profecto concludit, cum & item lapidem talem nucleum habere observemus, qui tamen cum nucleo in eodem loco gignitur; præterea in marmoribus varios lapillos inclusos passim deprehendimus.

Memini etiam *Patavii* me à *Brugnara* seniore Medico audivisse *Matthæum Bolderium* dogmatis optimi, & in Medicina facienda fructuosi restauratorem fuisse; cujus præcipuus Auctor *Cornelius Celsus* lib. secundo, firmus puer, & robustus senex, & gravida mulier valens tuto sanguinis mis-
A sione curantur; sæpe enim exploratum experimentis habebat, complures mulieres plenioris habitus, quæ abortire consueverant, misso sanguine primis mensibus à manu potissimum, ab abortu feliciter fuisse præservatas.

CAPUT II. 78

Petrus Saccus, seu de Sacco.

TESTANTUR Historici nostri PETRUM SACCUM Medicum eximium, & Nobilissimæ Familiæ Alumnum ad profitendum *Patavii* publice
B medicinam à Republica *Veneta* Serenissima fuisse invitatum, atque accersitum; quod plane constare ait *Hieronymus Curtius* Historicus noster gravissimus ex publicis litteris *Christophori Mauri Venetiarum* Ducis Serenissimi, secunda die Octobris datis anno MCCCCLXXI. Optimus hic Medicus solitus eos spernere, qui *Italis* inveniendi facultate concessa, sibi limandæ, & rotundandæ orationis curam, & sollicitum studium vendicabant, quod quarundam nationum proprium videtur, quarum litterati Viri, vel alienos partus in compendium redigunt, vel aliena quadra victitantes, solum ab aliis acumine ingenii pollentibus inventa apta methodo, & verborum, & sententiarum dispositio-
C ne concinnant: Adversus istos maximi Viri *Senecæ* judicium, & verba intorquebant ex Epistola CXV. cujuscumque orationem videris sollicitam, & politam, scito animum quoque non minus esse pusillis occupatum; magnus ille remissius loquitur, & securius; quæcumque dicit plus habent 79
fiduciæ quam curæ: hæc enim & ad scriptionem transferenda esse voluit, quamquam id *Ciceronis* semper à doctis probatum; composite, & apte sine sententiis dicere, insania est, sententiose autem sine verborum ordine, & modo, infantia: Alibi tamen ipse scribit, à Philosopho si afferat
D eloquentiam (non asperner) si non habeat non admodum flagitem: & *Seneca* ipse; Quæ veritati dat operam oratio, incomposita esse debet, & simplex: *Galenus* porro *Platonem* testem citat, Si verba contemneremus, ditiorem rerum Philosophiam possideremus: sed ut in omnibus rebus, & hac in re id semper laudatum; Ne quid nimis; Sacci enim tempora in Arabas Medicos inciderant seriæ rerum contemplationi, non expoliendæ orationi addictos.

CAPUT III. 80

E
Paulus Juliarius.

CUM PAULUS JULIARIUS *Patavio Veronam* esset reversus, *Franciscus Mundella* Medicus nostras magni nominis in medica praxi, & optimus Civitatis nostræ Consiliarius, quem dicunt & Consilii XII. Caput, & præterea re familiari satis locuplete, ejusdem *Pauli* ingenio, moribus, & doctrina captus, & allectus Generum sibi delegit unicæ filiæ pulcherrimæ, & ditissimæ conjugem: Sibi enim antea *Mundella* in animum induxerat, nulli filiam suam desponsurum, & matrimonio copulaturum, præter-
F quam Medico eximio, & magna virtute prædito; neque profecto spes, aut expectatio tantum Virum fefellit, siquidem paulo post perhonesto stipendio invitatus, in præclaro *Roboreti* oppido medicinam fecit; mox in Patriam revocatus, & in Medicina factitanda, tum & lucubrationibus illustranda, præterea Consilio Urbis publico, & civilibus actionibus, quibus Civium communio, & optimus status constat, felicem operam dando, magnum nomen est a-
de-

81 deptus: Verum & Orator non vulgaris fuit: Hujus enim præclari Medici edita est oratio, quam habuit, dum Consilio XII. tamquam caput, uti vocant, præesset, & tunc Civitatis Regimen Illustriss. *D. Andreas Lauredanus* Prætor capesceret.

Editus est Libellus ejus *de vulnerum capitis curatione* ad Dominicum Monthesaurum.

Alter item inscriptus Expositio Procemii Libri *Hippocratis de victu in morbis acutis* ad Excellentissimum Philosophum *Antonium Brassavolum* Medicum Illustrissimi Ducis *Ferrariæ*.

Edita etiam fuit ejusdem Conversio Commentariorum *Galeni* in quatuor Libros de victus ratione, quos *Patavii* publice fuerat interpretatus.

Cujus Gentilis *Claudius Juliarius* Collega noster vivit.

CAPUT IV.

Paulus Dionysius.

ET hic magnus Hippocraticæ, & Galenicæ Medicinæ vindex, & restaurator fuit; cum antea Seniores Medici Arabum, & *Avicennæ* Prin-
82 cipis placita mordicùs profiterentur, & in eorum minutas etiam sententias, & verba jurarent in medendo, in consulendo, *Galeni* Methodum, libros *De causis symptomatum*, *De locis affectis*, *De crisibus*, *De febribus*, Commentaria in prognostica; in morbos acutos; Aphorismos semper in ore habebat, & ad eorum normam, praxim, & judicium medicum dirigebat: Si quis etiam Junior Medicus recentiorum Auctorum plus æquo studiosus erat, cum acriter quadam ingenii, & morum gravitatis auctoritate objurgabat, & ad *Galeni*, & *Hippocratis* lectionem, & assiduum studium revocabat; cum Medicinæ, & Philosophiæ cognitione optime floreret, & multis opulentis Cœnobiis *Veronæ* medendo præesset poëticum etiam studium, ut animum à gravioribus curis recrearet, sibi adjungendum putavit; *Catulli* Civis nostri, *Virgilii*, & *Lucretii* potissimum studiosus imitator; cujus rei optimum specimen dedit describendis elegiaco carmine Aphorismis *Hippocratis*; qui liber à *Jacobo Dionysio* ejus Nepote, & Medico ornatissimo Compatre meo post *Pauli* obitum est editus, & amplissimo Episcopo nostro *Valerio* nuncupatus. De natura etiam Oculi, & partibus ejus versu exametro scripsit, & natalitiam veluti strenam misit ad *Hieronymum Thebaldum* Medicum *Salium*
83 vocatum. Claris natalibus ortus, & *Veronæ* plurimi semper factus ad decrepitam usque ætatem vixit. Collegii nostri existimationis vindex acerrimus, & jurium, legumque defensor constantissimus, quæ veluti magnus patronus sibi tuenda, & vendicanda adversus potissimum circumforaneos, & rudes Empiricos existimavit; cum auctoritate judicii, & ingenii vi, & acrimonia, & vivida ad res agendas promptitudine, & solertia vel admodum senex polleret. Anno MDXLIII. Theoricam Medicinam extraordinariam publice *Patavii* est professus. Illud *Hippocratis* libro de Medico frequens in ore habebat, Medicus bono corporis habitu, & colore bono præditus esse debet. Vulgus enim existimat eos, qui non sic bene dispositum corpus habent, neque aliis bene prospicere posse. Quoniam vero hæ naturales dotes non videntur omnino in manu nostra esse positæ; subjiciebat gravissimus Vir alteram optimi Medici descriptionem ex lib. de decenti ornatu, cum eas continere videatur Dotes, quæ ad Medici ci prudentiam, & arbitrium spectent, atque ab iis omnino pendere videantur, Medici boni appositi ad responsiones sunt, graves adversus resistentes, ad sui similes solertes, familiares, & affabiles temperati ad omnes, ad seditiones tacitur- 84
ni, ad tacendum animo obfirmato, & continentes, ad tempus appositi, ad occasionem arripiendam accommodati, ad victum frugales, & contenti, patientes ad temporis expectationem, ad sermones expediti, omne demostratum proferentes, suaviloquentia utentes, gratiis affecti, & gloria horum omnium corroborati, & confirmati, ad veritatem, & demonstrationem audentes, & confisi.

Cum porro nonnulli *Dionysio* objicerent morum quandam severitatem, cum *Hippocrates* diserte doceat eodem libro, Medicus comitatem quandam sibi adjunctam habeat: Austeritas enim sanis, & ægris difficilem accessum præbet. Ille acute alias ejusdem libri sententias contra reponebat. Scribit enim *Hippocrates* à Medicis ægri non ornatum, sed auxilium quærunt, & Medicus cum imperitis non multa fabuletur, sed necessaria. Vix enim ferendos putabat quosdam, qui cum Mulierculis longa colloquia de rebus frivolis instituunt, quæve ad curationem præsentis ægritudinis minime faciunt, aut curationum suarum exitus exaggerant, & plenis buccis prædicant, aut plus æquo adulantes gratiam plebejorum ingeniorum captant: ἄρεσκοι, & ἀδόλεσχοι à græcis nuncupantur: hoc enim Agyrtarum, & circulatorum 85
proprium esse, non Medicorum, qui solidam sapientiam, & bonas litteras callent; quibus taciturna quædam modestia, & morum gravitas magis convenit, ut ipsa etiam experientia testatum facit.

CAPUT V.

Alexander Seraticus.

ALEXANDER SERATICUS Physicus, & Chirurgiæ deditissimus, cujus notitia, & prospero curationum eventu magnum sibi decus comparavit, cum ad profitendum publice Chirurgiam à primariis *Italiæ* Gymnasiis invitaretur, privatis commodis, & dignitati maluit Patriæ charitatem anteferre: nam ingruente pestilentiæ tempore strenuam operam navavit in visendis, & curandis intrepide ægrotis, qui in publico Lazareto, & Nosocomio ab aliis secreti decumbebant, & sicuti publico Civitatis decreto electus, ita perhonorifico honorario fuit cohonestatus; cujus rei memoria publicis hisce tabulis est consignata:

Die Mercurii XVII. Augusti 1575. 86

PRO recognitione servitutis, & mercedis Excell. Artium, & Medicinæ Doctoris Domini *Alexandri Seratici*, qui diligenter servivit Officio Sanitatis in curando morbo contagioso, & eundo etiam ad Lazaretum terminatum fuit, ut eidem dono dentur duo pocula argentea valoris ducatorum triginta de bonis Hospitalis, in quibus cælentur insignia Magnificæ Communitatis *Veronæ*, pro majori erga eum grati animi, & memoriæ significatione.

Die Jovis XXII. Septembris 1575.

Pro Excell. Physico *D. Alexandro Seratico* prædicto, cui in poculis argenteis confectis *Venetiis* pro dono juxta terminationem diei 17. Augusti proximi præteriti fuit deliberatum, ut dentur ducati viginti pro recognitione servitutis suæ.

Die

Die Sabb. xx. Januarii 1576.

Pro Hæredibus q. Excell. Artium, & Med.
Doct. *D. Alexandri Seratici.*

87 Habita consideratione super servitute præstita
per ipsum q. Excell. Physicum *D. Alexandrum*
Seraticum, qui in tempore afflictionis ægritudi-
nis contagiosæ, quæ anno proximo præterito in
hac Civitate circiter quatuor menses sævivit, ser-
vitio Civitatis, & Officio Sanitatis passis multis
laboribus, & periculis præsertim in visendis in-
firmis in loco Lazareti ex hac vita migravit, non
sine magno Civitatis dolore, & damno suæ fami-
liæ: unde ejus memoria silentio minime prætere-
unda est, immo aliquo munere decoranda, &
aliquo gratitudinis signo in ipsius Hæredes uten-
dum est; ut cuique notum sit quam magnifa-
cit hæc Civitas quorumcumque servitutem, quæ
ab omnibus Civibus undequaque Civitati præsta-
tur, terminatum fuit, quod dentur ipsis Hære-
dibus de bonis Hospitalis, ducati quinquaginta
auri in auro pro construenda sepultura dicto *D.*
Alexandro, nec non dentur ducati vigintiquinque
Domino *Hieronymo* ejus Nepoti singulo anno per
septennium in Medicina studere volenti, & pro-
curetur omni studio, & diligentia, ut habeat
ipse Nepos unum ex legatis relictis olim pro stu-
88 dendo, & si ipsum legatum non habuerit, den-
tur ducati quinguaginta eidem per septennium,
ut supra, dummodo studeat, & non aliter.

In Tumulo lapideo existenti in Ecclesia sub-
terranea Sancti *Firmi* Majoris *Veronæ* per oppo-
situm Altaris Sanctæ *Catherinæ* extat Arca lapidea
eminens, & in muro fixa, cum alio lapide sub
ea, in quo insculpta sunt hujusmodi verba.

ALEXANDRO SERATICO MEDICO,
ET PHILOSOPHO PRÆSTANTISSIMO,
QVI SÆVITER GRASSANTE PESTE
DVM PATRIÆ CHARITATE DVCTVS
CIVIVM SALVTI CONSVLIT, SVMMIS
PERFVNCTVS LABORIBVS DIEM OBIIT.
MEM. VER. HONORIS ERGO MVNVS
SVPREMVM P. M D LXXV.

89 CAPUT VI.

Petrus Bonalinus Avunculus meus.

HIC matris meæ Frater cum clarissimis *Gueri-*
nono, & *Fumanello* Medicis sub *Victore Trin-*
cavellio egregiam Medicinæ operam navavit; in
litteris Græcis excelluit, quarum ope adjutus
Hippocratis, & *Galeni* abstrusos sensus rimabatur:
scripsit multa, & ex Græco etiam convertit, quo-
rum magna pars interiit, apud me extat ejus pra-
xis manuscripta remediis, & formulis medica-
mentorum juxta partes affectas distincta; dubita-
tiones ex intima Medicina *Victori Trincavellio* pro-
posuit, quarum explicationes diligenter epistolis
editis *Trincavellius* est prosecutus: *Hippocratem*,
Homerum, & *Isocratem* in delitiis habuit, quo-
rum Auctorum arcana, & testimonia commen-
dabat, paucos ægrotos curandos multis præfere-
bat, eosque summa cura, & studio tractabat, ex-
quisitam obedientiam ab ægrotis exigebat, illud
Hippocratis in ore frequenter habens ὑπεναντιοῦσθαι
τῷ νοσήματι τὸν νοσεῦντα μετὰ τοῦ ἰητροῦ χρὴ adversari
scilicet morbo ægrotum una cum Medico opus
esse: illud præterea ex 6. lib. Epidem. ἄσκησις τῆς
ὑγιείης ἀκορίη τροφῆς, καὶ ἀοκνίη πόνων sanitatis exerci-
90 tatio non satiari cibis, & impigrum esse ad labo-
rem. Libellum *Galeni*, quo probat neminem
esse optimum Medicum, nisi sit optimus Philo-
A sophus memoriter sæpe recitabat; profitebatur-
que non injuria *Homerum* cecinisse ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ
πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, Medicus scil. Vir multis
aliis est præstantior, & *Hippocratem* Medicum
Philosophum esse pronunciasse. Nisi quia mera
praxis à philosophia secreta agyrtarum peritiam
redolet: quare Collegio nostro Auctor erat, ut
severo examine cooptandos Juvenes excuteret,
quo aliis calcar adderetur, ut dum in Academia
publica student sedulam operam Philosophiæ (o-
missis ludicris nugis) navarent.

Alexipharmaca *Nicandri*, & *Dioscoridis* opus
præ manibus continuo habebat; in illis plurima
B observavit cognitu utilia; Lachrymam Cedri à
Nicandro Picem vocatam, mirantur multi quo-
modo Leporis marini veneno adversetur, cum
viventia corpora putrefacere, mortua à putrefa-
ctione tueri inconfesso sit: Cedrium tamen intra
corpus sumi præcipit *Nicander*; Leporis autem
venenum inter septica recensetur: observabat A-
vunculus meus Venenum veneni esse remedium,
ut Toxici, Argentum vivum ex *Ausonii* senten-
tia, quare & Septicum medicamentum corruptio- 91
nem à Septico invectam posse corrigere, quare &
apud *Nicandrum* πελάνου βάρος legebat ὀβόλου βά-
ρος, ut Oboli unius pondus designaretur, quod
C ab Asclepiade apud Galenum *lib.* II. *de Antido-*
tis definitum: medicamenti vero vehementis men-
sura necessario præscribenda erat, cum eam *Dio-*
scor. accuratus alioquin Auctor prætermiserit. Cæ-
terum etsi retineamus πελάνου vocem Obolum si-
gnificabit, ut græcus Interpres, & *Gorræus* docent.

Salem etiam omnem ad avellendam hirudinem
mordicus sanguinem exsugentem conducere ob-
servavit: oriri enim ipsius Sale, vel Cinere in-
sperso protinus decidit: Sal aut fossilis, aut ma-
rinus, illum in *Cappadocia* potissimum effodi, &
in *Oromeno Indiæ* monte lapidicinarum modo cæ-
di renascentem: Marinum ex aqua maris effici
D æstivis Solibus siccata, quod clarius à *Gorræo* do-
ctissimo explicatum; qui etiam cum *Nicandro* do-
cet Acetum non solum hirudinem cogere; loco
cui adhæsit, excidere, sed etiam ipsam interfice-
re. Mirandum vero illud adeo *Bonalinum* cum
Gorræo consensisse, ut ex manuscriptis schædis,
& adversariis liquet: nam & duplex genus hiru-
dinum tradunt, unum capite magno coloris ruffi,
variis distincto filamentis, & veluti lanuginoso:
huic multum Veneni inesse, & partibus quibus
affixa est Bdella, induci; ex aquis, in quibus de- 92
git, id maxime deprehendi: Alterum tenuius à
E cauda muris non multum diversum, cui breve ca-
put, venter rubet, in puris aquis degens; hæ
quoque venenum infligunt, nisi ante purgatæ, &
probe detersæ affigantur. Acuto, & perspicaci
ingenio viguit *Bonalinus*, quinimmo meditabun-
dus, nec primis rerum visis, & opinionibus manus
dans, sed ad severam solidæ disputationis amussim
omnia revocans, nonnullis tetricus, & Pythago-
ræo silentio plus æquo deditus videbatur: quod
& Clarissimo *Fracastorio* contigit. *Platonis* au-
ream sententiam ex *Thæetæto* semper in ore ha-
bebat μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος τὸ θαυμά-
ζειν, οὐδὲ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη. Admirari
F scil. maximam esse Philosophi affectionem, ne-
que aliud esse Philosophiæ principium, quem i-
psum, quod & ab *Aristotele* proditum, cum ex
admiratione homines excitatos ad philosophan-
dum docuit. Cum jam vulgari sectam *Theophra-*
sti Paracelsi intelligeret, & absurda illa corporum
naturalium principia jactari Sulphur, Salem, Ar-
gentum vivum succensere cæpit, & inclamare in
Europa mirum esse, ingenia adeo stupida, & cre-
dula comperiri, quæ istas nugas admirarentur,
& extollerent. Vir eruditus novæ doctrinæ de-
fen-

91 senior sub nominum illorum involucro res miras contineri jactabat, sicuti Balsamum, Semen, ac Mumiam esse medicamentum verum, ac solum omnium gravium morborum modo congruenti præparatione ab elementorum impuritatibus sit expurgatum, & vitali virtute ornatum, hoc ab *Hippocrate* μεγάλιν δύναμιν ἔχον appellari; cum causas, & curationes morborum negat primis elementorum qualitatibus adscribendas: ab *Aristotele* corpus, quod divinius est, quam quæ elementa appellantur, è *Theophrasto Aristotelis* auditore τὸ ἔμβιον τῆς φύσεως vitale principium, quod est in natura. Ad hæc suaviter risit *Bonalinus*, quod speciosis, & vulgo plausibilibus vocibus nigrorum philosophorum Elixir designari cerneret, & fornaculas illas ignitas noctuas esse crumenarum non ignoraret; præterquam quod medicamenta illa non tam depurata, & defœcata redduntur, quam igneam vim nacta, caloris insiti robur dissolvunt, & vehemens intemperamentum partibus, & visceribus conciliant; pro qua re legendi *Thomas Erastus*, *Riolanus*, & *Jacobus Zuingerus* Medici exteri non contemnendi, quamquam nec *Petri Severini Dani* Idea Medicinæ philosophicæ, nec *Thomæ Mufetti Londinati Angli* elegans, & pereruditus Dialogus Apologeticus spernandus videntur.

92

CAPUT VII.
Josephus Valdaneus.

OPTIMUS hic Philosophus, & Mathematicus extitit, sed & linguæ latinæ, græcæ, & politiorum omnium litterarum notitiam uberiorem sibi comparavit; quo factum est, ut cum *Brixiæ* præclaram Academiam *Avogadrius*, atque alii Viri Patricii sanguinis instituissent, *Valdaneum* nostrum perhonorifico insignitum stipendio accersierint, ut publicè in ea moralem philosophiam profiteretur, quo munere summa cum laude aliquot annos perfunctus cum ibi mox febres pestilentes grassarentur Theriacæ usu multos feliciter curavit, quo medicamento deinceps à Brixianis Medicis in disquisitionem revocato, & ipse de illius usu elegans opusculum conscripsit, & edidit, & *Veronenses* Medicos Cives suos de eo consulendos censuit. Extant & *Valdanei* Dialogi duo de mixtione elementorum, & contrariorum eleganter, & docte conscripti: item *Procli* de Motu libri duo ab eodem conversi, & doctissimis Scholiis illustrati; item præfationes de Philosophiæ moralis usu *Aristotelis*; & disputatio de sectione salvatellæ; tum
93 Italico idiomate eruditissima dissertatio de natura & causis cometarum ad *Albertum Lavezolam* Virum nobilissimum, & Academiæ Philarmonicæ parentem clarissimum; item præfationes in Topicam *Aristotelis*; de logices usu; de Mathematicorum usu ad elementa *Euclidis*. Obiit valde senex in Patria magnum Collegii nostri, & bonarum litterarum decus: Id *Hippocratis* probabat, si quid in morbis divinum inest, hujus quoque providentiam perdiscere oportet: illud etiam *Celsi* lib. III. omnium optima sunt quies, & abstinentia, solaque abstinentia sine ullo periculo medetur: Verum illud pariter ex eodem lib. inculcabat. Sæpe etiam pertinacia juvantis malum corporis vincit.

CAPUT VIII.
Bernardinus Paternus.

SI quis magnum hunc Medicum Galenicæ Medicinæ vindicem acerrimum adversus Novato-

A res, quibus sæculum nostrum plus æquo scatere visum est asseverarit, næ ille tamquam ex tripode pronuntiasse putandus erit, ille sane *Salodii* natus perhonestis natalibus. Et cum Junior Cardinali *Grimano* medendo inservivisset, & in mul- 94
tis præsertim *Ticinensi*, *Pisano*, & *Montisregali Italiæ* Gymnasiis publice professus esset, prius disputatis publice theorematibus *Venetiis*, *Patavii*, & *Veronæ* cum summa præsentium admiratione, tandem à Serenissima *Veneta* Republica *Patavium*, ut Medicinam, quam vocant Theoricam, è prima sede prælegeret, est accersitus; quo munere summo cum applausu, & nominis celebritate, B ut *Galeni* Anima vulgo nuncuparetur, usque ad decrepitam ætatem est perfunctus, cum Veronensium Civium affinitatibus esset devinctus & in agro nostro prædium possideret, quo feriarum tempore secedere solebat; in albo Civium *Veronensium* descriptus fuit, & in nostrum Collegium deinde cooptari voluit.

Æstivo sane tempore, dum à publico profitendi munere vacaret, quotannis fere Hospitio *Blasii Pecanæ* Viri nobilissimi, & propter Uxorem summi ejus necessarii, & affinis excipi solebat, inde Castionum supra *Gardam* in amænissimam *Pecanarum* Villam se recipiebant, ibique vario C oblectamenti genere animum laxabant; interdum *Salodium* se conferebant, aliquando in alia Paterni prædia, ut locorum varietate varie animum recrearent; Octobri porro mense *Casalbergi* Insu- 95
læ *Scalarum* commorantes aucupii, & multiplicis potissimum Venationis voluptate detinebantur, quibus jucundissimis exercitiis nonnunquam Sereniss. *Mantuæ* Dux *Gulielmus* animi causa & interfuit, & præfuit; Hæc constanti veritatis fide in præclara sua familia pervulgari monuit me *Alexander Pecana Blasii* pronepos Medicus, & Philosophus ornatissimus, Collegii nostri *Veronensis* alumnus, & compater meus humanissimus, D qui *Blasium* huncce Abavum paternum summo amore, & cultu affinem Paternum prosequutum testatur, non solum enim Etruscarum, & latinarum litterarum notitia erat insignitus *Blasius*, sed Astrologiæ, & Medicinæ studiis non mediocriter delectabatur, quemadmodum manuscripti Codices, & Adversaria, quibus documenta, & Gnomas practicas exarabat, domi post ejus obitum relicta, satis declarant, magnum etiam, & percelebrem venatorem fuisse tum magnificis apparatibus, vitæque cultu, cum splendore, & elegantia oblectatum fuisse, & mira in amicos liberalitate, & hospitalitate, grata Pronepotes ornatissimi memoria recolunt, cujus tanti Viri veE stigiis ipsimet etiam in præsentia perhonorifice insistunt. Sed redeo ad Clarissimum *Paternum*, qui de Collegio Nostro luculentum testimonium, 96
& judicium ferebat, quod ego ab ejus ore sæpe auditum, cum *Patavii* ipsius essem auditor, hic producere non verebor ajebat, Collegium *Veronense* sibi videri refertum Medicis optimis, & doctissimis; quive præ aliis prærogativam singularem obtinerent: quia Philosophiæ studia cum Medicina conjungebant, & bonarum litterarum notitiam levitatis, & ostentationis osores, qui non ex vulgi & muliercularum sermone, sed F ex ipso facto laudem petebant, plurimum facere, minimum de se dicere assueti; quod in militiæ Duce valde à *Sallustio* probatum, quive Artis præstantiam non ex Artificis divitiis, supellectile, ornatu, elegantia, fastu, opere Corinthiaco, aut Dædaleo æstimandam ducunt; cum hujusmodi ostentatores, & ampullosi Medici nonnullorum Pharmacopæorum Pyxidibus persimiles sint, quæ extra radiant (ut vir doctus ait) opereque poliuntur phrygio, intus au-

tem vel nihil, aut sceleta tantum continent, & cadavera medicamentorum: Tales sibi videri nostrates Medicos Collegas asseverabat *Paternus*, quales in libello ad id dicato *Galenus* expetebat eumdem esse optimum Medicum, & Philosophum comprobans. Post ejus obitum lectiones in primam *Fen. Avicennæ*, & in Aphorismos sunt
97 à suis Auditoribus editæ. Miscellanea etiam medica expectabantur, quæ nondum publicam lucem vident, cum esset junior scripsit Libellum de humorum purgatione in morborum initiis tentanda, quem ad Cardinalem *Rodulphum* misit; quod cœna uberior prandio esse debeat ad Cardinalem *Moronum*.

Hujus apophthegmata medica illa fuere concocta purganda esse non cruda; expectandum etiam, & explorandum naturæ motum, ut quo ille vergeret, eo duceremus per convenientes regiones; morbos autumnales esse longos, dicterium esse rudium, & *Galeni* doctrinæ expertium Medicorum, qui cum importunis purgationibus, & pleniore victus ratione sæpissime prope statum quartana affectos febre fatigent, & divexent, nimia agitatione, & repletione morbos alunt, & prorogant, si *Galeni* ad unguem præcepta in victus ratione potissimum observarentur brevioris, & tutioris constitutionis fore omnes morbos, suapte natura alioquin intermittentes, & propterea periculo, & longiori molestia vacantes. Hæc sæpe ipsum in congressibus suorum auditorum inculcantem, & prope declamantem, ut erat, vividus, & veri-
98 tatis amans senex, audivimus. Obiit *Patavii* LXXXVI. annum fere agens, plenus optimæ famæ, & perhonestæ existimationis, cum omnibus eruditis Viris sui acerrimum desiderium reliquisset.

CAPUT IX.

Christophorus Guarinonus.

HIC *Veronæ* Junior Philosophiam Peripateticam, in qua valde excelluit, Monachis Nostratibus prælegit, summa cum laude Medicinam etiam præclare factitavit. Quocirca & Duci *Urbini* primum perhonesto honorario invitatus Medicinam fecit, in Patriam reversus, haud multos post annos à *Rodulpho* Cæsare Imperatore II. Medicus, & Consiliarius accersitus summam nominis commendationem sibi, Collegio, Patriæ, Familiæque conciliavit, cum præter honorificentissimum stipendium sæpe muneribus ab munifico Imperatore sit insignitus, quod argumento erat *Guarinoni* operam, & industriam medicam tanto Imperatori gratam, & acceptam existere, quinimo cum sæpe vellet i-
99 pse in Patriam jam effœta ætate reverti semper aureis compedibus, & summa honorum, & benevolentiæ testificatione à tanto Imperatore fuit retentus cum encyclopediæ physicæ notitiam optime teneret, & litteris græcis esset imbutus; scripsit de causa morborum contentrice libellum, quem manuscriptum Collegio nostro dicavit; item cum *Pragæ* degeret in lucem emisit Commentarium in primum librum de historia animalium *Aristotelis*, quem è græco in latinum convertit, disputationes de natura humana, de methodo doctrinarum, explicationem locorum apud *Aristotelem* de animorum immortalitate, diffusum etiam opus, & prolixum Consiliorum medicinalium post ejus obitum ab Hæredibus suis est evulgatum, quod Medicis consultantibus, & medicinam facientibus maximo usui esse possit, quod excusso judicio essentiam causas,
A & curationem persequatur; supersunt multa ejus opera evulganda, partim medica, partim philosophica, & præcipue præclarum illud opus de hominis generatione, in quibus omnibus & ingenii, & styli, & morum gravitatem ingenio philosophico dignam præ se fert. *Romam* etiam cum Cardinali nostro *Valerio*, gloriosæ memoriæ, se contulit, ubi gratissimus summis Cardinalibus, & Principibus Viris quà consultando, qua medendo fuit; quinimmo ejus medicam operam *Cle-* 100 *mens Octavus* Summus Pontifex sæpe expetebat, dicebatque Cardinali *Valerio* se *Praga* ipsum fuisse accersiturum, nisi Imperatori *Rodulpho* se ægre
B facere suspicaretur. Obiit *Pragæ* gravis annis, cujus obitu ingemuisse maximum Imperatorum cum Aulæ Magnatibus ferunt.

Ejus ea præclara sunt Consilia: Medicum adulatorem, ut auram nobilium, & popularium captet, maxime esse improbandum; quamvis enim initio Veritas odium pariat, mox tamen intimius perspectus constans, & sincerus vitæ, & morum tenor in sui admirationem, & venerationem, & Principes Viros, & tenuioris etiam fortunæ homines rapit. Nihil perinde ingenium Medicorum hebes, & tardum efficere, ac se se omnino praxi dedere, prætermissis studiis, bonorum Auctorum
C lectione, & frequentibus cum amicis eruditis disputationibus. Domesticam enim illam meditationem, quæ extra proprios parietes sese non exporrigit, parum prodesse, ni ex umbratili pugna σκιομαχία in verum certamen, & velitationem res deducatur. Scripturitionem ergo, & frequentes de rebus medicis disputationes probabat, & Commentariorum memoriæ adjuvandæ causa confectionem. Propterea & Academiam Medicam Domui suæ instituit, quam Virorum eruditorum 101 confessum appellabat, ubi de rebus Philosophicis, & Medicis, aliarum etiam disciplinarum Viri docti, & χαρίεντες ἰατροὶ elegantes nimirum *A-*
D *ristotelis*, & *Hippocratis* doctrina digni Medici statis diebus sermones varios, & fructuosos habere solebant.

Ut vero tetrici supercilii Physicis, & Medicis satisfiat, qui ægrorum curationibus addicti historicis narrationibus parum juvantur referam, breviter disputationes à me cum *Guarinonio* habitas Theoreticam unam, practicam alteram. Cerebri principatum contra severos Peripateticos ita probabam; illa pars & viscus primo generatur, & formatur; cujus necessitas erat major, & prior, tale est cerebrum ob motum fœtus in utero necessarium à nervis propriis fœtus profectum. Quod
E vero ille motus à nervis propriis fœtus fiat, ostenditur quando non dantur nervi umbilicales, sed solum arteriæ & venæ, ut patet: Si ergo motus rationem habeamus, respectu cordis, prius gignitur cerebrum; si vero nutritionem spectemus, quæ est animæ vegetalis primaria actio, primum efformatur Epar officina sanguinis. Respondit Vir gravissimus primum gigni vitalem sanguinem, & arterialem, & hujusmodi fieri à corde sine pro- 102 prio motu: contendebam contra omnem operationem non sine ejus motu obiri. Præterea sanguinem arterialem gigni non posse, nisi genito spiritu, à quo sanguis purificatur, attenuatur, &
F spirituosus fit, hoc nisi suppeditato aëre contingere non potest, at quiescente pulmone, hic non suggeretur: nec moveri potest cor eo tempore, cum per solum Matris spiritum ab arteria umbilicali collatum, vitali vita vivat fœtus, qui sane spiritus ad cor fœtus non defertur: ut ab Anatomicorum præstantissimis nuper ostensum est, Responsum fuit Spiritum insitum sufficere: Contra asserebam hujusmodi spiritum privatis cordis actionibus inservire nutritioni, scilicet & coctioni,

ni, non communi operationi, quæ per motum fit, dum spiritum vitalem gignit, cujus materia est aër à pulmonibus suppeditatus. Hæc carptim delibata, non est enim hic locus, cum latius, & solidius in nostris quæstionibus Physicis de his sit disputatum. *Guarinonius*que ipsemet profiteretur se in lib. de generatione Hominis enucleatius hæc explicasse.

Transeo ad practicam disceptationem: Plerique Viri docti, & percelebres (inter eos Mercurialis) in curanda distillatione demissum caput
103 habendum probant, quoniam quærens *Aristoteles* x. problem. Cur animantium homo maxime soleat sternutare, respondet id fieri, quia se in sublime attollit stirpium modo, quare plurima caloris copia, & vehementissima caput petit; in aliis animalibus, quæ prona terram spectant calorem in armos se efferre; hominem distillationibus, & gravedinibus maxime omnium esse obnoxium; quoniam calorem in caput sese efferentem humores prætenues, & crudi sequuntur; hinc post gravedinis sternutamentum pituitam aquæ similem abstergimus: Aves etiam figura corporis homini similes gravedinem perpetiuntur, quamquam minus homine; quoniam deorsum nutant à terra cibum petentes: *Avicennas* etiam distillatione laborantem, caput demittere, ac pulvinar declive tenere docuit. Cæterum hanc observationem improbabat *Guarinonius*, quia demisso capite crassiores succi facilius ad illud confluant, tametsi calidi halitus ægrius ad illud prorepant; in Dispnæa etiam, & pectoris angustia depressum caput obest: quoniam pectus, & pulmo magis in se ipsa concidunt, & coacervata in capite materia diutius detinetur, & difficilius descendit, expurgaturque. De strumis etiam loquens *Avicennas* à non elevato pulvinari in caput materias efferri
104 tradit; sic prosternere se super faciem, & incurvare se super genua prolixe idem efficere: Locum vero ejusdem Auctoris de Catarrho ex veteri translatione legendum, quam sequutus *Gentilis Fulginas*, ægrum scilicet regendum, cum elevatione capitis, ut elevetur pulvinar: crassiorum vero succorum descensum facile observari, si quis manum pendulam teneat: quare imbecillitatem intellectus videri, cum dimisso sensu ratio anxie, & supervacaneè conquiritur.

Sed & *Cornelii Celsi* sententia est lib. IV. ubi cum dixisset quietem, securitatem, & silentium esse necessaria in curando sputo sanguinis cum catarrho; subdit statim caput hujus quoque cubantis sublime esse debet.

Jam vero Clarissimus hic Medicus mei perhonorificam mentionem fecit Consultatione DCCCLXXXIII. ad *Augustinum Lucidum* Physicum ejus contubernalem; cum ego tunc Junior per literas ab eo quæsissem, ut doctissimi *Guarinonii* sententiam de Phænigmis Theriaca, & sanguinis missione in malignis febribus, quæ cum periculis fiunt, mihi significaret; quum anno MDXCII. *Veronæ* viderem præstantissimos Medicos in iis usurpandis valde discrepare: quæ
105 consultatio digna est, ut ab omnibus Medicis attente perlegatur, cum ex rationali methodo succincte, & solide quæstiones omnes explicentur.

Elogium funebre in obitu Christophori Guarinonii Medici Clarissimi.

SUccumbis fato CHRISTOPHORI GUARINONII RODULPHI II. Imperatoris Archiatre, sed non animi tui dotes insignes Pietas, Virtus, Eruditio, morum eximius candor, quæ tecum extinctæ non sunt, nec unquam extinguentur. Cura, non impetu vigebas; hinc tua meditatio, & labor in posterum valescent: Impensus honorifice labor, unde emolumentum, atque honos speratus: magnus animus magnis honoribus factus quamquam nec cesserunt prima postremis, & bona Juventæ senectus honoratior illustravit: Magna aggresso, magna conato, magna præmia proposita.

Placida Senectutis quiete perfrui tibi non licuit operosæ, & intimæ tanti Imperatoris medicæ servituti addicto, & in secretiora rerum agendarum consilia sæpe accito; nam regere valetudinem Principum solitus Consilii etiam copiam præbebas. Poteras tamen tam arctis exsolutus 106
vinculis jam grandi, & effœta ætate in Patria tua diutius Vitæ usuram trahere, partæ gloriæ vivens interesse, partis commodis potiri, cum & Junior Serenissimo *Francisco Mariæ Feltrio Urbini* Duci VI. summa nominis tui celebritate medicinam fecisses. Non permisit Deus, qui vel tuum obitum tibi, Domui, Patriæ honestissimum esse voluit, dum adamantinis gratiæ, & amoris laqueis te *Rodulphus* apud se retinet, nec missionem ab Aula quantumvis benemerito, vel seni gravi affecto valetudine concedit. Interea ingentem dolorem, & tui desiderium consultationibus tuis Medicis, & Commentariis philosophicis, quæ reliquisti aliqua ex parte leniemus.

Sed tu jam exutus mortalitatem, sinceram indue immortalitatem, quam bonorum, honorumque omnium aggregatione perfectam tuæ præcellenti virtuti Summus Imperatorum Imperator Deus en liberaliter offert, & re ipsa cumulatissime præstabit.

Andreas Chioccus Medicus veteris benevolentiæ, & observantiæ ergo MDCIV.

CAPUT X. 107

Joannes Antonius Turcus.

NEc Socerum meum Jo. ANTONIUM TURCUM indictum præterire debeo, Virum pietate, & ingenuis moribus præditum, eruditione græca, & latina apprime excultum: in Philosophiæ Peripateticæ, & Platonicæ decretis, Theologicis etiam *D. Thomæ* sanctionibus valde versatum: acerrimus, & strenuus fuit in dissertantium palæstra disputator, & in Academia Philarmonicorum celeberrima Philosophiæ Platonicæ Lector, ubi summa cum sui nominis commendatione, & magna Civium frequentia sæpissime est auditus: Junior *Bononiæ* studuit, in Patria vero & Philosophiam, & Logicam intra privatos parietes, & Nobilibus Viris, & mihi tunc admodum adolescenti libens explicavit; in praxi medica valde excelluit; dicereque solitum accepimus immensa novatorum commentaria præ una *Hippocratis*, & *Galeni* pagina, se facile contemnere, piam Sancti *Thomæ* philosophiam, & reliqua pietatis Christianæ exercitia cum medicina jungenda putabat. Scripsit porro opus de naturæ principiis, atque in lucem editum Colle- 108
gio dedicavit, quod à præstantissimis Philosophis plurimum semper fuit æstimatum. Theses etiam, quas Junior defendit, sunt editæ: Problematum volumina, & lib. de Consultandi methodo, & quæstiones Theologicæ multæ, Academicæ lectiones, aliaque non contemnenda, quæ ab eruditis jure desiderantur, nondum in publicam lucem sunt emissa.

Sectiones quippe sunt XXX. problematum, quibus summa brevitate enucleantur ea, quæ ab *Aristotele* in libris naturalibus, & divinis considerantur: nec non graviores sententiæ pro-

poſitæ ab *Hippocrate*, & *Galeno*.

Complura problemata Theologica pertinentia ad naturam Angelorum. Variæ quæſtiones tam Philoſophicæ, quam Theologicæ, diſputatæ unà cum ſuis deciſionibus. Cujus Filius *Franciſcus Turcus* Levir meus inpræſentia in Collegio noſtro vivit.

109 ### *Elogium Jo. Antonii Turci Medici, & Philoſophi Clariſſimi, & Soceri mei humaniſſimi.*

QUo te compellem Elogio, Jo. ANTONI TURCE, Medicorum præſtantiſſime, quod eximiis virtutibus tuis, & ſumma in Deum, & Deiparam Virginem pietate, quod præclaris animi tui dotibus, ſapientia, & optimarum diſciplinarum notitia, qua valde pollebas, non ſit omnino indignum? necnon benevolentiæ illi, qua me ſemper candide complexus, quamve jungenda mihi lectiſſima filia ELISABETHA, tanti Parentis imagine teſtatam eſſe voluiſti, aliqua ex parte merito reſpondeat? Tu ab ineunte ætate optimarum literarum ſtudiis innutritus Muſicam vocalem, & organicam perhoneſtum mentis laxamentum adhibuiſti: Orationem numeris adſtrictam, & ſolutam, Dialecticem, Rhetoricem mollioris ætatis exercitamenta veluti ſolidas baſes, & fundamenta graviorum ſtudiorum Philoſophiæ Peripateticæ, Medicinæ, & Theologiæ, præſtructas ædificio tuo literario eſſe voluiſti, ut poſt navatam *Bononiæ* his iiſdem diſciplinis præſtantiſſimis egregiam operam, te 110 non ſolum medicæ praxi addictum *Verona* experiretur, ſed & juniorem Theoremata Peripatetica publice tuentem, tum ſæpenumero in eruditis Theologorum circulis ſubtiliter diſſerentem, & de principiis naturæ elimatam lucubrationem edentem; quam etiam Collegio noſtro nuncupatam voluiſti, à doctis Viris valde laudatam, veneraretur. Tum Academia Philarmonica, quæ nobilitate, & vetuſtate cum Italicis nobilioribus certat, te ſonora voce, & mirifica gravitate coram magnatibus Viris de ſuggeſto prælegentem ex animo ſuſpiceret, unumque te eſſe prædicaret, qui ad Quæſtiones Philoſophiæ, Platonicæ, & Ariſtotelicæ arduas excutiendas, exponendaſque, & in Auditorum animis orationis, & ſermonis energia altius imprimendas, naturæ ipſius, aut divinæ providentiæ manibus factus videre-re.

Superſunt de conſulendi methodo libelli, & innumerabilium Problematum Sectiones, quæ ſolidum ingenium, & judicium in Medicinæ, & Philoſophiæ arcanis evulgandis facile cuivis declarabunt, præter luculentas Quæſtiones Theologicas, & Philoſophicas diſputatas, quas ſuis etiam ſingillatim adjunctis deciſionibus literis conſignaſti, quæ omnia ſi cum Diatribis Acade-
113 micis Italico ſermone exaratis lucem aliquando viderint, næ eruditorum omnium calculum facile promeritura pro certo habeo. Verum & tu Medicus Aſclepiadæus *Hippocratis*, & *Galeni* decreta pro æquo, & bono fideliter ſectatus. Quid porro nervorum, & ſpiritus ex illorum Theoretica doctrina exceptum ad praxim tuam inter medendum afferres, & conſultando, & ægros etiam fere depoſitos priſtinæ ſanitati reſtituendo, non obſcurum æquis rerum Æſtimatoribus erat. Non ſolum officio Medico, ſed pecunia liberaliter eroganda egenos homines complexus, & mirifice in Chriſti veri Dei pietatem animatus noſtra tempeſtate jure videris Medici nomen doctiſſimi, piiſſimi, atque benegniſſimi conſequutus.

A Salve igitur mi dulciſſime, atque optime Socer, interioris Philoſophiæ, & Medicinæ Decus; Collegii noſtri eximium ornamentum: Paterno amore, & propenſa voluntate mihi conjunctiſſime: exiguamque hanc redundantis affectus, & obſervantiæ ſignificationem in cæleſtium Mentium Domicilia nuper accitus libens admitte, & in perpetuum ævum cultus, & obſequii mei Hoſtimentum eſſe ne dedigneris. *Veronæ* die primo Aprilis 1599.

Andreas Chioccus Medicus, & Philoſophus tanti Viri Gener ſcribebat.

B

CAPUT XI. 114

Nicolaus Maronea.

CUM theoremata philoſophica præclare, & publice eſſet tutatus, & in Collegium Veronenſe admiſſus, magnum ingenii, & vividæ in diſputando acrimoniæ ſpecimen dedit. *Pendaſii* Viri clariſſ. doctrinam in philoſophicis eſt ſectatus: *Guarinonii* in rebus medicis; multa contra Veteres proprio marte excogitata, aut experimentis comperta (ut ipſe ajebat) exaravit: C quæ nec poſtremam manum, nec publicam lucem ſunt adhuc experta; medica enim placita ad *Ariſtotelis* decreta; & principia revocabat. Nec minorem laudem in praxi medica inter ſuos Collegas eſt promeritus.

Obiit nondum ſexagenarius; atque maximum Patriæ, & Collegio noſtro ſui deſiderium reliquit.

Præclarum Syntagma de Amomo confecit Vir hic doctiſſimus; quo *Plinii*, & *Dioſcoridis* univerſam de Amomo doctrinam optimo Commentario illuſtravit, Iconibus etiam Amomi expreſſis; hoc opus *Baſileæ* impreſſum eſt; & lectita- D tum, celebratumve ſummo *Germanorum*, *Belgarum*, & *Gallorum* applauſu, & admiratione: Commentario enim iſto comprobatum, & ex- 115 ploratum legitimum Amomum; Uvam eſſe Amomi, non lignum, auctoritate, ratione, & certiſſimis conjecturis ex *Plinio* potiſſimum hauſtis evictum; cum pro Theriaca *Veronæ* conficienda Collegii noſtri auctoritas, & teſtimonia à peritiſſimis Pharmacopolis efflagitarentur: ſine ullis enim ſuccedaneis apud nos eſt confecta; quod adhuc jam multis annis à nullo *Italiæ* Pharmacopæo præſtitum videbatur.

E Memini dicere ſolitum *Maroneam*, ridiculum eſſe in Conſultationibus habendis ex Theoria medica diffuſas *Galeni* auctoritates citare; cum ea ſit exercitatio in ſingularibus; ſpectandam diligenter morbi Ideam, cauſarum ſeriem, & ægrotantis naturam; cum hiſce curatio debeatur, puerilem oſtentationem omnino à Sapienti Medico eſſe evitandam.

Non poſſum Clariorum Medicorum, & Phyſicorum Collegii noſtri ingenium, & doctrinæ laudem omnibus certius exprimere: quam aliquot breviſſime propoſitis eorum decretis, quæ nondum in publicam lucem ſunt evulgata. De F febrium putridarum ortu; de Pleuritide; de Ventris coctione; de Epilepſiæ origine, atque aliis hujuſmodi longe diverſam à *Galeni* placitis ſententiam pereruditus *Maronea* ſequebatur in *Ariſtotelis* 116 potiſſimum caſtris à Medicorum ſtationibus transfuga conquieſcens: De Cerebri principatu, & cauſis Epilepſiæ longam diſputationem, quæ etiam literis mandata, cum ipſo olim inſtitueram, cum *Galeni* decreta ſarcta tecta eſſe vellem: de aphoriſmo 22. lib. v. & motu cordis, duntaxat in præſentia nonnulla perſtringam: per medicamentum calidum ſuppu-

purans θερμὸν ἐκπυητικὸν humidum, & viscidum substantia ab *Hippocrate* intelligi, quod in omni ulcere securitatis judicium præstet, existimavit, licet *Galenus* putrida, & reumatica exceperit, idque *Galeni* auctoritate lib. v. simpl. 19. probatum voluit, qui docere visus omne suppurans esse viscidæ, & emplasticæ naturæ. Cujus modi & in ulceribus illis à *Galeno* exceptis noxia; ridiculum esse illorum doctrinam, qui calidis, & siccis medicamentis vim suppurantem attribuerent, cum his non obscure perstringi Clariss. *Capivacceum* Doctorem olim meum cernerem, respondi, Duplex anodynum calidum reipsa comperiri & à *Galeno* constitui, unum calidum primo ordine, siccans, & tenuium partium, quod maxime proprie suppurans est, & anodynum, quale est anethinum oleum, vinum, pulvis Betonicæ, hoc foveri calorem insitum in ulceribus,
117 dum carnem generat ex laudabili sanguine; propterea *Hippocratem* dicere ipsum δέρμα μαλάσσειν, ἰσχναίνειν cutem emollire, & extenuare; quod argumento est ipsum viscidæ, & emplasticæ facultatis expers existere; porro omne humidum medicamentum vel primo, vel ex eventu, ulceribus adversum esse perspicue à *Galeno* tradi. Alterum suppurans medicamentum esse viscidum, & emplasticum, quo optimi Chirurgi utuntur, cum universa materia vel caro contusa in pus est convertenda; quoniam nulla ejus pars in carnem mutari potest, tunc enim servandam esse caloris insiti, ne transpiret, substantiam, quæ emplastico, & lento remedio intus cohibetur: cum præterea nullus supersit laudabilis sanguis, aut materia; in quam agens foveri, aut resarciri queat. Hæc valde subtiliter, & accommodate ad *Galeni* mentem à *Capivacceo* nostri Collegii qui amantissimus fuit, & multorum ejus Medicorum optimorum Doctor disputari, & decerni contendebam. Gravior, & difficilior fuit de cordis Diastole disquisitio: Ita enim *Maronea* suis ad me literis *Patavium* missis: Est alia difficultas, quæ nunc mihi in mentem venit, ob id eam decrevi tibi enarrare; *Galenus* statuit utrumque motum Arteriarum nempe constrictionem, & dila-
118 tationem esse actiones, hoc est activos motus, sic enim *Galenus* se ipsum interpretari consuevit: tunc ego infero eandem esse rationem, & cordis, cum ipsæ Arteriæ vim motoriam à corde habeant; quæro igitur, cum cor à centro ad circumferentiam, & viceversa moveatur, quibus fibris id munus obeat? nam cum cor omnia genera fibrarum habeat, quæcunque illarum trahantur, cor ad centrum movebitur, hoc est constringetur; ita erit aliqua actio, quæ sine fibris fiet: nullæ enim sunt, quæ ad circumferentiam cor movere possint: hoc patet si cordis figuram mente concipiamus, & fibras trahi fingamus;

Primo de comp. per genera c. 7.

De usu Pul. cap. 6.

A rectæ enim si trahantur, lineam curvam reddunt rectam, atque eo pacto cor ad centrum movent. Hic multa dicent Anatomici fortasse, sed sensui parum accommodata; de obliquis fibris, & transversis non est, quod loquamur, nam & illæ manifestissime constringunt. Hæc in sua ad me epistola ad verbum doctissimus *Maronea*, cui dubitationi occurrebam ego afferens *Galeni* sententiam 6. de usu par. cap. 8. contractis fibris rectis, reliquis vero omnibus laxis, ac diductis cor videbis dilatari. Illico respondit *Maronea* disputationis serram reciprocando, locum hunc dubitationem non solvere: *Galenum*que hoc dicentem
B se demirari; cum enim cor constringitur fieri lon- 119
gius, cum dilatatur, brevius; ut si rectæ fibræ trahantur lineam cordis circularem rectam efficiunt, atque hoc pacto cor ad centrum trahitur; nam si fibræ, quæ secundum cordis rectitudinem extenduntur, & à basi cordis ad cuspidem ipsius porriguntur trahantur, cor quidem brevius fiet, non tamen dilatabitur, immo constringetur; quod ita (inquit) mihi videtur notum, ut probatione non indigeat ob ipsius cordis figuram. Mox mathematice idem ostendit, proposita figura triangulari rectilinea; quam ostensionem consulto prætermitto propositæ mihi brevitati studens: cum *Hieronymo*, *Fabritio*, & *Taliacottio*
C Anatomicis celeberrimis communicata mox difficultate, nullum aliud acceptum responsum præter propositam *Galeni* auctoritatem; quoniam vero *Maronea* ad sensum, & ἀυτοψίαν appellavit, & clam ostendit se in motu cordis sententiam *Aristotelis* sectari, Viros eruditos, & clarissimos Anatomicos hinc excitari velim ad veritatem hac in re accuratius pervestigandam.

CAPUT XII. 120

Hieronymus Ripa.

D INEUNTE fere medicinæ faciundæ Tyrocinio obiit Excell. RIPA superioribus annis, cum magnam sui ingenii, & eruditionis expectationem apud Collegium nostrum, & Urbis nostræ Cives excitasset. Brevem dissertationem de Hominis conceptus, & partus tempore Italico Sermone descriptam in lucem edidit: nec à Poësi alienus fuisse visus; cum Epigrammata ejus complura legantur; in quibus & illud, quo meum nomen, & cognomen anagrammate est complexus; quod suæ fuit veteris erga me benevolentiæ non obscurum argumentum. Drammaticam etiam
E Poësin (Pastoralem vocant) ordiri, & ad exitum perducere in animo habebat; sed mors præpropera, & immatura omnes spes, & studiorum cursum interrupit.

SECTIONIS SECUNDÆ FINIS.

---

121 SECTIO TERTIA.



SUPERSUNT enumerandi aliquot Medici insignes; quorum fama licet non adeo vegeta ad nos pervenerit: non est tamen ea, quæ de his haberi potuit probatorum Auctorum fide subnixa, negligenter prætermittenda.

F

CAPUT I.

Thomas de Vico.

THOMAS de VICO Anno M. CCCC VIC. ob
summam ejus in curandis ægris felicitatem 122
novus in medendo Esculapius vulgo dicebatur: scripta ejus quædam circumferuntur non parum laudanda.

A Spernere solitus noster *Thomas*, ut à senioribus Medicis accepimus, purgationes illas vernas, quibus imminentes morbi præveniuntur, vel veteres eradicantur, vel imminuuntur: abstinentiam, animi hilaritatem, & corporis exercitationem maxima esse remedia prædicabat. Et quoniam perfacetus erat, & morum vivida, & arguta suavitate præditus, sæpe formulam medicam (Receptam vocant) hoc pacto concinnabat, Recipe abstinentiam, exercitium; cum commoti sunt humores in febribus, & putrescunt, tunc usum pharmacorum opportunum judicabat; illius forsitan *Galenici* præcepti memor, raro & nonnisi in magnis necessitatibus purgandum: Sed & B multos febricitantes robustos sine Medicorum ope convalescere observabat, illius Scholæ præcepti memores,

Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant
Hæc tria, mens hilaris, requies, moderata diæta.

Illud *Celsi* in ore habebat, cum eadem omnibus convenire non possint, fere quos ratio non restituit, temeritas adjuvat. Idcirco febres quartanas, & tertianas spurias contumaces, & diuturnas novando, & augendo morbum, & continuam febrem accendendo sæpenumero curabat, cum id quoque circumspecti hominis esse *Celsus* testaretur, posse enim curationem recipere, quod futurum est, ubi id, quod est, non recipit.

123

CAPUT II.

Hieronymus Bagolinus.

HIERONYMUS BAGOLINUS Anno MDXX. Philosophiam ordinariam *Patavii* exposuit: Anno MDXXIIII. medicinam practicam extraordinariam; & in eadem Academia Anno MDXXVII. practicam ordinariam: Annotationes præterea & dubitationes perdoctas in libros Analyticorum *Arist.* scripsit; & libros tres *Syriani Philoxeni* in Methaphy. *Arist.* è græco convertit, qui in eruditorum manibus versantur.

124

CAPUT III.

Jo. Franciscus Burana.

JO. FRANCISCUS BURANA è græco libros Priorum *Arist.* convertit, & præclaris Commentariis illustravit: Nec non ex Arabico *Averrois* Commentaria unà cum textu Philosophi in duos libros posteriorum vertit, quibus lucubrationibus nil illustrandæ logicæ utilius fieri potuisse, omnes Eruditi constanter asseruere.

CAPUT IV.

Petrus Maynardus.

PETRUS MAYNARDUS *Patavii* Anno MDXX. Chirurgiam explicavit, deinde Anno MDXXVII. praxim extraordinariam medicinæ postremo MDXXXXXIIII. theoricam extraordinariam.

CAPUT V.

Hieronymus Pindemontius.

HIERONYMUS PINDEMONTIUS Anno MDXX. Medicinam theoricam publice, *Patavii*, vel 125 *Romæ* est interpretatus; postea *Terracinæ*, & *Epidauri* tamquam optimus Medicus medicinam fecit.

CAPUT VI.

Jo. Baptista Pantinus.

JO. BAPTISTÆ PANTINI scripta in Philosophiam, & Medicinam apud Hæredes extare ajunt nondum excusa.

CAPUT VII.

Julius Maynardus.

JULIUS porro MAYNARDUS *Patavii* Elenchos *Arist.* publice exposuit Anno MDXXIX. quo etiam in Collegium nostrum est cooptatus.

CAPUT VIII.

Petrus Beroldus.

HIC magnus fuit Philosophus, Medicus, & Mathematicus, quocirca cum Academia nostra Philarmonicorum Philosophiæ publicum lectorem requireret, hunc elegit, quo tempore & *Petrus Pitatus* Mathematicus percelebris *Veronæ* Civis Astronomiam ibidem publice profitebatur. 126
C Ajebat Astrologiæ judiciariæ eatenus fidendum, quatenus nos cautiores, & prudentiores in evitandis periculis reddit; Deo cætera permittenda, qui nos liberæ voluntatis munere donavit, ut in manu consilii nostri essemus: alioquin id *Corn. Taciti* in Genethliacos istos valiturum; Genus hominum petentibus infidum, sperantibus fallax, quod in Urbe nostra semper vetabitur, & semper retinebitur.

Cum ad Clarissimum *Mattheolum* exoticarum plantarum Bulbos quosdam, & semina misisset, ut erat illi valde familiaris, & amicitiæ necessitudine devinctus, tum ineuntis anni Calendæ appeterent, ἀντιδωρῷ, strenæ egregiæ Confectionis D pro salute animarum *Beroldum* remuneratus est *Mattheolus*, quæ ex ipsomet Autographo typis excuso ita se se habet.

Radicum { Rectæ Fidei / Synceriffimi cordis / Largissimæ Pietatis }
Rec. Foliorum { Castissimæ Spei / Amplissimæ Misericordiæ / Abundantiss. Clementiæ }
Florum { Violarum Humilitatis / Rosarum Charitatis / Liliorum puritatis }
E
Seminis { Castitatis / Jejuniorum / Eleemosynarum / Orationum } 127
Absynthii Contritionis
Aloes Confessionis
Agarici Satisfactionis
Mirrhæ Pœnitentiæ
Thuris Contemptus mundi } ana libras innumerabiles
Confectionis Matris Christi cum Margaritis
F Specierum { Diapostolorum / Diamartyrum }
Trociscorum Diasanctorum omnium

Misceantur hæc omnia in mortario conscientiæ; Atterantur pistillo doloris; agitentur baculo Justitiæ; cribrentur memoria Passionis Jesu Christi; & cum sacchro divini amoris dissoluto in aqua lachrymarum ad ignem tribulationis, amaritudinis, & patientiæ fiat confectio Cordialis in Morsellis, pura, & sincera men-

mente quotidie masticandis, gustandis, & deglutiendis.

P. Andr. Matthæolus Senensis Med. Goritiæ faciebat MDL.

128 Illud enim etiam Collegii Veronensis laudi adjiciendum præstantissimos ejus Alumnos clinicos, & *Hippocratis* dignos disciplina in sapientia, & pietate, quæ felicitatis fundamenta à *Platone* statuuntur, summum studium collocasse; quam licet in altera vita speremus tum præsentis vitæ virtutibus, tum Dei munere comparandam; ut optime etiam *Plato*, & Platonici eximii sanxerunt, præter illustria, & verissima religionis Christianæ, & Catholicæ testimonia tamen in hac quoque vita ejus gustum haberi non diffitentur, dum Deum ipsum verum scientiæ magistrum, & rerum, quæ sciuntur, auctorem, præ cæteris veneramur. In religiosa igitur sapientia positum summum bonum, quod in hac vita obtineri poterat, putabant nostrates Philosophi, & Medici; nec ullum legitime philosophari posse existimabant; nisi ad pietatem, & Dei cognitionem cum vitæ puritate, & innocentia studia sua omnia referret.

In Epinomide & sæpe alibi.

CAPUT IX.

Alexander Zanchus.

ALEXANDER ZANCHUS Mathematicus, & Poëta adeo insignis fuit, ut non solum
129 vulgo diceretur IL POETINO, sed defunctus laurea corona exornaretur. Multa ejus extant, ut ajunt, apud *Alexandrum Midanum*, & alios, quæ suo tempore in publicam lucem edentur.

CAPUT X.

Alexander Landus.

ALEXANDER LANDUS anno MDXXXVII. cathedram medicinæ Theoricæ extraordinariæ *Patavii* adeptus prælegendi provinciam præclare sustinuit: Hujus optimi Civis, & Medici dictum id memoratur *Joannis Manardi* Epistolas Medicas optimum Typum, & rudimentum Galenicæ medicinæ extitisse; quare inique *Fernelium*, *Sylvium*, *Vessalium*, *Argenterium* fecisse, qui optimis frugibus *Galeni* inventis, proprio potius lolio victitare voluerunt.

CAPUT XI.

Joannes Butyronus.

JOANNES BUTYRONUS de *Ubriachis Patavii* anno MDXXVIII. Librum tertium *Avicennæ* prælegit, & iterum ibidem an-
130 no MDXL. moralem philosophiam summa cum laude est professus.

Cum à multis *Italiæ* Dynastis perhonorifico invitatus, ut ipsis, qua erat singulari in medendo peritia, & dexteritate, medicinam faceret, illud amicis, ut conditionem admitteret, hortantibus ex divini vatis oraculo prompte occinebat: Nolite confidere in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus: illud etiam ex *Seneca*, Id agas ut sis felix non ut videaris, & ut tibi videaris non aliis; Nisi sapienti sua non placent, omnis stultitia laborat fastidio sui.

CAPUT XII.

Joannes Pindemontius.

JOANNES PINDEMONTIUS *Patavii* Librum Elenchorum *Aristotelis* publice exposuit anno MDXXXII.

CAPUT XIII.

Balthassar Aldus.

BALTHASSAR ALDUS *Patavii* moralem Philosophiam anno MDXLIII. publice prælegit doctissimi *Valdanei* amicus, & stu- 131
diorum sub Clarissimo *Montano* consors; ut ex doctissimis *Valdanei* Dialogis intelligitur: qui Hippocratici Medici, & judicio eleganti præditi cum Medicina Philosophiam, & bonas literas conjungendas putarunt.

Mirabatur præstantissimus hic Medicus quo pacto *Galenus* librum quintum Epidemiorum *Hippocrate* indignum pronunciarit, nec *Thessalo*, *Polybo*, aut alicui ex *Hippocratis* Discipulis, vel filiis adscribendum putet; cum *Cornelius Celsus Galeno* vetustior, & gravissimus Auctor, immo latinus fere *Hippocrates* pro legitimo agnoscat lib. VIII. cap. 4. ex historia vulnerati Autonomi, & candore *Hippocratis* ex proprii erroris confessione, ut superius perstrinximus. Historia ex illo lib. V. Epidem. est hujusmodi, Autonomus in Omilo ex capitis vulnere mortuus est decimasexta die, æstate media lapide percussus ex manu secundum comissuras, in medio syncipite. Hoc me latuit sectione opus habere, deceperunt autem me futuræ habentes in se ipsis jaculi læsionem: postea enim perspicuum fiebat; primum quidem in claviculam, postea autem in latus dolor fortis valde, & convulsio in ambas manus venit; in medio enim capitis, & syncipitis habebat ulcus. Sectus autem est decimaquinta, & pus prodiit non multum; menynx autem impu- 132
trida apparebat. Hæc *Hippocrates* eo loco, quæ *Celsum* pro genuinis agnovisse in confesso est.

CAPUT XIV.

Joannes Baptista Puteus.

JO. BAPTISTA PUTEUS *Patavii* anno MDXLIV. Medicinam Theoricam extraordinariam publice summa cum laude prælegit; cujus in Collegio nostro vivunt JULIUS *Puteus* ejus filius, & Jo. BAPTISTA Junior pronepos, Viri sane omni morum, ingenii, & eruditionis laude cumulati.

CAPUT XV.

Laurentius Monselicius.

LAURENTIUS MONSELICIUS tertium librum *Avicennæ* publice *Patavii* est interpretatus anno MDXXXIV.

Ferunt hunc pereruditum Medicum dicere solitum non esse Arabum doctrinam omnino præ *Galeni* doctrina spernendam, illaudato solo sæpe optimas fruges enasci: cum potissimum *Avicennæ* magni Viri errata, quæ putantur, in inter- 133
pretum culpam sint referenda; præstare *Avicennam* ex Arabico fideliter vertere, quam quæ non intelligimus, temere carpere, & vellicare.

Cum *Paulo Crasso* Medico Patavino Clarissimo, qui *Aratæum* nobis è græco convertit, de ungula magnæ Bestiæ pro curando morbo comitiali diu disce-

disceptavit *Monselicius*, ut à *Paterno* accepi; illius enim ungulæ os, & per os sumptum, & gestatum, & annulo inclusum, ita ut carnem tangat, mirandum in modum conferre in eo morbo contendebat *Crassus*. At noster *Monselicius* cum sciret Epilepsiam fieri, vel ab humorum copia, & crassitudine haud perfecte meatus cerebri obstruente, vel mala qualitate halituum, & vaporum cerebrum vellicantium, quo fit ut se se contrahat, quo rem noxiam expellat; ossa combusta, craneum humanum, & ungulam illam pro desiccanda, & digerenda crassiori materia valere, non pro halitu illo exulto contendebat: quin & apud *Dioscoridem* prodi ungularum Asini cinerem per dies multos binis cochlearibus potum Epilepticis conducere, ut necesse non sit è boreali plaga remedia petere. Mirum porro esse ungula non juvari animal ipsummet morbo illo affectum, cujus pars est,
134 alios juvari, quos duntaxat tangit. Quod vero ajunt bestiam illam, ungula contacta aure, sublevari, hoc referendum esse ad succi, vel halitus dimotionem, & dissipationem, quæ concussionem illam sequi possunt, quare non occultæ facultati, sed agitationi illi curationem acceptam referendam. bues & capras eo morbo tentari *Hippocratem* docuisse; & magna Bestia similis est capræ, quæ multis sui corporis partibus illum morbum gignit, Epate si edatur, aut si odor ipsius hauriatur, cornu, & pelle, si quis ea induatur, propterea lege cautum, ne Flamen Dialis capram tangeret *Plutarchus* docet, ne, cum in morbo esset, pollueretur: Verum etiam alii viri docti observarunt perperam Arabas Epilepticis Hædi carnem concessisse, quam *Galenus* in Consilio pro puero epileptico prudenter improbat. Pilos porro, & Jecur rabidi canis ad ejusdem morsum temere adhiberi; cum spiritus, humores, & solida membra eo veneno sint infecta, & lupi rabidi caro, vel igni assata, edentibus rabiem conciliaverit: At Viperæ caro, & Scorpionum dissectorum confert eorum veneno affectis; quia tunc valent optime hujusmodi animalia, cum venenum obtinent; at magna Bestia, cum comitiali affectu laborat, haud bene valet; quare hujusmodi
135 remedium haud omnino certum, nisi vel longo experimento exploretur, vel ad arcanas Vires confugiamus asylum ignarorum creditas, quod & Clariss. *Trincavellio* placuisse *Hieronymus Juliarius*, & *Ludovicus Fumanellus* optimi Collegii nostri Medici, atque ejus olim Auditores mihi dum viverent, sæpe narrarunt.

CAPUT XVI.

Victorius Algarotus.

NEQUE spernendus est VICTORIUS ALGAROTUS, cujus vividum ingenium, & sagax industria utilitati omnium gentium adeo dedita fuere; ut & in Patria, & *Venetiis* privatis Civium curationibus magnus Medicus, & ubique gentium maximus suo frugifero medicamento, quod Pilula *Algaroti* nominari solet, haberetur; edidit commentariolum de ejusdem medicamenti utilitatibus, & præstantia non repudiandum iis, qui & spagiricem Galenica, & rationali methodo subnixam veteri medicinæ, tamquam auxiliares copias, adjungendam existimant.

De Fungorum natura, & causis cum Physico extero dissertationem habuit Medicus hic mei a-
136 mantissimus, quo Collegii nostri Præside sum in idem Collegium anno 1593. cooptatus: ejusdem diffidii me etiam Arbitrum pro sua humanitate constituit.

Contendebat is omne fungorum venenum esse
A adscititium, cum diserte scribat *Dioscorides* fieri venenosos ex clavo ferreo, in quo sit rubigo, aut ex panni marcore, aut ex proxima serpentis caverna, arboribusque quæ noxios pariunt fructus, si juxta istas erumpant; propterea continere nescio quod strigmentum, concretamque pituitam, terraque erutos quam celerrime computrescere, atque marcore vitiari: De iisdem & lib. VI. inter venena *Diosc.* scripsit alios nimirum genere, alios copia lædere, omnes strangulatum suspendio similem concitare, quibus confestim succurrendum. Verum enimvero ex natura propria noxius est fungus, omnis quippe & qui edendo
B est, & qui lethalis è limo, & acescente madentis terræ succo ortum ducit, proinde à *Nicandro* ζύμωνα κακὸν χθονὸς vocatur fungus, quasi terræ fermentum: Est porro fermentum acoris cujusdam frigidi particeps, cum fungis tantam obtinens naturæ sympathiam, ut caudice populi nigræ juxta terram conciso si aqua resolutum infundatur, extemplo fungi progignantur, qui proprie *Ægeritæ* nuncupantur: quod à naturæ Consultis Physicis observatum videtur: si quis ve- 137
ro crudos, vel majori copia quam par foret, voraverit ei strangulatum, animi deliquia, & sudores frigidos invehunt; os quippe ventris angustia
C premitur, & maligna putrescentium fungorum vi vexatur, qui sæpe etiam χολέραν morbum inducunt. Curationem porro *Nicander*, & *Dioscorides* optime persequuntur; quamvis *Horatius* dicat pratensibus optima fungis natura est, aliis male creditur, boletosque & amanitas cæteris bonitate præferant Medicinæ Auctores; omnes tamen ob succum illum limosum, & acidum noxii, sicuti Ægeritæ, laciniæ, ovati, spongioli: ut vero innoxii inter cibaria reddantur pane, nucibus, allio, marathro, ruta condiendi, & corrigendi. Novissimum Gulæ irritamentum vocavit *Plin.* propterea *Martialis* dixit, boletos mittere
D difficile est; nec propterea sequitur boletum esse venenosum; quoniam eo extinctus *Claudius* Imperator, ut quidem rudes conjectant; quoniam is boletus à Locusta veneno fuit infectus, ut occultam necem inferret.

Hoc ego quidem respondi; sed gravior difficultas proposita à Medico *Turco* Socero meo collega præstantissimo: nam diserte *Galenus* omnia frigida venena sola quantitate, non genere lethalia esse profitetur; at lib. VII. simp. fungus frigi- 138
da, & humida planta statuitur, lib. vero V. inter venena genere lethalia recensetur, quem nodum inexplicabilem rebatur. Inveni mox supe-
E rioribus annis à *Vallesio* allatam explicationem; fungum etsi frigidum, non tamen frigore interficere, sed partibus corrodentibus, quas habet admixtas: ut si cum multo succo lactucæ aliquid Arrhenici, aut salivæ Viperæ permisceretur; idcirco fungum cibum frigidum esse, venenum tamen calidum: id ex modo interimendi ostenditur; non enim sopore, stupore, & refrigeratione, ut qui à venenis frigidis, sed anxietatibus ventris, & deliquiis intereunt: quæ forte causa fuit etiam, mea sententia, ut bis de fungis ageret *Dioscor.* lib. IV. ut cibus est, vel medicamen-
F tum frigidum, lib. VI. prout venenum calidum corrosivum. Hæc breviter, ut intelligeremus cum praxi, & actione medica semper Collegas nostros utiles, & necessarias contemplationes miscuisse; quæ ingenium excitant, & prudentiam, acumenque medicum alunt.

Quemadmodum etiam sedulo quæsitum, quid Anochus foret *Theophrasti*, qui capras purgari, cum Euonymum comederent, docet; & præstantissimi hujus ætatis Botanici ignorare videntur pariter quid Onogyros *Nicandri*, quid *Bochus* 139
in

in Virgiliano Culice, quid Commarum; de quo *Scaliger* cum ait ab auctoribus prodi, frondes Ebeni esse Buxo similes, Guajacinas subdit vidimus allatas Commari, Laurusve facie; quo docet Guajacum non esse Ebenum decolorem; quid Pharicum & Toxicum apud *Dioscoridem*, quid Thapsus *Nicandri* in Alexiph. quem Græcus Scholiastes εἶδος Βοτάνης χλωρᾶς esse tradit, herbam intelligi, quæ in Theocrito Poëta legitur tingendis lanis utilem, quo & capillus flavus redditur, existimant doctissimi viri.

Cogitent etiam eruditi herbarii quid πρόμαλος sit in hoc *Apollonii* versu

Ἑξείης πρόμαλοί τε καὶ ἰτέαι ἐκπεφύασιν

Monet quidem *Casaubonus* Promalum non esse agnum castum, vel viticem, non fruticem, sed affinem salici, & vitici arborem: narrare *Apollonium* lib. III. solitos Colchos mares mortuos suspendere à summis Promalis, & salicibus, Ælianum in eadem historia dicere ἐκ τῶν δένδρων ἀναρτᾶν ex arboribus scilicet suspendere: sed quid revera sit non explicat *Gallus* ille literator in pererudito Theocriticarum lectionum libello: *Lobellium*, *Bauhinum*, *Fabrum*, *Columnam*, *Ponam*, *Prevotium*, *Spigellium*, alios, rei Botanicæ peritissimos res ipsa monere debet, ne diutius nos su-
140 spensos teneant. Hisce de rebus ad Clarissimum *Guarinonium Pragæ* degentem superioribus annis scripseram, ut sua summa eruditione, & Græcæ linguæ peritia aliquid luminis afferret; cujus eximiam humanitatem sæpe fueram antea expertus, sed ob senectutis morbos morte præventus mihi gratificari non potuit.

Hos igitur oratos velim solertes, & peritos *Europæ* Herbarios, postquam *Guilandinus*, *Mattheolus*, *Gesnerus*, *Aldobrandus* jam diem suum obierunt, ut in commune prodant, quarum Plantarum notionem sub prædictis nominibus comprehendere debeamus; ita enim sibi persuadeant, non modio, non trimodio, sed ipso pleno horreo in studiosos, & doctos Viros se liberales futuros.

CAPUT XVII.

Marsilius Cagnatus.

HIC Viros eruditos velim, ut pro æquo, & bono judicent, an MARSILIUS CAGNATUS Civis noster, qui *Romæ* summa cum laude Medicinam & fecit, & publice est professus, in nostrum Collegium cooptatus dici possit; qui per literas suas ad *Alexandrum Peccanam* olim ejus
141 Auditorem *Romæ*, nostrum Collegam, cum Collegium modeste petiisset, antequam hoc in ejus gratiam convocaretur, ille diem suum obiit *Romæ*.

Marsilius Cagnatus Civis Veronensis Medicus, & Philosophus eum *Patavii* sub Clarissimo *Paterno* sedulam operam puriori, & solidiori *Hippocratis*, & *Galeni* medicinæ dedisset, & publice per triduum disputatis thesibus ejusdem Doctoris Auspiciis; qui *Marsilium* paterno amore complectebatur, lauream, & insigne auctoramentum medicum, & philosophicum esset adeptus, ut doctrinæ, & industriæ suæ illustrius, & augustius Theatrum nancisceretur, *Romam* se contulit, ubi e vestigio ejus virtute, doctrina, & ingenio perspectis, in arctissimam *Alexandri Petronii* Medici Pontificii, & summæ auctoritatis familiaritatem fuit admissus, mox Xenodochii Sancti Spiritus Medicus sibi coadjutor est electus, quo defuncto ad summam nominis celebritatem quà legendo, qua curando, qua scribendo in Amplissima Urbe pervenit. Cardinalium Sanctæ Severinæ, *Salviati*, ac *Valerii* ordinarius fuit Medicus, aliorum etiam Cardinalium, Pontificum Summorum, ac Nobilium Virorum curationibus præfuit. De ordine in cibis servando, & variarum observationum Libros præclaros conscripsit, 142
in quibus multa decreta doctissimi *Mercurialis* ad examen revocat, & perspicacis judicii trutina discutit, & refellit; De Continentia, & Gymnastica libros egregios edidit; De inundatione Tyberis; De salubritate aëris Romani; & de Epidemicis quorundam annorum morbis luculenta Syntagmata; expectabantur etiam post ejus obitum Commentaria in Aphorismos *Hippocratis*; præterea etiam quæstiones de tota Arte Medica; & alia complura, ubi multa præter communem *Galeni*, & aliorum expositorum normam explicata ferebantur.

Hic vere magnus Medicus scientiarum omnium perelegantem Encyclopædiam sibi comparandam censuit; nam præter Philosophiæ, & Medicinæ exquisitam notitiam disciplinas Mathematicas præclare calluit, cum & Ephemeridas scripserit; linguæ Græcæ, & Latinæ peritia, & adamussim, & plenissime floruit; antiquitatem omnem, & Historiam optime novit; Poëtica, & Oratoria facultate plane animum excoluit, quod declarant in *Laurentium* unicum filium defunctum paternæ, & funebres lucubrationes: In primaria Gymnasii Romani Cathedra Medicinam docuit, & Protomedici titulo sæpissime fuit cohonestatus; Sed profecto hic tantus Medicus tam celebris, & 143
propriis ornamentis ad unguem excultus magnam sibi deesse dignitatis, & honoris partem existimavit, cum ob absentiam continuam à Patria, nondum fuisset à Clarissimo Collegio nostro cooptatus.

Ingravescente ergo ætate plenus honorum, & percelebris existimationis hoc sibi ornamentum, & solidam laudem procurandam existimavit; quod sane beneficium à Collegis nostris veræ, non fucatæ Virtutis, amantibus facillime impetrasset; nisi immatura, ac veluti improvisa morte è vivis esset subreptus: ut nihil in rebus humanis firmi, & certi in fracta, & laboribus elisa ætate, & corporis temperatione existit.

Scripsit hic Vir doctissimus inter cætera præclara ingenii sui monumenta Commentarium ad XXIV. Aphorism. secundæ Sectionis, Septenorum quartus est index, quo omnium expositorum, & *Galeni* potissimum de diebus criticis doctrinam visus est evertere; cum quartum diem non indicem septimi, sic de aliis quartis esse profitetur, sed contemplabilem, & conspicuum, ita enim vocem ἐπίδηλον (qua usus *Hippocrates*) exposuit, & τῶν ἑπτὰ, non septimi diei, sed inter septem dies, quartum esse contemplabilem, 144
in quo natura, & morbus aliquod mutationis signum det interpretatur; quod ingeniose ex orationis græcæ proprietate probatum vult. Pro *Galeni* sententia si diutius vixisset, clarissimus *Guarinonius* scripturus erat; ut me ipse *Praga* literis datis paulo ante obitum admonuerat, cum de hac nova, & paradoxa expositione ipsum certiorem fecissem; & profecto dici poterat τῶν ἑπτὰ omnium septenorum dierum exponendum esse, quorum quartus dies sit index, sed non est hujus loci de hac re enucleatius agere, pleniori Commentario alias forsitan defendendi *Galeni*, & communem doctrinam provinciam libenter suscipiemus: Sicuti & *Hippocratem* dum Autumnum noxium, & insalubrem ob aëris inæqualitatem statuit: cum contra *Cagnatus* temperatum tempus esse existimet; quoniam tam accessu, quam recessu Solis temperies in Aerem intro-

introducitur; quam certe rationem parum fir-
mam cum tota sua hac paradoxa sententia contra
Galenum, *Hippocratem*, experientiam ipsam, nos
peculiari Diatriba alias rejectam voluimus.

Illud sane prudenter per literas (quas sane mul-
tas ad me vivens scripsit) cum secum de calculo-
so affectu *Aloysii Rodulphi* Canonici clarissimi con-
sultarem, monuit, nihil æque in vesicæ calculo
obesse, quam usum Balneorum, nam abrasis, &
145 detersis à lapide mucis, & ab interiori vesicæ tu-
nica, dolores ex asperitate, & inæqualitate cal-
culi fieri acriores, & acerbiores. Illud etiam
Romæ frequens in ore habebat vesicæ calculum
ægre aliquando deprehendi posse per cathete-
rem, aut candellam, adeo ut Medici existiment
dolorem, urinæ acrimoniam, dysuriam ab in-
flammatione colli vesicæ, vel levi ulceratione
ortum ducere: In iis tamen, qui mortui sunt,
& dissecti, calculi sunt inventi, quod *Rodulpho*
Canonico contigit, in cujus dissecta vesica tres
calculos durissimos, vel ovorum instar grandio-
res invenimus. Satius ergo, & consultius esse
vereri semper, ne subsit calculus, cum illa si-
gna comparent, tametsi copiose mingant sine
ulla crassi humoris subsidentia, quale lotium
prædicti Canonici per trium fere annorum in-
terstitium semper fuit à me observatum: cum
assidue, & fere quotidie ejus curationi interes-
sem. Suos Auditores, quos *Romæ* plurimos, &
ingeniosos habebat, sæpenumero hortatum ac-
cepimus ut usum, & experientiam methodo
adjungerent, utramque seorsim nihil conduce-
re; alterius sic altera poscit opem res, & con-
146 jurat amice, hallucinari valde, qui se Medicos
præcellentes futuros ex Commentariis, & solis
libris existimant: ab usu, & exercitatione pe-
tendum subsidium potissimum consulebat: quam
enim inauspicato, & ridicule in quibusque ar-
tibus, & disciplinis is versetur, qui duabus his-
ce rebus non utitur, in universalibus metho-
do, in particularibus exercitatione *Galenus* ab-
unde docuit; cum Medicum describit tabe con-
fectum periisse, qui amissis libris, nullam amplius
poterat pharmacorum compositionem in prom-
ptu habere.

In variis observationibus de multis rebus lon-
ge aliter sensit, quam *Mercurialis*; illud admi-
rationem non exiguam peperit, quod ambo Vi-
ri ingenio, & judicio præstantes ad experien-
tiam provocant, *Cagnatus* enim salem, oleo
non liquescere, cum *Aristotele* lib. IV. meteo-
rum docet, & *Columellæ* testimonio comprobat
Oleum congelatum cum Amurca, sale ab omni
vitio separantis, à quo nullum recipit saporem
ipsummet oleum: alter oscitantium *Aristoteli* au-
dacter adscribit, quod scripserit Νίτρον, καὶ ἅλες
λυτὰ ὑγρῷ οὐ παντὶ, ἀλλὰ ψυχρῷ, salem scil. &
nitrum humore solvi non omni, sed frigido;
at sensui manifestum est (ait) ea non solum
humore frigido, sed calido dissolvi, quin etiam
ab oleo, quod temperamenti est aërei, tam
147 naturæ suæ vi, quam igne calefacto liquesce-
re. Verum cum *Cagnati* argumentis se convi-
ctum cerneret, in secunda variarum lectionum
editione solo oleo non dissolvi salem scripsit;
quod statim fundum petat, ibique omni hu-
more privatum minime liquari valeat; oleum
enim rosatum salitum alio humore permisto à
Medicis fieri; sed frigida visa excusatio, cum
potissimum rerum natura per se investigatur:
quamquam & *Aristotelis* defensio aliqua à *Ca-
gnato* desiderare quis poterat in illa nitri, &
salis à solo humore frigido eliquatione; quæ
tamen omnia opportuniore loco a nobis sunt
enodata.

A Paucis antequam obiret mensibus, per literas
certiorem me fecerat *Cagnatus* Medicum Roma-
num gravissimum refricasse secum disputationem
de Ordine in cibis servando, quem inanem esse
adversus *Galenum* ille contendebat; osculum enim
inferius ventris ita claudi ingesto cibo, ut nisi,
hoc integre permutato, & in chylum converso,
aperiatur; quemadmodum nec uterus semine con-
cepto, nunquam (nisi perfecto fœtu) reseratur:
ut igitur in chylum eliquescat cibus permisceri,
& confundi totum, ut nihil referat primum, aut
postremum aliquid admitti; excipiuntur adstrin-
gentia, quæ ultimo loco accepta os ventriculi 148
B claudunt, & coctionem juvant. Respondebat
doctissimus *Cagnatus* *Galenum* scribentem ventris
os inferius instar uteri claudi intelligendum clau-
sum manere, donec nihil adhuc est concoctum;
ubi quid jam coctum est, aperiri, nihil prohibe-
re: at uterus uno tantum ore præditus est nec
eodem tempore accipit, ac reddit, ut venter,
sed arctissime ejus os occluditur, donec jam per-
fecto fœtu aperiatur. Illud etiam subnectebat
aggredi ventrem omnium ciborum coctionem,
sed non æque celeriter omnes conficere; sic vi-
tulinam carnem citius bubula coqui, quamvis in
eodem lebete eidem sint igni admotæ, *Hippocra-
C tes* diserte Βρώματα τὰ μὲν ταχέως, τὰ δὲ ἐναντίως
κρατεῖται, cibos scilicet partim celeriter superari,
partim è contra. Cibos ergo alvum mollientes
cacochymos, & corruptu faciles primo, adstrin-
gentes postremo loco assumendos: idque ex *Ga-
leni* præscripto ad sanitatem tuendam esse, oppi-
do quam conducibile. Ordinem enim servandum
in cibis *Galenus* censuit; quoniam inter causas læ-
sæ coctionis, & eas, ob quas diutius, quam par
sit in ventre morentur excrementa, incongruum
ciborum ordinem reposuit 3. lib. de sympt. cau-
sis, & 5. loc. affect. Mirabatur porro præstan-
tissimus *Cagnatus* sibi refricari quæstionem hanc; 149
D cum difficiles omnes, & obscuros modos, & du-
bitationes in privata sua, atque in lucem edita
Disputatione de ordine in cibis servando accuratis-
sime dissolvisset, & adamussim explicasset. Verum ita
profecto comparatum est quorundam ingenium,
ut quam semel mordicus imbiberunt rationem,
vel sententiam eam nullis machinis oppugnari pos-
se existiment: adeo plerumque interest (ait Au-
ctor gravissimus) non quid dicatur, sed qua exi-
stimatione qui dicit, habeatur; ut autem veritas
sibi semper constat, sic contra Mendacio evenit
in varios errores dilabi. *Cagnatus* enim suorum
studiorum laude contentus externum omnem o-
E stentandæ personæ apparatum, & veluti literatu-
ræ nundinationem spernebat.

In iisdem ad me literis pollicebatur (si vita su-
pererat) scripturum se adversus eos Medicos *Hi-
spanos*, & *Neapolitanos*, qui febre acuta laboran-
tes usque ad 6. diem tenuissimo victu alunt; mox
prope vigorem plenius ovis, & carnibus ad sani-
tatem usque modo subsequatur; eo argumento
permoti, quoniam hoc tempore ob delicias, ve-
nerem, & pleniorem ingurgitationem multa in
primis vasis congerantur extra, quæ ante omnia
clysmatis lenientibus, & purgantibus pharmacis,
& tenui victu ejicienda prope statum uberius a-
F lendum, ut vires robustiores redditæ morbum 150
devincant: quæ omnia certissimis *Hippocratis* de-
cretis aperte refragantur prima aphorismorum Se-
ctione. Respondi ego hoc recentiorum Medi-
corum dogma optime refutatum à Clarissimo *Se-
ptalio* Mediolanensi Medico fuisse in Comm. pro-
blem. ut fere novæ confutationi locus non sit re-
lictus.

Illud tertio loco adjectum, suspectam sibi esse
notam morituri ex capitis vulnere, in adversa
sci-

scilicet parte convelli, quæ lib. de capitis vulneribus ab *Hippocrate* prodita, à *Vido* etiam *Vidio* omni ratione carere existimatam. Rescripsi à doctissimo *Vallesio* præclare omnem difficultatem tolli; hæc enim ille in Comment. lib. v. Epidem. Hipp. Est vero magnum periculum in hoc erratico motu retrocedendi, & ipsa causa, qua non recipitur, gravis est; nam & si *Galenus* id dicit fieri, quod Medici repercutientibus nimis utantur, ego, & citra hanc occasionem fieri puto, cum partis facultas emoritur & alimentum non recipit; contrahitur enim, ac proinde neque redundantem succum potest recipere: Itaque contraria parte convelli, ac tumore, & dolore affici grave esset, eadem vero parte non admodum, quibus enim
151 tumores in ulceribus apparent non valde convelluntur, nec insaniunt, ut in Aphorismis optime ab *Hippocrate* traditum.

His igitur præclaris Artis meditationibus senectutem suam recreabat *Cagnatus*; verissimeque à *Cicerone* dictum convincebat; nihil esse tam proprium hominis, quam scire velle, & verum videre in omni re: Dicere solitus. Quemadmodum ex parietinarum, & monumentorum commissuris steriles ficus solent erumpere; ita quo quisque ineptior, de rebus seriis eo scribit audacius, scriptaque sua in lucem emittit. Scite à Plinio in Epistolis dici, Recta ingenia debilitat verecundia; perversa confirmat audacia. Adversus istos docte *Persius*, & satyrice,

Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quo semel intus
Innata est, rupto jecore exierit caprificus.

Ambitiosa quippe eruditio caprifico assimilatur, quæ ventosa, & vana à *Tertulliano* nuncupatur. Et quam plerique & si non bene scribunt, bene tamen de rebus judicant; id Symmachi Auctoris disertissimi in promptu habebat. Intelligendi natura indulgentius patet, alioqui præclara rerum paucis probarentur, si boni cujusque sensus etiam
152 ad impares non veniret. Sæpissime mirabatur *Cagnatus* in nonnullis hominibus vim rationis adeò perturbationum fluctibus obrui, vel corporis voluptate labefactari, ut in eos *Plotini* dictum optime quadraret Ἄνθρωποι οἱ ἐμμανῶς ἐνεργοῦνται κατὰ τὰς θρεπτικὰς δυνάμεις κινδυνεύουσιν ἀποδενδροθεῖναι, homines scilicet qui vehementius quam par est altricis animæ vires exercent, ne plantæ fiant, valde periclitantur: summam hominis perfectionem in eo sitam, ut juxta præscriptum rationis agat, quam minimum appetitui, & cupiditati indulgeat, iis nimirum in rebus, quæ ad vitæ conservationem faciunt, ita futurum *Aristotelis* votum certum, & ratum: Πάντων δὲ ἁμιλλωμένων πρὸς τὸ καλὸν, καὶ διατεινομένων τὰ κάλλιστα πράττειν, κοινῇ τ' ἂν παντὶ εἴη τὰ δέοντα, καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν εἴπερ ἡ ἀρετὴ τοιοῦτον ἐστιν,
Si omnes (inquit) ad honesta certarent, honestissimaque agere contenderent: & publice omnibus opportuna, & privatim singulis maxima bona evenirent: si quidem tale quid est Virtus.

9, Mor. Nich. cap. 8.

153

CAPUT XVIII.

Gerardus Rambaldus.

CUM hæc scripsissem, commodum sum ab amicis Viris ornatissimis, & Collegii nostri perstudiosis admonitus in nobilissima *Rambaldorum Veronensi* familia morum, & doctrinæ fama viguisse GERARDUM hunc; qui Philosophiæ, & Medicinæ Doctor *Patavii* renunciatus, cum aliquot annis *Veronæ* non sine summi ingenii laude
A vixisset, *Romam*, quo cælitus vocabatur, se contulit, & Civitatensis Episcopus (*Lucæ Gaurici* successor) est creatus: ea Civitas (ut ferunt) in ea mediterranea *Apuliæ* Provinciæ parte sita, quæ *Benevento* subjacet; antiqui *Theanum Apulum* dixerunt, ut à *Theano Sidicino* dignosceretur; in temporalibus, ut vocant, Regi *Neapolis*; in spiritualibus Summo Pontifici subjecta. Jam vero qui Pontifici de more doctissimi *Rambaldi* conditionem, mores, & merita recenset, ut Episcopatus Sacris initiaretur, hæc ad verbum testatus; ut ex manuscripta attestatione collegi, quæ apud nobilissimos hæredes religiose asservatur. Dominus autem *Gerardus* promovendus est artium Doctor: ex nobili *Rambaldorum* familia in nobilissi- 154
ma *Veronensi* Civitate natus annum agens XXXIX. legitimis ortus natalibus in humanioribus Philosophiæ, & Medicinæ studiis, & in omni scientiarum genere ita ab ineunte ætate versatus, ut pauci fortasse sint, qui cum eo conferri possint, nonnihil etiam sacris literis operæ dedit. Vitæ, & morum sanctitate certe insignis, & tandem is, cui & melior Ecclesia, & major cura demandari possit.

Cæterum & anno MDL, & MDLII. Concilio Tridentino interfuit in intimam amicitiam
C *Marcelli Cervini* Sanctæ Crucis Cardinalis Legati adscitus, qui postea Pontifex Maximus creatus, cui & suarum lucubrationum *Theologicarum* partem nuncupaverat *Rambaldus*: & cum maximorum Cardinalium amicitia floreret, quibus probe cogniti ejus mores, & doctrina fuerant. Inter eos *Raynutius Farnesius* Sancti Angeli Cardinalis, & Archiepiscopus *Ravennæ*, *Gerardum* adeo dilexit, & plurimi fecit, ut dignissimum judicaret: cui tanti Archiepiscopatus cura, & regimen committeretur, idcirco Vicarii titulo (Suffraganeum vocant) eo mittendum censuit; quo munere summo, fidelique studio, & dili-
D gentia, & mirifica divini cultus provehendi, & propagandi cupiditate, atque ardore per aliquot annos perfunctus est *Rambaldus* noster: Syntag- 155
mata, & Dialogos doctissimos adversus hæreses conscripsit, quæ manuscripta apud Cardinales, quibus ea dedicaverat, extare ferebantur, ut ob hujus eximiæ doctrinæ, & literaturæ apicem literati Episcopi cognomento passim designaretur, Italice, in Romana Aula, Il Prelato letterato.

Cum forte fortuna *Romæ* Cardinalis *Raynutius* gravi conflictatus morbo decumberet, injunctum onus *Rambaldo*, utpote qui Medicus autem exti-
E terat, ut *Veronam* morbi naturam, & symptomata omnia ad unguem literis consignata ad tres illius tempestatis Clarissimos Medicos transmitteret, *Fracastorium*, *Montanum*, *Antonium Fumanellum*; quorum unusquisque singillatim propriam consultationem conscripsit: *Fracastorii* porro visa omnibus cordatis Viris subtiliter scripta, & Theoretica doctrina referta consultatio: *Montani* gravis, & valde accurata: *Fumanelli* judicio exacto, & in Medicinæ praxi elimato subnixa, ut nihil obstare, aut deesse videretur; quin ipsius consilium summum fructum, summamque opem languenti Principi posset afferre.

F Romanis Aulicis, & Proceribus sæpe inculcabat valetudini indulgendum esse, quæ quinque res postulabat. Πέψιν, ἀλυπίαν, περίπατον, σύμμε- 156
τρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας, hoc est concoctionem, hilaritatem, ambulationem mediocrem, oblectationem, alvi facilitatem, ut ad Tironem scribens *M. Tullius* monuit. Quatuor vitæ civilis elementa esse Dei timorem, prudentiam, gratitudinem, decorum profitebatur, omnium artium liberalium, & scientiarum infirmam esse

A. Chioccus. D 2 glo-

gloriam; nisi perpetuo erga Deum O. M. amore, studioque fulciatur; illum à quo uno, quæ vere bona sunt, emanant omnia, humanis rebus, quæ fluxæ nimis, & casibus obnoxiæ, esse anteponendum.

CAPUT XIX.

Franciscus Brognonicus.

CUM hucusque scribendo pervenissem anno 1619. ecce tibi à maligna, & acuta febre FRANCISCUS BROGNONICUS Medicus Compater meus, immatura morte præripitur; cum apud nos magnum sibi nomen, quà Chirurgico judicio, quà praxi medica præclare exercenda, sibi conciliasset. Apud ejus Fratrem ferunt latere scripta illius quædam medica, potissimum anatomica, & chirurgica, quæ si lucem aliquando viderint, non obscurum nobilissimi Medici ingenii, & industriæ specimen medicis omnibus, & bonarum literarum studiosis præ se ferent.

157 Cum Medici quidam exteri Religioso Viro usum Veneris pro vertigine, & affectu melancholico leniendis consuluissent, ipse duobus libellis, qui propediem in lucem edentur, omnem Venerem (excepto matrimonio) ostendi noxiam, & valetudini incommodam existere; quod *Brognonico* paradoxum visum; cum *Galenus*, & veteres Auctores viderentur asserere seminis retentionem desperabundos, & melancholicos homines efficere, phlegmonem testium, & dysuriam invehere. Respondi breviter, semine testes nutriri, eo virile robur, & masculam vim Viris conciliari, ideo servandum esse; spontaneam pollutionem per somnia satis esse ad tuendam sanitatem (dum quod superfluit demitur) illam in conjugio præveniendam esse ob liberorum naturalem, & legitimam procreationem: semen è duplici parte constare corpulenta, sanguine scilicet purissimo, & bene concocto, & spiritali, vitalibus scilicet spiritibus, qui fœcundum id reddunt, titillationem, tentiginem, & ὀργασμὸν vasis conciliant: per magnos, & vehementes labores, pro virium ratione, exhauriendam, vel imminuendam hanc geminam materiam, antequam ad testes pro efficiendo, & elaborando uberiori semine concur-
158 rat; à veteribus probatis auctoribus, *Platone*, atque aliis Viris classicis exercitium corporis hac in re abstinentiæ magna ex parte præpositum. Verum & vehementi mentis applicatione, & meditatione, qua in operibus contemplationis, vel actionis utimur, hujusmodi viro cordato indigna ludibria facile averti, quæ & à græcis ἀνόητα vocantur, quasi dementem virum reddant, & à rationis potestate dejiciant, quod est obbrutescere.

Cum porro semen sit excrementum utile sanguinis optime elaborati, ex quo partes alantur ex *Aristotele*; non est mirum si retentum in venis (dum seminis copia distenta sunt vasa) aduratur, & atræ bilis naturam recipiat, & melancholicos homines reddat; cum ob nimiam ubertatem non sit alendo, sed omnino redundet, & supervacuum fit.

Hæc fusius in nostris libellis, quæ à *Brognonico*, si diutius vitam protraxisset, conscripta disputatione vel refellenda erant, vel uberius illustranda; quemadmodum flabris appositis flamma illustrius lucet: Verum profecto nimis præpropera mors virum præstantis ingenii, & praxi medica clarum, chirurgicæ doctrinæ studiosissimum, moribus nobilissimis, & humanitate, & charitate in pauperes potissimum conspicuum (proh dolor) eripuit.

Defuncti extra Collegium Medici, 159
Sed à Collegio approbati.

CAPUT I.

Jo. Baptista Pona.

NEC defuncti extra Collegium Medici, sed ab eodem Collegio per consuetum examen approbati sua laude sunt defraudandi: sæpe enim quos fortuna suis præsidiis destituit, virtus, ingenium, & industria, & indefessi in studiis labores suis ornamentis cohonestant. Et Veronense Collegium eo est præditum morum candore, & magnanimitate, & in probos, & doctos Viros paterna veluti benevolentia; ut non solum hos amplectatur, & præclaro virtutis testimonio exornet; sed edito specimine disputationis, vel scriptionis publice in Medicorum numerum, & Cætum Collegii nostri hos prompte cooptet, quod & in *Guarinonio*, *Valdaneo*, & *Turco*, aliisque factum.

Ex iis Jo. BAPTISTA PONA à Collegio illustri examine approbatus mirificos ingenii, & erudi- 160
tionis fructus per multos annos edidit, tum in Academia Philarmonicorum publice prælegendo, tum scribendo varia partim Poëtica, partim Philosophica; In Poësia enim *Etrusca*, & Lucretiana purioris latinitatis egregie excelluit; In prosa etiam ad *Boccatii*, & *Casæ* venustatem elimata primas partes ferebat, ita ut *Franciscus Auricalchus* magnus Academicus novum ipsum *Petrarcham*, & *Boccatium* Veronenses appellaret: tanti refert probos non inertes imitari, nec proprio ingenio fidere bonorum imitatione minime exculto, à quo pro vero tritico infelix lolium sæpe producitur; immatura morte præreptus reliquit opusculum Diatribarum perelegans, de intellectu agente, De Aëris natura, an salsa nutriendo sint, de voluptate, & Carmina Heroica Latina valde pulchra, quæ omnia sunt impressa una cum *Thireno* Pastorali, quam cum Pastore fido *Guarini*, & *Tassi Aminta* comparandam, & ob venustatem, candoremque præferendam harum rerum æqui æstimatores facile judicabunt.

Frater hic fuit *Joannis Ponæ* Pharmacopœi, & Botanici ornatissimi; qui nuper Italico Commentario à *Dioscoride* descriptum Balsamum perspicue, & solide illustravit: cui id adjectum velim, me forte fortuna in *Martialis* Epigramma incidisse audita dudum; cujus ope exterorum non- 161
nullorum Seplasiariorum dubitatio facile dilui potest: Objiciunt enim Balsamum à Collegio nostro approbatum carere eximia illa suavitate, quam omnes fere veteres, *Salomon*, & *Plinius* præcipue, ei attribuunt; quibus & si sat erat dicere *Dioscoridem* accuratissimum materiæ medicæ interpretem, & scriptorem solum εὔτονον τῇ ὀσμῇ agnoscere Balsamum cum reliquis propriis, & genuinis notis, quas nos etiam in *Musæo Calceolario* luculento superiori anno explicavimus. Auctarii loco id tamen subjicimus *Martialem*, qui ritus veteres ad unguem expressit in Opobalsamo Lasso, hoc est digitis attrito (ut optime exposuit *Domitius Calderinus* nostras Italice dicimus Stropicciato) odoris suavitatem, & fragrantiam cognovisse; quod factitasse antiquos verisimile est, ut illius succi vim odoriferam excitarent. Versus *Martialis* sunt lib. XI.

Lassa quod externi spirent Opobalsama Drauci,
Ultima Corycio quæ cadit aura Croco, &c.

Lassa attritu, quoniam unguenta attritu fragrant; alii legebant, Lapsa pro labentia, nam Opobalsama labuntur, quæ lectio repudianda est, cum in eodem

dem Epigrammate eadem vox à *Martiali* usurpetur, cum ait,

162 *Quod modo divitibus lapsa Corona comis.*

Aliquis curiosus ambigat, cur hæc nota non est à Diosc. posita, ut scil. attritu Opobalsamum suaviter fragret? Dicendum mea sententia rem vulgatam, & fere vulgarem suo tempore consulto omisisse *Dioscoridem* artifice, cordatum qui serio res tractat: præterea de Balsamo scripsisse, prout medico usui inseruit, non hominum deliciis fovendis, aut exaggerandis, odoris igitur firmitatem, & εὐτονίαν, quæ integrum, & sincerum nobis Balsamum repræsentat, prætulit suavitati, quæ Opobalsamum attritum, & debilitatum manibus, deliciis tantum, non usui medico accommodatum exhibet: hujus attritus cum D. *Jo. Pona* periculum feci, & suavissimum odorem percepi; qui ex attritu auctis caloris gradibus forte obveniebat. Hæc pauca *Musæo Calceolario*, & Commentario illi adjungenda censuimus.

CAPUT II.

Valerius Badilius.

Verum & VALERIUS BADILIUS, qui valde juvenis Medicus est defunctus; cum librum suum de secanda vena in pueris ante decimum
163 quartum annum Collegio nostro dedicaret; quod argumentum illius ingenium ad Medicinam affabrefactum optime aperuit, hæc ad verbum in nuncupatoria ad Collegium Epistola habet:

Decet autem Vos, & non alios hæc judicare, Vos, qui alias de me optime judicastis; rursus Judices habere proposui; Vobis facta est Potestas à *Benedicto* Papa XII. anno salutis 1340. in Medicina, & Artibus idoneos judicare, eosdemque Magistri titulo decorare, hæc *Badilius.* Ut erat in Collegium Veronense miro animi obsequio propensus, qui, si diutius vitam prorogasset, sine controversia gratiose, & humane in ipsum cooptari potuisset: idem evenisset, & doctissimo *Ponæ*, qui ab omnibus Medicis Collegis, à *Guarinono*, & *Maronea* potissimum diligebatur, & magnifiebat; procul enim semota ambitione, & æmulatione vitiosa solo animi candore subnixi, & nobili in virtutem, & doctrinam propensione permoti Collegæ nostri modestos, & eruditos Viros semper sunt amplexati: illum *Hesiodum* spernentes, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων, figulus figulo invidet, & faber fabro.

164 CAPUT III.

De nonnullorum, qui adhuc vivunt, lucubrationibus.

NULLO unquam tempore Dei Opt. Max. manus abbreviata fuit in Collegio nostro exornando, & suis donis augendo: En hoc etiam sæculo vivunt Medici, & Philosophi non indigni tanto Collegio, quorum laudes, quoniam, ut ille ait, pascitur in vivis livor, post fata quiescit, silentio potius videntur esse involvendæ. Suo tempore cum lucubrationes eorum complures ex accuratiore lima, & studio propriam maturitatem adeptæ fuerint, lucem videbunt. Satisque ostendent omnibus, licet à publice profitendi munere destiterint hujus temporis nostrates Medici, ingeniosis tamen operibus, & lucubrationibus, & Collegium, & bonas disciplinas adhuc posse ab iisdem eruditissimis, atque ornatissimis Collegis oppido quam illustrari.

A ET BENEDICTUS CERUTUS Medicus extra Collegium cum *Musæo* Calceolarianum præclare explanaret, incredibili fati sævitia anno 1620. mense Majo è medio est sublatus. Hocce postea *Musæum* cum diu mutum latuisset à me ix. mensium spatio fuse, & luculenter descriptum, 165
& absolutum est; & Serenissimo *Mantuæ* Duci à *Calceolario* Juniore Viro ornatissimo nuncupatum.

CAPUT IV.

Gulielmus Placentinus.

B HÆC jam erant Typis excudenda cum nobiles Viri ex *Placentina*, & *Recalcha* familia de meo hocce labore certiores facti haud passi sunt Gentiles suos Medicos clarissimos silentii tenebris involvi: Ex iis GULIELMUS ex Nobili Placentinorum domo oriundus anno 1277. ingenio, & summa medendi laude floruit; & nominis sui celebritate, ut ex veteri annali illius familiæ collegi, totam *Europam* complevit: *Veronæ* enim publico Civitatis honorario Medicinam est professus. Chirurgicæ artis exactum libellum, & omnem morborum doctrinam, Pathologiam vo-
C cant, cum excussa remediorum sylva, & copia evulgavit, adjectis etiam propriis curationibus, & consiliis Medicis Gentilitium insigne gestabat, cum tribus stellis cæruleo campo utrimque posito, & albo interjecto; adversus Bononiensem Chirurgum percelebrem pro *Hippocrate*, & *Cornelio Celso* patrocinium fertur suscepisse, qui per- 166
cussa una capitis parte, fracturam in adversa parte fieri posse scripserunt; hanc libro de Vulner. capitis calamitatem irreparabilem vocat *Hippocrates*: quoniam partem ictam ostendere quis potest? at fracturam, quam non cognoscit, indicare nequit. In vasis fictilibus, & vitreis id a-
D liquando observatum, ut una parte percussa ad oppositam confringantur. Cæterum Bononiensis Doctor *Paulum Æginetam* sequutus negabat hanc in opposita parte fracturam: quæ enim oppleta humore, aut corpore solido non posse eo pacto diffringi, sicuti quæ solo sunt aëre referta, præterea calvariam ex multis esse ossibus conflatam per futuras simul commissis, ut rupto uno osse ulterius fractura non progrediatur, sed in suturis ipsis, tamquam in termino divisionis, inhibeatur. Sed *Placentinus* facile hujusmodi argumenta eludebat, nam vehementi ictu pars percussa aliquando non frangitur, cum duritie resi-
E stat, sed vim percussionis continuis, vel contiguis partibus communicat, quæ cum sint molliores, facile frangentur; nec calvariæ repletio ex corpore crassiore negotium facescit; quoniam non per aërem intus residentem, sed per ipsam calvariæ continuitatem ictus vis propagatur. Suturæ igitur mediocribus percussionibus obsistent; ve- 167
hementibus cedent. Hoc pacto utcunque defensum *Hippocratem* putavit *Placentinus*, cujus experimenta rejicere piaculare crimen judicant cordati Medici, & Chirurgi.

CAPUT V.

Franciscus Auricalchus.

F HIC nobili Familia oriundus, quæ arctæ etiam affinitatis vinculis cum *Auricalcha* Ferrariensi jungitur, in qua floret in præsentia *Julius* Medicus præclaris lucubrationibus editis, & publico profitendi munere clarissimus: Is igitur *Franciscus* nostras in Gymnasio Patavino Doctoris lauream adeptus ab *Hieronymo Avantio* Philosopho Veronensi publica, & luculenta oratione fuit col-

laudatus, Hypomnematum domesticorum verba A sunt, Publicam orationem in sui laudem obtinuisse ab *Hieronymo Avantio* Philosopho Veronensi, & in Cathedra primum *Patavii* munus philosophandi exercente, Calendis Maji 1493. Typis orationem esse mandatam; cujus encomii peroratio declarat quis & qualis Vir fuerit præstantissimus Vir *Franciscus* mirificis tam animi, quam corporis dotibus exornatus: hactenus Hypo-
168 mnema. Scripsisse fertur de medicamentis selectis, juxta partes affectas, & consultationes Medicas complures; magnis Principibus, & Proceribus ejus in medendo dexteritatem, & singularem scientiam valde probatam fuisse constat. B Cum in quosdam præpingues carne, & sagina confertos incideret, *Celsi* præcepta iis proponebat; extenuat corpus aqua calida, si quis in eam descendat, magisque si salsa est, in jejunio Balneum, inurens Sol, & omnis calor, cura, vigilia. Cum in exsuccos, & macie confectos, alia ejusdem *Celsi* verba, implet corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, & si post Prandium est Balneum. Eos igitur sic dimittebat, nonnullos irridere solitus, qui præter hæc *Celsi* antiquissimi Auctoris præsidia pro iis affectionibus profligandis Therapeutica alia, & secretiora remedia ab Agyrtis ambitiose, & inani- C ter laudata ab ipso perquirerent. Pater hic fuit *Vincentii*, à quo procreatus *Franciscus Auricalchus* Sancti *Ægidii* Prior, qui vivens superioribus annis in Etrusca Poësi, Platonicæ, & Mysticæ Philosophiæ notitia, & varia Encyclopædia paucissimos pares in *Italia*, superiorem forte habuit neminem, nostræ Academiæ Philarmonicæ o-
169 ctuagenarius propemodum Alumnus, quam sæpenumero publice prælegendo Poëticas, & Politicas quæstiones cohonestatam voluit.

Epilogus Libelli.

D VErumenimvero, ut huic libello legitimum colophonem imponamus, & non solum peritior, sed morali admonitione seipso melior ab ejus lectione redeat candidus Lector, quæ in tabella vestibulo *Musæi* doctissimi *Valdanei* affixa oculis, & mente olim hausi, dum tantum Virum admodum junior officii causa sæpe convenirem, hic libenter adscribam, quibus etiam intelligetur, non solum tantum Philosophum lectione, & contemplatione moralem doctrinam complexum, sed actu ipso, & usu per vivida præcepta, & documenta, sese excitasse, & ad virtutum actiones comparasse: ita ergo ex *Platone* potissimum. Vera sapientia est de rebus incorrupte judicare, ut talem unamquamque existimemus, qualis ipsa est, ne vilia sectemur, tamquam pretiosa, aut pretiosa tamquam vilia rejiciamus, ne vituperemus laudanda, neve laudemus vituperium merita: Hinc enim error o- 170
mnis in hominum mentibus, ac vitium oritur, nihilque est in humana vita exitiabilius, quam depravatio illa judiciorum, cum singulis rebus non suum pretium redditur. Quocirca perniciosæ sunt persuasiones vulgi, quod stultissime de rebus judicat, videlicet magnus erroris magister est Populus; nec aliud magis elaborandum est, quam ut sapientiæ studiosum à populari sensu abducamus, & vindicamus. Hæc *Valdaneus* in tabella. Quæ videntur iis consentanea, quæ ex Scholiis Epicteti colliguntur, quæ ad verbum huc transcribam. Enstasis Philosophi est alte spectantem, & ad illam sedem, & æternam domum contuentem neque sermonibus vulgi dare sese, nec in præmiis humanis spem ponere rerum suarum. suis illum illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus; præclare in hanc sententiam D. *Basilius* ὀκ ἔςι ὁ μᾶλλον φευκτέον τῶ σωφρονȣ̃ντι ἢ πρὸς δόξαν ζῆν, quod est, nihil magis fugiendum Viro prudenti, & cordato, quam vitam suam ad vanam vulgi opinionem, & ostentationem instituere; quod levium ingeniorum, & plus æquo inani gloriæ addictorium proprium videtur. Vere sapiens Romanus, Gloria est solida quædam res non expressa, aut adumbrata, & est consentiens laus bonorum, & incorrupta vox bene judicatum de excellenti virtute: quod omnibus Col- 171
legii nostri Medicis, & Philosophis præstantissimis ab ineunte usque ætate promptum, & altius in animo infixum fuisse videtur.

F I N I S.

INDEX ALPHABETICUS,

Medicorum Veronensium, in quo Cognomina, tanquam magis nota, Prænominibus præcedunt.

IN-

INDEX RERUM
& Nominum Notabilium.

Hie-

F I N I S

PAULI CIGALINI,

Patricii Novocomensis, Publici & Primarii in Almo Ticinensi Gymnasio Medicinæ Professoris,

DE

C. PLINII SECUNDI,

Natur. Histor. Scriptoris,

VERA PATRIA,

Ejusdemque

FIDE ET AUCTORITATE,

PRÆLECTIONES,

Ab Antiquitatum Studiosis diu expetitæ.

Editio Novissima, Nitidior, & Emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

ELOGIUM AUCTORIS
e
Teatro d' Huomini Letterati di *Girolamo Ghilini.*

PAOLO CIGALINO.

La famiglia Cigalina nobiliſſima nella Città di Como, produſſe al Mondo in ogni età huomini, che furono in qualunque profeſſione di Lettere, e màſſime nella Medicina celebri, e famoſi; trà queſti fiorì Paolo, che nacque in quella ſua Patria, huomo invero dottiſſimo, e lume chiariſſimo di quella ſcienza, e nel quale furono come due ſimolacri aſſaiſſimo riverite, la candidezza de' nobili coſtumi, e la modeſtia in tutte le ſue azioni: Fù egli primario Lettore di Medicina nell' Univerſità di Pavia, ove laſciò tal fama del ſuo nome, che viverà per ſempre glorioſa con infinita lode nella bocca degli huomini. Era egli in conſiderazione di così eccellente Lettore, come per tale veniva da tutti ammirato, che le ſue dottiſſime Lezioni non furono interrotte mai da fiſchiata, ò ſchiamazzo alcuno, come pure i ſtudenti coſtumano, & hanno ſempre coſtumato di fare congli altri publici Profeſſori. Scriſſe molte opere, le quali a ſufficienza teſtificano il ſuo valore così nella Medicinale profeſſione, come in altre materie di gravi ſcienze, nelle quali potevaſi chiamare univerſale: Trà le altre dunque, ſi vede ſtampata la ſeguente, cioè, De vera Patria C. Plinii Secundi Nat. Hiſt. Script. ejuſdemque Fide, & Auctoritate, Prælectiones; *le quali Lezioni furono da lui fatte nell' Accademia de gli Affidati di Pavia, della qual' era egli Accademico. Viſſe ſettant' anni in circa, e morì nella Città di Pavia, mentre ivi era publico Lettore, l'Anno* 1598. *con gran danno de gl' uditori ſuoi, per il benefizio ineſplicabile, che cavavano dalle ſue Lezioni; Fù dipoi traſportato il ſuo corpo a Como, e nel Duomo di quella ſua Patria hebbe ſepoltura nell' avello de' ſuoi antenati; ſopra di cui ſi vede intagliato queſto Epitaffio.*

ZANINO CIGALINO FRANCISCI F.
MEDICO SCIENTIA, VSV, FAELICITATEQVE, AC DISCIPLINARVM
OMNIVM COGNITIONE SINGVLARI
MARCVS IVRISCONSVLTVS ET PAVLVS MEDICVS
FR. OPTIMO P.
M. D. LXI.
VIXIT ANN. XXXIX. MEN. VIII. D. IV.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.



Plinii secundi cum in *Historia Naturali* apud Eruditos magna sit auctoritas, de ejus Patria inter *Comenses*, & *Veronenses*, qui scilicet eo Cive gloriari queant, insignis orta contentio. Ejus autem expendendæ occasionem *Paulo Cigalino*, Patricio *Novocomensi*, Publ co & Primario in Almo *Ticinensi* Gymnasio Professori, demandata præbuit provincia, cum *Plinium* de Materiæ Medicæ Historia juberetur explicare. Secutus igitur *Cigalinus* morem antiquorum interpretum, de Patria Auctoris sibi propositi quædam observare constituit, *Plinium*que harum Prælectionum priori, erudita concertatione *Comensibus* asseruit. Altera deinde Prælectione iniquas, quæ in *Plinium* excogitatæ erant, criminationes refutavit, ejusdemque Fidem & Auctoritatem pari vindicavit eruditione ac facundia, quæ quantæ in *Cigalino* fuerint, ejusdem hic e regione exhibitum Elogium testabitur. Has postea auctoris nostri, & Patrui sui, Prælectiones *Paulus Franc. Cigalinus* publici juris fieri curavit, ut eædem Anno MDCV *Comi* apud *Hieronymum Frovam* formâ, quæ dicitur *Quarto*, prodirent, *Superiorum permissu*. Ut vero Libri prior Editio ab antiquitatum studiosis fuerat expetita, sic ejusdem editi exemplaria per orbem Literarium plane erant distracta & reddita nunc rarissima. Exhibentur equidem *Cigalini* Prælectiones in Plinii *Historiæ Naturalis* editione, sed minus integræ.

Hinc earumdem iterandam editionem jusserunt Viri magni Nominis, quas etiam nunc reddimus integras, ad priorem editionem typis nostris fideliter exscriptas, ubi omnis adhibita industria, ut hæc editio priori, quantum fieri potuit, prodiret emendatior atque nitidior. Nomina propria, allegationes, inscriptiones, & alia, quæ id requirere videbantur, diversis a contextu exhibuimus literis. Paginas prioris Editionis ad marginem notavimus; cumque in illa numerum 96, omissis 97 & 98, continuo sequeretur 99, idem illud pag. 33 & 34 nostræ editionis, servavimus: maluimus enim hunc prioris editionis errorem sequi, quam Lectoris, qui locum Auctoris ab aliis forte ex priori editione citatum quæreret, laborem reddere molestum. Indicem denique Nominum ac rerum notabiliorum præsenti editioni accommodatum reddimus. Quibus nostris conatibus, Benevole Lector, in Tui gratiam susceptis, felix utere; nobisque fave ac Vale.

Illustrissimo & Reverendissimo D.

D. PTOLOMÆO GALLIO

S. R. E. C.

Episcopo Ostiensi, & Velitrensi, Sacri Collegii Decano,

AC PATRONO SUO COLENDISS.



A vis est beneficiorum, quæ magnitudine singularia, numero infinita in Civitatem Comensem *ad hanc usque diem contulisti, & verò conferre pergis, Cardinalis Amplissime, ut te unum non secus ac optimum patriæ parentem, cum omnes Cives* Novocomenses *præcipua quadam observantia colere, eidemque diutissimè*

incolumitatem optare debeant; tùm verò singuli summo amore diligere, singularique cum fidentia in Patronum adoptare possint. Et ego quidem, qui hac in urbe sic me natum intelligo, ut non sit cur communibus ejus bonis pro copia non fruar, cum ex iis multis præclaris quoque ingenii, doctrinæque monumentis à Paulo Cigalino *Patruo meo relictis, nescio quæ haberem veluti abdita in tenebris, quæ præ cæteris digna luce viderentur. Ea non nisi Illustrissimi tui nominis splendore freta censui proferenda, ut nimirum ejusdem præsidio ab invidorum injuriis vindicaretur Civis* Comensis *fœtus non ignobilis, cujus patrocinio simul* Comum *lætatur, ac gestit universum. Sunt hæc, quæ dixi, lucubrationes illæ, quibus satis superque demonstravit Civem* Comensem *fuisse* C. Plinium Secundum *Naturalis Historiæ auctorem, quem nonnulli perperam* Veronensem *nituntur asserere. Opus illo dignum ingenio, & illa in patriam charitate; sed profectò dignius tui nominis inscriptione. Cujus enim auspiciis æquius in sua patria retinendus fuit nobilissimus in omni antiquitate scriptor, quam ejus, qui ejusdem patriæ annales, ac historias replevit adeo, & illustravit? aut cui potius acceptum referret hoc tempore suum* Plinium *urbs* Novocomensis, *quam illi ipsi, a quo sibi tamquam ab amantissimo parente illustriora bona omnia nostra hac ætate provenisse, & conservata esse cognoscit? Hunc ergo exiguum in specie librum, sed patriæ nostræ non indecorum, ea humanitate ac facilitate, qua* Novocomenses *omnes excipis; eaque benevolentia, qua neminem egregiis Virtutibus addictum non benignissime complecteris, & foves, ab homine* Novocomensi *tibi deditissimo oblatum suscipe, & Illustriss. tui nominis auspiciis patere in lucem prodire, tuoque patrocinio contra omnium maledicorum impetus muniri: ac in memoriam da protegi sempiternam. Vale diu felix tibi, nobisque omnibus* Novocomensibus. *Dat. Comi Calend. Martii* CIↃ IↃCV.

Illustriss. & Reverendiss. D. T.

devotiss. & addictiss.

Paulus Franc. Cigalinus.

IDEM AD LECTOREM.



Mirabere forsan, benignissime Lector, quod sedentarias *Francisci* Avi, Patruique mei *Pauli Cigalini* elucubrationes à præcurrentis *C. Plinii Secundi* controversiæ editione, ab opereque contentionis referto in lucem prodituras enunciari sustinuerim: atque ἀπὸ τῶν δρίκων βρύλλα ἐξαυματεῖσθαι, a tricis, inquam, scirpos enodari voluerim. Attamen in primis perpende, litterarumque notas medullitus matura; tum in operis calce non controversiam præire, non scirpos impexis enodari tricis, non umbris diem collustrari: sed veritatem sole clariorem meridiano anteire, diemque fulgescere, noctis undequaque Cymmeriæ displosis umbris, firmissimo tui oris calculo fatebere. Hic *Panvinii*, & *Panthei* Veronensium antemuralia, & cæterorum penitus inconcussa, quæ nullo unquam ariete demolienda videbantur, verborum lenociniis pro veritatis cœmento compacta, tandem impetita ruunt, & misere collabuntur strata solo, maxima *Novocomensium* meorum laureolæ fastu machina surgente, *Plinio* nostro ad patriam revocato, vel verius in ea defenso, erumpit veritas firmissimis vallata præsidiis. Hoc igitur prævio partu, brevi typum gemellos enixurum promitto, quorum primus erit *de Nobilitate Patriæ* à *Francisco* Avo concinnatus; secundus *Censorini Periphrasis* patrui mei *Pauli*, quæ jam luce frueretur, nisi lustranda denuo fuisset, & ab auctoris fragmentis, quæ apud nos collecta supererant, recollimanda, quam alieni quidam appetens honoris in obitu Patrui subripere miminè veritus est, cui ne Monedulæ ad instar cæterorum avium plumis obtectæ jactationis ansa relinqueretur, ad pristina revocare studui; ut hujus, si prælo presserit, plumis abscedat orbatus, ac si non presserit, pudeat furti, pœniteat editionis. Tertius *de Christi Natali*. Quartus *de Mathematica Præsensione* eodem *Francisco* Avo auctore. Quinctus *de Theriaca*, & aliis rebus medicis, quæ Patruum habent *Paulum* auctorem. Vale lector humanissime, officiosamque scriptoris in suos propensionem, quantulacumque sit, æqui bonique consulas.

APPROBATIONES.

De mandato admodum Reverendi Patris Inquisitoris hunc librum diligenter legi, in quo nihil, quod moribus officiat, vel quod fidei contrarium sit reperi, in cujus fidem subscripsi hic Comi undecimo die Julii. 1604.

Bernardus Solabellus *Societatis Jesu presbyter.*

Nihil obstare meo judicio videtur, quominus hæ duæ Prælectiones imprimi possint.

Septimius Cicero *J. U. D. Can. & Cons.*

Die Julii 13. 1604.

Attenta prædicta attestatione concedimus facultatem inprimendi prædictas prælectiones. In quorum fidem, &c.

F. Petrus Maria Fatigatus *de Urg. Inq. Comi, &c.*

Imprimatur.

Jo. Stephanus Lunatus *Vic. Gen. &c.*



PAUL



1 PAULI CIGALINI,

Patricii Novocomensis, Publici & Primarii in Almo Ticinensi Gymnasio Medicinæ Professoris,

DE

C. PLINII SECUNDI,

Natur. Histor. Scriptoris,

VERA PATRIA

LECTIO PRIMA,

Habita

IN PERILL. AFFIDATORUM ACADEMIA.



QUantum onus, quàm grave, quamque laboriosum mihi subeundum foret, Illustriss. Princeps, vosque viri gravissimi, ac nobilissimi Academici, nec tum ignorabam, cum me *Plinium* de materiæ medicæ historia tractantem de Superiore, & honestissimo hoc loco interpretari jussistis; & nunc, quàm sit difficile,
2 quàm sollicitum, & molestiæ, ac periculi plenum, cum me ad aggrediendum accingo, insigni cum animi mei perturbatione sentio. Cum enim duo mihi primo sese offerant, de quibus agendum videatur, *Plinii* patria quæ fuerit, ac quo sæculo vixerit *Dioscorides Anazarbeus* is, quem in historia medicæ materiæ explicanda olim *Græci* omnes, & *Arabes* æquè probarunt, nunc nemo non auctorem sequitur, & antesignanum: Illud annexam, atque conjunctam habet quandam quæstionem, quam si attigero, neque temporis, neque loci rationem habuisse videri possim. Hoc vero præterquam quod intra constitutos mihi à vobis dicendi cancellos non continetur, etiam vereor ne, si quòd sentio, libere pronuntiavero, cum in eo à communi omnium consensione me penitus subtraxerim, mihi aut plus assumpsisse videar, quam deceat, aut quàm debueram arrogasse, & sermones ea de re minus commodos à vobis incurram, aut potius sub eam graviorem reprehensionem, quasi in eo mihi consilium defuerit, in hoc consilio nihil, temeritate me plurimum posse notum fecerim. Nam quòd antiquos interpretes, quicunque celebriores habiti sunt, de patria eorum, quos sibi ad explicandos proposuissent, aliquid prius constituisse observa-
3 vissem, admonebar præclarum tantorum virorum exemplum sine mea aliqua culpa neglectum iri
A non posse, quod si fuissem imitatus, contentionem quandam inter *Novocomenses* meos, & *Veronenses* non excitatam modo; verum etiam multos annos scriptis exagitatam videbam, aut sine civium meorum offensione non posse dissimulare, vel sine gravi reprehensione præter opinionem vestram, & communem tot lectissimorum juvenum expectationem attingere. Si verò de ætate, qua *Dioscorides* floruisset, egissem, cùm vos consilium meum demiratos hoc mihi fuisse propositum, de quo dicerem, esse inficiaturos, tùm hos adolescentes, quos video frequentes convenisse, de *Dioscoride*, quando vixerit, se non venisse audi-
B turos, sed quid de *Plinii* materiæ medicæ historia sibi à me de superiore hoc loco explicaretur pedum supplosione significaturos. Verum enimverò hoc ejusmodi esse intelligebam, quod neque sine diminutione existimationis vestræ, quæ maxima est, reticeri, neque sine meæ, si qua est, jactura dissimulari posset. Quod enim pervagatum est, & quidem jam diu *Plinium* ex *Dioscoride* pleraque omnia de materia medica à se scriptis consignata exscripsisse, id pro constanti jam receptum, & communi scribentium consensu quo- 4
dammodo sancitum effecit, cum in nonnullis à
C *Dioscoride Plinium* dissentire materiæ medicæ studiosi observavissent, ut furti simul, & inscitiæ ipsum non solum accusare, verum etiam indicta causa condemnare non vererentur; ita vos quidem, Patres, in deligendo auctore, quem in hoc frequenti ingenuorum adolescentium concursu interpretarer, rationem in consilium negligentius adhibuisse videbimini, qui maxime prudenter de rebus omnibus deliberare consuevistis. Ego vero, si quod aliud inconsulte, hoc maxime onus temere suscepisse judicabor, ex quo perspicitis, ut de hoc dicam, non tam meam causam postu-

lare, quam vestra, ut ne id ipsum reticeam, interesse. De patriæ verò *Plinii* habendo sermone ita statuebam, aut si tacerem contra veterem consuetudinem, ac contra pristinum illum continuata tot sæculorum observatione confirmatum interpretum morem esse me facturum; aut si ab antiquo instituto non discederem, conjunctam adeo cum tractatione patriæ, ac quodammodo natura copulatam contentionem hanc nostram, ut una ab altera divelli non possit, esse mihi attingen-
5 dam. Quæ cum ita sint, cum necessitate quadam impellar, ut propositorum neutrum prætermittam: Committite vos, Patres gravissimi, patiamini, studiosi adolescentes, *Plinio* nostro de furto, & inscitia graviter accusato mihi per vos, & humanitatem, ac lenitatem vestram, ut liceat paucis patrocinari. Date officio, date meo erga dulcissimam patriam amori, & gratæ, quæ mihi civium meorum in mente versatur, recordationi concedite, ut illis civem suum, & meum, *Plinium*, quantum in me est, dicendo hodierna die conservem, dignitatem, nobilitatem, ac gloriam tuear, quam in hoc cive agnoscimus minime contemnendam, nec gravemini audire *Novocomensem* de *Plinii* patria *Veronensibus*, *Alexandro Benedicto*, *Torello Sarayna*, *& Onuphrio Panvinio* viris gravissimis, maxime vero *Antonio Pantheo* respondentem nullum non lapidem moventi, quo Tribu sua motum *Plinium*, & in alienam insertum transferat *Veronam*, cujus alioqui opinione mea tanta nobilitas est, tantus splendor, ut ingentium molium structura, ædium elegantia, fertilitate agrorum, virorum in omni genere laudis illustrium copia, atque antiquitate longe clarissima non indigeat lumine *Plinii* nostri, & alienæ hujus glo-
6 riæ accessione, quam *Pantheus* magno non solum conatu, ac studio curavit, verumetiam totis ingenii viribus adnixus procuravit. Nec defuerunt illi scriptores haud contemnendi, quorum auctoritate stipatus nobis *Plinium* nostrum eripere tentaret, in primis *Francisci Petrarchæ* testimonio fretus seniorem *Plinium* inter *Veronenses* apertissime in famæ triumpho referentis, quem principem, ac familiæ ductorem *Perotus*, & *Laurentius Valla* cum aliis nonnullis sequuti idem affirmarunt. Sed *Plinius Junior* ad *Maximum* scribens *Veronenses* suos in hunc modum appellavit: *Recte fecisti, quod gladiatorium munus Veronensibus nostris promisisti.* Idem in epistola ad Falconem, *Catullum* suum vocat, & proximum sibi esse *Patavinum* municipium ad *Junium Mauricum* scribens ait: *Habet Minutius aviam maternam Serranam non procul a me municipio Patavino.* Quæ quis non videt Seniorem Plinium *Veronensem* exstitisse demonstrare? Quis non perspicit, quia Senioris filius adoptivus *Junior Plinius* esset, hoc nomine Civem *Veronensem* effectum *Catullum*, cæterosque *Veronenses* suos appellare, & *Patavium* sibi proximum dicere potuisse? qui ut *Comensis*, neque
7 proximum *Patavium* habuit, à quo plurimum *Comum* distat, neque *Veronenses* suos nominare debuit. Pluris faciendum est, quod ille ipse *Plinius Senior*, de quo lis est, in historiæ suæ naturalis præfatione *Catullum* summo omnium consensu *Veronensem* conterraneum suum vocat his verbis: *Ut obiter emolliam conterraneum meum Catullum.* Addit Pantheus *Secundorum* familiam, ex qua *Plinius* descendit, plurimam *Veronæ* fuisse, cujus in antiquo marmore tribus millibus ab urbe passibus sequens legitur epigramma:

LAELIAE CLEMENTINAE VXORI INCOMPARABILI Q.FVRIVS SECVNDVS
MARITVS ET SIBI VIVVS FECIT.
FVNCTA IACES HIC SED VIVIS
VIVESQVE SECVNDO
LAELIA TVO.

A Haud ita vero procul à *Benaco*:

L.AQVILIVS SECVNDVS L.AQVILIO
CHARITONI ET PVBLICIAE VENERIAE
PARENTIBVS PIENT. LIBERT. LIBERTAB.

Sed ad ripam *Benaci* antiquam ejusmodi marmoream Tabulam extare scribit:

SEX.LAETIBIO SEX.F.FAB.VI.VIR.AVG. 8
LAETIBIAE VERA ET SECVNDA
FRATRI PIISSIMO.

B In ipsa quoque urbe similem *Secundorum* spectari memoriam:

L. SOLLIVS L. F. SECVNDVS PAP.
TICINENSIS SIBI
PAVLONIAE L. F. MAXIMAE VXORI.

Quid quod in agro *Polyzelano* diœcesis Veronensis *Secundorum* cognationis insigne monumentum observatione dignum in lapidea tabula insculptum affert *Pantheus*, quod ita habet:

C CALPVRNIA L.F.PRISCA SIBI
ET L.CALPVRNIO QVADRATO PATRI
VALERIAE C.F. SECVNDAE MATRI
L. CALPVRNIO PVDENTI FRATRI
V. VIR. AVG.

In hoc porro epigrammate *Valeriam Secundam* C. Plinii Senioris filiam fuisse asserit, quæ *L. Calpurnio Quadrato* filiam pepererit *Calpurniam Priscam* Junioris Plinii consobrinam, ad quam binæ ejusdem litteræ scriptæ leguntur, una, qua conqueritur de *Calpurniæ* secessu in *Campaniam*, al- 9
tera, qua *Calpurniæ* litteris respondet, cujus ad
D patrem *Quadratum* alteræ duæ *Plinii Junioris* epistolæ extant, una *libro* VI. altera *libro* IX. Denique triumphum canit sequenti titulo in æde *D. Blasii* invento, quod ita legitur:

PLINIVS SECVNDVS AVGVR PATRI
MATRI MARCELLAE TESTAMENTO
FIERI IVSSIT.

Hoc nihil videri potest ad *Panthei* placitum confirmandum, & querelam nostram opprimendam aptius desiderari potuisse, quàm ut Plinius *Veronæ* patri, & matri monumentum erigi testamento
E jusserit. Ex adverso *Novocomenses* mei se, suamque causam non deseruere, quorum princeps *Benedictus Jovius* latinè, græce, & hebraicè litteratissimus, atque antiquæ lectionis investigator diligentissimus, & cum eo pater meus *Franciscus* egregie partes suas sustinuere, quibus accessit viri gravissimi, & Jurisconsulti celeberrimi *Andreæ Alciati* Mediolanensis firmissimum patrocinium, & *Thomæ Porcachii* pro nobis differentis verissima defensio. Sive enim testium auctoritatem, sive rationum certitudinem, sive denique antiquorum epigrammatum accessionem requiramus, nihil est, 10
F quod in hac causa ab his patronis desideremus. Testes proferunt *Suetonium Tranquillum*, *Eusebium Cæsariensem*, *D. Hieronymum*, antiquam impressionem Anno a partu Virgineo, Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono *Tarvisii* editam, *Hermolaum Barbarum Policianum* (Scitis Patres quos viros nomino) *Georgium Merulam*, *Bernardinum Corium*, *Raphaëlem Regium*, & *Heliam Capreolum*. In eo enim opere, quod de Viris illustribus *Suetonius* conscripsit, de *Plinio* scribens inquit:

inquit: *Plinius Secundus Novocomensis equestribus militiis egregie functus, procurationes quoque splendidissimas, atque continuas summa integritate administravit: mortuus est, cum Misenensi classi praeesset, & flagrante Vesuvio ad explorandas propius causas Liburnicas praetendisset.* Eusebius vero, aut interpres D. Hieronymus, *Anno,* inquit *duodecimo Imperii Trajani Plinius Secundus Novocomensis Orator, & Historicus insignis habetur, cujus plurima ingenii opera extant, periit dum invisit Vesuvium.* In antiqua *Plinii* editione sic legitur: *C. Plinius Secundus Novocomensis T. Vespasiano suo salutem,* ibidem operi praefixa sunt, quae de *Plinio* Suetonius, aut

11 Eusebius scripserunt. Caeterum haec omnia haud firmioribus responsionibus *Pantheus* refellit, quàm solidis fundamentis suam de *Plinii* patria opinionem constituerit, *Suetonium* de Viris illustribus egisse inficiatur, eodem cum *Sereno Sammonico* errore lapsum duos *Plinios* patrem, & filium unum fecisse, aut etiam volentem, & scientem peccasse, vel patriae mentionem, quam *Suetonius* praeteriisset, ab alio accepisse, a quo fortè in antiqua *Plinii* editione littera depravata sit loco verbi *Veronensis,* altero perperam subrogato *Novocomensis.* Videte, Patres, quo desiderium, (levi verbo, & remisso dicendi genere utar) homines praecipites impellat, quid non faciat comminisci, licentia plusquam imperatoria usus *Pantheus* Suetonio sua opera adimit, adulationis notam inurit, objicit lapsum, verba expungit, lectiones immutat. Si quaeratis rationem, nulla est; sed ejus loco voluntas nobis accipienda est. Quid *Pantheus* facturus fuisset, si quis verbum illud (*Conterraneus*) quo maxime nititur, & quod totius disputationis, & opinionis suae veluti basim, ac firmissimum fundamentum constituit, neget *Plinii* esse, neget juniorem Plinium *Patavium* sibi proximum

12 fecisse, quo argumento nobis ereptum *Plinium* putat; si in exscribendo antiquo epigrammate, cujus auctoritate nos de causa nostra prorsus cecidisse gloriatur, majorem in eo fidem requirat, si cognationem illam, quam adeo jactat, ut Plinium *Veronensem* esse convincat, fabulam esse quispiam dixerit, quid, dico, *Pantheus* fuisset facturus? magnam quidem sibi injuriam illatam non addubito fuisse exclamaturum, negari omnia sine ratione, quod equidem ego quoque faciendum non esse confirmo, & cum eo in hoc convenio, ut ratione, non voluntate contendamus. Quamobrem ne posthac dictum a nobis quicquam conqueratur, cujus ratio incomperta sit, audite Patres, quid *Hermolaus Barbarus* patritius *Venetus,* non *Comensis,* vir eruditionis minimè vulgaris, & aetatis suae doctissimorum Virorum nemini secundus, ac *Plinii* lectione emendandae, non patriae inquirendae incumbens, de hoc verbo (*conterraneus*) scribens prodiderit in hunc modum: *Quidam non conterraneum, sed concerronem, sive, quod idem est, congerronem meum legunt, & quod exemplaria quaedam sunt, in quibus concerraneum scribatur, & quod castrense id verbum esse dicant ex hi-*

13 *storia, & Plautus, nec uno loco, Hic, inquit, aderit congerro meus.* Quanta vero ratione aut ego negaverim *Plinium* juniorem sibi proximum esse *Patavium* dixisse, aut ille eundem *Patavio* proximum eadem auctoritate affirmaverit; accipite, in epistolarum volumine pluribus ab hinc annis impresso libro primo ad *Junium Maurium* sic legitur: *Habet aviam maternam Serranam procul a me municipio Patavino:* quibus tantum abest, ut Plinius *Patavio* se proximum faciat, ut etiam plurimum abesse profiteatur. Dicet ille demptam esse notam negationis, quam suum exemplar habeat; ego contra additam suo contendam, qua meum careat, neque enim, cum ratione, aut testimonio desti-

A tuamur in instituta controversia, majorem ille sibi auctoritatem arrogare debet, quam apud me esse velit: vel cum utrinque paribus testimoniis contendatur, pluris suum facere, quam meum a me fieri velit. Etenim Patres, ut intelligatis me in hac causa non favere *Novocomensibus,* quia unus ex his sim, sed quia cum eorum querelam justam esse non addubitarem, inique facturum esse me arbitratus, si, cum possem, communem causam non complecterer, & ad defendendum non suscipe-rem. Civibus ergo meis adfui patronus, quod non ignorarem, quamquam à viris nobilissimis fue- 14 rit abunde causa perorata, quosdam, sive quod

B non viderint, quae ab iis scribuntur, sive quod argumentorum vim negligentius inspexerint, sive quod non intellexerint Plinium *Veronensem* esse obstinate potius, quam scite contendere. Ut institueram dicere, veritati studens ingenue fateor, neutram mihi probandam lectionem videri: nihil enim referebat *Plinio* dicere hoc loco pro re proposita se procul *Patavio* potius abesse, quàm proximum esse; quod facit, ut credam eam veram, ac genuinam esse lectionem, quae in eodem meo volumine in margine sic habet: *Habet aviam maternam Serranam Proculam è municipio Patavino,*

C *nosti mores.* Sed sive negligentia, sive inscitia scribae factum est, ut à verbo, *Proculam,* ultima syllaba avulsa legeretur, quam, quod significatu careret, emendator ex praepositione *à*, & sequentis verbi, *me,* prima littera conflatam esse falso conjiciens disjunxit, & litteram, *m,* praepositioni *è* adjicieiens, *me,* legi pro, *è,* fecit; priorem vero litteram videri praepositionem in hunc modum, *procul a me,* & cognomine, *Proculam,* quod divulsum copulatione indigeret, magis distracto, totius orationis sensum conturbavit, ac 15 prorsus distorsit. Venio ad antiquum illud epi-

D gramma, cujus initium est *Plinius Secundus,* de quo ex *Panthei* fautore quaero, an hoc nomen, ac cognomen in eo lapide integrum, atque perfectum legerit, vel mutilum, detritis per vetustatem syllabis, aut litteris nonnullis, de suo ingenio *Plinius Secundus* sit interpretatus: dicat, an neget, mihi curae non est, qui sciam eum utrovis modo causae nostrae plus esse profuturum, quam scribendo animo a nobis *Pantheus* olim alieno fuerit. Si enim dixerit nihil nomini *Plinii,* ac cognomini defuisse, habeo quos proferam testes adversos viros integerrimos Veronenses *Alexandrum Benedictum,* maxime vero *Onuphrium Panvinium* anti-

E quorum epigrammatum studiosissimum, quorum uterque in nomine litteras nonnullas desiderari, in cognomine etiam syllabas fateatur. Sin ob id, quod est, vere, & ingenue, respondeat vetustatem nomini quasdam litteras abstulisse, cognomini syllabam priorem, ut *Alexander Benedictus,* aut pene totum delevisse, teste *Panvinio* .... NDV ... tantum legente. Cur, rursus interrogo te, perinde ac integrum *Pantheus* scripsit, neque lectorem deficientium in primo litterarum, in altero syllabarum admonuit? Quid ita, inquies? 16 Quid? quia volo clientis tui hoc loco astutiam, ne doli graviori verbo utar, elucere: videbat ho-

F mo sagacissimus in epigrammate nomen, ac cognomen integrum relatum ad traducendos legentium animos in sententiam suam plurimum auctoritatis esse habiturum, quod si mancum retulisset, & ob vetustatem mutilum esse dixisset . . . INIVS primo loco tantum superesse, exeso principio, altero . . . CVNDVS, ut *Alexandro* videtur . . . NDV . . . ut *Panvinio* placet, detritis pluribus syllabis, eo se nihil eosdem fuisse commoturum. Hoc dico, intelligens *Pantheus* astutus patronus, licet falsus, videri maluit, quam ineptus, & incallidus defensor, atque

advocatus veris testibus productis, id effecit, ut *Andreas Alciatus* epigrammatis initium omnino sic habere, sicut dicebatur *Plinius Secundus*, arbitratus, quamquam Plinium *Comensem* esse non dubitaret, eousque tamen perplexus pro nobis pronuntiare non fuerit ausus, donec certior factus deficientium in *Plinio* primarum litterarum: cum ex his, quæ nondum decidissent, sibi non potius *Plinius*, quam *Caninius*, *Licinius*, *Asinius*, aut *Cominius* legi debuisse, videri constantissime asseruit, tum controversiæ nervos, & firmamentum tam infirmo argumento commisisse satis *Pantheum*
17 demirari non potuit. Sed faciamus non ... INIVS. ... CVNDVS. verum potius, quod amor patriæ fecit *Panvinio* videri, C. P.. INIVS legi a sculptore, non *Panvinii* conjectura fictum, ut, incipiente verbo a littera P. & in ... INIVS desinente, quodammodo necesse esse videatur *Plinius* interpretari. Quid? num ideo quia *C. Plinius* est, *Secundum* etiam eumdem fuisse sequitur? Negabunt hoc *Novocomenses* mei, apud quos *C. Plinius Philocalus. C. Plinius Valerianus*, & *C. Plinius Calvos* in antiquis monumentis leguntur, quæ distuli opportuniori loco referenda. At ... NDV .. in scriptis habet, quod nulli cognominum propositorum accommodari potest: non abnuo, neque à me idcirco adducuntur, ut velim tres illas litteras horum cognominum aliquod significare posse; sed ut intelligant *C. Plinii* prænomen, & nomen sibi necessario cognomen *Secundi* non asciscere, quod ut ... CVNDVS. necessario non refert, ut *Pantheus* censet, ita multo minus ... NDV ... sicut *Panvinio* visum est, & syllabæ ... CVNDVS, & litteræ. ... NDV ... quam ex cognomine *Secundus*, haud minus reliquæ esse possunt ex altero *Jucundus*, aut *Verecundus*, quorum primi exemplum extat *Romæ* in
18 musæo *Carpensi*, quod habet:

D. M.
CORNELIO IVCVNDO
V. A. XIIII.
CORNELIA LASCIVA
PATRONO BENEMER.

Et ibidem in hortis:

D. M.
T. FL. IVCVNDO
EX. LEG. XXX. VLP.

In *Lusitania* vero:

EGO GALLVS FAVONIVS IVCVNDVS L. F. QVI BELLO CONT. VIRIATVM OCCVB. IOCVNDVM ET PVDENTEM FILIOS EX TEST. HERR. RELINQVO ET BONORVM IOCVNDI PATR. MEI ET EORVM QVAE MIHI ADQVISIVI, ac quæ sequuntur.

Alterius cognominis tale apud ædem *D. Zenonis* Veronæ visitur:

MARCELLI VERECVNDI ET CAESIAE FVNAM.

19 Quibus constat, quia, *C. Plinius* monumentum habeat, ex eo etiam, *Secundum*, eum fuisse non convinci, Quamquam si verbum hoc inchoatum P ... INIVS ad examen non fucatum revocaverimus, an *Plinius* significet, dubium, & incertum esse deprehendemus; potest enim *Pleminius* explicari, cujus proprætoris Livius *libro ab U. C. XIX.* meminit, forte etiam usque adeo obscure littera illa, quam *P. Panvinius* esse conjecit, apparet, ut *C.* æque esse potuerit, ac *P.* & *Clinius*

A totum verbum significare, cujus *Romæ* tale extat epigramma:

C. CLINIVS C. F. IIII. VIR.

Ita nihil favebit *Panvinio* C. P ... INIVS ..NDV... nihil *Alexandro Benedicto* ...INIVS. ... CVNDVS. aut PLINIVS SECVNDVS *Torello*, & *Pantheo*, quem (ad eum enim mihi redeundum est) excusabit forte quispiam totius erroris culpa in amicum rejecta, qui exscriptum epigramma ad eum à se pro ... INIVS, PLINIVS, &... NDV... SECVNDVS restitutum
B transmisit, restitutionis suppressa mentione. Accipio excusationem, nolo *Pantheum* fraudis alienæ pœnas dare, volo non fideliter inscriptionem retulisse. Sed ità, ut ne nos eas pœnas luere ex- 20
cusationis auctor velit, quas repetere debuimus ab amico *Panthei*, ut ne nobis in culpam ejus innocentiam, aut amici dolum adscribat, ut ne quam simpliciter, & candide inscriptio recitata est, tam pro se adversus nos concludere arbitretur; & quia in hoc fidelis *Pantheus* extiterit, nos causam injustam tueri sentiat. De quo quia satis multa, transfero sermonem ad cognationis fabulam, quam an jure, vel injuria hoc nomine ap-
C pellaverim, non faciam, sed perficiam, ut omnes intelligatis. *Panvinius* cum priora *Panthei* argumenta retulisset, quibus *Veronensem* esse *Plinium* ostendi existimabat, de hoc ne verbum quidem ullum fecit, quod intelligeret ab iis, quæ de nominandi *Romanorum* consuetudine a se aliquot ante annis edita leguntur, nihil alienum magis dici potuisse, quam *Secundum*, & *Secundam*, familiæ nomen esse, non esse *Valeriam*, aut *Plinium*: contra enim prorsus illud cognomen est, *Valeria*, & *Plinius* ad familiam pertinent, quod sequitur patrem *Plinium* ex una familia profectum, filiam,
D ex *Valeriorum* gente non *Pliniorum* descendisse. Ex hac fabula cætera, quæ sequuntur de cognatione, eadem somniis simillima, ortum habuere. *Calpurniam Priscam* Valeriæ, & *L. Calpurnii Quadra-* 21
ti filiam *L. Calpurnii Pudentis V.* Vir. Aug. sororem *Plinii* Senioris neptem, Junioris vero consobrinam, ad quam epistolæ *Plinii* nonnullæ datæ leguntur extitisse. Quæ aliis quoque argumentis, quàm ut falso initio nitantur, ab omni veritate plurimum abesse, me vobis esse facile demonstraturum spero. Cur enim *Plinius* Senior sibi *C. Cæcilium* sororis filium adoptavit, non nepotem *L. Calpurnium Pudentem*? verisimile non est, neglecto nepote, sive filiæ filio, sibi sororis filium
E adoptare voluisse. *Calpurniam* vero *Priscam* eam esse, de cujus secessu in *Campaniam* libro epistolarum sexto *Plinius* conqueritur, ac rursus paullo post litteras similes eidem dedit, puto neminem esse non hoc pro commento habiturum, qui, non sicut *Pantheus* festinans potius, ut ait *Cato*, quam properans, has epistolas accurate legerit. sunt enim amatorie scriptæ, ac quales deceat uxori maritum dare, non consobrinæ, feminæ præsertim adeo religiosæ, & sanctis moribus ornatæ, quam eam *Pantheus* effinxit, quales item ab uxore maritum accipere conveniat, non consobrina. Scri-
F bit hæc, *unum hoc se solatium habere, quod Plinii libellos teneret, ipsosque in vestigio suo collocaret.* In- 22
vicem Plinius respondet, *ego epistolas tuas lectito, atque identidem in manus quasi novas sumo: sed eò magis ad tui desiderium accendor.* Sed volo has epistolas potuisse dare, accipereque consobrinum, & consobrinam; num etiam decuit eumdem *Plinium* ad Consobrinam libro septimo scribere magnam se noctium partem traducere insomnem, defixum in imagine *Calpurniæ*, quibus item horis interdiu ad eam ire consueverat, ad ejus dietam ipsum se, ut dicitur, ducerent pedes, qui denique æger mente,

te,

te, & similis exclusa à vacuo limine recederet? Taceo reliqua. Non est igitur, Patres, non est hæc illa *Calpurnia Prisca* Panthei Veronensis: sed altera Junioris *Plinii* uxor Novocomensis *L. Calpurnii Fabati* neptis, cujus similis *Comi* titulus in marmorea tabula legitur:

L. CALPVRNIVS L. F. OVF.
FABATVS
VI. VIR. IIII. VIR. I. D. PR. M. PRAEF.
PRAET. TRIBV. M. LEG. XXI. RAPAC.
PRAEF. COHORTIS VII. LVSITAN.
ET NATION. GETVLIC. ARSEN.
QVAE SVNT IN NVMIDIA
23 FLAM. DIVI AVG. PATRIMONIO
T. F. I.

Hunc prosocerum sæpius in epistolis *Plinius* appellat. Ad eumdem *libro octavo* de neptis abortu scribit, per quem illi pronepotem, sibi vero filium surreptum conqueritur. Proxime ad *Hispullam* filiam *Fabati* prosoceri, soceri vero sororem, & amitam *Calpurniæ* de abortu eodem scribit, quem excusari ab ea patri *Fabato* vellet, ad quam libro secundo de *Calpurniæ* studio litterarum scribit, *suos libellos habere, lectitare, addiscere, versus cantare, ac formare cithara, non artifice aliquo docente, sed amore*, quæ *Calpurniæ*, ad quam epistolæ, quas proxime dicebamus, extant, convenire nemo dubitare potest; nisi qui sibi obstinationem mordicus tenere, non rationem amplecti constituerit, quibus *Sidonii* quoque auctoritatem addere visum est libro epistolarum suarum secundo scribentis: *Sine fine lecturias, neque patiaris, ut te ab hoc proposito propediem conjux domum feliciter ducenda deflectat, oppidoque memineris, quod olim Martia Hortensio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Apulejo, Rusticiana Simacho legentibus, meditantibusque candelas, & candelabra tenuere.* Venio ad *Cal-*
24 *purnium Quadratum* Calpurniæ Priscæ patrem, quem eum esse, cui *Plinius* junior nonnullas epistolas dederit, simili cum prioribus argumento *Pantheus* contendit, quem licet eversa fundamenta abunde redarguant; tamen placet aliis etiam nominibus inconsultam hominibus hoc loco patefacere deliberationem. Namque is *Quadratus*, quem *Plinius* in epistolis nominat, non est *Calpurnius*, sed *Cassius* ex *Plinio*, libro septimo ad *Geminium* cum lætatur futurum, ut domus *C. Cassii* domino serviat, non minori, cui *Quadratus* pristinam dignitatem sit restiturus. Addatis *Quadratum* eum, ad quem de *Helvidii* ultione scribit, per ætatem ei interesse non potuisse, quamquam ab obitu *Domitiani* evenerit, in qua de *Publicio Certo* Vectii Proculi primæ *Plinii* uxoris vitrici, quam sub id tempus amisisset, collega agatur. Qua ratione quis non videt, ac perspicue cernit, tum *Quadratum* filiam natu jam grandem, & adultam habere non potuisse, ad quam sive consobrinam, sive uxorem jam senex *Plinius* litteras similes daret, cum re ad interregnum ob sublatum *Domitianum* adducta, recens adhuc luctus ex primæ uxoris interitu domi eum contineret, ut ab omni
25 similitudine veri longissime abesse videatur, tamdiu uxorem alteram ducere distulisse, donec *Quadratus* filiam habere nubilem potuerit *Calpurniam Priscam*. Pudet me in re adeo manifesta diutius immorari, & longiorem de ea orationem habere. Quare desino dicere, quam recte, quæ adversarius noster affirmabat, nos negaverimus, dicturus jam, quam ille perperam negaverit, quæ nos affirmabamus Suetonii *Plinium* Seniorem *Novocomensem* facientis testimonium adducentes, quod ille nullum esse (non ausim dicere) existimabat.

A Vix enim de eo hoc persuaderi possum: certe affirmavit hoc argumento, quod nusquam opus de Illustribus Viris sub nomine *Suetonii* appareat, quasi vero omnes ille *Europæ* angulos perlustraverit, omnes omnium bibliothecarum libros viderit, excusserit, evolverit, nec multi cum *Græci*, tum *Latini* scriptores proxime venerint in lucem, quos patres nostri ne nominari quidem audivissent: videbunt fortasse etiam posteri, quos nostro hoc seculo desideramus. Extant rursus certorum auctorum quædam fragmenta, quorum aut omnes lucubrationes perierunt, aut illæ ipsæ, quarum fragmenta sunt, interciderunt, quas, si hoc nomi-
B ne suis auctoribus adimendas esse judicaverimus, 26
quid *L. Sisennæ*, *C. Fannii*, *Valerii Antiatis*, *Cassii Heminæ*, *Ælii Tuberonis*, *Attei Capitonis*, quorum opera omnia aut prorsus extincta sunt, aut latent numquam apparitura. Quid dico *Plinius*, quid *Gellius*, aliine his aut juniores, aut vetustiores scriptores nonnulli meminere? Quid *M. Varronis*, & *Cornelii Nepotis*, quorum pleraque opera magno nostro incommodo interiere, viri magni hoc ævo nominis fragmentorum utuntur auctoritate? Si enim horum nulla auctoritas est, si, subductis ex hominum oculis operibus, quorum fragmenta sunt, aut auctoribus ipsis solo nomine co-
C gnitis, ea nullius apud nos auctoritatis, nullius ponderis esse velint, non quorum sententias referent *Plinius*, cæterique, spectare debuerunt, sed quorum opera non mutila, ac manca, sed integra ad posteros, & absoluta pervenire posse sperarent, aut potius vaticinarentur, hæc sibi proponere, ex quibus excerperent, quæ futuris seculis legerentur. Quæ cum sint à ratione valde aliena, id quoque sequitur cum ratione non consentire hoc, quod *Suetonio* inscriptum fragmentum circumfertur, ideo *Suetonii* non esse, quod nullum adhuc opus de Viris Illustribus sub nomi-
D ne *Suetonii* apparuerit. Sed sentio quid sit adver- 27
sarius responsurus, fragmento fidem non abrogari, quia opus ipsum, cujus fragmentum est, temporum injuria perdiderit, aut etiam sustulerit omnes ejusdem auctoris lucubrationes. Sed eo potius quod *Suetonium* de viris illustribus scripsisse nullius antiqui scriptoris auctoritate constet, aut dempta vetustioris impressoris fide valde incerta, aut potius nulla, quod, qui fragmentum *Suetonii* esse testetur, eo antiquior nullus scriptor inveniatur: quorum utrumque quam sit dictum temere, quam falso paucis, Patres ut cognoscatis, operam dabo.
E *Vincentius Bellovacensis* annis ab hinc plus trecentis de *Plinio* seniore scribens *libro decimo* sui *speculi historialis Cap. sexagesimo septimo* authorem *Tranquillum* citat in catalogo Virorum Illustrium ea de *Plinio* referentem, quæ ex *Suetonio* in vetustiore *Plinii* historiæ naturalis impressione leguntur. Cæterum *D. Hieronymus* cum hujus fragmenti non meminerit, tamen hortatu *Dextri* prætorio præfecti de scriptoribus ecclesiasticis verba facturus in initio hæc habet. *Hortaris, Dexter, ut Tranquillum sequens ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram, & quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam.* 28
F D. igitur *Hieronymo*, & *Dextro* testibus de viris illustribus *Suetonius* egit. Nam, quod gentilium litterarum Viros Illustres *Aldus Manutius* senior quadam in epistola ad *Aloysium Mozenicum* grammaticos, & rhetores interpretatur, brevioribus terminis gentilium litterarum significatum mihi videtur definivisse, & contractum in angustum nimis adduxisse, quod omnem non solum philosophiam, verum etiam omne genus litterarum complectitur, id solam grammaticam, & rhetoricam *D. Hieronymo* significare professus, quarum studium, quam aliarum quarumcunque libera-

 lium

lium diſciplinarum, non adamaſſe magis, ac profeſſos eſſe gentiles, unus mihi pro multis argumento ſit *M. Varro*, de quo *Cicero* in Academicis quæſtionibus: *Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum locorum, tu omnium divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti.* D. vero Auguſtinus libro de civitate Dei ſexto: *In omni eruditione, quam nos ſecularem, illi autem liberalem vocant, ſtudioſum rerum tantum docere Varronem ſcribit, quantum ſtudioſum verborum Ci-*
29 *cero delectat.* Secularis eruditionis nomine, haud dubie id ipſum intelligens, quod litteræ gentiles *D. Hieronymo* ſignificarunt. Quid? dico *D. Auguſtino* litteras ſeculares hoc, quod *D. Hieronymo* litteræ gentilium, ſignificare, cum idem ipſe in epiſtola ad Magnum oratorem *Romanum* eaſdem litteras modo ſeculares, modo gentiles appellet philoſophiam nominatim comprehendens; imo vero, ſicut diximus, omnem diſciplinam hoc nomine complexus eſt, cum citet *Clementis Alexandrini* opera, in quibus ex omni genere litterarum viri excellentes nominantur, quod omnem, ſi qua eſſe potuit de viris illuſtribus gentilium litterarum, quid *D. Hieronymo* ad *Dextrum* ſcribenti ſignificent, dubitationem tollit, non grammaticos, & rhetores, ſed quovis genere diſciplinarum præſtantes hoc nomine viros intelligi apertiſſime demonſtrans, quamquam hoc opus teſtimonio non erat, cum *D. Hieronymus* ad *Dextrum* ſubjungens. *Fecerunt quidem hoc idem apud Latinos Varro, Santra, Nepos, Higinus,* & ad cujus nos exemplum vis provocare *Tranquillum*, haud obſcure interpretationem meam confirmet. *Cornelium* enim *Nepotem* Cariſius ex *libro* XV. *&* XVI. *de Viris Illuſtribus* citat.
30 Idem *Ciceronis* vitam *Gellii* teſtimonio *noctium Atticarum libro* XV. pluribus libris perſecutus eſt. Ab eodem vero *Pomponii Attici* vita diligenter ſcripta teritur manibus veſtris, quos, quamquam hoc ſint nomine virorum Illuſtrium à *Nepote* comprehenſi; nemo tamen, quod ſciam, inter grammaticos, & rhetores nominavit. *Julius* quoque *Higinus* de vita, rebuſque illuſtrium virorum agens alios à grammaticis, & rhetoribus attigit teſte *Gellio lib.* VII. quorum ſi ſcribendi ratio, atque argumentum idem eſt, quod *Suetonii*, in opere *de Viris Illuſtribus* gentilium litterarum à *D. Hieronymo* vocato, in eo ipſum alios, quam rhetores, & grammaticos ſolos perſecutum eſſe neceſſe eſt, quibus altera quædam adjuncta ſequitur neceſſitas *Plinium* ſeniorem in illuſtribus viris recenſendis *Suetonium* non prætermiſiſſe, patriam ejus non ignoraſſe, & cum juniore unum eſſe non exiſtimaſſe. Quo vero argumento, quove auctore hoc dicam, accipite. *Plinio* juniori tanto uſu, conſuetudine, & neceſſitudine conjunctus erat *Suetonius*, ut nemo forte conjunctior: pro ſe, ut actionis cujuſdam dilationem peteret, *Plinium* rogaſſe, ex epiſtola *Plinii* ad eum *libro primo* conſtat, ut tribunatum,
31 quem ſibi impetraverat, in *Cæſennium* propinquum ſuum conferret, libro epiſtolarum *Plinii* flagitaſſe eundem apparet: ſed inſtar omnium ſit petitum ab Imperatore *Trajano* pro *Suetonio* jus trium liberorum, & impetratum ab eo, qui parciſſimus eſſet in eo concedendo: quod quanti ſit, atque ex eo quantum Suetonius *Plinio* deberet, quantum viciſſim hic *Suetonium* amaret, non poſſum verbis melius exprimere, quam ipſius *Plinii* intercedentis, & *Trajani* indulgentis epiſtolis, (*Lib.* X. 95. *&* 96.) quas ne pigeat vos audire in hunc modum ſcriptas. *PLINIUS TRAJANO. Suetonium Tranquillum probiſſimum, honeſtiſſimum, eruditiſſimum virum, & mores ejus ſequutus, & ſtudia jampridem, Domine, in contubernium aſſumpſi, tantoque magis diligere cœpi, quanto hunc propius inſpexi. Huic jus trium liberorum neceſſarium faciunt duæ cauſæ, nam & judicia amicorum promeretur, & parum felix matrimonium expertus eſt, impetrandumque à bonitate tua per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegavit: ſcio, Domine, quantum beneficium petam, quod peto à te, cujus in omnibus deſideriis meis pleniſſimam indulgentiam experior, potes autem colligere quantopere cupiam, quod non rogarem abſens, ſi mediocriter cuperem. TRAJANUS PLINIO.* *Quam parce hæc beneficia tribuam, uti-* 32
que, mi Secunde cariſſime, hæret tibi, cum etiam in ſenatu affirmare ſoleam, non exceſſiſſe me numerum, quem apud ampliſſimum ordinem ſuffecturum mihi profeſſus ſum: tuo tamen deſiderio ſubſcripſi, & ut ſcias dediſſe me jus trium liberorum Suetonio Tranquillo ea conditione, qua aſſuevi, referri in Commentarios meos juſſi. Magnæ, ac graves cauſæ, magni ſtimuli, ac tanti, ut non debuerit, aut non potuerit *Suetonius* in conſcribendis illuſtrium virorum vitis ſine ingrati animi infami, ac deterrimo crimine Seniorem *Plinium* de litteris, ſi quis alius illo ævo, adeo benemeritum non illuſtri ornatum elogio commemoraviſſe. Quod intelligens *Pantheus*, ut erat acri ingenio vir, denuo ad aſylum negationis confugit aſſerens nomen patriæ ab imperito viro, vel impoſtore additum eſſe, quaſi vero ſit ab eo, qui ſimiles hiſtorias texuerit, maxime à *Suetonii* conſuetudine valde alienum patriam apponere, qui ne in Imperatorum quidem vitis tradendis eam prætermiſit. Hoc factum eſſe puto, ut *Pantheus* ſentiens ſe ſatis tutum non eſſe in iſto negationis perfugio, ignominia *Suetonium* afficere ſit auſus, & ea quidem ſatis turpi, quæ non ſo- 33
lum fidem illi infirmaverit, verum etiam abrogaverit omnem auctoritatem, abjectis, aut ignavia, vel nimia certe negligentia, per quam junioris *Plinii* patriam Seniori adſcripſerit, aut longe deteriori crimine, quod in gratiam junioris *Plinii* Seniorem patria *Veronenſem*, *Novocomenſem* eſſe improbiſſime affirmare non erubuerit, ac fraudare mendaciis poſteritatem. Si tuendæ cauſæ noſtræ gratia, & refellendi *Panthei* cupiditate, huc nos, Patres, prolapſi eſſemus, ut quantam ſibi licentiam *Pantheus* aſſumpſit, tantam ipſi nobis arrogaviſſemus, tantum auſi, quantum voluiſſemus, quot nos dictis, putatis, ille inceſſiſſet? nam horum cupidiorem eſſe multis aſperſa ipſius diſputatio oſtendit: certe pluribus oneraviſſet, & ut exiſtimo, irridendorum finem ullum non feciſſet, quocum ego ſimili erga *Novocomenſes* meos affectus voluntate, qua ille erga *Veronenſes* ſuos; ſed diſſimili audacia contendam, rationem, non opinionem ſequutus. Quamquam à me quodnam adeo firmum, atque adeo ſtabile in hac cauſa jaci fundamentum jam poſſit, quod non aut ille demoliri fuiſſet auſus, aut ejus imitatione fautor, & cupidus *Panthei* laudis convellere, non video ullum. Sed vos Patres alloquor, non præſentem *Pantheum:* 34
veſtrum expecto judicium, non *Panthei* negationes, quos demonſtrationibus, & firmis conjecturis, non fabulis ſcio commoveri. Ergo *Suetonius* hiſtorias tam oſcitanter, & ſupine conſcribebat, ut in locum patriæ Senioris *Plinii*, Junioris alteram nolens ſubſtitueret? Aut eo impudentiæ pervenerat, & frontem adeo perfricuerat, ut in gratiam *Plinii* Junioris, Seniorem patriæ ſuæ ademptum, adſcriberet non ſuæ? Sed enim hunc virum opinione virtutis, & doctrinæ dignitate, auctoritateque nobiliſſimum, quis credat Suetonium *Comenſibus* adjunxiſſe ereptum *Veronenſibus*, nec eorum quemquam adverſatum eſſe? Neminem latrocinium, & mendacium exprobraſſe? Quis animum inducat, ut credat antiquiſſimam, opulentiſſimam, & potentiſſimam coloniam *Veronam* tam abje-

abjecto, & demisso animo fuisse, ut tantæ inju-
riæ propulsandæ causa hiscere non auderet? Tam
impudentem *Suetonium*, ut eum tanti mendacii
non puderet? Hac Patres conjectura valde com-
moveor ad credendum ab omni ejusmodi cri-
mine, quod illi *Pantheus* objecit, *Suetonium*
penitus liberum extitisse. Sed illa maxime, quod
causam, ob quam aut *Plinius* junior sibi in avun-
35 culi patria referenda *Suetonium* adulari concupive-
rit, aut is illi debuerit assentari, non video ullam;
nisi eam, quæ ineptissima, & absurdissima est,
quod eorum alter, aut uterque ex patriæ diversi-
tate nonnullam *Plinio* Seniori existimationis acces-
sionem, aut decessionem fieri arbitraretur, quæ
in Juniorem *Plinium* redundaret. Quod ego dici
non patiar, hoc loco pro *Veronensibus*, & amplis-
sima *Italiæ* civitate libenter certamen adversus eos
subiturus, qui Seniorem *Plinium* existimationis suæ
nonnullam facere jacturam affirmare ausi fuerint
ob patriam *Veronam*, & splendorem Junioris qua
damtenus, hoc nomine obscurari, quod lege pa-
trem habuerit *Veronensem*, qui natura *Novocomen-
sis* esset. In quæ ego, cum oculos infero, & in-
trospicio diligentius, longe à *Suetonii* moribus, ab
opinione *Plinii* Junioris, ab illius seculi imperan-
tis *Trajani* libertate, hæc aliena esse intelligo. Ab-
est à veritate, plurimum abest, ut vel ille tam
turpiter, atque inepte fuerit adulatus, vel *Pli-
nius*, quod sibi ornamento maximo esse potuit, non-
nullo fore dedecori parum prudenter arbitratus sit:
aut *Veronenses*, quorum haud parum multi ex his
reliqui adhuc viverent, qui *Plinium* agnovissent,
36 (nondum enim ab ejus obitu anni triginta, aut tri-
ginta quinque effluxerant) tantam injuriam dissi-
mulaturi fuerint, vel cæteri mendacium expres-
sum, atque turpissimum æquo animo toleraturi.
Cæterum si quis *Pantheo* nimis addictus omnino
eam animo imbiberit opinionem, qua fragmentum
hoc, quod de *Plinio* sub nomine *Suetonii* circum-
fertur, ex ejus officina prodiisse noluit, ut secum
de eo diutius contendam non valde laboravero,
modo mihi vicissim ille concedat, quod nemo in-
ficiari potest, fragmenti auctorem, quisquis fue-
rit, antiquum extitisse, cum enim in recentiorem
fragmentum referendum non esse *Vincentii Bellova-
censis* ante annos, ut diximus, plusquam trecentos,
scribentis firmissimo testimonio constet, admonet
nos stylus annis ante *Vincentium* Sexcentis, aut plu-
ribus, ipsum ab antiquo scriptore originem habuis-
se. Nam, qui intra hos annos locutione simili sit
usus, scio neminem *Latina* lingua à barbaris natio-
nibus valde jam inquinata, & deformata; aut bel-
lis intestinis majores nostros misere exercentibus,
atque ab omni bonarum litterarum studio longis-
sime avertentibus. Sed an antiquus hic scriptor
Cornelius Tacitus est? Hoc sibi hactenus fuisse in-
auditum audire videor, qui affirmet, nec ego ad-
37 versor, etiam admitto tale quid neminem unquam
forte fuisse suspicatum; tamen ad id facientes con-
jecturæ non desunt, quarum mihi auctor *Plinius*
Junior est *Libro Epistolarum* suarum *Sexto*, in epi-
stola ad *Tacitum*, cujus initium est: *Petis, ut ti-
bi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere
posteris possis.* Ex qua apparet de vita *Plinii* Se-
nioris, & exitu se scripturum esse Juniori ultro *Ta-
citum* pollicitum esse, quod & præstitisse verisi-
mile est; Sed latuisse *Suetonio* adscriptum nonnul-
la conjectura fieri potest ex narratione exitus, quæ
cum epistola *Plinii* collata facile credatur ex ea de-
scripta. Quod *Misenensi* enim classi *Plinius* præ-
esset, ut habet fragmentum, causas incendii Ve-
suvii exploraturus propius liburnicas prætendis-
set, adversantibus ventis remeare non posset, vi
pulveris, & favillæ oppressus sit, hæc eadem *Pli-
nius* habet. *Erat*, inquit, *Miseni, classemque im-*

A *perio præsens regebat.* Et paulo post: *Nubes, incer-
tum procul intuentibus ex quo monte, Vesuvium esse
postea cognitum est, oriebatur.* Post pauca vero:
*Magnum propiusque noscendum, ut eruditissimo viro
visum, jubet liburnicam aptari.* Et alio in loco:
*Ibi quamquam nondum periculo appropinquante, con-
spicuo tamen, & cum cresceret, proximo, sarcinas* 38
*contulerat in naves certus fugæ, si contrarius ventus
resedisset.* Et alibi: *Placuit egredi in litus, & è
proximo conspicere ecquid jam mare admitteret, quod
adhuc vastum, & adversum permanebat.* Rursus:
Deinde flammæ, flammarumque prænuncius odor sul-
B *phuris alios in fugam vertunt, excitant illum, in-
nixus duobus servis adsurrexit, & statim concidit,
ut ego conjecto, crassiore caligine spiritu obstructo,
clausoque stomacho, qui illi natura invalidus, &
angustus, & frequenter interæstuans erat.* Nec ve-
ro valde commoveor, quod multa de exitu à Ju-
niore *Plinio* scripta fragmenti auctor prætererit:
omnem enim difficultatem eadem epistola *Plinii*
adimit, in cujus calce hæc leguntur. *Omnia, qui-
bus interfueram, quæque statim, cum maxime vera
memorantur, audiveram, vere persecutus sum, tu
potissima excerpes: aliud est enim epistolam, a-
liud historiam, aliud amico, aliud omnibus scri-*
C *bere.* Opinioni nostræ *Libro* quoque *Epistola-
rum Septimo* Plinius favit, *Tacito* modestissi-
me desiderium significans, quo teneretur, se
ut suis historiis insereret, quas immortales fo-
re augurarettur. Porro præter annales, *Agri-
colæ* vitam, & de claris oratoribus disputatio-
nem à *Tacito* habemus, ac legimus; ne miremur 39
eum, qui hæc scriptis consignavit, Senioris *Plinii*
vitam litteris mandare potuisse, qui se præsertim
ultro, ut diximus, de vita patris, & avunculi
scripturum esse *Plinio* amicitia conjunctissimo pol-
licitus esset. Sed vero ubi *Tacitum* hujus fragmen-
ti auctorem quispiam esse negaverit à ratione, vel
D similitudine veri, opinione mea non fuerit alie-
num; prorsus ex *Tittinio Capitone*, quem de Viris
Illustribus scripsisse *Plinius* Junior ad *Mimtianum*
auctor est, hoc manasse: sic enim ait libro Epist.
VIII. *Scribit exitus Illustrium Virorum, in iis quo-
rundam mihi carissimorum. Videor ergo fungi pio
munere, quorumque exequias celebrare non licuit, ho-
rum quasi funebribus laudationibus, seris quidem,
sed tanto magis veris interesse.* Ut in pauca con-
feram, non dubito, si fragmenti auctor non est
Suetonius, ab aliquo tamen esse profectum antiquo
scriptore, de quo an fuerit *Tacitus*, vel *Tittinius
Capito*, nihil temere statuo: vestrum, Patres, esto
E judicium, mihi satis est nonnullas conjecturas vo-
bis indicasse. Quod mea interest, hoc persequar,
esse me prope jam certum, non dicam vos, Pa-
tres: sed hosce lectissimos adolescentes, & in cau-
sa hac nostra magnæ auctoritatis esse hoc fragmen- 40
tum intelligere, & agnoscere quanta cum ratione,
aut potius quam cum nulla, vel impressoris insci-
tiam *Pantheus* accusaverit, aut emendatoris mali-
tiam damnaverit, quos ab omni, non facto mo-
do, verum etiam suspicione dubiæ fidei, & initæ
pro nobis adversus *Veronenses* conspirationis, cum
hoc longe abfuisse demonstrat, patria ambos esse
F *Tarvisinos*, quibus nulla cum *Novocomensibus* meis
consuetudo esset, necessitudo nulla, aut conjun-
ctio, omnino inter quos, & *Novocomenses* com-
mune intercederet nihil; tum illud maxime libe-
rat, quod *Vincentio Bellovacensi* annis ante anti-
quam *Plinii* impressionem prope ducentis quinqua-
ginta, ante omnem imprimendarum notarum lit-
terarum cognitionem ducentis scribente, huma-
num ingenium controversiam hanc de *Plinii* pa-
tria nondum parturiret, cujus præcipuus auctor
extitit *Franciscus Petrarcha* ætate posterior *Bellova-
censi.* Transeo ad *Serenum Sammonicum*, quem
hallu-

hallucinatum duos *Plinios* Seniorem, & Juniorem unum fecisse ait *Pantheus*, atque hactenus verissime, una vero hac de causa lapsum esse, quod nomen, ac cognomen utrique idem esset, ni ego fallor, falso astruxit. Cum enim *Plinium* imperante
41 *Trajano* vixisse pro certo *Serenus* recepit: unde id sumpsit, nisi ex Junioris Panegyrico *Trajano* dicto, aut ex epistolarum volumine, in quorum inscriptione *Novocomensis* fuisse legeretur? Quare, & quidem, ut existimo, satis aperte colligo, aut si naturalis historiæ scriptorem patria *Novocomensem* fuisse *Serenus* legit, litem adversarios amisisse, & frustra hunc civem suum extitisse *Pantheum* contendisse: aut si *Veronensem* esse intellexerat, omni stupidissimo stupidiorem *Serenum* videri, qui duos unum potius esse voluerit, quia nomine, & cognomine convenirent; quam, quod patria distinguerentur, de diversitate argumentari. Sed faciamus historiæ *Plinii* naturali patriæ mentionem defuisse; an ne conterraneum quidem suum in præfatione *Catullum* Plinius appellavit, aut ejus ne loco aliquid aliud substitutum *Serenus* legit? Hoc fautores *Panthei*, ut admittant, non puto adeo oscitantes fore, quo nihil aut *Pantheo* magis adversari, aut *Novocomensibus* meis favere magis possit, defuisse præfationi *Plinii* verbum illud, quod totius controversiæ caput est, & fundamentum, sibi à *Pantheo* opinionis suæ constitutum. Vocaverit igitur Plinius conterraneum suum *Catullum*, an hoc verbum cum *Francisco Petrarcha*, & *Pan-*
42 *theo* ejusdem Territorii, aut ejusdem provinciæ cum *Hermolao Barbaro*, & *Andrea Alciato*, vel tertio quodammodo *Serenus* interpretatus est? Si primo modo, cum *Catullum* fuisse *Veronensem* nemo nesciret, sequitur tum gravissimum veternum *Serenum* occupasse, cum allocutus Imperatorem *Severum* duos *Plinios Veronensem*, ac *Novocomensem* patria quamvis distinctos, nominis, ac cognominis similitudine inductus, unum esse ineptissime, ac barde est argumentatus. Qui si aut altero modo, aut tertio verbi significatum accepit, convulso præcipuo suæ opinionis fundamento, ac funditus everso, de patria *Plinii* Novocomensibus meis *Panthei* fautor desinat posthac esse molestus. Quis enim adeo, vel inops consilii, vel *Panthei* fautor juratus esse possit, ut de verbi *Latini* significatu *Francisco Petrarchæ* plus fidei adhibeat, ac tribuat auctoritatis, quàm *Sereno?* Quis *Hetruscum* virum rudi illo seculo natum, quo *Latina* lingua jacebat penè extincta, atque in *Hetrusca* educatum *Sereno* uno vix seculo *Plinio* posteriori, qui *Latinam* linguam cum lacte hausisset, eaque tum imbutus esset, cum plurimum antiqui splendoris adhuc retineret, in *Latini* verbi vera significatione esse anteponendum existimet? Quis,
43 hoc dico, sentiat, nisi qui pro consilio pertinaciam, pro ratione vero ineptiam amplecti sibi in animum amantissime induxerit? Opinione igitur mea non idem prænomen, nomen, ac cognomen Seniori, Juniorique *Plinio* commune *Serenum* fefellit: sed cum his utrique eadem patria communis *Comum*, effecit, ut hoc nomine *C. Plinii Secundi* unum, non duos scriptores significari arbitraretur. Simili in errore *Eusebium* deprehendisse *Pantheus* se jactat, de quo *Serenum* accusaverit, duos *Plinios* unum esse existimantem Seniorem *Trajano* imperante floruisse, perperam tradidisse, quod ut recte a *Pantheo* dictum videri potest, ita velim eam animi ingenuitatem adhibuisset, quam ille ipse *Plinius*, quem suum facere contendit, tantopere commendavit *Hermolao Barbaro* nominato, ex quo hujus argumenti integras rationes exscripsit, quem utinam in reliquis imitatus esset: non enim opinionem suam adeo adamasset, ut *Plinii* vel per vim inter *Veronenses* referendi causa *Eu-*
A *sebii* negligeret auctoritatem, atque contemneret. Etsi enim nullam inter *Plinium* juniorem, ac seniorem differentiam *Eusebius* agnovisset; tamen non dixerim venia, sed excusatione dignus esset, 44
nam duos celebri fama cognitos nomine, prænomine, ac cognomine, adde etiam patria convenientes, quibus homines invicem distinguuntur, unum esse existimasse, non tam arguit *Eusebii* negligentiam, quam distinctionis difficultatem, ex qua *Pantheus*, aut cæteri posteriores, cum quibus me quoque volo numerari, *Plinii* sublatis epistolis, se numquam expedire, atque explicare potuissent.
B Excusationem hanc subodoratus *Pantheus* aliis nonnullis *Eusebii* lapsibus propositis ejus auctoritatem labefactare, sibi vero justioris in eum animadversionis fidem apud lectores conciliare studuit, quod & existimat abunde præstitisse *Persii*, & *Ennii* exemplo, quorum primum *Volaterranum* esse *Eusebius* prodidit, qui se *Ligurem* faciat, alterum *Tarentinum*, quem gravissimi Viri imprimis *M. Tullius* pro *Archia* poëta *Rudium* fuisse testantur. Cæterum de *Persio* quicquid *Aleardus* in colloquium à *Pantheo* admissus, ut haberet, qui annueret, ac renueret ad nutum suum, fautor opinionis accesserit;
C secus sentiunt viri auctoritatis minime vulgaris advenam, non indigenam Liguriæ *Persium* fuisse affirmantes, qui isthuc forte secessisset, ut ex his intelligitur, quæ paullo post ea carmina, quæ ut *Ligur* esse crederetur, effecerunt, in hunc modum leguntur scripta: 45

—— —— —— Mihi nunc Ligur ora
Intepet, hybernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, & multa litus se valle receptat;
Lunai portum est operæ cognoscite cives.

De *Ennio* dicerent viri litterati sibi idem non videri
D *Tarenti* natum esse, & esse *Tarentinum*, existimare se *Tarenti* nasci *Ennium* potuisse, quemadmodum *Eusebius* habet, eo parentibus divertentibus, qui *Tarentinus* non esset; vicissim *Tarenti* non nasci alium potuisse, qui *Tarentinus* esset. Aut *Tarentinum* facere *Ennium* maluisse *Eusebium*, quamquam *Rudius* esset, quod ob loci obscuritatem a plerisque regionem, in qua natus esset, ignoratam iri vereretur, quæ palam fieret *Tarento* nominato ob urbis celebritatem. Nam, ut Strabo *libro* suæ *Geographiæ sexto* auctor est, præter *Tarentum*, & *Brundusium* reliquæ *Japigiæ*, sive *Calabriæ* urbes cladibus afflictæ in oppida exigua degeneraverant,
E quo spectans forte *Cicero* de *Ennio* pro *Archia* causam agens dixit: *Ergo istum, qui hæc fecerat, Rudium hominem majores nostri in Civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem de nostra civitate ejiciemus?* Vel quod agro *Tarentinorum* forte *Rudiæ* adscriptæ forent, iidem ab *Eusebio* 46
Ennium *Tarentinum* esse factum affirmarent, sicut *Catullum*, qui semetipse in insulam *Benaci* natum esse testatur, *Veronæ* in lucem editum esse idem *Eusebius* professus est, non ignoravit *Rudias* Calabriæ oppidulum esse, quod *Ptolemæi* imitatione *Rhodiam* vocat paullo post scribens quorumdam opinione *Ennii* ossa ex *Janiculo Rhodiam* esse translata.
F Sed sint hæc omnia non dubia modo, & incerta, verum etiam falsa, adeo ne hospes in *Eusebii* lectione *Pantheus* erat, adeo ignarus *D. Hieronymi* præfationis, quæ huic volumini præfixa est, ut quod in ea ille ipse auctor profitetur, nesciat multa ad historiam *Romanam* pertinentia admiscuisse, quæ licet non ignoraret *Eusebius*, quod tamen græce scriberet, parumque suis necessaria esse arbitratus præteriisset. Quibus fit, ut an *Eusebio* potius, quam *D. Hieronymo* hæc, quæ de *Plinio* dicuntur, adscribi debeant, incerta deliberatio sit, iique parum prudenter fecisse videantur, qui

qui in *Eusebium* certò ea retulerunt. Verum enimvero, quò vobis maximè lectissimi adolescentes satisfaciam, & omnem de mentibus vestris dubitationem abstergam, volo hæc esse *Eusebii*,

47 volo in hoc nihil *Pantheum* peccasse, nec tamen *Eusebium* cæcutiisse. Cum enim intentioribus oculis mentis, quæ de *Plinio* ab *Eusebio* scribi creduntur, intueor; videre mihi videor ex diverso ejus de *Plinio* scribendi modo *Plinios* duos unum non fecisse: sed duos agnovisse, & utrumque invicem distinxisse. Anno Imperii *Trajani* undecimo *Plinium*, ait, provinciam quandam administrantem ab Imperatore quæsivisse, quid fieri vellet de Christianis; quæ ad *Plinium* juniorem pertinere certissimum est. Idem anno duodecimo *Plinium* Secundum *Novocomensem* Oratorem, & historicum insignem haberi scribit, quæ si de *Plinio* Seniore dici *Pantheus* voluit, noster *Plinius* est, & injustæ causæ *Eusebio* indice *Pantheus* patrocinatus est; sin ea in eumdem *Plinium* referenda censuit, quem prius nominasset, si me dicta adeo delectarent, sicut *Pantheum*, haberem acutissima, quibus ipsum hoc loco non modo appeterem, verum etiam figerem pœnis ab eo injuriarum expetitis, quibus nos scommatis vltrò lacessitos, quamquam obtusis, & parum sæpe salsis affecit, quale unum illud est, eum in vervecum patria natum esse, qui sibi de *Eusebii* lapsu in *Plinio* non assensisset. Sed non committam,

48 ut de eo me quisquam accusare possit, quòd in *Pantheo* non probo, nec ulterius procedam, ac longius excurram, quàm officii mei, & instituti ratio patiatur, cujus est, ut dicam, si ea, quæ proximè attigimus, in eum *Plinium*, quem *Eusebius* loco præcedenti commemoraverat, *Pantheus* retulerit, videri *Plinium*, qui anno priori præfuisset, posteriore agnitum esse, quasi villæ aut abjectissimæ familiæ, vel potius ovium gregi custos præfuerit, qui *Pontum*, qui *Bithiniam* proconsul administravisset, qui consul fuisset, qui denique pluribus, & amplissimis magistratibus functus esset, cum in ipsis gerendis nondum agnosceretur. Quid quod ibidem *Eusebius* dicat *Plinium* Vesuvii conflagrationem invisentem intercluso spiritu decessisse: quæ sive ex *Suetonio* sumpta esse *Pantheus* fateatur, hic ea concedit *Suetonii* esse, quæ prius in eum referri noluisset: seu ex *Plinio* juniore, nam præter hos duos nemo ex vetustioribus auctoribus hoc scripsit, in epistola ad *Tacitum* excerpta esse dixerit. Quid miremur amentem quendam interrogatum, quò properaret, ut nescio quem insanum (se ipsum autem nominabat) videret, qui laqueo sibi vitam ademisset, respondisse. Cum *Eusebius* hoc, quod diximus, *Pantheo* concedente, *Plinium* de se ubi, & quando sit mortuus, scripsisse testetur? Di-

49 cam aliter, quæ hoc secundo loco de *Plinio* ab *Eusebio* dicuntur certiore argumento à *Pantheo* in *Plinium* juniorem referri non posse, quia senior *Trajani* imperium non attigerit, qui ne *Domitianum* quidem viderit imperantem: quàm ego hæc eadem de Juniore dicta non esse affirmare possum, quòd is, qui nimio studio accensus visendæ propius *Vesuvii* conflagrationis suffocatus est, non extiterit. Quòd cum adeo notum sit, ut non indigeat demonstrari; tamen ne, si quid ad firmandam causam nostram facere possit, neglectum id è me videatur, hoc quoque addere visum est. Anno duodecimo *Trajani* principatus *Plinium* juniorem non decessisse, ex ejus ad *Hadrianum* epistola posse demonstrari, cujus alter consulatus, bis consulem enim eum appellat *Plinius*, in extremum *Trajani* imperii annum incidit, quòd bis consul imperium adeptus fuerit, auctore *Spartiano*; sed cui *Dio Nicæus* adversatur scribens *Aproniani* patris testimonio, qui tum, cum Imperator *Hadrianus* denuntiatus est; *Ciliciæ* præerat, nihil eum præcipuum à *Trajano*, præter *Syriæ* præfecturam, obtinuisse. Utrosque arguit nummus primo Imperii *Hadriani* anno cusus, quo designatus Cos. II. legitur. Sic enim habet: 50

IMP. CAES. DIVI TRA. PARTH. F. DIVI NER. N. TRAIANO HADRIANO AVG. P. M. TR. POT. COS. DES. II.

Hoc idem alterius quoque nummi, & antiquæ marmoreæ inscriptonis testimonio confirmatur, in quibus tribunitia potestas anni secundi cum secundo consulatu conjungitur, & anni tertii cum tertio consulatu, quòd fieri non posse vobis satis perspectum est, ubi consul secundo adeptus Imperium fuisset, nisi duos annos integros inter secundum consulatum functum, & tertium initum interposuisset, quos continuatos nullo anno distinguente constat. Nec est, cur dicatur errorem esse in nummo, qui Cos. II. pro III. habuerit. Nam tertiò consulatu inito anno imperii primo ad quincti mensis extremum imperii, & tribunitiæ potestatis, annus secundus tribunitiæ potestatis universus in tertium Consulatum incidisset, adversantibus antiqua inscriptione, & nummo mox dicendis, in quibus tribunitiam potestatem secundo assumptam cum secundo Consulatu *Hadrianum* gessisse legitur, in veteri quidem inscriptione in hunc modum:

IMP. CAESARI DIVI TRAIANI PAR- 51
THICI F. DIVI NERVAE NEP. TRAIANO HADRIANO AVG. PONT. MAX. TR. POT. II. CONS. II.

In nummo vero sic:

IMP. CAESAR TRAIANVS HADRIANVS AVG. PONT. MAG. TR. POT. COS. II. ADVENTVS AVG. S. C. Hic porro *Hadriani* Romam primus adventus est: protinus enim ab imperio suscepto *Romam* venire non potuit rebus imperii ita postulantibus, cum aliæ nationes deficerent, aliæ ad defectionem erectis animis aspirarent. Quæ si vera sunt, præterquam quòd anno *Trajani* XII. non decessit *Plinius* junior, etiam *Hadriani* principatum vidit, quem, ut diximus, *Hadrianus* Cos. II. designatus obtinuit. Verum, ut arbitror, verius *Arrio Antonino*, quod aliis placet, Epistola data est, quàm *Hadriano:* siquidem in ea is, cui inscripta est, ætate princeps civitatis appellatur, *Hadriani* ætate hoc non admittente, quæ XL. non excederet; cum *Arrius Antoninus* ex *Julio Capitolino* annis ante imperium *Trajani* duodecim nepote *Antonino*, eo, qui post *Hadrianum* imperavit, jam nato, avus esset, tantæque auctoritatis, ut evecto ad imperium *Nervæ*, cum Senatus uni-
versus gratularetur, solus eum amplexatus dicere sit ausus; „ Senatui, populoque ac provinciis „ de te quidem principe valde non gratulari non „ possum; tibi nullo modo possum, cujus imò misereor, & doleo plurimum conditionis, quòd onus tantum senex subieris, quo nullum, aut molestius, aut periculosius esse potest.„ Eundem *Capitolinus* in vita nepotis *Antonini* bis consulem fuisse commemorat, *Asiæ*que proconsulem nemini in ea gubernanda prudentia, aut integritate, præterquam nepoti imperatori secundum, ac morum sanctitate insignem. Alterum porrò consulatum annis post primum XXVII iniit in initio *Nervæ* principatus, quo sanè tempore ætate principem eum fuisse civitatis nullam admirationem habet. Quæ, qui cum his contulerit, quæ de *Hadriano* dici videbantur, eadem esse judicabit, nec quòd *Plinius* eum, qui *Hadrianus* fuisse legitur, in epigrammatibus, ac jambis græcis adeo excelluisse prodidit, ut *Callimachum*, vel

Herodem superaret, id *Antonino* adversatur, cujus idem libro epistolarum quincto versus pluribus nominibus, quarto verò epigrammata græca totidem commendat. Missam his de causis facio hanc epistolam, quæ verius *Arrio Antonino*,
53 quàm *Adriano* scripta est, & hoc certissimo argumento *Plinium* juniorem anno imperii *Trajani* duodecimo tantum abesse, ut extremum diem obierit, ostendo, ut ne, imperante quidem ejus sexto consulatu, quin in annum imperii quartum decimum incidit, migraverit è vita: quippe qui libro epistolarum secundo ad *Arrianum* scribit, se jussum cum *Cornelio Tacito* Afris adfuisse *Marium Priscum* accusantibus, qui proconsul iis præfuerat: interfuisse autem *Tucium Cerealem* virum Consularem, præsedisse Imperatorem tum consulem plenissimo Senatu, actam causam Januario mense. Cæterum *Tutius Cerealis* Consul cum *Commodo* anno imperii *Trajani* nono iniit: Imperator vero post quinctum consulatum, quem ante *Cerealem* Consulem gesserat, sextum non iniit ante annum quartum decimum, quo præsedisse potuit, & *Plinium* vehementius dicendo incensum per libertum retro stantem admonere, quòd epistola habet, *ut voci, laterique consuleret:* qui si non fuit is annus, necesse est, ut sub *Hadriano* imperatore causa acta sit, cum à sexto consulatu alium nullum gessisse *Trajanum* constet, quicquid *Cassiodorus* septimum ei, antiquis omnibus inscriptionibus adversantibus, & nummis,
54 adscribat. Sensit providus *Pantheus* objectiones, eisque occurrit solito, & sibi valde familiari præsidio expunctionis hujus partis (periit, dum invisit *Vesuvium*) quam additam esse *Eusebio* ab impressore temerario, aut sciolo, vel falsario emendatore affirmare non addubitavit. Sed eorum innocentiam græci codices, sivè manuscripti, sivè impressi, majoris, ut arbitror, apud doctos auctoritatis egregiè tuentur. Verum quod alibi fecimus, nonnulla *Pantheo* concedentes, hanc illi quoque expunctionem condonemus, cui Cassiodorus *in Chronicis* suffragari videatur, cætera, quæ de *Plinio* historico scribit *Eusebius*, referens his demptis (periit, dum invisit *Vesuvium*); tamen ne sic quidem fit, ut hoc loco de juniore *Plinio Eusebius* agat, de quo priori anno scripserat, eo provinciam gubernante, animadversum, aut verius sævitum in Christianos esse, *Plinium secundum* appellans, patriæ mentione præterita, quam sequenti *Plinio* addidit, *Plinium* eum *secundum* Novocomensem oratorem, & historicum insignem vocans, ut distingueret à priori, quem si cum oratore, & historico eumdem esse putavisset, oratione non divulsa, & interrupta, sed continuata usus esset: pòst Christianæ persecutionis
55 narrationem, sine intermissione subjungens, idem *Plinius Novocomensis* fuit orator insignis, & historicus hoc tempore habitus, ac cætera, quæ sequuntur. Illud vero fortasse tam certum non est, quàm sibi videtur *Pantheus* persuasisse, historias *Plinium* juniorem ideò conscripsisse, quia libro epistolarum suarum quincto ad *Capitonem* scribat ejus consilio se pariturum historiæ scribendæ de ea ipsa materia, quæ sibi ab eo proponeretur. Ut omittam enim plurimum interesse scripsisse quempiam historiam, aut scribere voluisse: nemo est in tanta scriptorum antiquorum, aut recentiorum copia, qui junioris *Plinii* historiæ meminerit; cum qui historiarum ab avunculo scriptis consignatarum mentionem fecerint perquammulti ex antiquis inveniantur, quorum etiam commendatione, atque auctoritate probentur. Sed quid in iis diutius distineor? Quid hæc infirmiora attingo? Nec ultrò hoc quoque. *Panthei* fautoribus concedo omnia, quæ de *Plinio* scripta in *Eusebio* leguntur, ad Juniorem pertinere; satis ne suæ causæ hoc pacto consultum putant? Satis ne prospectum? Fortasse illis ita videatur; mihi certè satis provisum videri non potest, cum ad hoc sequatur, quod ab omni veri similitudine longissimè abest, *Plinii* junioris *Eusebium*, aut *D. Hieronymum*, & *Cassiodorum* in 56
Chronico, ac venerabilem *Bedam* libro de natura rerum meminisse, senioremque *Plinium* scriptorum copia, varietate, ac doctrina longè anteponendum prætermisisse, hunc oblivioni tradidisse Juniorem, quantum in ipsis fuit, nominis immortalitati consecrasse, quem ego quoque eruditionis haud exiguas laudes promeruisse agnosco, fateor, ac præ me fero; sed ità ut ne ille cum Seniore de litterarum excellentia contendat, quem qui cum laude nominaverint, omnibus sæculis posterioribus viri litterarum gloria insignes inveniuntur, non æquè multos junior habuit, qui suum nomen scriptis celebrarent, aut ab eo litteris mandata frequenter commemorarent, ut hoc quoque refugio *Pantheus* destituatur injuriæ temporum accusandæ, per quam ante, ac post *Eusebium* aliquot sæculis senioris operibus latentibus factum sit, ut ab illustrioribus illorum temporum scriptoribus silentio præteritus fuerit; studiosorum ejus, quibus ab incunabulis orator absolutissime instituitur, atque informatur, meminit Quinctilianus *libro Institutionum* suarum *tertio*, & *undecimo*, Aulus Gellius *Noctium Atticarum nono*, sæpissimè Carisius, *Historiarum belli Germanici*, mentio extat apud Cornelium Tacitum *in Annalibus*. Suetonius *in Imperatorum vitis* Plinium *in historia naturali* adducit, nec non *Serenus Sammonicus* ad *Severum*; eadem à *D. Hieronymo* pulcherrima appellatur, alias multiplici omnium rerum scientia referta: D. Augustinus *de civitate Dei* scribens ejus judicium secutus est. Taceo Aulum Gellium *tertio noctium Atticarum*, & Junium Philargyrium *in Georgicis Virgilii*, ac in eisdem *Servium*, Macrobium *tertio Saturnalium*, venerabilem Bedam *lib. de nat. rer.* sæpè in fine, *Isidorum etymologum*, atque Vincentium Bellovacensem cum *in speculo historiali*, tum *in naturali Plinii* naturalis historiæ meminisse, quam hoc sæculo, quo cetera ejus opera desiderantur; docti pariter, & indocti tractant, alii honorificentissimè, asperrimè alii, vel eò usque progressi, ut de plaustro semper loquentes, quasi sua sint ex tripode omnia, scriptorem omnium ætatum commendatione Illustrem *Asinum* appellare non dubitaverint, quorum immoderatam licentiam, ac penè plusquam *Persicam* arrogantiam, quia gravissimi viri impositis eorum tergis accommodatis clitellis represserunt, vel potius obtriverunt, ac contuderunt, communemque dolorem post acceptum damnum sapere eos docentes abundè puniverunt. Privatas mihi hoc loco injurias ulciscendas esse non duxi: aut his plura de laudibus historiæ *Plinii* naturalis subnectenda, tanti ab *Andrea Alciato* nobilissimo jurisconsulto æstimata, ut unam facilè junioris *Plinii* cunctis operibus præferendam fuerit judicaturus. Est igitur hæc oratio tota de *Plinio* instituta, quæ sub anno *Trajani* imperii duodecimo legitur, in Seniorem, non Juniorem sine controversia referenda, neque existimandum est, Seniore præterito sivè *Eusebium*, sivè divum *Hieronymum*, vel *Cassiodorum*, aut venerabilem *Bedam*, solius Junioris meminisse. Etsi enim, quæ de Junioris *Plinii* proconsulatu in *Eusebii* Chronico leguntur ejus esse ex tertio ecclesiasticæ ejusdem *historiæ libro cap.* XXXII. & necessitate anni edicti adversus Christianos editi, à *Trajano* moderati in historia significandi firmam facio conjecturam: tamen cætera, quibus anno sequenti *Plinii* eruditio commendatur ad *D. Hieronymum* pertinere mihi verisimile fit, qui se multa

ta *Romanæ* historiæ propria *in Chronico* ab Eusebio consulto præterita in gratiam *Latinorum* interposuisse testetur. Cæterum hoc loco detectum à *Pantheo* ulcus rursus recrudescit, videri *Plini-*
59 *um* Seniorum *Trajani* Principatum vidisse, qui *Tito* Romanum imperium administrante extremum diem clausit, urget *Pantheus*, quodque illi optandum maximè fuerat, fateor plusculis ante annis, quam *Trajanus* imperaret, seniorem *Plinium* decessisse, Juniore nondum adolescentiam egresso, qui duodecimo imperii *Trajani* anno senex esset. Fateor *Vesuvii* conflagrationem, cujus fumus avunculum oppressit, in annum *Titi* principatus alterum incidisse. Vnum illud non fateor ulcus, ut *Pantheo* visum est, hoc esse, atque adeò *Cacoëthes*, & insanabile. Volo ego luxationem esse, cujus etiam sit sanatio facilis *D. Hieronymi* hac de *Plinio* sententia in pristinam sedem anni imperantis *Titi Secundi*, unde excidit restituta, quam fortè *Cassiodorus* exturbavit, à quo sub eo præcisè *Trajani* imperii anno collocatur, qui legitur in *Eusebio.* Cum enim *Plinium* Secundum legisset apud *Tertullianum*, *Eusebium*, vel *D. Hieronymum*, & *Orosium*, *Trajanum* de Christianus consuluisse, atque ità ait *Orosius*, ut rescriptis lenioribus edictum Imperator temperaverit, nominis, ac cognominis similitudine, maximè verò communi utrique patria adductus, eundem esse arbitratus, qui Orator, & Histori-
60 cus insignis habitus est, eo in loco Seniorem in suis chronicis collocavit, qui Juniori debebatur, partem autem illam (periit, dum invisit *Vesuvium*) subticuit ob temporum *Vesuvii* conflagrationis, & imperii *Trajani* diversitatem, ea ipsa ratio, ut *Vesuvii* conflagrationis mentionem præteriret, *Bedæ* quoque persuasit. Qui verò *Cassiodorum* post *Bedam* secuti sunt ejus auctoritate inducti, & ea ratione, quam ex duorum *Pliniorum* ignoratione colligebant, non potuisse *Plinium*, qui proconsul *Ponto* præfuisset *Trajano* imperante sub *Tito*, quo principe memorabile illud *Vesuvii* incendium accidit, è vita pluribus ante annis emigrasse, quæ de *Plinio* historico, & oratore sub *Tito* in *Eusebio* legebantur, ea in duodecimum *Trajani* principatus annum, qui proconsulis *Plinii* junioris anno proximus est, transposuerunt, nulla ejus partis (periit, dum invisit *Vesuvium*) detractione facta, quam apud *Eusebium*, vel fragmentum illud, quod *Suetonii* esse creditur, vidissent. Hinc fortè est, quod de anno, quo *Plinius* floruerit, *Bellovacensis* a *Cassiodoro* dissentiat: nam quem hic duodecimum esse voluit, quartum decimum fuisse ille professus est. Ferè enim de recta via digredientium proprium
61 est, ut unam non teneant; sed, ut sibi quisque melioribus niti conjecturis persuaserit, diversas ingrediatur, & longius aberret. Modestius egit cum D. Hieronymo *Pantheus*, eum enim excusavit, sed ita, ut de *Plinio*, *Ennio*, & *Persio* prius accusaverit, & vulnus finxisse videtur, cui hoc nomine mederetur, quòd gravioribus studiis, atque officiis impeditus interpretationem notario, se teste, tumultuariè *D. Hieronymus* dictaverit, qui tamen velocissimè, non temerè, non negligenter, aut inconsideratè dixit, præstitisset enim interpretationem non attigisse, quàm aut minus occupato ansam accuratioris versionis præripuisse, aut lectori erroris occasionem præbuisse. Dicam quòd sentio, nomen occupationis non tam probabilem excusationem, quàm latentem accusationem significare videtur in eo præsertim, qui non coactus, sed spontè, & ultro hanc operam aggressus est *Eusebii* historiæ *Latinæ* faciendæ; sed ne excusationis quidem fuit ulla necessitas, occasio ulla. Nam si hæc *Eusebii* sunt, memor consilii sui, & sibi ab operis initio propositi in-

A stituti, *D. Hieronymus* fideliter ea *Latina* fecit, quæ de *Plinio*, *Persio*, & *Ennio* Eusebius scripserat: *Græca* enim, ut mox dicam, fidelissimè exprimere curavit. At falsa sunto. Interpres est, non emendator, nec sibi curæ fuit inquirere diligentius, atque ad examen revocare, quam 62
rectè singula ab *Eusebio* scriberentur; sed quàm rectè à se Latinè redderentur. Quòd si hæc omnia fortè, de quibus agitur, *D. Hieronymi*, non *Eusebii* fuerint: quid *Eusebius* de eo accusatur, quod ne scribere quidem cogitaverit? Quid ab eo pœnæ reposcuntur erroris, si quis est, à *D. Hieronymo* commissi, qui non solum interpretis, verum etiam scriptoris in hoc opere officio functus est. *Sciendum enim*, inquit, in operis Eu-
B sebii præfatione, *Me esse*, & *interpretis*, & *scriptoris ex parte officio usum: quia*, & *græca fidelissimè expressi*, & *nonnulla*, *quæ mihi intermissa videbantur adjeci*, *in Romana maxime historia*, *quam Eusebius hujus conditor libri*, *non tam ignorasse*, *ut potè eruditissimus*, *quam*, *ut græcè scribens parum suis necessariam perstrinxisse*, *mihi videtur*. Aut igitur non peccavit *Eusebius*, aut *D. Hieron.* excusatione non eguit, in quo nihil est, de quo reprehendi possit, quasi hallucinatus duos *Plinios* unum esse crediderit, nec Seniorem a Juniore distinxerit, quorum unum
C simpliciter *Plinium*, scilicet Juniorem in epistola centesima octava ad *Domnionem*, & *Rogatianum* appellavit scribens, *optima quæque*, ut ait Plinius, *malunt contemnere plerique*, *quàm discere*, 63
quæ libro primo epistolaram ad Voconium scripta apud Juniorem inveniuntur. Seniori autem cognomen perpetuò addit Secundi libro decimo quincto commentariorum in *Esaiam* prophetam cap. LIV. Quarto commentariorum in *Hieremiam* cap. XVII. & libro nono commentariorum in *Ezechielem* vigesimo octavo capite: nec non secundo adversus *Jovinianum*, eumdem oratorem, & philosophum decimoquincto Commentariorum
D in *Esaiam* citato capite nominavit, qui si non suo loco collocatus est, sicut diximus pro *Eusebio* respondentes, *Cassiodoro*, aut ex posterioribus alicui, non *D. Hieronymo* id ascribi debuisse asserere me fautores *Panthei* patiantur. Sed tempestivum est, ut ad ea tandem propugnacula *Panthei* opinone inexpugnabilia, mea haud ægrè, expugnabilia, sermonem nostrum conferamus, de verbi (*conterraneus*) significatu primum agentes, quem ille sic accipi posse inficiatur, ut *terra* in communi apud *Varronem*, ne illud absurdum incurramus, conterraneum suum esse a Plinio *Catullum* appellatum, hoc est ex eodem mundo. Cum
E ea lego Patres, quæ *Pantheus* de balneis edidit, vir mihi magnæ, ac variæ lectionis videtur; cum 64
rursus quæ de communi terræ significandi potestate hoc loco ab eo scribuntur, ut video, minimum eum legisse existimare possum. Non enim hoc ego assero, aut alius quisquam ex his, qui patrocinium pro *Novocomensibus* meis sumpserunt, conterraneum hoc loco sic accipi, ut terra primo illo modo, & communi significato à *Varrone*; sed hoc verbo conterraneum, *Cattullum* ejusdem regionis, sive provinciæ cum sua *Plinium* fecisse: terra enim *Gellio* teste noctium Atticarum tertio libro, capite octavo regionem significat; dum ait. *Cum Pyrrhus rex in terra*
F *Italia esset.* Dicant hunc scripsisse inclinante jam *Latinæ* linguæ majestate; quare accipiant *Plinium* libro naturalis historiæ tertio capite quincto de *Italia* scribentem: *Eam terram omnium terrarum alumnam*, & *parentem appellasse.* M. Catonem *in oratione de Achæis* dicentem: *Cumque Annibal terram Italiam laceraret*, *atque vexaret.* & in certo originum libro terram *Siciliam*: quòd si malint sibi *Varronem* proponi, au-

diant quid is scribat in libro rerum humanarum de diebus. *Multi verò in terra Umbria unum, & eundem diem esse dicunt à meridie ad meridiem in-*
65 *sequentem.* & alibi in eodem opere, *Terra Italia de Græco vocabulo appellata.* Deficiet me dies, si omnes auctores persequi voluero, qui terræ nomine regionem intellexerint, quorum in numero cum *Cicero* sit, ejus hoc loco auctoritate contentus ero pro *Pompeo* scribentis: *Mithridates non fuit eo contentus, quod ei præter spem acciderat, ut illam posteaquam pulsus erat terram unquam attingeret*: & in opere de inventione: *In terra hostili turpiter jacuit insepultus.* Itaque communi nomine terra sumpta non solum orbem terrarum significat, verum etiam regionem, ut *Italiam* Varrone auctore, vel eo ipso in loco, qui adducitur à *Pantheo* de orbis terrarum significatu, ubi *Pantheum* in adducendo *Varrone* culpa carere præter me alius nemo fortasse existimaturus est, causa cur præteritum esset à *Pantheo* exemplum *Italiæ* terræ in explicando communi significatu extitit, ut conficeret præter orbis terrarum significationem, quæ à *Plinio* in verbo *Conterraneum* intelligi non potuit, nullam aliam extare, ex qua regionem *Plinium* intellexisse quisquam argumentari possit. Ego vero malim desiderio, & ardore incensum *Veronensis Plinii* faciendi cæcutientem *Pantheum* exemplum *Italiæ*, perinde ac non scriptum, præteriisse, a quo ver-
66 bo secundum hanc significationem accepto, militari quadam licentia legiones in castris Conterraneum dirivarunt ad milites diversarum provinciarum distinguendos. Quod intelligens *Plinius* subjicit: *Agnoscis hoc verbum castrense?* scilicet, ut indicaret eo modo se *Catullum* conterraneum accipere, quo in castris usurpatur ejusdem provinciæ significandi milites causa, & perindè, ac si in castris extitisset, verbo minimè *Latino*, nec usquam à *Latinis* scriptoribus recepto usum, *Conterraneum* suum *Catullum* dixisse, ex eadem aut *Italia*, aut, quod verisimilius est, *Italia Transpadana*, vel *Gallia Cisalpina*, aut *Togata*, aut *Transpadana*. Hic erigit se *Pantheus*, arcem ex cloaca fecisse nos putat, & gloriatur auctoritate *Plinii*, & *Ptolemæi* nos convinci apertissimè erroris: hic namque, sub *Venetis* *Veronenses* refert, *Novocomenses* sub *Insubribus*: ille naturalis historiæ libro tertio *Comum*, & *Mediolanum* in *Italiæ* undecima regione collocavit; *Veronam*, *Brixiam*, ac *Cremonam* in decima recensuit. Possem excludere *Pantheum* subterfugiens argumentum, hac *Italiæ* divisione rejecta tamquam depravata, quod alii regionis undecimæ loco nonam legant, & decimam undecimam faciant, aut etiam aliter legendum putent. Sed valeat hoc
67 patrocinium, quòd licet satis probabile sit, mihi infirmo satis fundamento innixum videtur, cum hæc omnis regionum numeri controversia sit emendatoris mendum inducentis, non auctoris. Hoc verius sentio, *Italiam* pluribus olim modis antiquos divisisse; unde *Plinius* naturalis Historiæ libro tertio, capite quincto se descriptionem *Italiæ* ab *Augusto* factam sequi præfatus est, ne plures divisiones lectori aut imponerent, aut impositæ falsum videri se facerent. Cum itaque pluribus *Italia* modis divideretur, alius aliam arbitrio suo divisionem secutus est, ne miremur milites in verbi *Conterraneus* significatu aliam quandam *Italiæ* divisionem, non *Augusti* secutos in castris fuisse, quos verisimilius est ante *Augustum* verbum (*Conterraneus*) liberate militari sæpe usurpatum, eadem libertate post *Augustum*, ejus neglecta descriptione in eadem significatione accipientes antiquam divisionem intellexisse: qua ratione hujus verbi significatum ad regionem relatum *Novocomenses*, ac *Veronenses*, quod hi unam,

A alteri alteram penes *Augustum* regionem teneant, levi admodum argumento comprehendere *Pantheus* negavit. Diximus, quinetiam Conterraneum suum vocatum à Plinio *Catullum* fuisse, quòd ejusdem uterque terræ Transpadanæ inqui- 68
linus esset, sic autem ipsam appellavit cum Cispadana comparatam; hic *Forojulienses* Transpadani cognominati sunt eodem auctore *libro historiæ naturalis tertio capite XIX.* in regionis decimæ sivè *Venetiæ* descriptione. Idem in calce vigesimi capitis. *L. Æmylio Paulo*, *C. Attilio Regulo Cos.* nuntiato *Gallico* tumultu solam sine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc sine *Transpada-*
B *nis* equitum LXXX. peditum DCC. M. armasse testatum reliquit. *Transpadanorum* nomine eos intelligens, qui ultra *Padum* Italiæ reliquum incolebant. Cæterum Strabo *libro* suæ *Geographiæ quincto* aliter omnino *Italiam* partitus est; & quidem in pauciores partes, primam faciens, quam decimam, & undecimam *Augustus* numeravit, cum parte quadam nonæ, hanc vero in *Cispadanam*, & *Transpadanam* divisit, quam *Venetos*, & *Gallos* incolere voluerit, in ea paulò post oppida recensens *Mediolanum*, *Veronam*, *Brixiam*, *Mantuam*, *Regium*, & *Comum*: post pauca item: Ergo, inquit, quæ trans *Padum* sunt, *Veneti* in-
C colunt; sub quibus, si *Veronenses* comprehenduntur, hos quoque Transpadanos esse necesse est;
Sed hæc, atque alia plura missa facio, quæ ne- 69
cessaria non videntur, cum *Catullus* se ipse *Transpadanum* esse testetur in *Egnatium* hæc scribens.

Si Vrbanus esses, aut Sabinus, aut Tyburs,
Aut parcus Umber, aut obesus Hetruscus,
Aut Lanuvinus acer, atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam.

Ex his in me patrocinii desiderium fallit: hoc haud dubiè colligitur, vel *Veronenses* esse *Transpadanos*, vel *Catullum* non esse *Veronensem*. Siquidem enim, uti *Pantheo* visum est, *Veronen-*
D *ses* non sunt *Transpadini*, qui fieri potest, ut, qui *Transpadanus* est, qualem se *Catullus* facit, *Veronensis* sit: vel quod mihi prudentiori, ut arbitror, consilio videtur, si *Catullus Veronensis* est, cum se *Transpadanum* esse profiteatur, non sint *Veronenses* Transpadani. *Catullum* hoc in loco secutus *Plinius* conterraneum suum eum vocavit divisionem eam *Italiæ* intelligens, quam *Catullus* sequeretur, minimè verò posteriorem illam ab *Augusto* institutam, quam alibi idem *Plinius* spectans haud æquè conterraneum suum *Catullum* appellavit, qui nostrum dubioprocul dicturus fuerit, ubi ambo *Veronenses* extitissent; libro nam-
E que naturalis historiæ XXXVI. Capite VI. *Hic est*, inquit, *Mamurra Catulli Veronensis car-*
minibus proscissus: trigesimo vero septimo ejusdem 70
numeri capite simpliciter eum *Catullum* appellat inquiens, *Quem Catullus poëta in sella curuli visum indigne tulit.* Nec aliter eundem indicavit secundo capite libri vigesimi octavi dum ait: *Hinc Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos, proximeque Virgilii incantamentorum amatoria imitatio.* Quibus in locis patriam posteritati explicare præstiterat, quam ad Imperatorem *Titum* scribentem ejus meminisse, quasi Principi litteratissimo ignotæ. Cæterum quòd non
F solum *Plinii* nobis auctoritatem *Pantheus* objecerit, *Veronam*, & *Comum* regionibus distinguentis, verumetiam *Ptolemæum* in *Insubrum* numero *Comum*, *Venetorum Veronam* reponentem, huic quoque propria responsione satisfaciendum esse duxi difficultati; tametsi ea, quæ proximè pro solvenda *Plinii* objectione allata est, ad defendendam ab auctoritate *Ptolemæi* opinionem nostram satis esse poterat. Inprimis autem si qui fortè in tanto, atque adeò frequenti studiosorum adolescentium conventu *Ptolemæi* testimonio adducti *Pantheo* de regionum ista diversitate sibi favendum putant, hos

71 hos præcipuè, ut adsint animis suis, appello, & cognoscant *Comum* inter *Insubriæ* urbes, aut perperam à *Ptolemæo* referri, aut aliam quandam secutum divisionem *Novocomenses* inter *Insubres* retulisse. Nam, qui imperante *Augusto* scripsit *Livius* libro ab urbe condita trigesimo tertio inquens: *Marcellus Pado confestim trajecto in agrum Comensem, ubi Insubres Comensibus ad arma excitis castra habebant, ducit.* Et post pauca: *Triumphavit Marcellus in magistratu de Insubribus, Comensibusque.* Secutus Livium *Sigonius* summo consilio exesam in fastis Capitolinis hujus triumphi mentionem propè universam restituit in hunc modum:

M. *Claudius* M. F. M. N. *Marcellus* Cos. *de Comensibus, & Insubribus* A. DLVII. IV. *Non.* M . . . . *triumphavit.* Quid? Naturam hos terminos, ac limites quodammodo constituisse, & *Insubres* à *Comensibus* distinxisse, quod *Pantheum* latuit, olimne graculi quidem, ac monedulæ ignorarunt, quos ex *Insubribus* in agrum *Novocomensem* perindè, ac alienum, & extra fines positum irrumpere, ac naturæ fœdera violare non fuisse ausus *Plinius* libro naturalis hist. X. cap. XXIX. memoravit his verbis: *Italia jux-*
72 *ta Alpes Larium Lacum appellat amœnum arbusto agrum ad quem Ciconiæ non transmeant, sicuti nec octavum citra lapidem ab eo immensa alioqui finitimo Insubrium tractu examina graculorum, monedularumque.* Idem Ptolemæus *Bergomates* regionibus à *Comensibus* destinguens cum *Veronensibus* inter *Cenomanos* retulit, quos *Plinius* junior *lib.* VII. *epist.* ad *Falconem* ejusdem, cujus & *Comenses* regionis fecit; dum *Cornelium Minicianum* Bergomatem, uti loco opportuniore indicabitur, ornamentum appellat regionis suæ. Neque verò est, ut *Panthei* fautores hoc loco repetant adeptum adoptionis jure civitatem *Veronensem* Plinium juniorem ejusdem se cum *Bergomatibus* regionis fecisse. Nam, ut omittam parum probabile, aut ne probabile quidem videri eum *Ptolemæi* uno propè sæculo posterioris, quam *Plinii* senioris, quam avunculi, & patris *Italiæ* partitionem sequi maluisse, antiquos geographos suo quemque arbitrio, nec uno modo, ut dicebam, *Italiam* divisisse præclare constat. Nec quia in *Como*, & *Verona* regionibus distinguendis *Plinius* Senior, & *Ptolemæus* conveniant, cæterorum geographorum convincitur eundem fuisse consensum, quippe hi ipsi *Plinius*, & *Ptolemæus*, qui in *Verona*, & *Como* regionibus distinguendis consentiebant, in *Bergomatibus* dissensere, quos hic à *Novocomen-*
73 *sibus* disjunctos cum *Veronensibus* conjunxit, ille ab his discretos cum *Novocomensibus* in eadem regione collocavit: ex quo intelligitis, Patres, quàm lubrico, quamque incerto *Pantheus* insisteret argumento, cum *Veronæ*, ac *Comi* regionis ex *Plinio*, & *Ptolemæo* diversitatem prætexens eò conterraneum suum ab homine *Novocomensi Catullum* Veronensem dici non potuit, contendat. Jam verò ne locus dubitationi sit ullus reliquus; quoniam *Conterraneum* suum Plinius *Catullum* appellaverit, quòd ex eadem, ut diximus, *Gallia* aut *Cisalpina*, aut *Togata* esset; ne nos quispiam Ptolemæi *Togatam Galliam* cis *Padum* referentis auctoritate arguat, id quoque quomodo factum sit, paucis vobis exponam. Cum *Romani* omnis sibi *Italiæ* ad *Carnos* usque Imperium armis vindicassent, omnem eam partem, cujus pro limite *Rubico* est ex una parte, ex altera *Formio*, in provinciam redactam, *Galliam Togatam*, sive *Cisalpinam*, sive *Citeriorem* nuncuparunt, cujus administrandæ causa ad eam Prætor cum imperio mittebatur; ut ex Livio libro *ab urbe condita tri-*
74 *gesimo nono* conjectari licet, cum ait, *Galli Transalpini in Italiam transgressi oppidum in agro, qui*
A *nunc Aquilejensis est, ædificabant, id eos ut prohiberet, quod verbis, si sinè bello posset Prætori Galliæ L. Julio mandatum est; si armis prohibendi essent, Coss. certiores faceret.* paulo post. *Iisdem Gallis cum sese Cos. sponte dedissent ægre ferentibus, quòd sibi adempta arma essent per legatos Romæ conquestis, Senatus, inquit, responderi jussit. Neque illos rectè fecisse, cum in Italiam venerint, oppidumque in alieno agro nullius Romani Magistratus, qui ei provinciæ præesset, permissu ædificare conati sunt.* Oppidum igitur in *Romano* solo *Galli* ædificabant, quod ad provinciam *Galliam* pertineret, cui cum præesset *L.*
B *Julius* Prætor, idcirco ei cura data est, ut eos ab ædificatione verbis averteret, si armis opus esset, Consules admoneret. Non ita multo post verò Coloniam *Aquilejam* deductam esse, idem *Livius* scribit, cujus tamquam ad provinciam suam *Galliæ* pertinentem Cæsar *primo de bello Gallico* mentionem facit in hunc modum. *Tres legiones, quæ circum Aquilejam hyemabant, ex hybernis educit, & quà proximum erat iter, per alpes in ulteriorem Galliam contendit.* Eamdem *Galliam* Citeriorem *Togatam* Romanos appellasse, testis est *Hircius* octa- 75
vo libro de bello *Gallico* scribens, *legionem duodecimam, quæ cum Labieno in hybernis fuerat, in*
C *Togatam Galliam Cæsarem misisse ad colonias civium Romanorum tuendas, ne quod simile incommodum accideret ex incursione Barbarorum, ac superiore æstate Tergestinis accidisset, quia repentino latrocinio, atque impetu incolæ illorum erant oppressi.* Idem ad calcem, *Cæsar*, ait, *cum in Italiam venisset, & omnes regiones Galliæ percucurrisset, hujus municipiis, & coloniis gratias agens, quod frequentiam, atque officium suum Antonio præstitissent, summa celeritate ad exercitum Nemetocennam redisse, & exercitu lustrato T. Labienum Galliæ Togatæ præfecisse, quò majore com-*
D *mendatione conciliaretur ad Consulatus petitionem.* Dio quoque citeriorem *Galliam Togatam* esse libro historiarum XLVIII. memorat inquiens, *ex Gallia etiam Togata, quæ tum Italiæ legibus, ac institutis formata fuerat, ne in Cisalpina regione ejus gubernandæ causa essent exercitus alendi pecunia ipsis, militesque adducebantur.* Hinc Cicero in Philippica duodecima, *ut omittam*, inquit, *reliquas partes Galliæ; nam sunt omnes pares, Patavini alios excluserunt, alios ejecerunt missos ab Antonio, Pecunia, militibus,* 76
& quod maximè deerat, armis, nostros duces adjuverunt. Sed Strabo libro quincto Geographiæ,
E *M. Lepidus*, inquit, *& C. Flaminius devictis Liguribus, hic Flaminiam viam stravit à Roma per Hetruriam, & Umbriam usquè Arminium; ille deinceps Bononiam usquè; & indè usque ad Aquilejam juxta radices Alpium paludibus ingirum circumventis, tamquam loca ad provinciam suam Galliæ pertinentia.* Pressius hanc viam alii describentes ajunt stratam esse ab *Arimino Bononiam*, ac *Placentiam*, atquè indè opere circumducto, *Mediolanum*, *Bergomum*, & *Patavium* usquè ad *Aquilejam*, Idem *Strabo* post *Æmiliæ* viæ descriptionem *Galliæ Citerioris excellentiam prædicans, ac rerum omnium largissimum proventum, medio-*
F *crem lanam in ea Patavium producere*, inquit, *ex qua fiant pretiosi tapetes, gausapa, & alia id genus, vel utraque vel unica superficie villosa.* Eadem ratione a *Livio* dictum est *libro ab U. C. XLIII.* interrogatos à Senatu *Aquilejenses*, vellent ne eam rem *C. Cassio* Cos. cui *Gallia* sorte obvenerat, mandari: respondisse *Cassium* indicto *Aquilejam* exercitu profectum per *Illyricum* in *Macedoniam* esse. His factum est, ut *Pomponius Mela* de *Venetis* scribens hos in *Gallia Togata* libro secundo 77
collocaverit; quamquam post *Augustum* ante *Plinium* de situ orbis opus ab eo conditum constet.

Sed vereor me vobis, Patres, tam multis rem apertam persecutum, molestum evasisse; quare transfero me ad argumentum *Panthei* ex familia desumptum, cui plurimum in hac causa ille confidebat, eò *Plinium* esse *Veronensem* argumentatus, quia *Secundus* esset, quorum familiam *Veronæ* esse comminiscebatur: Sed aut nullum argumentum est, aut si aliquid est, *Plinius* noster est. Obscurè loquor, dicam apertius. Si id circo Plinius *Veronensis* est, quia *Secundorum* familia, quæ nulla est, *Veronæ* olim extiterit, ex qua *Plinius* esset: multò rationabilius eumdem ego *Novocomensem* fuisse concludo; quia *Pliniorum* familia *Comi* plurima fuerit; nusquam alibi, præterquam *Veronæ* nescio cujus illius lapidis assentatoris testimonio, qui litteras, qui syllabas, qui verba ad sensum, & voluntatem *Panthei*, & aliorum quorumdam ex se promat, & proferat tanquam ex arca. Nullam porrò *Secundorum* esse familiam: *Pliniorum* esse *Benedictus Io-*
78 *vius*, *Andreas Alciatus*, *Franciscus* pater, & *Thomas Porcachius*, & antiquorum scriptorum auctoritatibus productis, & verissimis rationibus abundè demonstrarunt; quibus, si quis nolit credere, quamquam hac in re suspecti esse non possint, adeat *Panvinium Veronensem* in libro de antiquis *Romanorum* nominibus adversus *Pantheum* apertissimè certissimis, firmissimisque rationibus pronunciantem. Ego enim, cum hæc, tum cætera, quæ à scriptoribus proximè nominatis referuntur, omnia duxi prætereunda; uno antiquorum epigrammatum lapideorum gravissimo testimonio, quod nemo illorum attigit, opinionem meam confirmaturus. Hoc præfatus quòd ex tribus nominibus, quibus *Romani* singulos homines olim invicem distinguebant, illud ad familiam pertinere necesse fuerit, in quo cum patre filii, ac nepotes, aut inter se convenirent: in quo vero diffiderent, nullo pacto illud familiam significasse. At tertio loco magna ex parte diversis nominibus appellabantur, primo etiam nonnumquam commune omnibus erat alterum nomen: quare cum *Secundus* tertio loco in *Plinio* legatur, *Cajus* primo, *Plinius* secundo, neque *Cajus*, neque *Secundus* familiam significabunt, sed *Pli-*
79 *nius* medium locum occupans, sive, alterum in *C. Plinio secundo.* Jam verò tertium nomen sæpe patri & filiis. Primum interdum iisdem, & nepotibus fuisse diversum attendite me demonstrantem Adolescentes, ac primum de tertio; deinde de primo differentem. *Veronæ* igitur simile extat epigramma.

L. AQVILIVS SECVNDVS L. AQVILIO CHARITONI, ET PVBLIAE VENERIAE PARENTIBVS.

Romæ vero

D. M.

CN. ANTONIVS AGATHOPVS, ET ANTONIA AMPLIATA CN. ANTONIO AMPLIATO FILIO DVLCISSIMO, QVI VIXIT ANN. XIII. MEN. VIII. DIES V. FECERVNT PARENTES INFELICISSIMI, ET SIBI ET SVIS L. L. P. Q. EORVM.

Ibidem in ædibus *Aurelii Matthæi* trans *Tiberim.*

D. M.

M. CARIENIO M. F. VENVSTO Q. V. AN. VIII. M. X. M. CARIENIVS FELIX, ET CARIENIA VENVSTA INFELICISSIMI PARENTES FEC.

Flerii in æde *D. Zeni.*

L. CORNELIO SECVNDO, QVI VIXIT ANNOS X. M. V. D. XX. L. CORNELIVS GLYCON PATER INFEL. FILIO DVLCISSIMO

A *Comi* 80

L. ALFIO L. F. MARCELLINO L. ALFIVS RESTITVTVS PATER.

In horum epigrammatum primo pater loco, tertio *Chariton* est filius *Secundus*, in altero pater eodem in loco *Agathopus*, filius Ampliatus in tertio, pater *Felix*, filius *Venustus*, in quarto pater *Glycon*, filius *Secundus*, quincto pater *Restitutus*, filius *Marcellinus* appellatur. Quos omnes secundo loco in nomine convenire constat, Fratres tertio in loco diffidere, quæ sequuntur antiqua monumenta demonstrant. *Brixiæ* legi-
B tur in vetustissimo lapide. P. ACILIO HELIODORO VI. VIR. AVG. P. ACILIVS HELENVS FRATRI PIISSIM.

Ibidem in æde *D. Nazarii.*

P. RVFRIVS P. F. BALBINVS DECVR. IN COLONIA.

SIBI, & RVFRIO P. F. PEDONI FRATRI.

Romæ vero in domo *Carpensi.*

M. ATIVS FELIX M. ATIO FAVSTO FRATRI.

Vnus igitur fratrum epigrammatis primi tertio loco dicitur *Heliodorus*, alter *Helenus*; Uterque se-
C cundo loco *Acilius*: familiam enim redolens non mutatur. & alterius epigrammatis unus *Balbinus*, alter *Pedo* tertio loco, uterque *Rufrius* secundo. Vltimi verò unus *Felix*, alter *Faustus* 81
tertio loco, secundo *Atius* uterque. Ceterum tertium nomen, neque patri, & filio, neque fratribus commune esse unius, & ejusdem epigrammatis auctoritate constat, quod *Mediolani* apud Virgines *D. Bernardini* legitur in hunc modum.

M. CASSIVS M. F. OVF. CACVRIVS SIBI, ET ACLIAE MANDVILLAE VXORI, ET M. CASSIO BROCCHO FIL. ET L. CASSIO DONATO FIL. INFR. P. XX. IN AGR.
D P. XX. Tertio in hoc epigrammate loco pater *Cacurius* est unus filiorum *Brocchius*, alter *Donatus*, omnes *Cassii*; sed primum nomen nonnumquam patri, filiis, ac nepotibus diversum esse satis erit ex marmoreis tabulis *Capitolinis*, sivè *Verrii* fastis ostendisse, in quibus cum plurima hujus diversitatis exempla extent, sequentibus ero contentus, legitur Anno ab V. C. CCLXXXVIII. Q. FABIVS M. F. K. N. CCXCVII. M. VALERIVS M. F. VOLUSII. N. CCCI. P. SESTIVS Q. F. VIBI. N. CCCII. A. MANILIVS CN. F. P. N. CCCXXXIV. Q. SERVILIVS P. F. SP. N. CCCXXXVIII.
E C. VALERIVS L. F. VOLVSII N. CCCXLVI. N. FABIVS Q. F. M. N. CCCC LII. K. FABIVS M. F. Q. N. CCCLXXX IV. L. PAPIRIVS SP. F. C. N. In quibus filium, & nepotem cum patre aut inter se in primo nomine, quod prænomen vocant, non convenisse apertissimè constat. Primi namque exempli Avus fuit *Kæso*, 82
filius *Marcus*, *Quinctus* nepos; Alterius avus *Volusius*, *Mænenius* filius, nepos *Marcus*; Tertii avus *Vibus*, filius *Quinctus*, *Publius* nepos *Marcus*, Tertii avus *Vibus*, filius *Quinctus*, *Publius* nepos; Quarti avus *Publius*, filius *Cneus*, nepos avus; *Quincti* avus *Spurius*, filius *Publius*, nepos *Quinctus*;
F Sexti avus *Volusius*, filius *Lucius*, nepos *Cajus*; Septimi avus *Marcus*, filius *Quinctus*, nepos *Numerius*; Octavi avus *Quinctus*, filius *Marcus*, nepos *Kæso*; Ultimi avus *Cajus*, filius *Spurius*, nepos *Lucius*. Quod in secundo nomine tamquam ad familiam pertinente convenisse omnes certum est, ut de hoc, nisi qui in antiqua *Romanorum* nominandi consuetudine penitus infans extiterit, nemo dubitare possit. Quare nullam non dicam dubitationem, sed dubitationis suspicionem habet in *C. Plinio Secundo*, *Cajum* prænomen, & cogno-

cognomen *Secundum*, ac familiæ nomen, quod secundo loco legitur, *Plinium* esse; unde velit nolit *Panthei* fautor, ut fateatur, necesse est, si vis aliqua, si pondus ullum erat in argumento *Panthei*, ubi *Secundus* familiam significasset, nostrum demonstrare: quod, *Plinium*, nomen esse
83 familiæ habeto pro fundamento, cum ipsam familiam *Comi* fuisse diximus, idque multis antiquorum lapidum inscriptionibus adductis nunc ostendemus: Una earum *Comi* legitur in marmorea tabula olim in suburbio *D. Vitalis* reperta, mox in templi maximi pariete collocata, quæ sic habet. C. COESIDIO EVZELO VI. VIRO C. PLINIVS PHILOCALVS AMICO OPTIMO IN CVIVS TVTEL. COESIDIVS EVZELVS COLLEG. FAB. DEDIT HS. II. L. D. D. COLLEG.

In æde *D. Provini*:

D. M.

C PLINII VALERIANI MEDICI, QVI VIXIT ANN. XXII. M. VI. D. V. PARENTES.

In uno vero ex Suburbiis in æde *D. Joannis* cognomento *Leonis*:

D. M.

P. PLINII PLINIANI..... Cætera vetustas delevit. In promontorio, quod *Larium* duas in partes secat, quarum una *Comum* versus extenditur, altera *Leucum* alluit, unde *Bilacii* nomen indictum, monumenti marmorei fragmentum extat cum inscriptione:

M. PLIN.....

Proximis annis primo ab urbe nostra lapide marmorea basis effossa est in æde *D. Martini* pa-
84 gi *Allebii*, nunc *Comi* visitur in publica porticu templo maximo conjuncta collocata, quæ pro multis sufficiat, Inscriptio hæc est:

V. F.

C. PLINIVS CALVOS VIVR SIBI ET PLINIS SVCCESS. VL. VXORI CHRIS ....ET SVCCESSORIBVS L. CASTICIO L. F. OVF. CATVLLO IV. VIR AED. POL. GENERO L. CASTICIO. L. F. OVF. MAXIMO NEPOTI PLINIS THARSAE ET VERECVNDAE PAT. PLINIO CERDONI FR. PLINIO PHENOMEN. AMICO.

In templi majoris pariete antiquum epigramma extat, in quo de juniore *Plinio* hæc leguntur:

C. PLIN. L. F. OVF. CAECILIO SECVNDO COS. AVG. CVRATORI AL. TIBER. ET RIP... reliqua vetustas sustulit. *Fegii* vero quatuor millibus ab urbe nostra passibus in æde *D. Juliani* epigramma quale sequitur, legitur.

C. PLINIO L. F. OVF. CAECILIO SECVNDO COS. AVGVR. CVR. ALV. TIB. ET. GLOAC. VRB......AE FE....R. SAT. PRAEF. AER. MIHI.... Q. IMP. SEVIR. EQ.... R. TR. MIL. LEG. III. GAL. X. VIRO STL. IVD. FL. DIVI T. AVG..... VERCELLENS.

Admonet me locus, ne præteream cujusdam epigrammatis *Plinii* junioris Panvinium *libro Fa-*
85 *storum secundo* meminisse, in quo dicitur *Caji* filius, & *Caji* nepos tribu prætèrita, quàm proximè recitata inscriptio cum ea, quæ *Mediolani* in æde *D. Ambrosii* extat, habet; cui in cæteris paucis demptis simillimum est à *Panvinio* adductum epigramma, quòd in hunc modum ille retulit:

C. PLINIVS C. F. C. N. CAECILIVS COS. AVGVR LEGAT. PROPRAET. PROVINC. PONTI CONSVLARI POTESTATE IN EAM PROVINCIAM AB IMP. CAESARE NERVA TRAIANO AVG. GERMANICO

A MISSVS CVRAT. ALVEI TIBERIS, ET RIPAR. PRAEF. AERARI SATVRNI PRAEF. AERARI MILIT. LEG. VI. GALLIAE. X. VIR. ALIT. IVDICANDIS

Cæterum duobus hoc mihi nominibus, epigramma suspectum est, quod *Caji*, non *Lucii* filius in eo *Plinius* dicitur, & legio sexta nominetur, quam nusquam memini me legisse inter illius sæculi legiones numeratam, *Dio* namque *Libro historiarum LV.* referens singularum ad sua usque tempora legionum nomina unius tertiæ *Galliæ* legionis meminit, qui annis post *Plinium* juniorem
B plus centum floruit, unde facilè fit, ut credam legionem quartam, & sextam *Gallicas*, quarum mentio in vetustis nonnullis inscriptionibus extat, post *Dionem* additas esse, ac *Plinium* juniorem legionis sextæ *Gallicæ* Tribunum in epigrammate 86
suo dici non potuisse, sed tertiæ, cujus Tribunum fuisse *Plinium* in eo epigrammate legitur, quod *Fegii* diximus inventum. Nam quod *Mediolani* est, cætera, quæ proximè retuli de Tribuno legionis *Gallicæ* habet, sed deest mentio tertiæ à vetustate abolita in hunc modum. TRIB. MILIT LEG....... GALLICAE quod integrum in epigrammate *Fegii* apparet. Quod porrò
C ad pronomen patris pertinet; si nescirem *Panvinium* in antiqua *Romanorum* exploranda consuetudine summo studio incubuisse, facilè suspicarer in ea ipsum opinione fuisse, ut arbitraretur filios adoptivos distinctionis gratia semper paterni prænominis, quod ex lege consecuti fuissent, meminisse, hocque fundamento adductum pro *Lucii* filio in inscriptione *Plinii*, *Caji* filio scripsisse. Nunc quoniam in hoc genere studii cum laude consenuerit mutati prænominis, quàm eum, scribam volo potius fieri auctorem; & cum omnis quæ *Comi*, quæ *Fegii*, quæ *Mediolani* inscriptio legitur, *Lucium* habeat, ejus
D loco falsò *Cajum* dictum esse existimare, ac pro patris naturalis prænomine, ejus, quem lex dedisset patrem, prænomen esse substitutum. Cum enim exempla nonnulla extent, qualia secutus *Panvinius* patris voluntarii, non naturalis præ- 87
nomine filios adoptivos distingui consuevisse, conjicere potuerit: non desunt alia, quibus appareat filios adoptivos patris naturalis prænomine, quem patrem natura dedisset, indicasse, & eo distingui maluisse. *L. Calpurnius Piso Cæsoninus* à *L. Calpurnio Pisone* adoptatus *Caji* filius, & *Caji* nepos dicitur à Verrio *in Capitolinis fastis* adhuc
E in hoc loco integris, qui adoptionis causa *Lucii* filius dici debuerat. Quinetiam *Q. Fabium Maximum Rullianum* à *Quinctio* adoptatum *Verrius* in tabulis Capitolinis *Marci* filium appellat, quod in patrem ex lege dictum referri non potest. Neque vero prænomen modo patris naturalis additum filium in adoptionem dato observavimus; verumetiam prænominis loco appositum cognomen, ut in *P. Cornelio Scipione Africano Æmiliano*, qui patre natus *Lucio Æmilio Paulo*, *Vellejo Paterculo* auctore *libro primo*, datus in adoptionem filius *P. Cornelio Scipioni* in antiqua inscriptione
F Romæ *Pauli* filius dicitur, non Publii in hunc modum. P. CORNELIVS PAVLI F. SCIPIO AFRICANVS COS. II. AVGVR TRIVMPHAVIT II. Quæ res facit, ut nesciam, cui vir gravissimus *Sigonius* restituturus, quæ deficiunt ab antiquitate abolita in tabulis Capitoli- 88
nis in hoc *Africano* dixerit: P. CORNELIVS P. F. P. N. SCIPIO AFRICANVS AEMILIANVS, nisi ipse quoque patris voluntarii prænomen semper additum ab adoptivo filio aliisque ejus significandi causa, à quo fuisset adoptatus existimavit; quod neque verum esse constat, neque videtur fuisse necessarium, cum ipso prænomine, quod

quod numquam non fuit ejus, qui adoptasset in filio adoptivo, quale adoptatoris prænomen esset, indicaretur. Neque par ratio fuit patris, & filii naturalis, ut ob hujus prænomen patris prænominis commemoratio reticeretur, tamquam in filio præcognita. Nam interdum, ut diximus, pater, & filius prænomine distinguebantur. Cæterum Imperatorum adoptivi filii prænomine, gentilitio naturali servato, dignitatis causa in antiquis inscriptionibus semper Imperatorum filii nepotes, pronepotes, & abnepotes sunt dicti, his non prænomine ut in cæteris, sed cognomine significatis argumento sequentis *M. Aurelii Antonini* monumenti. IMP. CAESARI M. AVRELIO ANTONINO AVG. PONTIFICI MAX. TRIB. POT. XVII. COS. III. DIVI ANTONINI PII FIL. DIVI HADRIANI NEPOS. DIVI TRAIANI PARTHICI PRON. DIVI NERVAE AN. AV-
89 XIMATES PVBLICE.

Atque hoc loco hæc indicare volui, ne recitatum à *Panvinio* epigramma duos *Plinios Cæcilios Secundos* vixisse videri imposterum faciat, unum *Caji* filium, ac nepotem, alterum *Lucii* ex tribu *Oufentina*, ac novas de *Pliniis* quæstiones serat. Quibus missis, repeto institutum de *Pliniorum* familia sermonem, cujus plurimæ, ac nobilissimæ olim apud nos multa, ac certa testimonia produximus, quæ nemo possit cavillorum tenebris offusis obscurare (aut alia quavis ratione, quominus propositum nostrum confirment, ulli persuadere. Proferant vicissim, si possunt *Panthei* fautores, vel unicam Veronæ *Pliniorum* inventam memoriam dempto marmore illo antiquo, in cujus inscriptione referenda *Veronensium* quorumdam conspiratio tanta est, quanta inter occupatos in colli columbæ coloribus æstimandis, qui in hoc uno summè conveniunt, quòd maximè diffident, atque discordant. Sibi quisque enim inscriptionem, quam voluit, atque admavit, finxisse potius animo videtur, quam visus beneficio usus exscripsisse: tam varia, tam multiplex, ac dissimilis est ab iis scriptis consignata, *Pantheus* namque sic eam retulit:

PLINIVS SECVNDVS AVGVR PATRI MATRI MARCELLAE TESTAMENTO FIERI IVSSIT.

90 Torellus Sarayna *in libro de antiquitate Veronæ* eamdem sic habere testatur:

PLINIVS SECVNDVS AVG. MARCIVIAE MARCELLAE MATRI POSTERI. PATRIAE MATRI MARCELLAE.
T. F. I,

Alexander Benedictus *in epistola ad cives Veronenses de naturali Plinii historia* à se emendata sic legit:

---INIVS
--CVNDVS
AVGVR
--RCIVIAE
--RI
--CRIPATRI
--MAE MATRI
MARCELLAE
T. F. I.

Sed in Onufrio Panvinio, *libro Fastorum secundo* ea descripta in hunc modum jacet.

C. P- INIV.
--NDV
.AVG
--RCIVIAE
--CELLAF.
-- RI
--FRI PATRI
91 --MAE MATRI
MARCELLAE.
T. F. I.

A Quanta in his exemplis ex eodem epigrammate descriptis differentia sit, quanta dissimilitudo, nemo non videt, ut enim omittam principium, de quo abundè in præcedentibus dictum à me audivistis: in reliquo *Pantheus* à *Torello* hoc discrepat, quod verbo, *Marciviæ posteri*, & *patriæ* caret, semel tantum matris, & *Marcellæ* meminit, quarum bis mentio a *Torello* facta est: patrem verò addidit, quem *Torellus* præteriit. Idem dissidet ab *Alexandro* verbis mutilis-*rciviæ-ri*, &-*eri*, præteritis. Ab *Onufrio* verò iisdem omissis, &-*cellæ*. Sed ab *Alexandro Benedicto* in eo differt *Torellus*, quòd à *Marciviæ* nomine,
B quod loco-*rciviæ*, interpretatus est, addit *Marcellæ*, & loco syllabæ-*ri*, habet *matri*, & prò-*cri patri*, *posteri*, & *patriæ* dixit, -*mæ* nihil meminit. quæ syllaba proxima verbo matri in *Alexandro* antecedit, hac vero sola ab *Onufrio* dissidet; ad quod verba inchoata, verba integra de suo ingenio retulit. Sed nec *Alex. Benedictus* quoque cum *Onufrio* convenit, quamquam verba mutila retulerit: sicut Onufrius observavit, -*cellæ* namque, omisit, cujus in *Panvinio* mentio extat. Quod insigne dissidium, & aperta discordia in eo maximè 92 testimonio, quo præcipuo nos argui injusti patrocinii suscepti cum *Pantheo* cæteri profiten-
C tur, facit, ut credam Patres eo in hac causa, (quoniam contra ipsos potius est, quàm pro ipsis) *Novocomensium* meorum juribus haud contemnendam fieri accessionem, vos esse judicaturos. Non dicam, si quæratur de loco, in quo inventum epigramma sit, undè erutum, inter adversarios non convenire, quod vis, & nervus offensionis in epigrammate mihi non loco effossionis positum esse videatur: quamquam ne hanc quoque discordiam alius quispiam à me negligendam judicaverit, in qua, quod adjuvet nostram defensionem, aliquid inesse existimet. Illud potius dicam, quod proprium est epigrammatis, non loci; nec dissimulari posse vi-
D detur, mirari me viros gravissimos adversarios nostros, imprimis *Panvinium* in antiquarum historiarum lectione exercitatissimum, cum hominem, qui in epigrammate nominatur, solo Auguratu insignem fuisse memorabilem; non animadvertisse contrà *Plinium* seniorem pluribus splendidioribus magistratibus egregiè functis illustrissimum, Augurem facta ex *Plinio* juniore conjectura non extitisse. Quippe *libro epistolarum quarto* Arrio, 93 sibi de Auguratu per litteras eò maximè gratulato, quòd *Cicero* quoque fuisset Augur, respondet, cum hoc nomine sibi charum Auguratum esse; tum eò quod viro principi *Julio Frontino* successisset. Nihil meminit *Arrius* Plinii senioris,
E nihil junior *Plinius*, quorum aut illum *Cicerone* proposito patrem, & avunculum fuisse præteriturum verisimile non est, aut hunc exemplum externum, cum haberet domesticum, fuisse commemoraturum, qui avunculi memoriam sanctè adeò, ac religiosè coluit, atque observavit: ut *Capitoni* se ad historias conscribendas hortanti, cum innumera propè illi exempla non deessent, quibus ad hoc genus studii se incitatum profiteretur, uno senioris *Plinii* exemplo contentus *libro epistolarum quincto* in eum, qui sequitur, modum respondit. *Me verò ad hoc studium impellit domesticum quoquè exemplum, Avunculus meus, idemque*
F *per adoptionem Pater historias, & quidem religiosissimè scripsit. Invenio autem apud sapientes honestissimum esse majorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint.* Sed ne illud quoque omiserim, notam *Aug.* perindè, ac *Augur*, omninò significantem adversarios nostros accepisse, cum omnium, qui de his notis scripsere testimonio, ut 94 Augur nonnumquam, sic alias *Augustus*, vel *Augustalis* ea significet, quo fit, si fideliter *Panvinius* epigramma retulit, ut cum inter cognomen *Se-*

Secundus, & notam *Aug.* nescio quid vetustas delevisse videatur forte *I---I. Vir* non is potius *Augur*, quam *VI Vir Augustalis* fuisse debeat existimari: volo vero *Aug. Augurem* hoc loco significare, & *Augurem* fuisse *Plinium* seniorem; quid contra quam illius sæculi consuetudo ferebat, gesti ab eo summa cum laude magistratus in inscriptione *Testamento Fieri Iussa*, reticentur? Quid classis prætoriæ *Misenensis* cùm imperio castissime administrata silentio præterita est; cujus vel in ipsis sub præfectis, immò vero privatis militibus honoris ergo mentionis factæ in antiquis monumentis tale *Romæ* extat in hortis Carpensibus exemplum:

D. M.
MAGIA IANVARIA TATTAE SVO BENE MERENTI FECIT.
C. ANTONIO ANTARINO MILITI EX CLASSE PRAETORIA MISENATIVM VIX. ANN. XL. MIL. ANN. XXIV.

In ædibus vero *Laurentii Vellei* legitur:
T. FLAVI VALENTIS MIL. CLASS. PR. MISENENSIS AGRADIESIS VIX. ANN. XXVII. MIL. ANN. VI.

95 Sub præfecti Classis prætoriæ *Ravennatis* ejusmodi *Firmi* in Piceno monumentum visitur:

T. APPAEIO T. F. VEL. ALFINIO SECVNDO PROC. AVG. XX. HAERED. PROC. ALV. ATRECTIANAR. PRAEF. VEHICVL. SVB PRAEF. CLASS. PRAET. RAVENN. PR. ALAEE. I. AVG. THRAC. TRIB. COH. ACLIAE COH. IIII. GALL. PATRONO COL. BRITTON.

Sed quanti classis prætoriæ *Misenensis*, ac *Ravennatis* Præfecti æstimarentur; quantum onus, ac quàm nobile sustinere crederentur ex Vegetio *libro de re militari tertio* præclare habetur. Cum ait, apud *Misenum*, & *Ravennam* singulæ legiones *Romani* nominis cum classibus stabant, ne longius à tutela urbis abscederent; & cum ratio postularet, sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Nam *Misenatium* classis *Galliam*, *Hispanias*, *Mauritaniam*, *Africam*, *Æygptum*, *Sardiniam*, atque *Siciliam* in proximo, habebat: classis autem *Ravennatium*, *Epyrum*, *Macedoniam*, *Achajam*, *Propontidem*, *Pontum*, *Orientem*, *Cretam*, *Cyprum* petere directa navigatione consueverat, quia in rebus bellicis celeritas amplius solet prodesse, quàm virtus. Quanti verò privatim *Misenensem* Hadrianus Imperator fecerit ex data his, qui in ea sex, & viginti stipendia meruissent *Romana* civitate appa-
96 ret, de qua sic accepimus ex ænea tabula:

IMP. CAESAR D. TRAIANI PARTHICI F. D. NERVAE NEPOS TRAIANVS HADRIANVS AVG. PONT. MAX. TRIB. POTEST. XII. COS. III. PP. HIS QVI MILITAVERVNT IN CLASSE PRAETORIA MISENENSI, QVAE EST SVB IVLIO FRONTINO, SEX ET VIGINTI STIPENDIIS EMERITIS DIMISSIS HONESTA MISSIONE, QVORVM NOMINA SVBSCRIPTA SVNT IPSIS LIBERIS, POSTERISQVE EORVM, CIVITATEM DEDIT, ET CONNVBIVM CVM VXORIBVS QVAS TVNC HABVISSENT, CVM EST CIVITAS HIS DATA, SI QVI COELIBES ESSENT, CVM HIS, QVAS POSTEA DVXISSENT DVMTAXAT SINGVLIS SINGVLAS AD XII. R. MAR. P. IVVENTIO CELSO II. Q. IVLIO BALBO COS.

Sed *Tacitus* ejusdem legionis opera *Galbam* oppressum, & præsidio *Othonem* ad Imperium evectum esse scribit. Quibus maximè de caussis ejus in inscriptione *Plinii* præfectura mentionem non fuisse contemnendam, atque adeo præ auguratu negligendam, ut præteriret, mihi videor inanibus minimè conjecturis ostendisse, Quid igitur hujus præfecturæ, quid gestorum à *Plinio* seniore reliquorum magistratuum in hac inscriptio-

A ne nulla mentio legitur? De quibus partim ex epistola ad *Tacitum* libro epistolarum sexto, partim ad *Marcum* libro tertio junior *Plinius* scribit, *ad il-* 99 *lam quidem Miseni classem cum imperio gubernantem decessisse ad hunc, medium tempus distentum impeditumque, qua officiis maximis, qua amicitia Principum egisse pernoscitur.* Ibidem idem inquit: *in Hispania procuravit, & ante lucem ibat ad Imperatorem Vespasianum, inde ad delegatum sibi officium.* Idem ipse senior *Plinius* in historiæ naturalis præfatione ad Vespasianum: *Homines*, inquit, *sumus, & occupati officiis, succisivisque temporibus ista* B *curamus, id est nocturnis, ne quid vestris putetis cessatum horis: dies vobis impendimus.* Nusquam Augurem fuisse *Plinium* seniorem constat; multis maximisque officiis eundem præfuisse certum est, & inscriptio illi omni pumice, ut dicitur, aridior posita est, in qua quòd alibi nusquam Augur fertur extitisse, qui alibi referuntur ejus, & quidem maximi honores reticentur. In omnibus illius sæculi inscriptionibus, vel minima quæque officia recensentur: nihil negligitur: nihil omittitur, vel exemplo junioris *Plinii* inscriptionis, ne innumeras attingam. Quid hoc itaque Patres, quid hæc sibi vult tam jejuna, & nuda penè inscriptio? Quid si- C gnificat, nisi hoc significat, in detritis illis principii epigrammatis litteris legendis, aut adversariorum nostrorum oculos caligantes cæcutiisse, aut volun- 100 tatem potiùs, quam visum in judicium eos adhibuisse. Quem enim maximè illustrem esse, cupere, & optare debuerunt; hunc factum Augurem, qui non esset, præcipua, & nobiliori parte dignitatis denudarunt: hunc tot splendidarum administrationum integerrimè functarum honore spoliarunt: hunc de sublimiori gradu dejecerunt, atque deturbarunt, ac lumen illud honoris, & gloriæ splendore tanto studio conquisitum, extinxerunt. Hæc ejusmodi sunt, ut videar securus D meam ad alia convertere orationem jam posse. Sed ea est vis veritatis, ea potestas, quæ nullis vel cuniculis everti calliditatis, vel solertiæ præstigiis, captionibus labefactari possit, atque convelli. Ea imbecillitas, ac vanitas falsitatis, quæ multis sæpè modis expugnetur, atque opprimatur, ut quò diutiùs versor in hujus inscriptionis examine, & singula diligentius inspicio, atque perpendo; eò pluribus adversus *Pantheum* abundem argumentis, quibus cum vel frivolæ ipsæ ejus ratiunculæ, quas ex hac inscriptione per vim ille expressit, prorsus contundantur, atque elidantur, pro suscepto patrocinio ea dissimulare non E possum. Mihi enim antiquas inscriptiones, quæcumque *Romano* Imperio adhuc florente factæ ad 101 nos pervenerunt, quas *Panvinius*, & *Aldus* junior retulere, quas Veronæ *Torellus Sarayna*, Mediolani *Andreas Alciatus*, Comi *Benedictus Jovius* collegere, quasque alii magno labore conquisitas in unum volumen congesserunt, quibus *Verrii* quoque *Flacci* Fastorum, ac Triumphorum *Romani* fragmenti observatio accedit, memoria repetenti, ac mente circumspicienti omnes, cujus memoriæ causa in ære leguntur incisæ, aut in marmore insculptæ ejus patris, aut patroni mentionem visæ sunt habere adnexam, quod F me vobis paucis, quantum causa nostra postulat, exponentem audite. *Romani*, aut liberi erant, aut liberti: illi aut nati *Romani*, aut nuper in *Romanam* civitatem relati: Nati sursus Imperatores, Imperatorum filii, aut aliorum ordinum; & Imperatores, quorum patres imperassent, aut non imperassent. Priores sivè adoptivi filii, sivè naturales patre vivente Imperatorum filii scribebantur, patre solo cognomine significato, exemplo *Trajani*, à *Nerva* adoptati, cujus nummus sic habet:

NERVA CAESAR NERVAE AVG F. TRAIANVS GEM. PONT. TR. POT. COS. II. IMP.

Et *Titi Vespasiani* filii naturalis, cujus in num-
102 mo sic legitur:

TITVS CAESAR AVG. F. PONT. TR. POT. COS. II. IMP. III.

Et ejusdem in altero:

T. CAESAR AVG. F. VESP. IMP. PON. TR. P. III. COS. II. CENS.

Patre verò mortuo divi tantum filii, aut cognomine apposito divi filii dicebantur in hunc, qui sequitur, modum in *Neronis* nummo.

NERO CLAVDIVS DIVI F. C. AVG. GER. P. M. TR. POT. COS. IMP.

Titi vero inscriptione: IMP. TITVS CAESAR DIVI F. VESPASIANVS AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DES. IIX. P. P. Cum appositione cognominis legitur similis *Titi* inscriptio:

IMP. TITVS CAES. DIVI VESP. F. VESPASIAN. AVG. AVGVR. PON. MAX. TR. POT. IX. P. P. IMP. XVII COS. VIII. CENS.

Verum Imperatores qui nullo paternæ hereditatis jure, sed vi, vel Senatus, populique beneficio, ac suffragiis ad imperium pervenissent, patris in inscriptionibus nulla ratio habita est, fortè quòd patres nominasse Imperatoria majestate minimè dignum esse S. P. Q. R. vel ipsi etiam Principes censuerint; sicut ex *Galbæ*, *Othonis*, *Vespasiani*, *Nervæ*, *Pertinacis*, *Juliani*, & *Severi*
103 nummis, aliisque eorum inscriptionibus, in quibus patris nulla mentio extat, facilè quisque conjecturam facere possit. Nec nos commoveant, & ancipites animo reddant *Claudii* Principis inscriptiones, quibus *Drusi*, qui non imperavit, filius nominatur. Cum enim Imperatorum in numero non fuerit, ex Imperatoribus tamen propagatus *Augusti* nepos, ac filius *Tiberii*, ut filius *Claudius* Tiberii nepos, ac pronepos *Augusti* agnosceretur, efficiebat: utque imperium hæreditario jure adivisse videretur. Unius *Vitellii* nummus circumfertur, & inscriptio basis visitur, in quibus *Lucii* filius nominatur, qui præterquam quòd non imperavit, ne ex Imperatoribus quidem originem duxit. Sed ni me fallit conjectura, secum ille reputans, qua arte imperium invasisset, astutè cum imperaret, videri noluit imperare, nec major consule cum Cæsaris cognomen in omne tempus auctore *Tranquillo* recusaverit; *Augusti* verò distulerit. Unde ab initio ejus principatus cusi nummi, *A. Vitellius Germanicus Imp. Cos. Perp.* tantum habent, nulli cognomen *Cæsaris*. Aliorum autem ordinum *Romani* solo prænomine patres semper significabant, uti *Fabati* nostri monumenti argumento apparet, quod *L. Calpurnius L. F. Ouf. Fabatus* habet.
104 Tantum excipio, si quando patri, vel filio monumentum posuissent in elogiis de filiis, quos patres habuissent, dicere supersedisse, cum pater nominaretur prænomine, nomine, ac cognomine appositis, sive erga patres, sive erga filios hanc piæ memoriæ, & amoris significationem præbuissent. Observationis habeo testes epigrammata duo in præcedentibus recitata, quorum primum habet:

L. AQVILIVS SECVNDVS L. AQVILIO CHARITONI PATRI. In quo notis L. F. quibus *Lucii* filius significatur, filius periit, quod *L. Aquilius* pater protinus nominetur. Alterum sic:

L. CORNELIO SECVNDO L. CORNELIVS GLYCON PATER.

Notis L. F. omissis, ut minimè ad patrem significandum necessariis. Dissimilis valde ratio erat eorum, qui nuper *Romanam* civitatem adepti essent; patris enim loco ejus, qui sibi, vel civitatem impetravisset, vel impetrandæ auctor extitisset, prænomine, ac nomine assumptis, pro cognomine antiquo suo nomine utebantur, consuetudinis exemplum *C. Avianum Philoxenum* habeo inter *Novocomenses* meos, de quo sic *Cicero* lib epist. XIII. ad Acilium:

C. Avianum Philoxenum Cæsar meo beneficio in 105
Novocomenses retulit, Nomen autem Aviani consecutus est, quod homine nullo plus usus est, quam Flacco Aviano meo familiarissimo. Huc spectat quod epistola sequenti ad eundem, idem scribit: *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est. Ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit, qua in re ego intersui.* Itaque nunc *P. Cornelius* vocatur. Jam liberti, quos ultimo loco commemoravi patris loco, cujus liberti essent, inscriptionibus habuere; quod cum multis exemplis demonstrari possit, unum pro multis sat erit attulisse, quod plurium libertorum mentionem continet in hunc modum:

L. ANTESTIVS. CN. F. HOR. SARCVLO SATIVS, ALBANVS ANTISTIA L. L. PLVTIA RVFIA. P. F. TERTIA SOROR. L. ANTESTIVS. L. L. QVINCTIO. L. ANTISTIVS L. L. RVFVS L. ANTISTIVS. L. Ɔ. L. THAMYRVS L. ANTISTIVS L. Ɔ. L. ANTHVS. L. ANTISTIVS. L. L. HEROS CAPPADOX. Ex omnibus ac tam multis, ne longius digressus videar, & ab instituto prorsus divertisse, colligo ad *Plinium* seniorem, qui *Romanis* non imperaverit, non fuerit libertus, vel in civitatem nuper relatus, inscriptionem *Veronensem* testamento fieri jussam non pertinere, de qua, an patris mentionem ha-
beat, dubium est, & habentem tamen præno- 106
men deest, non vitio vetustatis sublatam, sed loco (si inscriptionis formam nobis à *Panvinio* exhibitam spectaverimus), in quo incisum esset deficiente, sicut etiam in initio, ubi C. F. aut cum alio prænomine legi potuerit, & ne quarundam inscriptionum exemplis, quibus, quàm dixerim aliter observatum videatur, quispiam adductus me quasi falsarium, & animo obstinato magis, quàm veri studioso fabulas comminiscentem accuset: id quoque adjicere visum est. Post communicatam ab imperatore *Antonino*, quem *Caracallam* fuisse nonnulli prodidere, cunctis imperio suo subjectis nationibus *Romanam* civitatem, uti *Digestorum lib. primo tit. quincto* de statu hominum *Ulpianus* auctor est, antiquam nominandi *Romanorum* consuetudinem, & inscriptionum rationem primam concussam, atque conturbatam, mox novis ritibus sensim sese in eam insinuantibus plurimum immutatam, atque adulteratam, tandem prorsus extinctam defecisse: atque ideo, si quæ sunt, quæ nobis adversari inscriptiones videantur, has esse imperio *Caracallæ* posteriores facilè sentio, cum ea, de qua lis est, in *Plinium* seniorem referatur plus uno sæculo anteriorem. Dicere possem de
Tribus omissione, deque aliis nonnullis, quibus 107
de falsa inscriptionis interpretatione adversarii arguuntur; tamen quod ullo rationis, vel sensus præsidio probari inficior posse, hoc ego illis concedo, hoc largior eum, qui *Veronæ* inscriptionem patri, ac matri testamento fieri jussit, *C. Plinium Secundum* extitisse: veram esse interpretationem, non simulatam, non fictam admitto; & *Plinium* quemdam (non illum nostrum naturalium historiarum scriptorem) fuisse volo *Veronensem*, forte nescio quem illum utroque *Plinio* patre, & filio adoptivo multo juniorem, qui ne medicis uteretur sibi de re medica libros quinque conscripsit; sit hic ille suus *Plinius* secundus, ille

le suus Augur, cujus præstigiis, non certioribus argumentis in eripiendo nobis *Plinio* nostro cum *Pantheo* fautores usi sunt: hujus illi accessione glorientur, & viris illustribus suis, nostrum nemine adversante, curent adnumerandum. Atque hactenus potiorum adversæ partis argumentorum radices convellere institi, quod mihi videor abundè præstitisse. Qui reliquus est cursus mihi non modo facilis, sed perfacilis, ac compendiosus ostenditur, prompta ad singula responsio, & omnium expedita confutatio. Nam quòd *Plinius* junior suos *Veronenses*, & *Catullum* suum diversis in locis appellaverit, utrumque dictum ab
108 eo est modo eodem, quo conterraneum suum *Catullum* senior *Plinius* vocavit, ejusdem provinciæ incolam, atque ab eodem prætore gubernatam, aut quo modo *Firmanos*, vel, ut alii, *Formianos* suos junior *Plinius* ad *Sabinum* patrocinii causa appellavit, & amicitiæ nomine *Quinctilianum Hispanum* suum dixit, eadem scribendi norma usus in omnibus prope epistolis simili ratione cum *Veronenses*, tum *Catullum* suos nominare potuit. Nec est, ut quisquam objectionem meam de *Catullo Transpadanos* suos appellante simili responsione diluendam putet. Nemo enim causas egisse *Catullum* prodidit, ut patrocinii aliquando *Transpadanorum* suscepti causa suos dicere potuerit; amicos vero plerosque *Transpadanos* habuisse, uti *Veronenses* plerosque junior *Plinius* sibi amicitia conjunctos habere potuit; id quoque haud facilè, ut verisimile plerosque omnes fore admissuros, existimo. Patronis autem suæ causæ, quos plurimos protulit *Pantheus*, cum in unius verbi (*Conterraneus*) significatu suæ illi opinionis fundamenta collocaverint ex iis, quæ de eo jampridem diximus, responsio facilis est. Reliquum
109 est, ut *Plinium* seniorem nullo pacto fuisse *Veronensem* firmissimo, certissimoque argumento ostendens, omnem præcidam dubitandi imposterum occasionem, cujus causa nonnulla mihi, vestra bona cum venia, Patres, vobis haud injucunda; studiosæ vero juventuti etiam utilia paulò altius sunt in hunc modum repetenda. *Romana* Republica, ut scitis, in aliquot Tribus distincta, in quibus cives suffragia in magistratibus designandis ferre consueverant, indies crescente, & novos cives admittente, novas quoque Tribus prioribus addi fuit operæ pretium, in quas novi cives conjecti sua suffragia cum cæteris civibus ferrent, quod ex *Livio* octavo ab U. C. libro constat scribente: *Anno ab U. C. CDXXII. Cornelio II. & Cn. Domitio Coss. Census actus est, novique cives censi. Tribus propter eos additæ Mœtia, & Scaptia, Censores addiderunt Q. Publilius Philo, Spurius Posthumius.* Hinc *Cicero* Secundo ad *Atticum* libro *Formianorum* Tribum *Æmiliam* refert, de qua *Livius*, libro ab U.C. XXXVIII. scribens, inquit: *Rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani, ac Fundani in Cornelia, Arpinates ferrent.* Sed Valerius Maximus libro IX. cap. X. *Quam ob causam*, ait, *Papiria Tribus, in qua plurimum Tusculani in civitatem recepti po-*
110 *tuerunt, neminem postea candidatum Poliæ Tribus fecit magistratum*, & Asconius Pædianus in secunda contra Verrem, *Tribus*, habet, *urbanæ rusticæque omnes XXXV. numerantur, ex quibus aliquam necesse est, cujusque ordinis fuerit civis Romanus, obtineat. Ibidem moris fuit*, inquit, *cum aliquis civis Romanus ostendendus esset, significaretur aut à Tribu, in qua censeretur, aut à prænomine, aut à nomine, aut à cognomine.* Ac tam multis fit, ut recepti quoque à *Romanis* inter cives *Veronenses* aliquam Tribum obtinuerint, in qua censiti suffragia ferrent, quæ qualis fuerint, antiquum monumentum indicat, in quo *Romæ* hæc leguntur.

M. APICIVS
M. F. PVB.
PVDENS
VERONA
MIL. COH. XII PR
MIL. AN. XXIIX.

Et alterum *Cetetæ* in agro *Veronensi*, quod habet:

D. M.
P. HOSTILIO P. F. POB. CAMPANO VENATORI P. HOSTILIVS TERTIVS DECVRIO VERONAE, ET ABIDIA MAXIMA PARENTES FIL. PIISSIMI ET SIBI. QVI VIXIT ANN. XXV. D. XXV. SINE CRIMINE 111
VITAE FLORENTES ANNOS.
MORS IPSA ERIPVIT.

Publiliam igitur, sivè, ut alibi *Publiliam* Tribum, in qua conjecti fuissent *Veronenses*, hinc constat, unde quotquot vetustæ marmorum inscriptiones Tribus mentionem habentes *Veronæ*, aut in ejus agro spectantur, omnes *Pub.* aut *Pob.* sive *Publiliæ*, aut *Poblilia* meminere. Legitur ibi:

D. OCTAVIVS L. F. POB. MARCELLINVS, &
M. CINTVLVS L. F. POB. Nec non
M. QVINCTIVS P. F. POB. Item
P. GRAECINIO P. F. POB. Quin etiam
Q. CAESIO Q. F. POB. M. NONIO M. F. POB. Q.
SALASIO Q. F. POB. L. TRVTTEDIVS P. F. PVB. &
P. HOSTILIO P.F. POB.

Plura habet *Torrellus* exempla, quæ hoc loco nihil attinet referre. Vt verò in hac Tribu *Verona* ferebat, sic *Brixia* in *Fabia*; in *Voltinia*, sive *Votinia*, aut *Voturia*, vel *Veturia Bergomum*; *Comum* in *Oufentina*, ut ex marmoreis tabulis in his repertis apparet. *Brixiæ* in Tribum *Fabiam* relatæ index ejusmodi inscriptio extat:

M. IVVENTIO. M. F. FAB. SECVNDO.... BRIX..... IAM...... POSTHVMIO PANSA VALERIANO COS.

Alibi in eadem urbe legitur: 112

Q. MINITIO. Q. F. FAB. POB. MACRO III. VIR.
VERON. Q. VERON. ET BRIX. MINITIA MATER.
D. D.

Obiter dixerim *Aldum* Juniorem in *Orthographia* hanc inscriptionem referentem *Fabiam* Tribum omisisse, quam *Panvinius* Veronensis additam se *Brixiæ* legisse testatur: & *Sigonius* qualem retulimus, a *Panvinio* sibi traditam affirmat. De eisdem *Brixiensibus* in *Fabia* descriptis via *Cassia* sic legitur:

D. M.
C. NIGIDIO. C. F. FAB. MARCELINO. BRIX. MIL. COH. I. PO. VII. LEPIDI MIL. ANN. V. VIXIT. ANN. XXIII.
S. RESTIANVS IVSTVS. B. M. F.

Hinc plures *Brixiæ* antiquæ visuntur inscriptiones cum *Fabiæ* Tribus mentione, ut

P. CLODIO P. F. FAB. SVRAE
C. CATIO C. F. FAB. PAVLO POSTVMIO IVNIORI.

Nec non:

C. PONTIO C. F. FAB. PELIGNO.
P. MARIO VOT. LVPERCIANO.

Bergomi vero in tribum *Votiniam* ferentis maximum argumentum est honoris ergo, & grati animi significationis imago, civi suo de se optimè merito, a IV. Viris Decurionum *Bergomatum* decreto loco dato posita cum hac inscriptione: 113

P. MARIO VOT. LVPERCIANO EQ. R. EQ. PVB. OMN. HONOR. MVNICIPAL. ADEPT. IVDICI. DE SELECT. SACERD. CAEMINEN. COLL. FABR. CENT. DEND. M. B. PATRON. CVIVS EXIMIA LIBERALITAS POST MVLTAS LARGITIONES, HVCVSQVE ENITVIT, VT LVCR. LII.... NAE REDEMPTVM A REP. SVA VNIVERSIS CIVIBVS SVIS IN PERPETVVM REMITTERET.

HVIVS TOT, ET TAM INGENTIA MERITA. ITA REMVNERANDA CENSVERVNT VT EFFIGIEM IIIIV. PERPETVA VENERATIONE CELEBRARENT L. D. D. D.

Ibidem *C. Cornelii Minitiani*, quem haud ita pridem *Bergomensem* fuisse me ostensurum pollicebar, epigramma cum Tribus *Votiniæ* adjectione legitur in hunc modum:

C. CORNELIO. C. F. VOT. MINITIANO PRAEF. COH. PRIMAE. DAMASC. TRIB. MIL. LEGIONIS III. AVGVST. PRAEF. FABR. CVRATORI REIP. OTESINORVM. IIII. VIRO I. D. PONTIFICI FLAMINI D. CLAVDII BERGOMI PATRONO FLAMINI D. TRAIANI....

Omnino nullum ibi monumentum extat, cui addita Tribus *Votinia* non sit, pluribus autem legitur adjuncta. Idem de *Oufentina* apud *Novocomenses* meos intelligi volo, cujus plura hoc loco
114 exempla referre potuissem, quæ consultò præterii, cum *Plinii* junioris, & *Fabati* prosoceri inscriptiones, quas paulò antè retuli, satis esse videantur. Unum *M. Mansuetii Crescentis* antè annis triginta in templo *D. Abundii* effossum: & alterum juxtà ædem Ascensionis D. N. Jesu Christi collocatum *L. Alfii*: excipio, quæ in civitatem *Romanam* receptos *Comenses* in *Oufentina* Tribu tulisse præclarè demonstrant. Primum autem habet:

V. F.

MARCVS MANSVETIVS M. F. OVF. CRESCENS. HARISP. VI VIR IIII. VIR. A. P. IIII. VIR. I. D. COMO SIBI ET MANSVETIIS IANVARIO ET CRESCENTI F. ET MARTIANO NEP. ET IANVARIO VINDICIS F. SECVNDAE ET CLODIAE CEREALIS F. PRIMAE VXORIBVS.

Alterum sic:

MEMORIAE L. ALFI. L. F. OVF. MARCELLINI VI. VIR. AVG. PATRON. COLLEGII DENDROPHOROR. COMENS. IN PRIMO AETATIS FLORE PRAEREPT. ALFIVS RESTITVTVS PATER MISERRIMVS ET SIBI.

His addamus in adoptione ei, qui adoptaretur ab adoptatore nomen suum, prænomen, & cognomen fuisse communicatum. *Adoptiones enim*, inquit Cicero in oratione pro Domo Sua: *Hæreditates nominis, pecuniæ, & sacrorum sequuntur. Tu vero*, Clodi, *neque Fontejus es, qui esse debebas, ne-*
115 *que Patris hæres, neque amissis sacris paternis, in hæc adoptiva venisti.* Quæ *Valerius Maximus* libro VII. confirmat, inquiens, *M. Anneus in Suffenatis familiam, ac Sacra transierat*, a *Suffenate* enim avunculo fuerat adoptatus, Addit Dio *libro historiarum XLVI.* paternæ familiæ naturalis nomen paululum immutari consuevisse, ac postremo loco collocari. Quod tamen priscis illis Reipublicæ *Romanæ* temporibus observatum; posterioribus mutatum est, ante cognomen adoptivum post familiæ nomen ex lege datum naturalis familiæ nomine integro collocato, quemadmodum in *Plinio* juniore apparet. Vti vero adoptatus transibat, sic ubi, qui adoptasset in diversa à patre naturali adoptivi fi-

A lii Tribu suffragium tulisset, hoc commodi ab eo filio etiam accedebat, ut in eadem suffragia ferret, nec tamen jure ferendi in naturali Tribu privaretur, quod ægre ferens *P. Scipio* Censor auctore A. Gellio *lib. V. cap.* XIX. graviter apud Populum conquestus est filium adoptivum patri, quem lex dedisset, inter præmia patrum prodesse, quippe quod duabus in Tribubus, una quam jure naturæ, altera quam ex lege esset consecutus, suffragium ferret: cumque pater unicam haberet, in qua id facere posset, unde ait: *In aliâ* 116
Tribu pater, in alia filius suffragium ferunt. Hác
B de causa *C. Octavium*, à *Julio Cæsare* adoptatum duæ Tribus *Fabia*, & *Scaptia* Tribulem habuere, cujus rei testem habeo locupletissimum sequentem inscriptionem.

C. IVLIO C. F.
FAB. SCAPT.
CAESARI.
AVGVSTO.

Huic testimonio Tranquillus *in Augusti vita* Consentit scribens Cap. XI. *Fabianis, & Scaptiensibus tribulibus suis die Comitiorum, nequid à quoquam Candidato desiderarent, singula millia nummûm, à se dividebat.* Brixiæ Mincii duas Tribus
C obtinentis mentio legitur in epigrammate antiquo, quod ita habet:

Q. MINICIO Q. F.
FAB. POB.
MACRO.

Cæterum non hoc modo ex his apparet, cum is qui adoptaret, & qui adoptaretur, in diversis Tribubus censiti essent, adoptatum duas tribus, in quibus ferret, obtinuisse; secus unam eam, quæ utrique communis esset, habuisse, 117
verum etiam utramque protinus à paternæ familiæ nomine per adoptionem acquisito fuisse collocatam, priorem eam, quæ vetustior esset, al-
D teram quæ posterior. Nam in *Augusto* Scaptiæ *Fabia* præfertur, quæ in earum numero est, quas *Ser. Tullius* fecerat, cum *Scaptia* vigesima nona fuerit anno ab U. C. CDXXII. auctore Livio *libro* VIII. addita *A. Cornelio* II. & *Cn. Domitio* Coss. Non negaverim tamen fortè etiam Tribum primam illam esse nominatam, quam adoptionis jure qui adeptus esset, & eam fuisse Tribus rationem habitam, quæ & familiæ adoptantis; ut quemadmodum familiæ, quam natura dedisset, anteponebatur: sic Tribus per adoptionem acquisita Tribui, in qua quisque natus esset, præponeretur, ac *Fabiam* in *Augusto* præcessisse, non
E quia vetustior, sed quia *Julii Cæsaris* Tribus esset, in cujus familiam, & Tribum *Augustus* transisset. Quæ, cum ità se habeant ex omnibus, quod proprium est nostræ quæstionis, nunc attingamus, concludentes *Plinium* seniorem patria penes Pantheum *Veronensem*, juniorem *Novocomensem*, priorem in Tribu *Publilia* suffragia tulisse, in *Oufentina* posteriorem, atque hunc ipsum etiam adoptionis jure *Publiliam* fuisse consecutum 118
necesse esse, qua ratione in antiquis ejus epigrammatibus utraque Tribus *Publilia*, & *Oufentina* referri debuit, prima illa, hæc secunda sive adoptionis, sive antiquitatis causa Tribus in adopti-
F vis filiis una alteri præferri consueverit. *Publiliam* enim Tribum vigesimam septimam anno ab U. C. CCCXCVI. *C. Fabio Ambusto*, & *C. Plautio Proculo* Cos. additam esse *libro septimo* Livius scriptis consignavit, quo auctore libro nono anno ab U. C. CDXXV. *L. Plautio* & *M. Foslio* Cos. trigesimam Tribum *Oufentinam* Censores addiderunt, quorum nomina *Livius* præteriit. At vero junioris *Plinii* antiqua monumenta, quæ *Comi*, *Fegii*, ac *Mediolani* extant, omnia unius *Ofentinæ* Tribus meminere, *Publilia* omissa, quam maximè nominasse oportuit, ubi se-

A seniori *Plinio* Verona patria extitisset; unde sequitur *Pliniis* patri, & filio unam Tribum fuisse communem *Oufentinam*, in hac una eos censitos, in hac suffragia tantum tulisse. Est quinetiam dignum attentione, & ad tuendam opinionem nostram minimè contemnendum, *Romanis* olim in more fuisse positum, ut post prænomen, ac familiam Tribum antè cognomen in plerisque nominarent: In adoptivis verò filiis etiam post
119 eam, quam lex dedisset, hoc, ut ego interpretor, nobis significantes eam Tribum esse, in qua maximè præcedens familia esset censita, & in qua quicunque ejus familiæ essent, suffragia in
B honoribus distribuendis ferrent. Exemplum priorum, *Fabati* habemus inscriptionem, in qua legitur: L. CALPVRNIVS L. F. OVFENTINA FABATVS: posteriorum *Plinii* junioris epigrammata omnia sic habentia: C. PLINIVS L.F. OVFENTINA CAECILIVS SECVNDVS. His fit, ut *Plinii* ferrent in *Oufentina*, in qua censiti essent *Novocomenses*, non *Poblilia*, quæ ad *Veronenses* pertinebat, utque naturalis historiæ auctor *Plinius* in hac Tribu nostra descriptus, *Novocomensis*, non *Veronensis* extiterit, ac *Pantheum*, *Panvinium* cæterosque adversarios
C nostros Seniorem inter *Veronenses* referre frustra contendisse. Quæ si *Panthei* Aleardus præsensisset, quo maximè suscepti à se patrocinii, & actæ summa cum diligentia causæ præcone, ac laudatore utitur adversarius noster, si audivisset *Suetonium*, sive fragmenti auctorem, quisquis ille fuerit, antiquum nobis patrocinari: favere *Serenum Sammonicum*, *Eusebium*, aut D. *Hieronymum* adstipulari, cæteraque suffragari, *Plinii* lectionem, qua *Catullum* Conterraneum vocat, aut dubiam esse, aut ejusdem regionis, vel provin- 120
ciæ, non diœcesis significare, *Secundorum* familiam esse fabulosam, cognationem figmentum, *Plinium* juniorem testem productum a *Pantheo* testimonium, aut adversus eum dixisse, aut aliud prorsus, quam sibi ab eo imponatur, testatum esse. Antiquam denique marmoream illam inscriptionem detritis, ac complanatis non modo litteris, sed syllabis, & excesis, quas opinione visas non oculis legisset, tamquam integram nulla, vel vetustatis injuria labefactatam, vel vulgi temeritate, aut incuria violatam, atque deformatam adduci, ac totius causæ veluti firmamentum constitui. De qua vel ipsi *Veronenses* inter se plurimum diffidentes alius aliter conspicuas litteras retulerit. Hæc, ut dicebam, si *Aleardus* audivisset, eia non vincimus, uti *Pantheus* scripsit, sed vincimur, dejicimur, succumbimus prorsus & te patrono, *Panthee*, non illi, quos contrà venisti, sed nos ipsi causa cadimus, exclamavisset, nec triumphum cantu intempestivo, victoriamque simillimam *Secundorum* familiæ, & cognationis antevertisset.

Tandem quem mihi terminum, ac limitem præsentis controversiæ constitui, Patres, hunc non transgredior, & sine facto desino abuti patientia 121
vestra: nec vobis, studiosi Adolescentes, de hac quæstione ulterius molestus ero, cum mihi à Principe dabitur occasio, citò autem dabitur, dicam de altera.

1

LECTIO ALTERA,

De

C. PLINII SECUNDI

FIDE ET AUCTORITATE,

IBIDEM EXPLICATA.

D FREQUENTIA vestra, Patres sapientissimi, & magnus hic vester ad me concursus optatus magis, quàm expectatus, Lectissimi Adolescentes, facit, ut quod cupidè expetiveram, id me hodierno die beneficio vestro ità assecutum putem; ut præteritam meam concertationem minime inanem, atque contemnendam vobis visam esse confidam. Quæ res dicendorum difficultate mihi metu commoto, ancipitique animo fluctuanti spiritus tantos attulit, ut animo sedato, & timore deposito nihil deterrear cogitatione præsentis controversiæ, nec commovear,
2 E quòd omnibus sui partibus priorem defensionem hæc mihi difficultate superare videatur. In illa nobis *Plinius* eripiebatur, idem in hac magnis, ac pluribus injuriis appetitur. In illa summa cum ejus laude contendebatur, in hac auctoritas convellitur. In illa vestra, Patres integra existimatio erat; in hac eadem in periculum, ac discrimen vocatur. Adversarios in ea ego paucos habebam *Veronenses*; summo consensu, maximaque conspiratione mihi plerique omnes recentiores in hac adversantur. In ea, quos sequerer duces habui viros gravissimos, atque adjutores: in ista dux idem,
F & miles inermis congredior cum hoste firmissimo, & armato. In ea denique viam inii patentem, facilem, tritam, atque à viris præstantissimis complanatam, quæ mihi in ista obstructa patefacienda est, & impedita ab omnibus difficultatibus expedienda. Cum, ut dicebam, agnoscam quantum inter præteritam, ac præsentem controversiam sit discrimen; quantum in hac laboris, ac negotii sit; tamen nihil tam arduum, tam difficile, tamque impeditum in ea sentio, quòd non intuitu tanti consensus, ac memoria vestrum omnium solito frequentioris hujus concursus planum, facilè, & expeditum mihi videatur. Quare agite, Patres spectatissimi, vosque honestissimi Adolescentes, efficite, ut cum frequen- 3
tia vestra recreatus tantum animi dicturus assumpserim, vestræ quoque in me attentè audiendo humanitatis adjutus beneficio, atque sublevatus, quibus spiritibus orationem aggressus sum, iisdem prospere, ac feliciter progressus perveniam ad finem. Atque, quod vos etiam, atque etiam rogo, non potius ex principio de reliqua oratione conjecturam facite, quam ex fine, quòd in præcedentibus continetur perpendite, æstimate, atque judicate. Tribus igitur capitibus, sive criminibus accusatio tota continetur, furti, inscitiæ, ac negligentiæ; sed quoniam alterum, ac tertium ita pendet ex primo, ut neque furti absolutus *Plinius* inscitiæ, & negligentiæ damnari possit, aut damnatus furti reliquorum absolvi. Quare in eo mihi maximè incumbendum esse intelligo, ut, cum fideliter, ac sincerè accusationem retulero, eam, si non quantum innocentia *Plinii* postulat, saltem quantum ingenii mei vires patiuntur, omni industria refellere, ac coarguere contendam. Forte ex Latinis *Plinium*, ex Græcis *Dioscoridem* de simplicis materiæ medicæ forma, & facultate tractantes eadem utrumque scripsisse; iisdem, ac totidem verbis retulisse, & eodem ordine, hoc uno distincti, quòd hic *Græcè*, *Latinè* ille scripserit, quòd recentio- 4

res observavissent, facilè inducti sunt, ut aut
Plinium ex *Dioscoride*, aut ex *Plinio Dioscoridem*
singula transcripsisse arbitrarentur. Nam duos
in uno quodam cogitato convenire nonnumquam
posse neutro alterius conscio & fatentur à ratione
alienum non esse, & Latinæ pater, ac princeps
eloquentiæ *Cicero* ad *Atticum* significavit scribens:
*Si ego tuum ante legissem commentarium Græcè scri-
ptum, furatum me abs tè diceres, quæ de his rebus
Græcè item scripta L. Cossinio ad te perferenda de-
dissem.* Sed in tam multis, atque adeò inter se
disjunctis, ac valdè dissimilibus verborum specie,
numero, & ordine prorsus convenire, hoc veri
speciem nullam habet; hoc negant illi fieri posse,
hoc me ipsa ratio cogit fateri admittendum non
esse. Atque hucusque commissum esse furtum
constat, quod neuter alterum nominet; uter duo-
rum commiserit, nondum apparet, procedentes
autem accusatores statuunt eum esse furem, qui
posterius scripserit, maximè verò, si ætate alter
alterum multis annis antecesserit, unde confici-
unt ea omnia *Plinium* ex *Dioscoride* transcripta fu-
5 ratum esse, quorum hic ante vitam cum morte
commutavit, quam ille emerserit in hanc lucem,
testem proferunt *Suidam*, *Dioscoridem Anazar-
beum* cognomento *Phacam* sub *Antonio*, & *Cle-
opatra* floruisse testantem, à quorum obitu ad an-
num usque Imperatoris *Tiberii* duodecimum anni
LVI. numerantur ante *Plinii* nativitatem; sub-
ductis enim annis LVI. quos avunculum, ac pa-
trem, hunc *Plinium* junior *Plinius* vixisse retulit,
atque ab anno imperii *Titi* secundo, quo *Vesuvii*
conflagrationem seniorem *Plinium* idem Junior
sustulisse prodidit, retro numeratis in annum duo-
decimum *Tiberii* principatus nativitas incidit: cum
aut mortuum fuisse *Dioscoridem* oportuit, aut cer-
tè annis jam confectum ineptum ad scribendum ex-
titisse. Addunt alii *Arrium* philosophum, in cu-
jus gratiam sublatis *Antonio*, & *Cleopatra* Alexan-
drinis *Augustum* pepercisse, ut Plutarchus *in An-
tonii vita*, & Dio *libro historiarum II.* postero-
rum memoriæ mandarunt, eum esse, ad quem
Dioscorides de materia medica scripsit, ea in sin-
gulorum librorum præfationibus nominato, quo
argumento vel deficiente auctoritate *Suidæ* Diosco-
ridem *Antonio*, & *Cleopatra* dominantibus vixisse
convinci opinantur. Audivi etiam, qui diceret *Ero-
tianum*, imperante *Nerone*, scribentem in expli-
6 catione *Hippocratis* verborum hujus *Dioscoridis*
niti auctoritate, quo tempore, cum primum de
historia naturali *Plinius* scribere aggressus est vul-
gatis jam de materia medica libris à *Dioscoride*,
ex quibus promptum *Plinio* fuit *Dioscoridem*,
non *Dioscoridi Plinium* transcribere, hinc
crimina reliqua pendent ejusdem inscitiæ, atque
negligentiæ; sed in altero cum sæpè delinquamus,
non tamen facilè fit, ut volentes delinquamus,
atque eos errores committamus, quos rescientes
commisisse doleat, nonnumquam quoque negli-
gentes nulla nostra culpa videmur, quia deligen-
tes esse non potuimus, non quia noluerimus esse.
Sed furtum quantumcumque est, totum ejus est,
qui commiserit, nullam in eo partem habet ne-
gligentia, nullam inscientia, nec quisquam aut per
negligentiam furatur, aut invitus, nisi violentia
illata, quam nemo infert, in cujus commodum,
non suum sit vis redundatura: quare orationis no-
stræ maxima pars in eo versabitur, ut objecti *Pli-
nio* hujus criminis falsitatem apertam faciamus,
ejus integritatem ostendamus, & innocentiam
tueamur, neque tanti viri laudem, gloriam, &
existimationem aliena culpa, ignorationeque
temporum diutius obteri, atque obscurari pati-
7 amur. Primum enim quo Imperatores exercituum,
quo jurisconsulti, medici imprimis præsidio sæ-
pe utuntur in rebus obscuris judicandis, & con-

A silio in rebus dubiis capiendo, hoc ego in hac causa
adhibendum putavi, ut conjecturis quibusdam
minimè levibus veritatem explorarem, & ex *Pli-
nii* moribus, persona, & ejus ad quem scribebat
dignitate de innocentia argumentarer; si quis e-
nim odit furtum, & in re litteraria ingrati animi
culpam aversatus est, is mihi videtur fuisse *Pli-
nius* noster, qui vel minima, quæ nemo suppresso
quamquam exempli auctore vitio fuerit adscriptu-
rus, voluit constare, ex quo desumpsisset; hoc
factum est, ut centum auctoribus, quos ex duo-
bus prope millibus probatissimos selegisset, opus
universum in præfatione acceptum retulerit, nec
satis hoc esse arbitratus ad animi sui ab omni fraude
B alieni simplicitatem demonstrandam, quos ex qui-
bus auctoribus *Latinis*, aut externis libros acce-
pisset, quòd qui ante *Plinium* fecerit, nescio
quemquam, nominatim proposuit, in quibus non
eos solum recensuit, quos tamquam veteres sua
tempestate docti homines venerarentur, sed etiam
recentiores *Claudium* Cæsarem, & qui eo impe- 8
rante floruit, *Pomponium Melam*, *Senecam* item
Neronis præceptorem, quo, post *Claudium*, prin-
cipe *Plinius* naturalem historiam contexebat, *An-
tonium* etiam *Castorem*, cui ævo suo summa au-
ctoritas esset in plantarum cognitione. Taceo ab
C omni ambitione, & studio alienæ sibi laudis ad-
scribendæ eum fuisse usque adeo remotum, ut ne
feminas quidem sibi prætereundas esse duxerit *A-
grippinam* Claudii, & *Olympiadem* Thebanam, qua-
rum industria aliquo modo fuisset adjutus. Et sa-
nè hæc ab eo, Patres, expectanda fuerant, à quo
vel illud scrupulosius scriptum est, quòd præfa-
tus esset, quid in singulis libris contineretur, id
ante se *Valerium Soranum* fecisse: sed ne quicquam
à me dissimulatum iri videatur, quod adversa-
riis nostris faveat, nobis adversetur, recen-
tiores haud obscuri nominis nonnulli calli-
do, ac vafro potius consilio, quàm ingenuo, &
liberali animo *Plinium* scriptores tam multos, &
D quidem vel obscuriores nominasse profiteantur, ut
hoc nomine, & grati animi specie suum furtum
lateret, nec *Dioscoridem* exscripsisse eo inter au-
ctores præterito crederetur: quibus, si quis forte
ex auditoribus tam multis animo faveat, velim
mihi respondeat, quinam isti sint obscuri nomi-
nis scriptores, quos sibi propositos in materiæ
medicæ historia conscribenda imitandos *Plinius* 9
nominaverit; an *Hippocrates* ex iis unus est, vel
Theophrastus? Opinione mea, vestraque omnium
consensione, qui artem medicam, aut rerum na-
turalium contemplationem, vel summis labiis
tantum degustaverit, & *Hippocratis*, vel *Theo-
E phrasti* opera fuerit leviter odoratus, hos inter
obscuros scriptores nemo numerabit. An igitur
Cratevas, quem licet non admodum *Dioscorides*
commendare videatur; *Galenus* tamen in metalli-
corum medicamentorum peritia parem secundo
in Hipp. libro de natura humana *Dioscoridi* facit:
an *Julius Bassus*, *Niceratus*, *Niger*, ac *Diodotus*? quos
quamquam in facultate medicamentorum referen-
da Gal. VI *de simplicium med. facult.* subscriben-
te in præfatione *Dioscorides* damnet; in descri-
bendis tamen *Gal.* commendavit, *Nigrum* pri-
vatim *Gal.* loco proximè citato medicæ studiosis
F legendum proponit, dempta causarum disputati-
one, quam non probat eumdem, in nonnullis
Dioscorides reprehendit, *Andream* laudat, cujus
lectionem *Gal.* eodem in loco fugiendam censuit
inquiens: *Verum abstinendum est ab Andrea, ali-
isque similiter mendacibus.* Cæterum fuerint hi
omnes obscuri, ignavi, & in medica materia tra- 10
ctanda prorsus inchoati, excripsisset *Plinius Di-
oscoridem*, ac omnem ejus messem in suam trans-
portaverit. Cur igitur descriptas à *Dioscoride*
patasidem, ac *Catanancem* præterit, alyssum diver-
sis

ſis ab illo notis repræſentavit, *Aetio* conſentiente? Euphorbii plantæ folia acanthina tribuit à *Dioſcoride* præterita, à *Galeno* fortè admiſſa IX. *de comp. med. p.loc. cap.* IV. Euphorbii plantam eſſe ſpinoſam dixit, *Britannicæ* figuram referens caulis, quem haud magnum eſſe *Dioſcorides* dixit, ſilentio involvit, quemadmodum, & radicis magnitudinem colore nigram eſſe ſcripſit, de quo nihil *Dioſcorides*, qui floris quoque mentionem omiſit, quam *Plinius* attigit; plura ejuſmodi exempla prætereo, quæ utriuſque collata lectione ſibi quiſque colligere poteſt, ſatis eſſe pro his omnibus arbitratus *Plinium* Bechii duo feciſſe genera, unum, quod nomine proprio *Tuſſilago* à *Latinis* diceretur foliis hæderæ *libro vigeſimo ſexto cap.* VI. *naturalis hiſt.* alterum, quod *Græci Chamæleucem* appellaſſent, Latini *Farranam*, ſivè *Farfugium* folio populi, ſed ampliore *cap.* XV. *libri* XXIV. cujus opinioni videntur ſubſcripſiſſe *Gal.* *Oribaſius*, & *Paulus* Bechii, & Chamæleucis duobus diſtinctis locis mentionem facien-
11 tes, ille VI. *de ſimpl. med. facult. in littera B. &* VII. *in littera Ch.* alter *libro collect. cap.* XV. tertius *libro* VII. Tuſſilagini ſemen, florem, & caulem ademit, de quo medicos vetuſtiores *Dioſcorides* reprehendit, in reliquis notis cum *Plinio* ſentiens, quem ſi quis forte adeò, non dicam imprudentem, ſed ignavum, ac planè ſtupidum fuiſſe exiſtimarit, ut furti occultandi cauſa in hoc errore deprehendi voluerit, quem ipſi quotannis edito flore natura eſſet exprobratura, eum ego mente captum eſſe, atque inſanire dixerim, quaſi verò ſeminis, floris, ac caulis mentionem, aut etiam univerſam Tuſſilaginis hiſtoriam, meliore conſilio præterire non potuerit, nec tam inepta arte, atque ridicula ad gloriam tantopere expetitam adſpirare. Neque verò eſt, ut dicant præfationis operis lectionem *Plinium* neglexiſſe, in qua de caule, flore, & ſemine Tuſſilaginis in antiquos ſcriptores *Dioſcorides* animadvertit, cum eadem cenſura in hiſtoria Tuſſilaginis apud Dioſcoridem *libro III.* legatur, quæ nullo pacto *Plinium* cætera adſcribentem latere potuit, cum plantæ Scordii, & Artemiſiæ iiſdem propè verbis, quibus *Dioſcorides* hiſtoriam perſecutus ſit, quarum una immediatè Tuſſilaginis hiſtoriam præcedit, altera pro-
12 ximè ſuccedit, ut non ſit locus adverſariis ad hanc reſponſionem confugiendi. Quibus tamen etiam in hac obſecuturum me libenti animo polliceor, ut fatear hoc caput Tuſſilaginis in *Dioſcoride Plinium* non vidiſſe, qua ratione ſit factum, ut impegerit in communem errorem, profeſſus hanc plantam caule, floreque eſſe deſtitutam, modo mihi illi reſpondeant, cujus ſint numerus foliorum, color, & figura Tuſſilaginis totidem verbis in utroque ſcriptore *Plinio*, & *Dioſcoride* expreſſi, hujus ne, an *Plinii*, vel cujuſdam tertii. In auctorem *Plinium*, quem adeo inſectantur, ſcio non eſſe hanc partem relaturos, quod fieri non poteſt ſinè crimine *Dioſcoridis* apud quem eadem legitur iiſdem verbis, cujus ſi propria ſit, cum in *Plinio* extet, neceſſe eſſet ex *Dioſcoride* eam eſſe tranſcriptam, ac quod prius negabatur fateri *Plinium* Tuſſilaginis hiſtoriam in *Dioſcoride* legiſſe cenſuram continentem, cui ſe obnoxium *Plinius* non feciſſet. Illud reliquum eſt, ut affirment, quod ego quoque facile concedo, ex tertio quodam auctore, quem uterque legerit, *Plinius*, ac *Dioſcorides*, hæc manaſſe. Quæ ſi vera ſunt, Patres, ac neceſſaria, ſi argumenta inconcuſſa, atque ejuſmodi, ut niſi ab improbo, & obſtinato homine negari nequeant, ſequitur, ut *Plinius*
13 noſter idcirco damnari non debuerit, quia hæc in eo verbum de verbo ex aliis exſcripta inveniantur, quando profeſſus eſt, per quos profecerit in ſingulis libris: furti verò culpa recidat in *Dioſcori-*
A *dem* ſuum, qui nuſquam quicquam ſe ex aliis ſumpſiſſe profiteatur, nuſquam quemquam materiæ medicæ ſcriptorem nominet, niſi in præfatione, ut, vel ut falſos accuſet, vel ut inchoatos, & in tractanda medicamentorum hiſtoria, ac natura jejunos, atque admodum parcos, aut damnet, aut parum certe commendet, ſe ſolum prædicans, qui totam hanc partem abſolutam poſteritati tradiderit. Denique conſilio iſto plurium ſcriptorum nominandorum, quibus adjutoribus opere toto ſit uſus, eo prætertito, quem expilaſſet, ut ab omni furti ſuſpicione abeſſet, non videtur mihi *Plinius* votum ſuum aſſecutus: faciamus enim,
B Patres, *Dioſcoridis* opera cum aliis multis periiſſe, ipſum etiam nomen prorſus extinctum eſſe. Quis credat ea omnia, quæ nunc ex *Dioſcoride* ſumpta in *Plinio* legi contendunt, induſtria *Plinii*, atque obſervatione eſſe potius inventa, quàm ex tot medicis, quot ſibi de materia medica ſcribendi 14
auctores fuiſſe non ſolum teſtatur, ſed etiam materiam omnem ſubminiſtraſſe, cui nihil plus ſtudii, atque operæ ab ipſo ferè acceſſerit, quam, ut, eam exſcriberet, quis credat, ut inſtitueram dicere, à *Plinio* potius, quam iis ſcriptoribus ea profecta eſſe? Ego ſanè, qui in ea opinione diu
C callum obduxi, perquam *Plinium* opera *Dioſcoridis* umquam legiſſe, ut credam, perſuaderi non poſſum, neſcio an quicquam in eo ſit, quod (his exceptis, quibus ſuum apertè judicium, atque obſervationem ſuam interponit, quæ nemo eſt in *Dioſcoridem*, aut alium quemvis ſcriptorem relaturus ex auctoribus, quorum nomina libris ſingulis præfixa legimus) tranſcriptum eſſe pro conſtanti recipiam; poterat auctorum illa ſubticere nomina, ſi aliqua calliditate fuiſſet illectus ſperans hoc animi ſui conſilio, ut his aliquando injuria temporis ſublatis, eorum opera, quæ tum paſſim legerentur, ſua eſſe futuris ſæculis crede-
D rentur; atque, ut quantam viventi ſibi ignominiam dolus deprehenſus peperiſſet, idem beneficio temporis oblivioni traditus mortuo tamtumdem gloriæ eſſet allaturus, quæ ſibi auctores nominatim referenti, ſi quorum ſcripta in ſuos libros transtuliſſet, nulla ratione fuerat expetenda. 15
Verum redeamus ad confirmandam conjecturis opinionem noſtram, oſtendentes, veriſimile non eſſe *Plinium* ex *Dioſcoride* nuſquam nominato quicquam deſcripſiſſe, à perſonæ ejus, vel quæ ſcribebat dignitate, vel ad quam ſcribebatur, majeſtate auſpicari; ſi namque *Plinii* exiſtimationem
E ſpectaverimus, ſi diligenter anteactam ejus vitam intueamur, jam tum cum hiſtoriam naturalem Imperatori nuncupabat, doctrinæ opinione, & honoribus tantum profecerat, ut ſibi potius, ne partam gloriam improbo aliquo facto inquinatam, atque pollutam in omne tempus obſcuraret, curandum eſſet, quàm ad novas laudes, atque honores novos conſequendos animus adjiciendus; quippe plures ſuas lucubrationes jam edidiſſet magno plauſu exceptas, ac ſumma diligentia conquiſitas, libros quos de grammatica in præfatione vocat, atque alios, quos ibidem innuit inquiens:
F *Ne his ſolis meis multa adjici poſſe confiteor, ſed & omnibus, quæ edidi.* Quorum, ut arbitror nomine librum de jaculatione equeſtri intellexit, dum præfectus alæ militaret pari ingenio, curaque, ut junior *Plinius* auctor eſt, compoſitum; duos de vita *Pomponii Secundi, de bello Germanico* viginti in- 16
choatos, cum in *Germania* militaret, ſtudioſos tres, & dubii ſermonis octo extremis *Neronis* annis conſcriptos, quos non ſatis conſtitutum habeo, an ſint grammatici ab eo vocati, cum ſtudioſi ab incunabulis, inquit, junior, oratorem informent atque abſolvant, quamquam ex his, quæ a *Cariſio* ſcribuntur plura in his legerentur, quæ ad inſtitutionem grammaticam pertinerent, ſi magiſtra-

ſtratus autem per eum geſtos, ſi dignitates, ac A
honores conſecutos quæratis, audite, quid de iis junior *Plinius* in epiſtola ad *Marcum* paucis dicat. *Deceſſiſſe anno ſexto, & quinquageſimo, medium tempus diſtentum, impeditumque, qua officiis maximis, qua amicitia principum egiſſe pernoſcitur.* Et paullo poſt: *Tibi recordanti quantum legerit, quantum ſcripſerit, nonne videbitur, nec in officiis ullis, nec in amicitia principum fuiſſe?* Quantum autem amicitia apud Imperatorem poſſet, uno hoc, & quidem maximo argumento conſtat, quòd, ut diximus, juniore *Plinio* teſte ante lucem Imperatorem ſalutaret, ad quem, cum ratio ipſa ſatis auctoritatis habeat ad perſuadendum non fuiſſe, niſi intimos amicos B
admiſſos.. Suetonius *in Veſpaſiani vita* id ipſum his verbis affirmat: *In principatu maturius ſem-*
17 *per, ac de nocte vigilabat, deinde perlectis epiſtolis, officiorumque breviariis amicos admittebat, ac dum ſalutabatur, & calciabat, ipſe ſeſe, & amiciebat.* Xiphilinus verò ex Dione: *Ante lucem, cum etiam adhuc eſſet in lecto, colloquebatur cum iis, qui ſibi valdè familiares erant, cæteri in viis eum ſalutabant:* quod ſi ejus intueamur majeſtatem, ad quem ſcribebat, ea maxima erat, ac prope æqualis Imperatoriæ; ad *Titum* enim, ut ego arbitror, ut alii, *Domitianum* Veſpaſiani filium, ejus epiſtola eſt. C
Quo loco digredi cogor veritus ne de operis quoque nuncupatione, *Plinii*, aut judicii infirmitatem, aut animi perverſitatem adverſarii damnent, quia deliciis humani generis *Tito* impuriſſimum, ac flagitioſiſſimum fratrem prætulerit, ut nonnullis viſum eſt, *Domitiano* ſuos à *Plinio* libros non *Tito*, quorumdam antiquorum codicum teſtimonio, nuncupatos eſſe contendentibus, atque ea imprimis ratione, quod ultra ſextum conſulatum, quo dicatum ſuum à *Plinio* fuit opus, ſeptimum non geſſerit patre vivente *Domitianus*, ſed *Titus*; quòd qui patris laudes cecinit, & in iis meminit fratris, fuerit *Domitianus*, auctoritate *Valerii Flacci*, quod inter celebres ſui temporis D
18 poëtas referatur, ac quod quemadmodum fratrem imitaretur, excogitaſſe eum, *Plinius* in præfatione ſcripſerit: nam caret omni verſimili conjectura: *Hermolaum Barbarum*, hoc nomine excuſo, quòd dubius hæſerit in hac quæſtione: eos verò non damnare non poſſum, qui tam obſtinatè, quàm imperitè patronum operi delectum *Domitianum* aſſeverant: Imperatorem enim eum, ad quem *Plinius* ſcribit, appellaſſe vivente patre, *Titum* intellexiſſe conſtat ex lib. ſecundo naturalis hiſtoriæ cap. XIII. cum ait: *Ut in duodecim diebus utrumque Sydus* (Sol videlicet, & Luna) *quæreretur, & noſtro ævo accidit imperatoribus Veſpaſi-* E
anis, patre III. (*IV.* legi debuit) *filio iterum Cos.* Hic enim filius *Domitianus* eſſe non potuit, qui ne ſemel quidem cum patre toto ejus principatu conſul fuerit, cum *Titus* ſepties. Libro item ſeptimo cap. XLIX. *Cenſus quem intra quadriennium Imperatores Cæſares Veſpaſiani pater, filiuſque Cenſores egerunt.* idem Plinius dicens haud dubiè *Titum*, non *Domitianum* ſignificavit, quem cum patre luſtrum condidiſſe *Cenſorinus* in libro de die natali ſcribit his verbis: *Inter primum à Ser. Tullio rege conditum luſtrum, & id quod ab Imperatore Veſpaſiano V. & Tito Cæſare III. Coſ. factum* F
19 *eſt, anni interfuerunt paullo minus DCL.* Idem *Julius Capitolinus* confirmat in *Marco Antonino* ſcribens: *Annium Verum Marci avum in patritios adſcitum a principibus Veſpaſiano, & Tito Cenſoribus:* quos rurſus idem *Plinius* intellexit libro naturalis hiſtoriæ tertio, capite V. inquiens, *Mœnia urbis collegere ambitu Imperatoribus, Cenſoribuſque Veſpaſianis anno conditæ DCCCXXVIII. paſſ. XIII. M. CC.* Sed verò Imperatorem cum patre *Domitianum* nuſquam *Plinius* appellavit eo loco dempto, qui in quæſtione eſt, ex initio præfationis in quodam codice, nuſquam alius quiſquam: accedit, eum, cui dicatum à *Plinio* opus eſt, ab eodem in præfatione triumphalem, cenſorem, prætorio præfectum & participem Tribunitiæ poteſtatis appellari, qualem *Titum* fuiſſe in ejus vita locupletiſſimus teſtis *Suetonius* eſt, à quo & Imperii particeps, & tutor dicitur: quique ad ſe prope omnium officiorum curam recepiſſet. Cum patre eumdem imperaſſe *Xiphilinus* ex *Dione* ſignificavit his paucis: *Titus ex quo tempore principatum ſolus obtinuit.* In æreis nummis vivente patre cuſis imperator, Cenſor, Tribunitiæ poteſtatis particeps legitur, quorum unum exempli gratia referam ſic habentem: T. CAES. IMP.
VESP. CENS. AVGVR. PONTIF. TR. 20
POT. IMP. III. COS. II. Ex adverſo nuſquam apud *Plinium*, apud *Suetonium*, apud *Dionem*, apud alium quemquam ex antiquis ſcriptoribus cum patre Cenſuræ, aut Tribunitiæ poteſtatis participem *Domitianum* extitiſſe inveniatis, aut ante *Titum* fratrem in æreis nummis, vel marmoreis tabulis cum patre imperaſſe, qui ne fratre quidem poſt obitum patris dominante, alio quàm Cæſaris nomine, & Principis juventutis nominatus fuerit, teſtibus æreis nummis, quorum duo ultimis *Veſpaſiani* annis cuſi ſic habent: CAESAR AVG. F. DOMICIANVS COS. V. PRINCEPS IVVENTVTIS. Alter: CAESAR AVG. F. DOMICIANVS AVGVR. P. COS. CAES. VI. Alii verò mortuo jam patre, fratre ſine collega imperium adepto cuſi nihil plus addunt, quam, ut patrem inter divos relatum dicant in hunc modum: CAESAR DIVI AVG. VESP. F. DOMICIANVS COS. VI. PRINCEPS IVVENTVTIS. Et in alio: CAESAR. DIVI AVG. VESP. F. DOMICIANVS COS. VII. PRINCEPS IVVENTVTIS. Hic ſubit mirari graviſſimum virum *Hermolaum Barbarum* in annotationibus ad *Plinii* præfationem ſcripſiſſe, nemine quamquam prudente Cenſorem, & Tribunitiæ poteſtatis cum patre
participem *Domitianum* eſſe potuiſſe; cum 21
ſcriptores ita loquantur, ut non eum præteriiſſe, ſed a Tribunitia poteſtate excluſiſſe videantur; & ubi negligentia peccaſſent, diligentia in nummis cudendis obſervata, ejus nos apertiſſimè admoneret. Omnes enim, ut diximus, ærei nummi idem confirmant, quod ab his ſcriptoribus proditum eſt. Illud autem doctiſſimo viro uſque adeo adverſatur, ut nulla poſſit ratione excuſari, quod in nummis imperantis *Domitiani* anno ſecundo cuſis Tribunitiæ poteſtatis annus ſecundus cum nono conſulatu notetur his verbis in uno:


IMP. CAES. DIVI VESP. F. DOMICIANVS AVG. P. M. TR. POT. II. COS. VIV. P. P.

In altero:

IMP. CAES. DIVI VESP. F. DOMICIANVS AVG. P. M. TR. POT. II. IMP. V. COS. VIV. CAES. X. P. P.

Idem igitur annus fuit imperii ejus, & Tribunitiæ poteſtatis ſecundus, ac nonus conſulatus, cum VII. Coſ. principatum ſummo omnium ſcriptorum & æreorum nummorum conſenſu adeptus fuerit, qui ſi patris imperantis, vel ultimo anno particeps fuiſſet Tribunitiæ poteſtatis, hujus annus ſecundus anno primi imperii *Titi* cœpiſſet, tertius ſecundo, quartus primo ſui imperii, quinctus ſecundo, ſivè nono ſuo Conſulatu, quo cum ſe-
cundus, non quinctus Tribunitiæ poteſtatis an- 22
nus ſignatur. Diverſa ratio eſt *Titi*, quem omnes nummi ante initum Imperium participem faciunt Tribunitiæ poteſtatis, ut arbitror, anno imperii ſui tertio a patre communicatæ, cum annus imperii *Titi* ultimus Tribunitiæ poteſtatis undecimus annus numeretur in æreis nummis. Jam in-

A instar omnium sit mihi *Plinius* junior *in panegyrico* Trajano dicto, non sicut multi, *Titum* cum patre *Vespasiano* imperasse scribens, sed sicut alius nemo, solum cum patre imperasse, excluso *Domitiano* testatus his verbis: *Simul filius, simul Cæsar, mox imperator, & consors Tribunitiæ potestatis, & omnia pariter statim factus es, quæ proxime parens verus tantum in alterum filium contulit*, Vespasianum autem intelligebat, Quibus apertissimè constat cum patre *Domitianum* non imperasse. At epistola nuncupatoria, inquiunt adversarii, *Domitiano* quorumdam codicum testimonio inscribitur, quibus nos plerosque *Tito* opus
B nuncupatum affirmantes opponimus, & quidam rectius, quàm in paucioribus illis legatur: iis vero, qui sextum consulem fuisse tantum *Domitianum* vivente patre referunt, id, ut verissimum concedo, nego à *Plinio* ei opus nuncupatum, qui plures quam sex consulatus, patre *Vespasiano* vi-
23 vente, non gesserit. Huic dicatum volo, qui tum sextò consul tantum esset; cum eum sibi patronum operis *Plinius* delegit duobus ante obitum patris *Vespasiani* annis, cujus res gestas quid prohibet utrumque filium *Titum*, & *Domitianum* carmine comprehensas laudasse? Alterum quoque fratrum illas præteriisse, hunc amore simulato, illum verò honore prosecutum quid pro-
C hibet? Perspicuum tamen est, satius, & probabilius præclara patris facinora *Titum* celebrasse, quam *Domitianum* patrem odio persequentem. Nam qui à patre *Vespasiano* ira adversus *Domitianum* incenso precibus, auctore *Tacito*, obnixè contendit, ne gravius quicquam in fratrem statueret, sed omnino placabili illi se præstito ac miti, filios quemadmodum inter se convenirent, ac perpetuam concordiam observarent, exemplo suo admonitos instituere vellet; quique sui erga *Domitianum* amoris eam significationem præbuit, qua majorem a patre filius obsequentissimus
D expectare non potuisset, ut certior insidiarum sibi soli jam imperanti ab eo intentatarum factus, cum perdere posset, non solum noluerit, sed lachrymis etiam, ac precibus non semel obsecra-
24 verit, malo erga se animo esse, ut tandem desineret, ac mutuo in amore, *Suetonio*, & *Eutropio* testibus, responderet. Quod eumdem verò *Domitianum* inter illustres poëtas antiquorum nonnulli retulerint, quid attinet dicere? An quantum doctrinæ quisque fuerit censecutus, tantumdem ab altero detractum iri necesse est, nec plures possunt eadem excellere eruditione? An quia *Demosthenes* orator Maximus habitus est,
E *Ciceronis* eloquentiæ principis laudibus obscuritatem attulit, ac nomen depressit? Aut cum toties summa cum gloria magnus *Pompeus* de hoste victoriam reportavit, ac splendidè triumphavit, *Cæsari* ad gloriam militarem, ac res maximas gerendas triumphosque promerendos iter præclusit? Fuerit igitur per me poëta licet cum primis celebrandus *Domitianus*, nolo *Titum* idcirco in arte poëtica non plurimum excelluisse, in quem a *Plinio* laudes illæ congestæ fuerint *Latinæ*, *Græcæque* linguæ, utar *Sutetonii* verbis in Titi vita: *Vel in orando, vel in fingendis poëmatibus promptum,
F & facilem ad extemporalitatem usque*; sivè, ut ait Eutropius libro Romanarum Hist. VII. *facundissimum, qui causas Latinè egerit, poëmataque, ac tragœdias Græcè composuerit.* Ut ingenuè autem dicam, quod sentio non potius existimo
25 tantum poëtam fuisse *Domitianum*, quantum sui temporis scriptores prædicarunt, quàm ab adulantibus inter illustres fuisse nominatum, quod ut credam, facit locupletissimus testis *Suetonius*, cui fides eò abrogari non potest, quasi lecta referat, cum imperante *Domitiano* vixerit, aut ob adulationis suspicionem præstari non debet, cum ex humanis *Trajano* principe sublato scripserit, inquiens, *tam Domitiano poëticæ studium ante patris principatum fuisse insuetum, quam postea spretum, & abjectum.* & alio in loco: *Numquam aut historiæ, carminibusve cognoscendis operam ullam, aut stylo, vel necessario dedit, epistolas, orationes, & edicta alieno formabat ingenio.* Nec distrahor in adversam sententiam, quia *Domitiano* imperante tuta satis adulatio non esset: nam periculosius erat non adulari, quod se ille ab unis invitis laudari, ab alteris contemnentibus non laudari penes *Dionem* arbitraretur: quæ res fecit, ut poëtas celebriores referens imperatore Domitiano *Quinctilianus* eo imodice laudato adulator, quam contemptor præterito videri maluerit, sed ita, ut petita venia, quia laudasset, eum potius assentatum esse, quam instituti serie ita postulante sui meminisse *Domitianus* suspicari non pos- 26
set. Eam porrò partem, qua *Plinius* videtur voluisse Imperatorem quemadmodum fratrem imitaretur excogitasse, sic accipio, ut si tantus poëta fuit *Domitianus*, quantum *Quinctilianus* prædicat, animi *Titi* fœcunditatem *Plinius* extollat, qua non solum eloquentia præstiterit, verum etiam in poëtica excellens, cui maximè *Domitianus* studuisset, eum imitatus fuerit, vel si, ut diximus, *Domitianum* adulatio, non veritas, talem, tantumque poëtam finxit, non sicut legitur in impressis: *Quemadmodum fratrem quoque imitareris, excogitasti*, scripsisse Plinium volunt nonnulli; sed *quemadmodum frater quoque imitaretur, excogitasti*, spectatissimis videlicet moribus, atque imperii exercitatione nobilissima ipsum invitans ad te imitandum, quod à *Domitiano* quamquam invitissimo aliquando factum esse *Suetonius*, & *Tacitus* in scripta retulere. *Simulavit*, inquit ille in ejus vita, & *ipse mire modestiam, imprimisque poëticæ studium, tam insuetum antea sibi, quam postea spretum; recitavitque etiam publicè.* Simul (alter ait) libro decimo nono, *simplicitatis ac modestiæ imagine in altitudinem conditus, studiumque litterarum, & amorem carminum simulans, quo velaret animum, & fratris æmulationi subduceret.* Ut enim se Domitianus dili- 27
geret, nullis beneficiis, obsequiisve ullis consequi *Titus* umquam potuit. Sed adeò indies magis adversus eum, ac patrem adeò exarsit, ut adeptus principatum fratris quidem existimationem edictis sæpe prosciderit, ac maledicis orationibus, teste *Suetonio*, patrem etiam odio habuisse palam facere non erubuerit, *Dionis* auctoritate. Quid? quod Imperium se patri, & fratri dedisse, quod sibi reddidissent, in senatu fronte perfricta, & ore impudentissimo jactare non dubitaverit, ut nesciam, qui potuerint adversæ partis fautores verba illa Plinii (*Quanto fratrem amas*) de *Domitiani* erga *Titum* amore dicta existimare, qui nihil minus, quàm amare quemquam novisset, nihil magis, quàm fratrem odisset, à quo unicè amaretur, cujus erga *Domitianum* amor is singularis. præter eas, quas diximus, significationes, hæc quoque accessit, quod ei Consulatum ordinarium sibi destinatum impetraverit. Itaque unde divertimus eò reduentes, *Tito* suum opus *Plinium* nuncupasse concludamus viro principi, non solum Imperatori dignitate prope æquali, & Imperatori designato; verumetiam *Latinè*, ac *Græcè* litteratissimo, singulari memoria felicissimo, & ingenio ad dicendum, vel ex tempore soluta oratione, aut carmine paratissimo, eloquen- 28
tissimo ditissimoque insignibus bibliothecis, cui in præfatione alieni laboris expilatores *Plinius* indicans scribit: *Scito conferentem me auctores deprehendisse à juratissimis, & proximis veteres descriptos ad verbum neque nominatos*, quos gravi paullò post reprehensione apud eumdem notatos da-



mnavit in hunc modum: *Obnoxii profectò animi, atque infelicis ingenii est in furto deprehendi malle, quàm mutuum reddere.* Hæc volo vos Patres perspicere diligenter, & mentibus vestris intueri, quàm verisimile sit *Plinium* adduci potuisse, ut speraret, quàm a se, a nemine unquam lectum, visum, aut auditum iri, quod ipse opus *Dioscoride* exscripsisset, ac consideret in amplissimis Principis Bibliothecis cum cæteris scriptoribus idem, aut tum non posse numerari, aut posthac importari, vel ex litteratis viris, quos tam multos honorificentissimis præmiis Romam *Vespasianus* undique exciverat, neminem futurum, qui *Dioscoridem* aliquando vel vidisset, vel nominari audivisset. Qua spe, quaque fiducia *Plinium* si quis furtum commisisse existimaverit, eum ego consilio non minus puerili, & ratiuncula pæne ani-
29 li de *Plinio* judicare censuero, quam hic ipse abjecti animi, ac vafri significationem minimè obscuram furto commisso præbuisset. Equidem privatum hominem, genere obscurum, humilem ingenio, consilio infirmum, & animo ignobili, atque illiberali præditum inanis gloriæ causa furtum, & facere potuisse existimo, & fecisse scio; sed principem virum doctrinæ, probitatis, & consilii opinione maximum, Imperatori familiarem, apud ejusdem filium, apud imperii administrum, tum cum maximè longè lateque patebat imperium, unum principem, ac Dominum agnoscens, apud eum, qui mox futurus Imperator esset, optimis moribus excultissimum, doctrina quàm dignitate haud minus eminentem, libris locupletissimum, viris omni doctrinæ genere ornatissimis stipatum, tantulam sibi gloriolam, atque adeo incertam cum totius existimationis suæ certissimi naufragii tanto discrimine furto severissime a se damnato quæsivisse, hoc mens mea non capit, Patres, hoc persuaderi non possum, quod ejusmodi esse existimo, ut qui secum ipse accuratè reputaverit, ac diligenti examine excusserit, de eo *Plinium* sit nemo suspectum habiturus, tantum abest, ut prudentissimum virum pudendum adeo errorem commisisse sit crediturus, quod in hominis omnis consilii inopis mentem vix cadere posse videatur,
30 quo nomine, jam confidentius venio ad accusationis nervos elidendos, & objecti criminis evertenda fundamenta, professus adversarios nostros egregiè hallucinari existimantes hujus *Dioscoridis*, de quo lis est, patriam esse certam: aut eumdem, si patria fuit *Anazarbus*, cum eo, quem *Marco Antonio*, & *Cleopatra* dominantibus *Suidas* floruisse prodidit, convenire, aut cognomine *Phacam* extitisse, vel aut *Arrium*, ad quem *Dioscoridis* sex libri de materia medica scripti circumferuntur, eum esse cujus causa veniam ab *Augusto* impetrarunt *Alexandrini*, vel *Erocianum* imperante *Nerone* ad *Andromachum* de vocibus *Hippocratis* scripsisse. Age igitur videamus unde fuerit hic *Dioscorides* existimationis *Plinianæ* obscurator, ex quo, cum duos libros *Oribasius* ad verbum transcripserit XI. ac XII. collectorum, uno *Dioscoridis* nomine contentus patriam omisit. *Aëtius* Oribasium imitatur, *Paulus Ægineta* libro VII. idem observat. libro IV. *Dioscoridem* quemdam *Alexandrinum* vocat, *C.* quidam *Plinius* Galeno junior, cum sæpe nominet *Dioscoridem* libro IV. numquam patriæ miminit, *D. Hieronymus* libro secundo adversus Jovinianum *Dioscoridem* simpliciter dixit. Nec minus *Cassiodorus*
31 *libro de Divinis lectionib.* cujus cum frequentissimè *Serapio* meminerit in describendis simplicibus medicamentis, nusquam patriæ rationem habuit, quam antiquus quoque *Dioscoridis* interpres præteriit, omnibus antiquior, *Erocianus* cum *Dioscoridem* quemdam cognomento *Phacam* appella-

A tum fuisse scribat, tamen materiæ medicæ scriptorem solo *Dioscoridis* nomine significavit, solus *Galenus* sæpissimè *Dioscoridem* hunc nudo nomine citavit, nonnumquam patria fecit *Anazarbeum*, quibus in locis antiquus interpres neglecta patriæ mentione videtur non legisse *Anazarbeum*. Ita fit, ut quod plerique volunt, non sit adeo firmum, ac constans, *Dioscoridem* nostrum fuisse *Anazarbeum*, tametsi verum sit auctore præcipuè Stephano Byzantio *Dioscoridem* quemdam medicum fuisse *Anazarbeum*; subit mihi aliquando suspicari ignarum quempiam plures *Dio-*
B *scorides* artem medicam suis commentariis illustrasse, hujus ipsius scriptoris *Byzantii*, vel *Suidæ* auctoritate impulsum *Dioscoridis* patriæ *Anazarbi* nomen addidisse, quod in antiquis *Dioscoridis*, aut *Galeni* operum exemplis fortè desideraretur: verum quoniam tum manuscripti *Dioscorides* exempla, tum *Galeni*; ut editiones *Græcas* impres- 32
sorum missas faciamus, patriæ mentionem habent adjunctam, de hoc nolo pertinacius contendere, ut mihi assensus præbeatur. Sed cum cæteris professus *Dioscoridem* hunc fuisse *Anazarbeum*, etiam si præter *Anazarbeum* alter fuerit *Alexandrinus*, tertius junior penes *Erocianum* &
C *Galenum*, qui quartum addidit *Tharseum* quincto de comp. med. secundum genera cap. XV. Tamen nolo eumdem cum *Anazarbeo Suidæ* confundi, cum ejus operis, quod hujus ipsius, quem præ manibus habemus, *Dioscoridis* illustri argumento appareat, non plures modo *Dioscorides* Medicos, sed plures *Anazarbeos* de re medica commentarios edidisse. Pars quædam est in *Dioscoride* hoc nostro *Anazarbeo*, quæ de curandis ictibus ab animalibus venenum emittentibus illatis, eam alii septimum, & octavum librum esse volunt, quorum opinionem adjuvat *Marcellus* octò de materia medica *Dioscoridem* edidisse ex
D *Galeno* testatus hæc in libris de simpl. med. facult. habente ὁ δ᾽ Ἀναζαρβεὺς Διοσκορίδης ἐν η βιβλίοις τὴν χρήσιμον ἅπασιν ὕλην ἔγραψεν. Quod est, *Anazarbeus autem Dioscorides octo libris utilem omnem materiam scripsit.* *Galeni* græci codices, quos ego vidi libro VI. cap. primo, hæc eadem habent, excepto librorum numero, qui non nume- 33
ri nota significatur, sed ejus loco πέντε ibi, & paullò post legitur, quod quinque, non octo significat, nec difficilis fuit lapsus ex ε littera in η. addita litteræ ε altera η parte. Illud potius inquisitione dignum videretur, solos ne quinque de materia medica libros *Dioscorides* composue-
E rit, consentiente præcipuè Græca littera *Dioscoridis* cum *Galeno*, ἐν τούτῳ enim ait, τελευταίῳ videlicet, In hoc ultimo totius operis differimus de vinis, non sicut legit *Matthiolus*, In hoc quincto; sed viderint, quorum opera in illustrando, & explicando *Dioscoride* versatur. Nam *Marcellus*, qui primus difficultatem sensit, hæret, nec mei muneris est digredi tam longè ab instituto, quod repetens addo alios eamdem partem in tres libros septimum, octavum, & nonum secuisse, nonnullos cum libro sexto conjunxisse, quos secutus *Matthiolus* rationem addidit, cur à sexto disjungi non possit, in cujus initio hunc i-
F psum totius operis extremum esse *Dioscorides* censuit septimo, octavo, nonoque exclusis, quo cum ego in eo consentio, quod septimum librum *Dioscoridem* materiæ medicæ scriptorem addidisse noluit, dissentio quod hanc partem, cujus initium librum septimum nonnulli inscripserunt, esse lib. VI. partem existimaverit: in hoc enim falsus 34
Matthiolus est, quòd hanc partem ab eo scriptore, à quo quinque priores libri compositi fuere editam esse putaverit, quæ ut ostendam, omnino ab altero quodam *Anazarbeo Dioscoride*, sic enim inscribitur, profecta est. Priorum enim librorum

brorum auctor, haud procul ab initio libri sexti ait: *generosissimè auxiliantur antidota, quæ in operis calce scripta reliquimus.* Quibus cum constat ibi finem operi fecisse, ubi horum antidotorum meminit, post absolutum de læthalibus medicamentis sermonem, ante eam partem, quam ego nolo eumdem habere auctorem, cum ait: *His subscribenda fuerant antidota nobilia, quibus præclarè auxiliantibus utimur, quale Mithridaticum, quod ex sanguine est, ac quod è Scinco fit: verum quoniam alibi accuratè scripta sunt, supersedendum nobis hoc opere censuimus.* Siquidem igitur hic operi finis est, qui ad sextum librum, quæ sequuntur, fieri potest, ut credantur pertinere, quem ea quoque disjungunt, quæ in initio libri sexti de venenatis medicamentis leguntur, neglecta ictuum læthalium commemoratione, quos æque se persecuturum dixisset, cum de his sibi tractandum proposuisset, sicut de læthalibus medicamentis sibi sermonem esse futurum præfatus
35 est, scribens in hunc, vel similem modum. In hoc totius operis extremo de medicamentis homini salutaribus, aut pestiferis, nec non ictibus virulentis agendum est. At non sic dixit, sed cætera præter versiculum a me additum, nec non ictibus virulentis, ut ostenderet de his nulla; de illis omnia se esse dicturum: namque hic auctor consueverit *Arreo*, quid dictum sit, quidve dicendum, paucis prius indicare, quam ipsam dicendorum narrationem aggrediatur; id verò maximè ex secundo, tertio, & quincto libro intelligitur, in quibus singula recensuit, quorum in iis sermonem esset habiturus, quod in sexto non observasset, iis additis, quæ ad ictus venenatos pertinentia posterius leguntur. In hoc ipso sexti libri initio sermonis brevitatem pollicetur, & observat tota illa parte, quam ego sexti propriam esse existimo; sequentis partis auctor sermonis prolixitatem amat, atque in differendo de causis multus est, quod priori *Dioscoridi* non probatur, eos in operis præfatione damnanti, qui artis effectus non ipso rerum usu confirmandos, & sanciendos putant, sed inani studio, & inquisitione causarum occupantur. Illud verò
36 maximè utriusque auctoris diversitatis nos admonet, quod in initio statim hujus partis, quam a prioribus libris disjungendam indicavimus, hæc scribantur: *De animalibus virus ejaculantibus, & medicamentis perniciosis idcirco scribere aggredimur, quò tota curationis, & remediorum oratio absolvatur.* Quæ quis non videt præfationis cujusdam principium, ac præmonitio quædam posterius dicendorum, qua lector, quod in his solet, attentus reddatur, quod fieri medio in libro non convenit, maximè verò *Dioscorides* ex præcedentibus insolens esse videtur, sed utroque nomine novæ tractationis significationem præbet, quo circa idem esse non potest, qui, ut proximè dicebamus, sui operis extremum, ea, quæ præcedunt hanc partem, constituerat. Addamus, quod equidem miror, nobilissimos *Dioscoridis* interpretes non animadvertisse, in his verbis de medicamentis perniciosis, sive venenis se tractaturum esse auctorem polliceri, quod in eum, qui librum sextum, & eam partem condidit, quæ docet exhausto veneno periclitanti subvenire, referri non potest; quin eumdem, aut omni memoria destitutum faciamus, aut repetita venenorum curatione desipere velimus, quem vel hoc præsidio tueri nequeamus, ut mentionem vene-
37 norum hoc loco ab imperito aliquo accessisse dicamus, cum paullò post hæc verba repetita, de divisione hæc a se scripta fateantur inquiens: *Hæc autem duabus summis partibus, sicuti ab initio diximus, continetur, una eorum de feris venenum emittentibus est, quam Theriacam vocant, altera de*

A *venenis, quæ alexipharmaca dicitur.* Post pauca utriusque partis in hunc modum rursus mentio fit, *pauca omnino sunt, cum ex animalium numero, tum ex venenis exitialibus, quæ pericula sua in longum protrahant, vel segniter agendo differant.* Et altero loco proximo: *Sed & qui ultro venenum hauserint, si facti pœniteat, & sibi subveniri postulent, celeritate maxima opus est.* Taceo quòd item protinus ab iis meminerit sagittarum veneno delibutarum. Nam evidentiora sunt, quæ prope capitis calcem scribuntur, & in rem nostram magis conferentia. *Itaque enim*, inquit auctor, *venena, si hausta sint, crebris vomitionibus evocantur.*
B Quæ cur ab auctore primo repetita sint nescias, cum ea ad initium sexti retulerit; cur vero dicantur à diverso scriptore, in promptu ratio est, quod de curandis venenis tractaturus esset, de quibus nondum egisset. Demum sibi quisque proponat principium *sexti libri*, qua parte, si 38
quis sciens, aut ignarus venenum hauserit, quid fieri expediat, tractatur, & alterius partis, de qua quæstio instituta est, initium conferendum: quo loco de eodem, qui volens, aut nolens venenum devoraverit; nec addubito ex sermonis similitudine ab uno auctore locis parum dissitis nullo pacto dici potuisse, a diversis expectari debuisse, esse facile judicaturum.
C Sit igitur hæc summa disputationis nostræ, diversos auctores hos esse nomine, patria, & professione convenientes, ut quod ad hoc attinet etiam tres diversis temporibus floruisse, quorum unus fuerit *Dioscorides* Suidæ, ab utrisque commemoratis, diversus. Quibus hoc consequimur, ut *Dioscoridem* materiæ medicæ scriptorem ab altero *Suidæ* diversum esse potuisse, non etiam, quòd maximè causa nostra postulat, alium ab eo hunc fuisse convincimus; quod aggrediar nunc evidentibus satis argumentis demonstrare. *Cratevam*
D Dioscorides statim in operis initio inter veteres medicæ materiæ scriptores refert, unde proptum est conjicere, à *Crateva* ad scribentem *Dioscoridem* annos vel centum, aut etiam multos plures intercessisse, qui si à *Pompejo Magno*, quo florente, *Cratevas* scripsit, numerentur, *Neronis* principatum attingunt, cum *Dioscoridem* suum opus 39
Arreo nuncupavit, nec, me, qui falsitatis arguat, futurum esse quemquam, modò aliquid sapiat, existimo: quia eo ipso tempore, quo magnus *Pompejus* excelluit, *Cratevam* vixisse, ac scripsisse, dixerim *Hippocratis* auctoritate adversante, cujus ad *Cratevam* extat epistola. Nam,
E ut cæteras conjecturas prætercam, quibus non hæc modo epistola, sed reliquæ quoque falsò *Hippocrati* adscriptæ cognoscuntur, hujus ipsius epistolæ argumento hoc maximè apparet, in qua *Cratevam* Hippocrates admonet, ut sibi ad sanandum *Democratem* insanientem ituro herbas paret, quas non dicit, quasi omnibus opus esset, & in insania summo veluti genere omnes morbi contineantur, quibus ex usu sint omnes herbæ. Ibidem *Cratevæ* peritiam in materia medica, haud exiguis, obscurisque laudibus extollit, quem tamen docet, quibus ex locis petendæ sint herbæ præstantiores, ac quid in transmittendis servari
F expediat. Adde velle, ut primo quoque tempore ad se mittantur Herbæ, Flores, Fructus, Semina, Succi, Lac, Lachrymæ, Radices Liquamenta, & Cortices, quæ cum diversis omnino temporibus colligi necesse sit, quò usui medico idonea sint, certissimum faciunt scribentis inscitiæ argumentum. Radices namque, & Cor- 40
tices testimonio *Dioscoridis* in præfationis universalis calce, tum vigent, & utiles sunt, cum folia contabescentia, & alimento destituta decidunt, cum herbæ vero turgent succo, & plurimi sunt usus, radices quodammodo exhaustæ

prodesse non possunt, Lac, Lachrymasque medio tempore inter herbæ, & radicum vigorem excipi convenit, fructus, & semina posterius, ante Flores, quæ sibi omnia sine discrimine temporis imperitissime colligi voluit. Sed cum omnia hæc nihili fecerimus, tamen *Plinii* auctoritas palam facit eum, qui epistolam hanc finxit, tempora, quibus *Hippocrates*, & *Cratevas* vixerunt, prorsus ignorasse; cum ille antiquior *Aristotele* fuerit, hic aliquot sæculis posterior *Mithridati* à Magno *Pompejo* devicto plantam adscripsit de ejus nomine *Mithridation* appellatam, ut auctor *Plinius* est libro nat. hist. xxv. cap. vi. his verbis: *Ipsi Mithridati Cratevas adscripsit unam Mithridation appellatam, alteram Leneus Magni Pompei Libertus*, cujus jussu *Mithridatis* commentaria medica, quæ in arcanis suis ille reliquerat, *Latina* fecit, eodem *Plinio* teste *ejusdem*
41 *libri cap.* ii. Euphorbium invenit rex *Juba* penes Plinium *lib. nat. hist.* v. *cap.* i. pater *Ptolemæi*, quem ex *Antonii*, & *Cleopatræ* filia ejusdem cum matre nominis suscepit *Plutarchi*, & *Dionis* testimonio, hujus *libro hist.* li. illius in *M. Antonii vita*, Strabo *libro* suæ *geographiæ*. xvii. idem sensit, sed uxoris nomen subticuit. Ibidem ejus, qui cum *Scipione* adversus *Jul. Cæsarem* bellum gessit; hunc ipsum *Jubam* filium facit, non *Ptolemæi*, sicut mendosè legitur in *Solino*, & *Mauritaniæ* eam etiam partem, quam *Bogus*, & *Bocchus* Romanæ Reipublicæ amici tenuerant, regno paterno *Augusti* liberalitate adjectam possedisse asserit, quamobrem primus utrique *Mauritaniæ* imperasse, à *Plinio* loco nuper adducto traditur, quem infantem in triumphum à *Jul. Cæsare* ductum Appianus Alexandrinus *lib. de bello civili:* & *in vita Cæsaris* Plutarchus prodidere, decessisse verò se scribente *lib.* xvii. *suæ geographiæ* Strabo auctor est, qui suo testimonio *lib.* xiii. & alibi *Tiberio* Principe geographiæ opus componebat, ut nulla ratio reliqua sit, per quam in dubium quemquam revocare posse existimem, an is *Juba*, cui Euphorbii inventio tribuitur, fuerit idem, qui *Augusto* imperante in *Mauritania* regnavit, accedente præsertim, &
42 altero argumento Euphorbii de nomine sui medici Euphorbii fratris *Musæ Augusti* medici appellati, uti Plinium *septimo capiti libri nat. hist.* xxv. posterorum memoriæ mandasse legimus. Meminit Euphorbii *Niger*, sed ignarus ubi nasceretur, aut ex qua planta succum ex herba Camælea in *Italia* nascente expressum esse fabulatus est, ex hoc enim succo Euphorbium adulterinum ab impostoribus conficiebatur, teste Plinio *libro nat. hist.* xxv. *cap.* vii. Hinc *Dioscorides* Nigrum de Euphorbio in præfatione graviter reprehendit: *libro* verò *tertio cap.* xxi. scribens in *Libya* inventum esse Euphorbium *Juba* regnante, hoc loquendi modo videtur nobis significare, defuncto pridem *Juba*, Dioscoridem de Euphorbio scripsisse aliquot post imperium *Tiberii* annis, quo dominante *Jubam* extremum diem obiisse diximus ex *Strabone*, cum de eo jam *Niger* egisset, quem aliquot post annos *Dioscorides* secutus est. Quibus facilè adducor (jam enim exponendum est, cur Euphorbii hoc loco sermonem inseruerim) ut credam *Dioscoridem* hunc non solum *Antonio*, & *Cleopatra* imperantibus, non floruisse; verumetiam ne natum quidem sub *Augusti* principatu putem, cum qui ex medicis Eu-
43 phorbii meminerit ante *Scribonium Largum* nullus exter, is verò imperante *Claudio* vixit, quo cum in *Britanniam* transmisit se auctore *libro de comp. med. cap.* xxxviii. Neras quoque natu major *Andromacho*, minor *Antonio Musa*, ex Galeno *libro de comp. med. secundum loc. cap.* iv. Euphorbii meminit in acopis *Galeno* referente vii. *de comp. med. secundum genera cap.* xv. Musam nus-

A quam invenio ejus sermonem habuisse; quamvis de fratris sui nomine dictum fuerit, quocirca *Philonem* eo posteriorem fuisse crediderim. Qui *Dioscoridi* tantum tribuunt, ut ejus causa *Plinio* plurimum detrahere non vereantur, fortasse dicerent falsa de Euphorbii inventione *Plinium* scripsisse; *Dioscoridi* verò omnia, quæ de inventione in eo leguntur, ab eo accrevisse, qui nominum stirpium varietatem illam, ac multiplicitatem adjecit, sed omnem suspicionem additæ inventionis historiæ adimit *Oribasius* ex *Dioscoride* Euphorbii *Jubam* inventorem *libro collectorum* xi. faciens, & cum eo Serapio *Dioscoridem* secutus *cap.*
B ccclii, scribens Primus ad cujus cognitionem pervenit hæc medicina, fuit *Linoes* rex *Linoi*. Cæterum *Plinii* existimationem *Galenus* tuetur in explicatione descriptionis Philonii Euphorbii inventionem referens in *Jubam* regem. Ipsius quoque *Britannicæ* habita à *Dioscorido* mentio nos in ea 44
confirmat opinione, ut posterius vixerit, quam *Suidas* innuere videatur; *libro* enim *quarto* describens hanc plantam ait, *folio esse Rumici Sylvestri similem, nigriore, hispidioreque caule haud magno, radice brevi, ac tenui, ex cujus foliis succus expressus privatim, ad oris nomas faciat & tonsillarum.* Totidem verbis
C ab Oribasio *lib.* xi. *collect.* ex *Dioscoride* descripta legitur, cujus Galenus *lib.* vi. *de simpl. med. facult.* Aetius *sermone primo*, & Paulus Ægineta *lib.* vii. meminere, ejusdem historiam referens *Plinius* lib. nat. hist. xxv. cap. iii. *folia*, inquit, *habere oblonga, nigra, radicem nigram, succum ejus exprimi, & ex radice oris malis salutarem esse contra anginas quoque & serpentes.* Addit, in *Germania* inventam esse trans *Rhenum* castris a *Germanico Cæsare promotis Frisiis monstrantibus*: Germanicus autem cum *Germanis* bellum gerebat *Augusti* imperii anno extremo ex Suetonio in *Caligula in initio*, quos imperante *Tiberio* debellavit, sumpto de cla-
D de *Variana* supplicio, & signis militaribus receptis Dione *libro hist.* lvii. auctore, quibus fit ut de medica materia non citius *Dioscorides* ultimis 45
Tiberii annis scribere potuerit, cum inventa *Britannica* sit non in initio ejus principatus, quibus cum annis xlii. Augusti solius dominantis, ut *Suetonio* visum est, vel xlix. ut *Dioni*, atque aliis placet, anni prope lxviii. quot additi florenti sub *Antonio*, & *Cleopatra* Dioscoridi fit, ut is annos centum plus minus natus quinque de materia medica libros conscripserit, quod mihi à ratione, aut certe verisimilitudine alienum & esse videtur, & aliis quoque visum iri confido, ubi
E secum ipsi præsertim reputaverint ejus amicum *Arrium* philosophum *Augusto* adeo gratum, ipsum quoque tantam ætatem vixisse oportere, ad quem scribebat; imo verò natu majorem *Dioscoride*, etiam longiorem, siquidem eo, ut Dio *libro hist. LI.* testatur, præceptore *Augustus* usus est, vel tum annos, ut patet, xxxv. aut etiam xl. priusquam *Jul. Cæsar* mortem oppetierit, agente, quibus accedentibus annis *Antonii* imperii quatuordecim & xliv. *Augusti* ab obitu *Antonii* principatus, nec non *Tiberii* viginti, omnes erunt anni cxiii. aut cviii. cum ei suum opus *Dioscorides* addixit: sed cum hæc, quæ hactenus
F prosecutus sum, *Dioscoridem*, cujus libros de materia medica tanti medici faciunt, eum non esse, 46
qui sub *Antonio*, & *Cleopatra* secundum *Suidam* floruit, apertissimè demonstrent; tamen id longè manifestius faciunt conjecturæ ab Iberide desumptæ, cujus historiam verbum de verbo ex *Democrate* descriptam in *Dioscoride* legimus, quem, & nominis, & inventionis auctorem faciunt *Archigenes Nygianus Hyparchus*, *Plinius*, *Galenus*, & *Paulus Ægineta*. Namque *Democrates* Andromacho seniore *Neronis* principis illius impurissimi medico junior extitit. Quapropter de Iberide

ride agens Plinius: *Invenit*, inquit, *nuper*, &
quam iberidem Democrates appellavit, ex quo in-
telligitur *Dioscoridem* Democrate posteriorem,
dominante *Nerone*, de Iberide scripsisse, quam
nuper inventam *Plinius* dixerit, eodem principe
Nerone naturalem historiam texente. Nec me
latet, Patres, quid ad hoc fautores *Dioscoridis* sint
responsuri, *Matthioli*, & aliorum nunnullorum
opinione hanc historiam Iberidis in *Dioscoride* ab-
undare ab imperito, vel temerario aliquo in-
serta, qui ignarus ordinis eam inter arbores li-
bro primo collocaverit, cum herba sit, & in-
ter acres potius libro secundo referenda, acce-
dereque quod Lepidii libro secundo meminerit in-
ter eas, quas diximus acres plantas, quod *Galeni*,
47 & *Pauli Æginetæ* cum Iberide idem est, cujus
idcirco historia silentio præteriri debuit, cum ea
posterius sub nomine *Lepidii* tradatur. Quin
etiam Lepidium Herbulam à *Dioscoride* appellari,
hoc est minutissimis foliis præditam, qualem esse
Iberidem *Democrates* censuit. Advertatur tamen
Bartholomæus Maranta argumento Arabis sive
Drabe, quam *Dioscorides* Lepidii folio constare
scribit: *Matthiolus* verò lato folio, nec dissi-
milis Laurino proposuit, quod plurimum differt
à folio Nasturtii, cui similem Iberidem folio
Dioscorides fecit. Respondet *Matthiolus* eandem
Drabe rationem esse, quæ Iberidis in *Dioscoride*,
ut ab alio accesserit, quando, qui ex *Græcis* eam
nominaverit, nullus inveniatur, non *Galenus*,
Oribasius, *Aëtius Paulus Ægineta*, aut alius quis-
quam: ex *Arabibus* ejus meminit *Serapio* sub o-
rientalis Nasturtii nomine protinus ab historia
Thlaspis, sicut in *Dioscoride* legitur. Ego quod
ad Drabe falsitatem pertinet *Matthioli* sententiam
probo, quamquam intentus impensius *Maran-
tæ* feriendo eodem ictu se fixerit, quo adversa-
rium transfixit. Si enim Lepidium *Dioscoridis*
folio Nasturtii, quàm simillimo constat, qui po-
48 test fieri, ut huic similis folio Drabe ea sit, cu-
jus effigiem nobis *Matthiolus* præbuit folia Lauri
referentem, qui si multiplici *Lepidii* significatio-
ne se excuset, quòd plantæ non modo folia Na-
sturtii habenti, verumetiam Lauri penes *Plini-
um*, quem in hoc *Lepidii* significatu sit secutus
simile esse scribatur, descivit à *Dioscoride*,
cujus in opere Drabe Lepidii folio hoc est Na-
sturtii descripta legitur, nec secutus est Serapio-
nem, qui solus ejus meminerit ex *Dioscoride* ad-
scribens folia Seitaragi, hoc nomine Lepidium
intelligens, quod necesse est tale accepisse, qua-
le *Dioscorides* esse voluit Nasturtii folio, si vera
sensit *Matthiolus*, cujus placitum fuit Drabam
folio Nasturtio similem esse, dissimilem esse se-
quitur valde ab ea planta, cujus ipse figuram suo
in opere imprimi curavit; sed hoc obiter sit di-
ctum: redeo ad pensum, Iberidis historiam in
Dioscoride non abundare demonstraturus, quip-
pe quæ ab Oribasio *libro collect.* XI. ex *Dioscoride*
iisdem verbis recensetur, quibus describitur à
Dioscoride. Ea quoque à Lepidio, si quis utrius-
que facultates, & descriptiones accuratè perpen-
dat distinguitur; adeo namque ignota Iberis e-
rat, ut ejus inventio *Democrati* ab omnibus ad-
scribatur, a quibus, hisdem etiam verbis quibus
49 a *Democrate* repræsentatur, ex adverso *Dioscori-
des* inter plantas vulgares, & omnibus notas *Le-
pidium* refert, cujus ob hanc causam descriptio-
nem neglexit: idem in cibos admissum scribit in-
quiens: *Muria cum lacte servari*; sed clarius li-
bro quarto in altera Clematide, cum ait: *I-
psa sale cum Lepidio conditur, & servatur ad ci-
bos*. De Iberide nusquam legimus fuisse esculen-
tam, nec verisimile est protinus inventam a *De-
mocrate* inter cibos esse receptam, aut *Archige-
nem*, *Galenum*, vel *Paulum* fuisse hoc præteritu-
A ros; usus etiam medicis utramque plantam distin-
guit, Iberidis radices cum axungia ad dolorem
coxendicis sanandum adhibentur, penes *Demo-
cratem* cæterosque, quos proxime nominavimus,
medicos, & eam, quæ in *Dioscoride* legitur de-
scriptionem. Ejusdem doloris causa *Dioscorides*
Lepidii folia cum Iriulæ radicibus tusa jubet ad-
moveri: cum *Plinio* verò, & aliis nonnullis in
affectibus ab iis diversis, quorum sanandorum
causa cum cæteris medicis, *Plinio*que Iberidem
Democrates laudavit. De *Lepidii* viribus eadem
Plinius scribit, quæ Dioscorides *lib. nat. hist.*
XX. *cap.* XVII. eidem folia Lauri tribuit *lib.* XIX.
B quo cum Paulus Ægineta *lib.* III. *cap.* LXXVII.
convenit, & locum inter herbas hortorum, at-
que esculentas assignavit, *Columellam*, ut ar-
bitror, secutus *lib. de re rustica* X. inter plantas 50
hortenses his carminibus recensentem:
Ponitur & lactis gustus, quæ condiat herba.
Dejectura quidem fronti data signa fucorum.
Vimque suam idcirco profitetur nomine Grajo.
Libro verò XI. cap. ultimo, *Lepidium*, inquit, *cum
ante Kal. Martias habueris dispositum, velut por-
rum sectivum demetere poteris, rarius tamen: nam
post Kal. Novemb. secandum non erit, quoniam fri-
goribus violatum emoritur*. Et libro XII. cap.
C VIII. Sativi simul, & Sylvestris Lepidii me-
minit, cum Iberis passim semper virens nascatur
locis incultis, præcipue verò muris vetustiori-
bus, ac monumentis, quibus utraque planta ita
dirimitur, ut non videam qui cum Lepidio *Dio-
scoridis* Iberis *Democratis* eadem dici possit. At
non suo loco in *Dioscoride* posita est? an igitur,
qui de materia medica ad nos sub nomine *Dio-
scoridis* libri pervenerunt, quosque omnes *Diosco-
ridi* acceptos medici retulerunt, non sunt sui,
quia iisdem licet verbis, ordine tamen diverso
plantarum omnium historiæ à *Dioscoride* conscri-
ptæ in Oribasio XI. & XII. *libro collect.* legun-
D tur? An falsus *Oribasius*, qui ea omnia *Diosco-
ridis* esse testatur? An falsus Serapio, qui eas-
dem historias referens *Dioscoridis* esse prodidit, 51
quæ non sint, quia in his recensendis alius,
quam a *Dioscoride* ordo servetur? Ego plan-
tarum descriptiones in iis auctoribus *Dioscoridis*
esse cum cæteris medicis sentio, & agnosco à
Dioscoride profectas; ordinem in Oribasio suum
esse, non *Dioscoridis*, assero, suum etiam in Se-
rapione. Itaque sit Iberidis in *Dioscoride* locus mu-
tatus, id ordinem in ejus collocatione servatum
non esse significat, quem illi *Dioscorides* consti-
tuerat, non historiam à *Dioscoride* præteritam,
E non expungendam, sed pristinum suum in locum
esse restituendam. Ejusdem generis alterum
Matthioli argumentum est, scilicet debile valde,
& infirmum Lepidium, ac Iberidem unam plan-
tam *Paulum Æginetam*, & alios fecisse, Iberi-
dem alio nomine Lepidium dici asserentis, &
Lepidium Iberidem, multas enim hoc nomine
plantarum historias in *Dioscoride* abundare fateri
operæ pretium esset, in primis Gingidium, quod
alio nomine Lepidium vocari libro secundo *Dio-
scorides* scribit, & vicissim Lepidium ab aliis ap-
pellari Gingidium, quod idcirco sic dictum non
puto, quia utrumque effigie simile sit, cum Le-
F pidio folia sint haud dissimilia Lauri, Gingidio 52
Sylvestris Pastinacæ penes *Dioscoridem*, penes
Paulum Æginetam Scandici, aut Pastinacam Syl-
vestrem, quam hactenus sit creditum, aliam esse
oportet. Casu igitur potius sic vocatas duas plan-
tas dissimiles esse crediderim. Quod verò her-
bula Lepidium dicatur ea ratione, quam putat
Matthiolus, suo ipsius clypeo ictum repello, qui
Chelidonium minus paullò minoribus foliis quàm
Lepidium repræsentavit, quique Arisarum nobis
expressit foliis Ari simillimis, licet minoribus,

magnitudine nihil *Laurinis* inferioribus; ne di-
cam majoribus, tametsi *Dioscorides* Chelidoni-
um minus herbidam appellaverit, Arisarum non
herbulam modo, verum etiam exiguam herbulam
libro secundo vocaverit μικρὸν, videlicet βοτάνιον
sicut Lepidium βοτάνιον tantum, quo fit ut cre-
dam herbulam nonnumquam *Dioscoridem* eam ap-
pellasse, non quæ pusilla folia proferret, sed quæ in
altitudinem minimum attolleretur, ut Chelido-
nium minus, & Arisarum, nonnunquam etiam
abutentem vocabulo herbulam appellasse cum fru-
tice conferentem, quo vel alta cubitum unum
herba valde minor dici ab eo herbula potuit, quo
modo mentam herbulam, sivè βοτάνιον appellavit,
53 quamquam altitudine penè cubitali ejus caulis
crescat, maximè verò Lepidium, quod altius
etiam attollitur, nec destituebatur auctore *Dio-*
scorides, quem in hoc imitaretur, cum *Theophra-*
stus quoque definitiones herbæ suffruticis, fru-
ticis, & arboris auctor limites sibi constitutos in-
terdum egressus violam nigram cum fruticibus,
ac suffruticibus rosam, & aliis nonnullis recen-
suerit. Omnia igitur in unum conferentes dice-
mus *Dioscoridem* inventam a *Democrate* Iberidem
agnovisse, & eo posteriorem ab interitu *Neronis*
scripsisse, sed Iberidis historia in *Dioscoride* ab-
undet, accesserit ab aliquo rei herbariæ igna-
ro, sic expungendam. Tamen Lepidii *Diosco-*
rides meminit, quod plerique omnes idem cum
Iberide *Democratis* esse contendunt: ego diver-
sum facio, cui tamquam inventori imperante
Nerone, cum ab omnibus medicis adscribatur,
eo posteriorem fuisse *Dioscoridem* certissimo ar-
gumento convicti, ut fateantur, necesse est.
Namque ab obitu *Neronis*, quo dominante, na-
turalem historiam *Plinius* scribebat, annis post
M. Antonii imperium, quando *Dioscorides* Sui-
dæ floruit, centum de materia medica post *Pli-*
nium scripsisse, nec vel hunc eum esse, cujus me-
minit *Suidas*, vel *Plinio* antiquiorem extitisse co-
54 gimur affirmare. Quibus id quoque accedit ad
utriusque *Dioscoridis* diversitatem patefaciendam,
quòd suum *Dioscoridem* Suidas in operibus ab eo
compositis a nostro distinguat, quem quinque de
materia medica libros ac sextum de venenis scri-
psisse constat, plures edidisse non constat, nec
qui plures ab eo editos legerit, quod ego sciam,
quisquam est, suum Suidas *libr.* XXIV. *de re me-*
dica scriptis consignasse prodidit, eumdemque
cognomento *Phacam* appellatum esse, cum no-
ster sivè *Erocianum*, sive *Galenum* sequi placue-
rit, *Phacas* esse non potuerit. Nam, ut in præ-
cedentibus quoque diximus, simplicium medi-
camentorum historiæ scriptorem *Erocianus* sim-
pliciter *Dioscoridem* appellat in verbo χαμάδρυ
Phacam eum, qui de verbis *Hippocratis* septem
libris egit in procemio & verbis Φωναὶ κατείλυσαι
sed *Galenus* in præfatione ad *Hippocratis* verborum
explicationom *Hierophilium* Dioscoridem *Phacam*
esse cognominatum asserit, quem patria *Alexan-*
drinum extitisse in voce Ιυδικὰν videtur exstimasse,
à juniore, & *Anazarbeo* diversum, quos in præ-
fatione ab *Herophilio* distinxerat. Iam verò *A-*
nazarbum, unde *Anazarbeus* Dioscorides dictus
est, ab ejusdem nominis auctore urbem *Ciliciæ*
dictam esse testis est *Ammianus Marcellinus* lib. XIV.
55 nec non *Hermolaus* grammaticus *Constantinopoli-*
tanus, qui *Stephani Byzantii* opus de urbibus in
epitomen redegit, cum ait, ab *Azarba* condi-
tore *Anazarbum* Ciciliæ urbem nomen inditum
esse, & cives *Anazarbeos* appellatos, inde *Dio-*
scoridem medicum insignem *Anazarbeum* fuisse
nuncupatum. Cæterum Suidas *Anazarbum* ur-
bem *Ciliciæ* olim *Cyindam*, mox *Diocœsaream* vo-
catam à terræmotu eversam jussu *Nervæ* Roma-
ni imperatoris a *Zarba* restitutam de nomine ejus
Anazarbum appellatam esse scribit. Quamobrem
non est, cur aut antiquiores *Nerva* scriptores *Ana-*
zarbi nullum fecisse verbum, *Strabonem* in primis
diligentissimum, *Pomponium Melam*, & *Plinium*
miremur, aut cur *Dioscoridem Anazarbeum* sub *An-*
tonio, & *Cleopatra* vixisse in *Ægypto* existimemus, a
quibus ad *Nervæ* usque principatum anni quatuor
supra centum numerantur, nisi quod dictum iri a
nemine certus sum, *Ægyptii* præsentientes *Cyindam*
aliquando mutato nomine *Diocœsaream* primum,
mox a terræmotu eversam a *Zarba*, vel *Azarba*, aut
Anazarbo restitutam *Anazarbum* posteriori sæculo
appellandam fore, *Dioscoridem Anazarbeum*, quam
Cyindum, aut *Diocœsariensem* vocare maluere. Hæc 56
si vera sunt, quæ *Stephanus*, quæ *Hermolaus*, *Am-*
mianus Marcellinus, & *Suidas* prodidere, si aucto-
ribus minime contemnendis nituntur, quis adeo
stupidus est, adeo expers rationis, qui non a-
gnoscat innocentiam *Plinii* nostri, ac prope fide
oculata sentiat iniquissime de transcripto *Dioscori-*
de eumdem ab adversariis fuisse accusatum: quo-
rum argumento, si vis ulla inest, si ullum mo-
mentum, *Dioscoridem*, non *Plinium*, furtum
commisisse fateri, necesse est. Ajebant enim
idcirco ex *Dioscoride* pleraque *Plinium* descripsis-
se, quia ille ante floruerit, quam hic nasceretur.
Hunc quoniam *Plinius* ex hac vita prius excessit,
quàm *Dioscorides* agnosceretur, fit, ut hic *Pli-*
nium nostrum expilaverit, qui ante conditum *A-*
nazarbum vitam cum morte commutaverit, cum
ille, restituta per *Azarbam Anazarba*, de patriæ
nomine appellatus *Anazarbeus* sub initium *Tra-*
jani principatus scripserit. Hisdem ego rationi-
bus persuasus *Suidæ* lectionem, ut credam, esse
vitiatam, facilè adducor: valde enim consentane-
um videtur rationi, ut *Suidas* haud ignarus tem-
poris à *Zerba* collapsæ *Diocæsareæ* restitutæ, &
nominis in *Anazarbum* mutati eum *Dioscoridem*,
qui sub *Antonio*, & *Cleopatra* in *Ægypto* vixisset,
patria *Anazarbeum* fecisse, quæ post unum ab 57
illorum principum interitu sæculum condita
fuisset. Itaque hujus adeò manifeste, & enor-
mis contradictionis culpa non in *Suidam*, sed a-
lium quempiam mihi potius videtur esse rejicien-
da, qui cum nullum *Dioscoridem* medicum præ-
ter *Anazarbeum* agnosceret, ignarus antiquæ hi-
storiæ, & *Anazarbæ* conditæ sibi, ut *Suidæ* ve-
terem lectionem, ac geminam *Dioscoridem* Ale-
xandrinum facientem depravatam esse crederet in
animum inducens depravaverit, loco verbi Αλε-
ξαρδεὺς altero Αναξαρβεὺς subrogato, fortasse arbi-
tratus ob utriusque verbi vicinitatem facilè scri-
bam labi potuisse, sane omnis difficultas, & ap-
parens, ac turpis in dictis *Suidæ* controversia de-
mitur ejus lectione in hunc modum restituta, &
loco *Anazarbeus Alexandrinus* substituto, quem
in primis *Phacam* cognominatum esse constat ex
Galeno & *Herophili* sectatorem extitisse. Idem
Bacchio adversatus est septem libris à se conscri-
ptis, teste *Erociano* in dictionarii sui præfatioene.
Videtur etiam *Hippocratis* interpretem egisse au-
ctoritate Pauli Æginetæ *libro quarto cap.* XXIIII
in explicatione verbi τέρμινθος, certè alia quædam
diversa ab his, quæ a Juniore *Dioscoride* scripta
sunt edidisse ex *Galeno* colligitur, cùm in proœ- 58
mio Hippocratis linguarum explanationis ait *Dio-*
scoridem quemdam juniorem, non *Herophylium*
illum cognomento *Phacam*, ne quartam quidem
partem *Hippocratis* verborum exposuisse. Nam
ubi nihil scripsisset, non erat cur futurum vere-
retur, ut hic junior cum illo confunderetur. Di-
cerem hunc eum esse, quem *Galenus* audaciæ ni-
miæ in *Hippocratis* scripturis immutandis da-
mnat, nisi eumdem *Hadriano* imperante vixisse,
prodidisse videretur, quod ad Juniorem verius
pertinet, de quo locutus *Galenus* in proœmio
pro-

proxime adducto hæc habet: *Sed Dioscorides junior patrum nostrorum memoria, ne quartam quidem partem Hippocratis omnium verborum exposuit.* Natus autem *Galenus* est *Hadriani* principatus annis ultimis, quo dominante *Dioscorides* is vixisse videtur, qui *Hippocraticam* lectionem pluribus in locis pervertit; quibus conjicii potest eumdem fuisse *Hippocratis* operum corruptorem, & juniorem *Dioscoridem*, aut certè coætaneos extitisse. Sit igitur, ut dictum est, Suidæ *Dioscorides Herophilius* ille, & *Alexandrinus*, quo nomine in *Ægypto* vixisse cum constat, floruisseque potuit *Antonio*, & *Cleopatra* dominantibus, atque familiaritate cum *Arrio* Augusti præcepto-
59 re conjunctus esse, cujus argumento *Plinium* Dioscoride fuisse posteriorem accusatores asserere non dubitarunt; sed, ut fateri necesse est, hunc *Arrium* pluribus ante *Plinii* nativitatem annis floruisse, vicissim eum esse, ad quem *Dioscorides* scripsit, quod adversariis nostris visum est, fateri non est necesse. Quæ enim ratio *Dioscoridem Anazarbeum* probat sub *Antonio*, & *Cleopatra* non vixisse, eumdem nullo pacto *Augusti* præceptore *Arrio* familiariter uti potuisse ea demonstrat, inter quem, & *Nervam*, quo jubente *Anazarba Azarba* extrui curavit, plus uno sæculo, vel centum, & decem annorum intersit. Nec nobis hoc loco occurrant adversarii ea observatione, quæ ex initiis librorum *Anazarbei* Dioscoridis habetur, in quibus toties *Arrium* ille nominavit: quot edidit de medica materia libros etiam in initio sexti ad venena pertinentis, qua frequenti ejus commemoratione nominis depravationis causandæ, & accusandi liberarii demi nobis occasio videtur; non enim eum ego, ad quem *Dioscorides* hic noster *Anazarbeus* scripsit, *Arrium* esse negaverim: sed eum, cujus intercessione *Alexandrinis* ab *Augusto* venia impetrata est, quo præceptore idem usus est, hunc ego eum esse inficior, cujus hortatu *Dioscorides Anazarbeus* de materia
60 medica libros quinque conscripserat, ac cui opus inscripsit, *Arrius* est, non ille *Arrius*; quemadmodum, & qui ad eum scribit *Dioscorides* est, non ille *Suidæ*: medicus, non ille medicus, plures enim fuisse *Dioscorides* diximus, nec alienum à ratione fortasse est, ut *Suidæ Dioscorides* is fuerit, cujus semel, atque iterum *Andromachus* apud Galenum *quarto de composit. med. secundum genera cap.* V. meminit in emplastris ad ulcera maligna referendis. Nam neque *Anazarbeus* fertur de medicamentorum compositione scripsisse, & Junior longius abest, quàm ut ejus *Andromachus* meminisse potuerit: fuere igitur plures *Dioscorides*, fuere plures *Hippocrates*, *Asclepiades* etiam, atque *Andromachi* plures, omnes medici; quid prohibet etiam plures *Arrios*, sive *Areos* vixisse, aut etiam numero *Dioscoridum* diversitatem superasse? Sed hæc conjectura est, Illud argumentum certum præter *Augusti* præceptorem, quem licet philosophum fuisse constat, non sequitur fuisse medicum, qualem amicum suum fecisse *Dioscorides* videtur. Meminit *Arrei Asclepiadei* quarto de comp. med. secundum loc. cap. VII. *Galenus*, & quincto cap. VII. nec non quincto de comp. med. secundum genera cap. XV.
61 ad quem extat medicamentum à *Dioscoride Tarseo* missum pro sanguine supprimendo præstantissimum. *Tarsensis* vero *Arei* nono de comp. med. secundum loc. cap. XXI. sed *Lecanii Arei* mentio legitur in Galeno quincto de comp. med. secundum genera cap. XIII. capite vero XI. bis *Areum* simpliciter idem *Galenus* vocat, quemadmodum & XIV. ac decimo de comp. med. secundum Loc. cap. secundo, quorum utri suum opus *Dioscorides* dicaverit, cum incertum mihi sit, nihil temerè statuo: inclinat tamen animus,

A ut credam *Lecanio Areo* præ ea, quæ *Areo Dioscoridi* cum *Licinio Basso* necessitudo intercessit, *Lecanio* si fortè legendum est, non *Licinio*, lapsu ob verborum similitudinem facto, qualem antiquus *Frontini* de aquæductibus impressor commisit lib. secundo pro *Lecanio Basso* Consule sub Nerone *Licinium* dicens, quem tamen eum esse nolo, qui *Arrium* Dioscoridis amaret: cum, ut auctor est Plinius *lib. nat. hist.* XXI. *cap. secundo*, se scribente perierit, sed hujus filium potius ejusdem cum *Plinio* juniore ætatis, cui cum ob doctrinam, tum etiam propter familiam sibi cum eo communem carus esset, quod a patre suo
B *Quincto*, aut quopiam alio ex *Lecaniis* libertatem adeptus, aut suo beneficio, vel alterius *Lecanii* 62
civitatem Romanam *Q. Lecanius Areus* appellaretur, cui sibi ut de materia medica *Dioscorides Anazarbeus* scriberet, auctori suum opus *Trajani* principatus initio nuncupavit annis ab obitu *Plinii* senioris prope triginta, à quo antiquioris se *Herophilii*, sive *Alexandrini Dioscoridis* nulla, ut arbitror, ratio habita est, quià de plantarum reliquorumque simplicium medicamentorum historia, & facultate inscripta nihil aut minimum retulerit, *Antonio*, & *Cleopatra* dominantibus,
C penes *Suidam*, pro quo, si quis nolit emendationem nostram admittere, haud ita æstuabo, ut sim cum eo diuturniorem controversiam habiturus, etiam si conspicuum est vix quemquam, vel ineptum hominem simili in contradictione deprehendi posse, modo eum, qui *Anazarbeus* fuit, nolit ipsa, ex qua denominatus est, urbe antiquiorem extitisse. Reliquus is à me scrupulus complanandus est, cum dicebatur *Dioscoridem* ante *Neronis* principatum videri scripsisse ex *Erociano* in dictionario ad *Andromachum* Neronis medicum *Dioscoridem* adducente. Ut igitur existimo, quia fuerit *Andromachus* Neronis medicus, hoc i-
D pso etiam imperante ad eum *Erocianum* de vocibus *Hippocratis* scripsisse non convincitur. An *Epaphroditus* eodem ictu cum *Nerone* Andromachum sustulit, nec ad eum superstitem post interemptum principem *Erocianus* scribere potuit primis *Trajani* imperii annis prope triginta ab obitu *Neronis*? Potuit, ni fallor, nec est adeo absurdum, si quis nostrorum temporum observationem attendat, *Andromachum* annos quadraginta, aut etiam quinquaginta, cum *Nero* sublatus est, agentem ad *Trajani* usque principatum supervixisse: quis est enim vestrûm, Patres, qui natum annos octuaginta aliquem,
E aut non agnoscat, aut qui agnoverit commemorantem non audiverit? Ego nonagenarios non nullos agnovi, vestrûm quoque quempiam agnovisse puto, nec modo ætatis tantæ, verum etiam forte longioris. Quid dico nos tot annos natos agnovisse? Illo ipso sæculo *Plinius* junior octuagenario majoris atque integris viribus adhuc firmi *Virginii Rufi* meminit: imò verò illa ipsa ætate *Antonii Castoris* annos centum agentis *Plinius* senior. Scripserit igitur ad *Andromachum* valde jam senem *Erocianus*, scripserit ad Archiatrum & medicum *Neronis*, non scripsit eo imperante, non paullo
F post, sed triginta ab interitu *Neronis* annis imperium *Trajano* gubernante, & si iis, qui *Dioscoridi* nimis addicti sunt, vel *Plinio* nostro infensi, durius hoc fortè videatur *Trajani* principatum *Andromachum* Neronis medicum vidisse, hoc nulla ratione inficiari poterunt *Andromachum* juniorem *Neronis Andromachi* filium magnam *Trajani* principatus partem videre potuisse, cui de *Hippocratis* vocibus scriptum a se commentarium *Erocianus* dicaverit. Sed scio quid sint responsuri, hujus auctoris scripta ad *Andromachum* seniorem, non juniorem, Patrem, non filium dirigi, illum fuisse Archiatrum, qualem *Andromachum* suum *Erocianus* appellat, hunc nemi-

nem

nem *Archiatrum* vocasse, sit ita, priorem Archiatrum fecerint, posteriorem nemo, quod sciamus, Archiatrum esse dixerit. Igitur non fuit, nec is esse potest, ad quem *Erocianus* scripsit. Planè hoc mihi non videtur sequi, fingamus Patres *Galenum*, *Andromachum* seniorem primo de antidotis Archiatrum non nominasse, sed quod alibi sæpe, ac semper, *Andromachum* solum, quis hunc Archiatrum extitisse affirmare ausit, quem nusquam alibi *Galenus*, nusquam *Oribasius*, *Aëtius*, *Alexander*, *Trallianus*, *Paulus Ægineta*, *Actuarius*, aut *Nicolaus Myrepticus* appellarunt? aut faciamus librum de antidotis, cum aliis mul-
65 tis operibus vitio temporis intercidisse. Non igitur Archiater non fuisset, & falsitatis *Erocianum*, quia inter Archiatros *Andromachum* numerasset, insimularemus? Non opinor id faceremus, aut non sine insigni temeritate. Itaque licet non habeam, qui juniorem *Andromachum* Archiatrum nominaverit, cum adversarii testibus, qui id negent, idoneis destituantur, hunc Archiatrum non extitisse, quia nemo eum sic appellet, firmo non admodum argumento concludunt, deficiente vicissim qui neget; sed verò cum evidentibus, ac verissimis conjecturis, *Dioscoridem* fuisse *Plinio* posteriorem demonstraverimus; tamen, quod sæpe disputatione tota factum est, ut multa adversariis nostris condonarem, de hoc quoque me illis valdè liberalem præstabo, *Plinium* admittens *Dioscoride* antiquiorem non esse, imò verò volo etiam fuisse juniorem, nec existimo, quod illi confici voluere, omnia, aut pleraque ex *Dioscoride* eum descripsisse. Nam cum ajunt, quia eadem ab utroque scribantur alterum ab altero ea sumpsisse, inchoate se ratiocinari non animadvertunt, & alteram argumenti partem imprudenter præterire, quæ est, aut utrumque ex tertio, quam ego partem affirmo, nego alterum ab altero, quæ scripsit, esse mutuatum; ea ipsa enim,
66 in quibus conveniunt, ex communi quodam auctore cur descripta esse non possunt? Legit uterque *Cratevam*, *Andream*, *Julium Bassum*, *Petronium Nigrum*, & *Diodotum*, uterque nominavit; sed consilio valde dissimili, nominavit *Dioscorides*, ut aliquo modo damnaret, *Plinius* ut quid ex quo habuisset, constaret, nec dissimularet per quos profecisset. Atque ut intelligatis, studiosi Adolescentes, quàm probabilis, quamque perspicua sit conjectura nostra, accipite eam paucis quibusdam exemplis nonnullarum historiarum ab utroque scriptarum, explicatam, quarum *Sextium Nigrum* Plinius auctorem facit, *Dioscorides* nemine nominato potius seipsum: plura similia vobis per otium *Plinii* ingenuitatis argumenta ex ejus historia naturali depromere promptum erit, quæ ego, ne cum sapientissimo consessu vos diutius distineam, consulto prætereo. De Fibro inquit *Dioscorides* libro secundo *temerè proditum esse amputari testes ab ipsis, in fuga cum capiuntur, nec enim adimere sibi eos possunt substrictos, & adhærentes, ut Suibus:* Plinius verò nat. hist. libro XXXII. cap. XLIII. ex Sextio de eodem sic: *Amputari testes ab ipsis, cum capiuntur, negat Sextius diligentissimus medicinæ, quinimmo parvos esse, substrictosque,*
67 *& adhærentes spinæ, nec adimi sine vita animalis posse.* Ex eodem libro nat. hist. XXIX. cap. XLI. Idem Plinius inquit: *Ignem à Salamandra non restingui*, de quo Dioscorides lib. secundo, *temere creditum est Salamandram non sentire flammas.* A quo lib. quarto habemus: *Narbonensi Taxo vis tanta, ut si qui sedeant sub ea, somnumve capiant, lædantur; sæpe verò etiam moriantur.* Quæ omnia Plinius nat. hist. lib. XVI. cap. X. in *Sextium Nigrum* refert in hunc modum: *Sextius Niger dixit Taxum esse in Arcadia* (vel, ut alii, *in Gallia*) *tam præsentis veneni, ut qui obdormiant sub ea, cibumve capiant, moriantur.* De Thracio lapide hæc cecenit Nicander in Theriacis:

Vel tu Thraicium flamma succende lapillum,
Quem licet immergas, mersus tamen ardet in undis;
Ast oleo effuso protinus restinguitur, ad nos
Thraicii hunc mittunt fluminis de litore Ponti.

Eadem Galenus ex Nicandro IX. *de simpl. med. facult.* retulit, quæ soluta oratione *Nicandri* nomine suppresso *Dioscorides* his verbis transscripsit: *Thracius lapis in Scythia nascitur quodam amne, qui Pontus dicitur, vis ei par Gagatæ. Ajunt accendi cum aqua, oleo restingui.* Plinius autem *lib. nat. hist.* XXXIII. *cap.* V. Thracium lapidem aqua accendi, oleo restingui scribens *Nicandri* 68
mentionem quamquam omiserit, tamen *lib. primo* in externis auctoribus recensendis, quos libro XXXIII. in scribendo secutus est, *Nicandrum* nominavit. Hæc qui viderit, & mente in ea intenta contemplatus fuerit, ex his paucis plura ab antiquioribus se auctoribus accepta *Dioscoridem* operi suo inseruisse facilè conjiciet, quæ quia sua esse crederentur, factum est, ut alienæ culpæ *Plinius* noster innocentissimus pœnas acerbissimas luerit, qui cum, non ut damnet, multos nominet auctores, sed ut gratum erga eos se præbeat, ut fateatur per quos profecerit, cum nihil penè suum esse dixerit, seque asseclam esse non auctorem profiteatur. Tamen vocatus in judicium alienos labores invasisse, expilasse, atque diripuisse fertur, ut paucis dicam, accusatur furti, atque apud historiæ naturalis studiosos in invidiam vocatur: quodque gravius est, indicta causa damnatur, & accusatur furti. *Dioscorides*, cum neminem nominet, nisi quem reprehendit, nemini referat quicquam acceptum, omnium auctorem se faciat, & auctor esse credatur, suppresso denique nomine quorumdam scripta ita referat ad verbum, ut nihil prorsus de suo addat, non damnatur, non accusatur, sed multis laudibus encomioque singulari a viris doctis commenda- 69
tur. Solus ab alienis abstinuisse, quæ sua sunt, quæ viderit, quæ observaverit, hæc attigisse diligenter exposuisse, scitè, ac fideliter exhibuisse posteritati prædicatur, quæ non viderit, vel præteriisse prorsus, vel ea retulisse, quæ ab hominibus fide dignis accepisset, in quibusve summa consensione scriptores inter se conspirasse deprehendisset; cujus tamen est non *Plinii* Capri sanguinem terræ *Lemniæ* admisceri consuevisse, quod cum fabula sit, quæ in *Lemno* à *Galeno* fortè narrata indigenis risum commoverit, neque ipse vidit, neque à fideli narratore accepit. Multa sic ipse melius describere potuit, in quorum nonnullis repræsentandis nemo non *Plinium* nostrum anteponendum judicabit. Idem de his, quæ in sinum *Arabicum* ex *India* convecto in diversas *Europæ* regiones per mercatores distrahebantur sermonem habens, quas fabulas non comminiscitur, ut quod Piper album, nigrum, & longum eadem ex planta decerpantur, hoc fructum esse immaturum effigie Siliquarum, alterum nigrum maturitatem consecutum, ac tertium acerbum. Utrumque ex interna fructus parte Milio simili, quo tempore dehiscens race- 70
mos emittat, ortum habere, sed quorum in ignoratione, quia *Plinius* quoque fuerit, nolo communem errorem, *Dioscoridis* fieri proprium. Quamquam non deerunt, qui tanta cognoscendæ materiæ medicæ cupiditate, tanto juvandæ posteritatis desiderio, quantum prædicant incensum *Dioscoridem*, ac diu hac de causa peregrinatum in *Indiam* quoque transmittere debuisse contendant; cum si *Straboni* nobilissimo historiarum scriptori habenda est fides, vel tum ingentes in *Indiam* classes navigarent, inde omnis generis pretiosis mercibus in *Ægyptum* per *Arabicum* sinum onustæ redeuntes, *Straboni* adstipula-

pula-

pulatus *Arrianus* Imperatori *Hadriano*, cum totam hanc navigationem retulit: tum tractus illos ad extremam usque *Indiam* diligentissime descripsit, & merces inde exportari solitas singulas prope recensuit, quæ *Pandectarum libro* XXXIX. *Tit.* IV. *de public. & vect. l. interdum.* leguuntur ex *Martiano*, quo loco nolim ferri *Indici* mentionem expungi, *Hebeno* substituto, sicut *Matthiolo* placet, cui *Arrianus* adversatur hoc ferro inter *Indicas* merces numerato, penes quem etiam ex Carpaso tedæ *Indicæ* conficiebantur, ut quòd placuit *Matthiolo*, non sit *Carpesium* subrogandum. Qui tanto igitur materiæ medicæ locu-
71 pletandæ studio tenebatur, & artis causa nullas satis longas peregrinationes esse putabat tam facili, tamque explorata navigatione usus, cur in *Indiam* non transmisit *Dioscorides*, aut in proximam saltem *Arabiam* non tenuit cursum, ut ibi nascentium Cassiæ, Thuris, Cardamomi, Costi, Agalochi, & Cancami plantas posteritati traderet accuratius descriptas, nec Costo parum cognito ignotioris sibi Piperis radicem similem faceret. Neque hoc eò à me dici existimare volo, vos Patres, quasi scripta *Dioscoridis* improbem, ac damnem, & hos Lectissimos Adolescentes ab ejus lectione deterrendos, atque avertendos putem, quam alioqui probo cum *Galeno*, & commendo, historiamque plantarum omnibus studiosis utilem, medicinæ verò dantibus operam præ me fero etiam necessariam esse, ut institueram dicere: hæc eò non dico, ut *Dioscoridem* damnem, sed quo suscepti *Plinii* patrocinii munus absolvam, quod cum existimatione *Dioscoridis* ita conjunctum est, ut ea integra manente, *Plinius* in fraude non deprehendatur, & nullam ejus furti culpam fateri necesse sit. Quibus jam rejectis, & furti sublato crimine, reliqua duo inscitiæ, ac negligentiæ, quæ hoc veluti fundamento nitebantur longiori oratione, ad di-
72 luendum non videtur indigere. Neque enim dicam ingentes *Plinii* occupationes aliquam habere excusationem, quam æquus judex facilè accipiat, necessitatem Imperatoris *Vespasiani* ante lucem adeundi, & interdiu delegati sibi officii administrandi. Non dicam inscitiæ, & jam, si qua esset, culpam ei esse objiciendam, qui noctu, qui in itinere, qui in bello, & scribenda meditaretur, & curaret scribi, ac tam multa, quam *Plinius* junior datis ad *Marcum* litteris testatur avunculum scriptis consignasse, quem hoc nomine, quantum in se est, nihil minus, quam inscitiam amasse, & in ea peccare voluisse constat. In quam non adhibebo similem excusationem, nec confessione excusabilis culpæ in hac causa tuebor *Plinium* nostrum. Nam inscitiæ, ac negligentiæ causas adversarii prætexuerunt infirmitate fundamenti vacillare, aut potius nullas esse ipsa *Plinii* innocentia, & responsio nostra notum faciet, atque demonstrabit. *Græcæ* linguæ ignorantia *Plinium* notant, per quam haud raro aliter vertat *Latinè*, quam *Græcè* apud *Dioscoridem* legatur. Historiam ad hæc stirpium temerè attigisse volunt, quorum nullam vel contemplatus unquam esset, vel curasset spectare librarii potius officio functus, quam scriptoris, quo factum esse
73 prædicant, ut multa ex aliorum scriptis suum in opus sine delectu congesta posterorum memoriæ mandaverit. Quorum ego rationi respondens, utro in hac causa beneficio uti velint eos interpello, an quod *Plinius* ex *Dioscoride* sua transcripserit, vel uterque ex tertio. Siquidem illud affirment primum *Plinium* antiquiorem *Dioscoride* fuisse nonnullis argumentis ostensum est, aliis vero eumdem,
A quamvis juniorem *Dioscoridem* non agnovisse sic disserui, ut putem demonstrasse; sin alterum dicant, nescio cur potius velint *Plinium* in eo auctore vertendo cæcutiisse, quàm *Dioscoridem* aliter sentientem ex professo in hac parte ab auctore discessisse, quod in Tussilagine, & aliis nonnullis evenisse in præcedentibus dicebamus. Qui verò in exscribendis plantarum historiis non videndis se *Plinium* exercuisse nolunt, hi mihi potius in Indice *Plinii* evolvendo, quàm opere legendo versati videntur, & in eo peccasse, quòd *Plinio* in plantis describendis contigisse prodidere. Libro namque nat. hist. XXV. cap. secundo. *In eadem provin-*
B *cia*, inquit Plinius, *cognovi in agro hospitis nuper ibi repertum Dracunculum diversum ab his, quos in priori volumine ejusdem nominis diximus:* & libro XXVII. cap. XI. de Lithospermo, idem inquit, *jacere, atque humi serpere auctores tradunt:* 74
ego vulsam, non hærentem vidi. Ejusdem verò libri cap. XIII. ait, *de herbis quidem memoria digna hactenus, aut accepimus, aut comperimus.* Missa facio plura alia loca uno hoc contentus, qui lib. nat. hist. XXV. cap. secundo sic habet: *Nobis certe exceptis admodum paucis stirpibus contigit reliqua contemplari scientia Antonii Castoris, cui summa auctoritas erat in ea parte nostro ævo visendo*
C *hortulo ejus, in quo plurimas alebat centesimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem memoria, aut vigore concussus.* Hæc *Plinius* de sua in cognoscendis plantis exercitatione, cui vel inexercitatissimo, tamen essent plurimæ gratiæ habendæ, quod ejus industria multorum scriptorum, & in his medicorum *Nigri* præsertim *Galeno*, ut præmonuimus, in historia simplicium medicamentorum tradenda probati Lucubrationum nonnulla ad nos fragmenta pervenerunt, nec quia labatur in nonnullis, hoc ejus privatum vitium est: sed commune illi cum multis, etiam *Dioscoridi*, quo ab-
D soluto, non debuit *Plinius* damnari, cujus ad Imperatorem scribentis illa ingenua confessio est, non dubitare multa se latuisse, quod homo esset, ac valde occupatus, nec ego eum, ut nunquam 75
lapsum esse existimarem, ne dicam auderem affirmare, ulla in animum meum ratione unquam inducere potui. Tantum toties labi, quoties studio laudis, & gloriæ ex ejus vituperatione consequendæ *Dioscoridis* perinde, ac vetustioris, & extra omnem aleam positi maximo argumento nonnulli professi sunt, cum alibi sæpe, tum hoc præcipuè loco audeo inficiari: plura enim in eo vitio temporis sunt immutata, multa exscribentium negligentia, nonnulla aliorum quo-
E rumdam temeritate, vel nimia festinatione depravata, quæ insonti *Plinio* imputantur. Atque hæc in genere, Patres, sum præfatus de *Plinii* innocentia, plura distinctius, ac pressius dicturus, ubicumque *Plinio* aliquid objici ab adversariis occurret in explicatione singularum historiarum, quas mox aggrediar a libro duodecimo exorsus, ac primo inter eos, quos de materia medica composuit addictus peregrinis stirpibus referendis, quibus omnibus, aut certè plerisque cognoscendis *Lusitanorum* industria, atque ausu planè heroico plus nos profecimus, quam anteactis sæculis ullus; aut *Græcus*, aut *Latinus* agnitis fa-
F bulis, quas ab *Indis* mercatoribus, vel aliis negotiatoribus se plus quæstus esse facturos existi- 76
mantibus, si omnia difficiliora fecissent, & admirationis plena prædicassent, acceptas nobis pro historiis exhibuere. Nunc, quoniam dicendo fessus sum, nec satis multa non dixi, confecto sermone, finem impono.

FINIS.

INDEX
NOMINUM ET RERUM MEMORABILIUM
in opusculo contentorum.

Do-

FINIS.



POLYCARPI PALERMI,

Jurisconsulti Veronensis, Academici Philarmonici,

DE VERA C. PLINII SECUNDI SUPERIORIS PATRIA,

atque ea

VERONA,

LIBRI TRES,

Quibus

PAULI CIGALINI,

Medici Novocomensis,

Et Aliorum, contraria ſententia confutatur.

Editio Noviſſima, Nitidior & Auctior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.



C. Plinii Secundi *Historiæ Naturalis* ſcriptoris, ut magna apud Eruditos eſt Auctoritas, ita ſummæ ſibi duxerunt gloriæ, qui eo cive poſſent gloriari. *Veronenſem* eum fuiſſe, variis evinci argumentis, & pluribus dici Auctoribus, obſervaverat *Polycarpus Palermus*, Juriſconſultus Veronenſis, & Academicus Philarmonicus; nec, ut patriæ ſuæ decus id eriperetur, ferre, ſed eidem celebrem hunc Civem aſſertum ire voluit. Cujus cum inſtituti ratio ex ejuſdem præfatione optime pateat, nobis non niſi id monendum, egregios præſentes Auctoris præſtantiſſimi de *Vera C. Plinii Secundi Patria Libros tres* in *Quarto*, Anno CIↃIↃCVIII. *Veronæ*, ex officina *Tamiana* prodiiſſe, *Superiorum Conſenſu*; diſtractis autem omnibus exemplaribus, & libro nunc rariſſimo, monuiſſe Viros Graviſſimos, ut hæ Auctoris (de cujus præſtantia cum tot proſtent Eruditorum teſtimonia, breviſſime tamen multa dicet ejuſdem e *Tollio* a nobis hic additum Elogium) egregiæ lucubrationes prælo iterum ſubjicerentur; quibus nos morem gerentes, ut nova hæc Editio nitidior appareret, laboravimus. Erroribus prioris Editionis ſublatis; lectionem conati ſumus reddere faciliorem, Nominia propria, citationes ac alia, quæ id exigebant, diverſis a contextu exhibentes literis. Numeros paginarum prioris Editionis in margine notavimus, ut loca ab aliis ſcriptoribus, priori Editione uſis, citata, hic reperiri poſſint absque moleſtia. Teſtimonia Auctorum, qui Noſtri aſſertionem confirmant, e calce prioris editionis revocata, operi præmiſimus. Indicem Rerum & Verborum Notabiliorum, quo prior Editio deſtituebatur, ſubjunximus, ut breviori conſpectu potiora, quæ habet Auctor, pateant. Quibus noſtris conatibus, in gratiam Benevoli Lectoris ſuſceptis, ut ipſe felix utatur, nobiſque faveat ac valeat, precamur.

ELOGIUM AUCTORIS,
è
Tollio ad Pierium de Literatorum infelicitate.



Quemadmodum olim Catullo, *aliiſque illuſtribus animis, multum debuit* Verona*: ſic è junioribus ſummo jure plurimi fecit* Polycarpum Palermum. *Cujus viri merita eò quidem gratiori mente agnovit, quòd is maximum naturæ miraculum* Plinium *ſuæ tandem patriæ, veriſque civibus, aſſertore calamo, vindicârit. Fruſtra laborantibus* Comenſibus; *qui non ſolùm per totam* Italiam *editis libellis* Plinium *ſibi adſerebant, verùm etiam* Germaniam; *ac præſertim excuſâ* Francofurti, *una cum* Plinii *libris de Naturali hiſtoria,* Pauli Cigalini, *Comenſis Medici, oratione, qua veram autoris illius patriam* Comum *fuiſſe adſtruunt. Cæterum* Palermus, *è* Valoniano *ſuo* Veronam *properans ſub Auroram à ruſticis quibuſdam turpiter cæſus eſt. Cui ſi longiorem fata vitam dediſſent, præclarè fuiſſet meritus de univerſa Rep. literaria. Nunc, quamvis illi denegatum diu vivere, reliquit tamen, quo vixiſſe ſe luculenter teſtetur.*

HIERONYMO NOVARINO, ET LYCURGO SPOLVERINO,

Jurisconsultis Clariss. Veronæ Duumviris,

POLYCARPUS PALERMUS,

J. C. Veronensis, S. D.




N vobis tandem (*Duumviri Præclarissimi*) C. PLINIUS noster ope meâ servatus, & è manibus *Comensium*, qui illum nobis eripiebant, assertore calamo vindicatus, in lucem prodit; quamquam verò hoc ipsum opus diu desideratum esse videam, adhuc tamen vereor ne potius præcox, immaturusque fœtus, quàm justus, absolutusque partus videatur: dum enim illius editionem in longum differo, quò perfectius, & limatius prodiret, illam ut immaturâ, ac fortasse etiam præcipiti festinatione accelerarem, jam nimis concitatus *Comensium*, moræque impatiens animus, qui *Plinio* nobis adimendo totus inhiat, nec aliud jamdudum meditatur, effecit: quos cum viderem istæc sua figmenta non solùm per totam *Italiam* (diversis libellis infra sex annos proximos subinde editis,) latè, brevique tempore circumtulisse, verùm etiam *Germaniam*, & alias *Transalpinas* provincias continuo literarum omnium proventu, & ingeniorum feracissimas eisdem ceu labe quadam, vel potius fascino, contaminare voluisse, excusâ præsertim, illis curantibus, nuperrimè *Francofurti* unà cum *Plinii* nostri libris *de Naturali historiâ* quadam *Pauli Cigalini* Medici *Comensis* oratione, (ut ab amicis audio,) quâ veram illius Patriam *Comum* fuisse acutè magis differit, quàm verè probat, minimè tutum esse ratus, nec è Patriæ dignitate amplius cunctari, & libellorum meorum, quos jamdudum conscriptos paulatim recensebam, editionem longius supprimere, ad illam quamquàm invitus festinanter accessi, ne vel tam effusa licentia ulterius impune vagaretur, vel saltem ut nostris rationibus, ceu moly quodam degustatis, quicumque fortasse tam noxiis veneficiis tenebantur, salutari remedio opportunè sanarentur. Vobis autem ante alios opus hoc meum inscriptum esse decuit, quia tam præclarus civis suæ Patriæ, suæ *Veronæ* servatus ut gratulabundus ad illos primùm accederet æquum erat, quibus totius Reip. summa commissa est, atque ad eos potissimum, qui ingenii gloriâ, summâ eloquentiâ, & doctrinâ variâ præstantes, (omitto nobilitatem, ac jurisprudentiam, quæ in utroque vestrûm summa est) atque ideo illum planè suum civem agnoscentes, statim publico nomine exciperent, ac salutarent, iterumque de illo post longa sæcula ad Senatum nostrum referrent; Perbellè verò accidit, & opportunè, ut in hoc præsertim tempus istæc nostrorum librorum tamdiu suppressa editio inciderit, quo *Jacobus Moscardus* J. C. clarissimus Duumvir designatus crastinis Kalendis magistratum initurus est, ut inter proximam Duumviralem duorum dignitatem sic emissus æquè utriusque benevolentiam, & favorem experiatur, resque nostræ in trium præstantissimorum hominum præsidio, me nec vidente, firmissimè constituantur. Grandiora porrò orsa, ac longè uberiore ingenio, stiloque florente elaborata ab aliis accipite, mihi tantùm satis est, ut unum mihi *Plinium* Verona suum civem acceptum ferat, neque enim minus gloriosum fortasse fuerit ingenium omnium admirabilissimum, maximumque Naturæ miraculum, suæ tandem Patriæ, & suis veris civibus constanter, firmèque asseruisse, quàm in alio argumento fastosam affectatæ doctrinæ speciem inaniter ostentando inutilem operam posuisse. Valete.

Ex *Voloniano* meo prid. Kal. Quinctil. cIɔ Iɔ c VIII.

Ex libro secundo Elogiorum FR. POLÆ Jurisc. Veron.

C. PLINIUS SECUNDUS.



ED quo piaculo non replicem hoc loco memoriam C. PLINII SECUNDI, cujus immortale nomen ad decus patriæ nostræ tanto pertinet opere? quem si nec sileam, quonàm merito prædicem testimonio? Pudet profecto me æstimantem, quam cujus-

libet vel disertissimi hominis facundia impar omninò futura sit huic incomparabili scriptori celebrando; cui qui præferatur, nemo à condito ævo reperiri potest. Pro miraculo ergo sit PLINIANI ingenii, & eloquentiæ sublimitas, omnium rerum capax, & explicatrix; quas res vel natura in se habet, vel ars potest efficere. Ille enim totam vim naturæ rerum, & majestatem, & omnem mortalium excellentiam, industriam, ac solertiam, divino, & portentoso animi vigore, per omnes earum partes, vel abditissimas, perscrutatus est, atque complexus; eaque omnia admirabili selectorum verborum numero, brevitateque eruditissimâ posteris diligentissimè patefecit, & accuratè explicavit. Adeò ut mehercule sine PLINII libris & mundus ipse, quæque in eo sunt omnia, ignota penitus jacêrent, & obscura: & res ipsa Latina *minimè consisteret; muta prorsus alioquin, & elinguis. Meritò igitur* Veronenses *omnes assurgimus marmoreæ PLINII statuæ, quam prisci nostri genitores olim ei erexerunt; meritò tàm eximiâ certissimi civis celebritate perfruimur: Quicquid* Novocomenses *illum nobis semper inviderint, & surripere temerè contenderint, ineptâ planè sententiâ, & deridiculis conjecturis; quas, primum à* Benedicto Jovio *Etruscè perscriptas, mox à* Paulo Cigalino *eruditâ, perpolitâque oratione peroratas, à* Basilio *denique* Paravicino, *Italicâ manu, eaque frigidâ, & insulsâ, in unum collectas, editas, pugnacissimo spiritu confutavit, & contrivit* Polycarpus Palermus, *J. C. & Philarmonicus noster; vir quidem in forensi pulvere quotidiè versatus, sed & omnium politiorum literarum, antiquitatisque omnis scientissimus: cujus in hoc genere libellus, latinè conscriptus, propediem prodibit.*

PRÆFATIO AUCTORIS.

INVISUM mihi semper fuit illud genus hominum, qui nullâ gloriæ cupiditate incensi in segnitiem proni dilabuntur, & ocio ignavissimè torpentes, tanquam ad inertiam, & ad voluptates tantùm nati, belluarum more vitam degunt, â quibus illi quoque parum differre mihi videntur, qui ocio, & ingenio simul abutentes, vel in turpibus, & obscænis, vel in ludicris, & nullius ponderis argumentis tractandis se ipsos occupant, & frustra tempus conterunt; quos enim nullus veræ gloriæ stimulus tangit, illos hominum nomine vix dignos, sed belluis proiores esse existimo; etenim quid â belluarum naturâ distat hujusmodi vitæ ratio? quando per idem vitæ curriculum, ad eamdem vitæ metam, & homines isti pariter cum ipsis bestiis pari cursu contendunt, & eamdem cum illis corporis simul, ac nominis exstinctionem sortiuntur? nec verò solùm æqualem, sed etiam longè quandoque deteriorem, quantò pejus est inhonestam malè actæ vitæ memoriam, quod non fit à bestiis, posteritati relinquere, quàm nullam. Hæc ego dum mecum ipse recolo, sæpissimè autem recolo, nihil unquam habui antiquius, quàm actiones meas ad rationis normam ita dirigere, ut me & ipsius vitæ nunquam pœniteat, & posterorum memoriam, cujus desiderio in primis teneor, non reformidem: itaque quodcumque mihi ocium à forensibus negotiis, & à rei familiaris curâ unquam superfuit, (cum viderem ex *Catonis* sententiâ illius quoque rationem reddendam nobis esse) totum illud in ea studia semper converti, quæ mihi utrumque præstarent, ut scilicet & ad vitam rectè instituendam conducerent, & meam cum aliorum saltem famâ extenderent, & propagarent. Primam igitur ocii mei summam ex ipsâ rerum *Veronensium* historiâ, cui me jampridem totum addixi, constare volui, illudque ex eâ potissimum tractandum excerpsi, quod nec esset multiplex, nec incuriosum, quodque non modo Patriæ gloriam, & dignitatem respiceret, sed etiam magis assereret, & confirmaret, Patriam scilicet *C. Plinii Secundi* superioris, illius inquam *Plinii*, quem tanti est inter suos cives connumerare posse, ut operæ pretium duxerint *Comenses* illius dominium, & possessionem, literario quidem, sed gravi, & aperto Marte, invadere, & nos in eâ quamquam vetustissimâ, & doctorum penè omnium judicio confirmatâ, ipso etiam invito, & reclamante turbare: classicum illius *Basilio Paravicino* postremo illorum scriptore, post *Benedictum Jovium*, magnâ animi confidentiâ præcinente, & nos ad prælium magis, quam ad scribendum lacessente. In hoc autem illud etiam erit mirabile, quòd ipse *Plinius*, quem nos *Veronensem* fuisse probamus, *Comenses* verò suum falsò dictitant, *Romanum* se ferè semper, non externum profitetur; *Romanos* enim, qui vel armis, vel literis antè sua tempora floruerunt, priscos nostros, vel avos, vel majores nostros vocat, abavos itidem eos appellat, qui agri colendi præcepta scriptis suis tradiderunt. Item inter Urbis nostræ miracula, id est *Romæ*, alibi dixit, opidumque *Cyrenaicum* conditum anno Urbis nostræ CXLIII, & *Catonem* obiisse anno Urbis nostræ DCV eodem modo prodidit; quod dicendi genus illi valde familiare est. Leges præterea XII. tabularum nostras pariter vocat, & annales nostros, id est *Romanos*; alibi verò scripsit, Res in *Arabiâ* gessimus, id est *Romanus* exercitus, & nostra maria, quæ ad imperium *Romanum* spectarent, alicubi vocitavit. Quamquàm verò non ignoro provinciam à me susceptam aliorum potius humeris, quàm meis convenire, qui mihi doctrinâ, & ingenio, ac etiam latinè scribendi facultate antecellunt, & lucubrationes meas nec ad *Critolai* libram examinatas, nec ad *Cleantis* lucernam evigilatas prodire, absistere tamen incepto

non potui, tum quia mihi de hac re cum olim adolescens *Patavii* jurisprudentiæ operam darem, jucundissima disputatio aliquando fuit cum *Petro Antonio Paravicino*, & *Septimio Cicerio* Comensibus Viris clariss. nec minore animi, quam generis nobilitate, sed summâ etiam eruditione præstantibus; tum quia cum lapis ille *Plinianus*, cujus olim *Jacobus Antonius Pantheus*, *Matthæus Rufus*, & alii *Veronenses* scriptores meminerunt, apud me sit, mutilus, diffisus, & omni injuriâ labefactatus, quemque in primis *Comenses* carpunt, & convellunt, illius tuendi officium ad alium magis, quàm ad me ipsum spectare, nefas esse duxi; tum demum quia nec omnia, quæ ab iis scripta sunt, à me omnino probantur, & multa quæ ab aliis fuere prætermissa, ut mei juris agnoscerentur effeci. His etiam accessit Augustini Valerii olim Antistitis nostri, & S. R. E. Cardinalis amplissimi, & doctissimi auctoritas, qui jam quinquennium lectô *Paravicini* libello, atque hisce meis scriptis (tametsi rudibus, & impolitis) me prælegente auditis, ut illa in publicum ederem, quamdiu postea *Veronæ* fuit, hortari nunquam destitit. Idem quoque post illum jam ad superos sublatum multi præstitere, at in primis *Aloysius Rodulfus* J. C. & Canonicus, *M. Antonius Madius*, & *Aurelius Prandinus*, Jurisconsulti, & Equites, viri omnes præstantiss. & doctissimi, quorum judicium ut in omnibus negotiis, ita in his quæ ad politiores literas spectant, summum est apud omnes; Ceterùm diversâ à *Paravicino* ratione mihi visum est scribere: ille enim *Italicâ* se linguâ (prout etiam *Jovius* fecerat,) de hac materiâ disseruisse testatus est, quò facilius ab omnibus etiam indoctis, & *Latinarum* literarum rudibus intelligeretur; ego verò ut ab iis minimè intelligar, atque ut in literariâ contentione viris tantùm doctis, & eruditis innotescam, ad quorum arbitrium, & judicium studia nostra planè conferuntur, quorumque melior pars extra *Italiam*, & in regionibus longè à nostro cœlo remotis habitat, *Latinè* scribere decrevi; atque ob id etiam potissimùm, quia difficillimum mihi videbatur, alio quàm *Latino* sermone, hujusmodi argumentum tractari posse multis *Latinorum*, *Græcorum*que auctorum testimoniis passim toto opere citatis, *Italorum* paucis.

Erit igitur susceptæ quæstionis argumentum superiorem Plinium *Veronensem* fuisse, non *Comensem*: hoc ipsum autem argumentum duobus primis voluminibus expediam, nec dubiis utriusque *Plinii* indiciis, vetustorumque lapidum fide, ac denique eruditissimorum hominum judicio, & auctoritate comprobabo; in tertio jura ipsa *Comensium* expendam, & eodem disserendi genere facillime confutabo: disputationis nostræ hæc ratio, hæc summa est. Verùm toto opere jam exacto, & manu jam de tabulâ, ut ajunt, sublatâ, cum nihil aliud restaret, nisi ut propediem typis excudendum traderetur, ecce repente nuntiatur dari operam à *Comensibus*, ut imprimeretur quædam *Pauli Cigalini* Medici *Comensis* oratio aliàs *Ticini* habita, quâ multis argumentis & ipse nititur, ut *Plinium*, de quo agimus, à nobis avertat, & civem suis *Comensibus* adsciscat; quo nuntio allato aliquâ morâ conatus nostri intercepti sunt, neque enim sine magnis *Comensium* consiliis hæc acta fuisse existimabam, mecum ita statuens, hanc illos artificem dimicandi rationem iniisse, ut post ipsum *Paravicinum* velitis specie, aut antecursoris alicujus, primò emissum, insignem aliquem bellatorem, atque ipsum porro *Cigalinum* hac suâ oratione suas partes pugnaciter tuentem in nos armarent, atque ita me, (quem *Paravicini* libello respondere præsenserant,) vel incautum opprimerent, vel gravissimi hominis auctoritate permotum à scribendo deterrerent. Illam igitur jamdudum editam cum mihi primus omnium vir clariss. & consiliorum meorum non ignarus *Jordanus Seraticus* Comes tradidisset, avidissimè semel legi, mox iterum, ac sæpius legi, utquè in eâ summum hominis ingenium, nec obscura magnæ eruditionis argumenta sum conspicatus, ita nihil prorsus fuit, quod me à priore sententiâ revocaret, quamvis enim omnia acutè, multa probabiliter, at singula miro ordine subtilis disputator edisserat, ea tamen esse videbam, quæ facillimè suâ congruâ responsione tollerentur; sic itaque alacri animo intermissum diu studium revocavi, & toto opere revoluto, hisque suo loco quàm aptiùs fieri potuit, insertis, quæ ad solutiones argumentorum *Cigalini* spectabant, tandem scribendi finem feci: ac tanto rerum successu, sicuti mihi persuadeo, ut in posterum *Comenses* de *Plinii* Patriâ quæstionem nobis refricantes non simus amplius audituri: Hoc à me *Veronæ* Patriæ, *Veronensibus*que meis hucusque datum: ac licet id quidem parum fortasse videatur, tamen juvat hæc gloria, quæcumque est; nam si facilitas argumenti operis amplitudinem minuit, ipsa profectò res tractata (magnus quippe vir, & Diis ingenio, quàm hominibus similior, suæ Patriæ firmè assertus, ac servatus) summi cujusque operis gloriam, & magnitudinem æquat: majora porrò etiam quæ jamdudum animus molitur, aggredi certum est, ac majore etiam studio, nec minore forsan ingenii laude, sed hæc alias, & cum meis studiis aura secunda publici favoris adspiraverit: tunc enim demum solvere ut magis opportunum, ita tutissimum fore duco.



TESTI-

TESTIMONIA AUCTORUM, QUI SUPERIOREM PLINIUM *VERONENSEM* fuisse pro certo affirmant.

1 FRANCISCVS Petrarcha in libro, cui titulus *Famæ triumphus cap.* 3. illum Etruscâ linguâ *Veronensem*, & Tito Livio *Patavino* vicinum dicit.

Item lib. 1. c. 2. rerum memorandarum sic inquit, *Nec te Plini Secunde VERONENSIS à T. Livio disjungam, à quo nec ætate, nec patriâ longinquus es.*

2 Raphaël Volaterranus lib. 4 fol. 75. *Igitur ad ipsum Athesim Urbs maxima Verona à Cænomanis unà cum Brixia, ut supra dixi, ædificata, clara Catullo, Plinio, Æmilio Macro.* Idem lib. 18. fol. 420. *Plinium Secundum jam constans fama Veronensem facit, sub Vespasianis Imper. quorum interdiu negotia administrabat.*

3 Æneas Silvius Picolomineus, qui postea *Pius II.* Pontif. Max. fuit, *in libro descriptionis Asiæ* sæpe *Plinium* VERONENSEM vocat, præcipuè verò *cap.* 2. 9. 12. 17. 24, & alibi.

4 Laurentius Valla lib. 4. c. 83. elegant. *Plinius Catullum CONTERRANEUM suum vocat, vel quòd ex diœcesi illâ, vel quòd ex urbe sit VERONENSI, uterque enim dictus est VERONENSIS.*

5 Nicolaus Perotus in Cornucopiæ fol. 218, *Aplysium enim illotum dicimus, abà privativa particula, & πλύνω, Lavo, à quo Plinio VERONENSI inditum nomen putamus.*

6 Angelus Decembrius lib. 3. parte 27. de Politiâ literariâ sub personâ Guarini Veronensis. *Quod sæpe Pliniis meis Veronensibus contigisse creditur, (& mihi ipsi non nunquam contigit librarium non habenti) ut inter venandum, aut piscandum opera sua ipsi suis manibus describerent.* Item lib. 7. cap. 81. fol. 622. sub personâ ejusdem Guarini. *Cujus ideo radicem*, (de Cynorhodo loquitur) *auctor est Plinius meus major, morsui canino profuturam dato succo cum lacte.*

7 Marinus Becichemus Scodrensis in suis prælectionibus in Plinium fol. 26. *Si nullo temporum errore id affirmaret Eusebius, qui etiam de Patriâ multorum auctorum malè sensit, in Plinio eò tutius credere possumus malè sensisse, quò magis contraria dicere apparet, quòque justius ipsi Plinio de se loquenti, quàm cunctis posterioribus scriptoribus credendum est, nam si Catullus fuit Veronensis, sive Sirmione natus, Plinio, Martiale, Macrobio, cæteris auctoribus, eodemque ipso de se testante, proculdubio Plinius fuit ex Veronâ, aut ex Veronensi agro oriundus, quando Catullum Conterraneum suum appellat, sive id vocabulum, ut ille dicit, concivem, sive territorii incolam significet. Et ipse Plinius Pomponium Secundum in* XII. *naturalis historiæ volumine vatem, civemque clarissimum appellat, quem in ejus vita Veronæ ex nobilissimâ Secundorum familia, quæ Veronæ floruit, ut ex pluribus monumentis constat, natum ostendit.*

8 Lilius Gregorius Gyraldus in dial. 8. de historiâ Poëtarum fol. 307. sic inquit. *Non me præterit quod in exemplaribus quibusdam vetustis* Pindarum tragicum *legatur, pro eo quod est parum tragicum* (de Pomponio Secundo loquitur verba Quinctiliani referens) *sed pridem ea est explosa lectio, quò fit ut magis mirer quosdam eam complecti suis etiam scriptis, vel falluntur illi meâ quidem sententiâ, hic enim de quo egimus, Comicus, ille Tragicus, hic Bononiensis, ille* (si Plinio stamus) *Veronensis*: ex hoc enim illum arguit *Veronensem*, quòd illum *Plinius* vatem, civemque clarissimum appellat, id est suum concivem, ita enim inquit lib. 13. cap. 12. *Ita sunt longinqua monumenta Tiberii, Cajique Gracchorum manus, quæ apud Pomponium Secundum, vatem, civemque clarissimum vidi, annos ferè post ducentos.*

9 Flavius Blondus in regione 7. Italiæ illustratæ, quæ est Lombardia, ubi de Como loquitur. *Civem*, inquit, *ea civitas habuit paternâ origine Plinium, quem mutatus incolatus vocari fecit Veronensem.*

Idem in nonâ regione, quæ Italia Transpadana inscribitur, ubi de Zevedo, agri nostri pago loquitur, aliter de Plinii nostri patriâ sentit, dum inquit. *Inde Athesi Zevedum adjacet oppidum brassicæ, & multæ, & dulcissimæ feracissimum, adeo ut Plinium credamus, si suam nunc incoleret Veronam, nec Sabellam in admiratione, ut scribit, crispam, nec pullulantem cauliculis Aricinam, nisi à suis Veronensibus vellet dissentire, præpositurum.*

& paulo inferius, sic inquit. *Æmilium Macrum Veronensem poëtam Eusebius in Asiâ obiisse asserit; Paulo post Catullus poëta, subinde uterque Plinius sæpe à nobis hac in Italiâ celebrati Veronenses fuere.*

& lib. 1. decad. 1. fol. 11. Ubi de Alanis, Suevis, & Vandalis nationibus loquitur. *Habent*, inquit, *vetustam originem ex Germaniâ, suntque priscorum Plinii Veronensis, Suetonii Tranquilli, & Cornelii Taciti literis celebratæ.*

10 Bernardinus Barducius Florentinus in epist. ad Joannem Nesium, ubi de amphitheatro Veron. loquitur, ita inquit.

Nec ipsi majores nostri veterum rerum scriptotores, nec duo Plinii hinc origine nati, ambo profectò viri doctissimi, nec Catullus ex ipsâ Urbe poëta insignis, nec Vitruvius ipse summus Architectus, cujus in hac urbe florentissimâ in qui-

quibusdam columnis, iisque antiquissimis juxta quandam portam erectis, memoria extat, ullum omnino verbum de eo fecisse legantur.

11 Jo. Maria Cataneus Novariensis *epistolarum Plinii* commentator ipsas epistolas edidit cum suis commentis impressas *Venetiis* anno 1519. die 15. Decembr. ab *Joanne Rubeo* Vercellensi, his notis in fronte libri appositis.

C. Plinii Cæcilii Junioris Novocomensis Plinii Secundi Veronensis nepotis libri epistolarum novem, addito nunc, & decimo, cum panegyrico, id est oratione de laudibus Trajani Imper. unà cum luculentissimâ Jo. Mariæ Catanei expositione &c.

12 Ambrosius Calepinus in verbo Plinius. *Plinius Secundus Veronensis temporibus Vespasiani vixit, cujus negotia administrabat, noctibus verò, & succisivis, ut ipse inquit, temporibus, opus de rerum naturâ conscripsit, unus omnium parcissimus temporis, periit in montis Vesuvii incendio, dum ejus causam indagare cupit.*

13 Thesauri linguæ latinæ auctores ab Alberto Burero recogniti in verbo Plinius. *Plinius Secundus Veronensis temporibus Vespasiani vixit, cujus negotia administrabat. &c.*

14 Dictionarii historici auctores à Carolo Stephano recogniti in verbo Plinius. *Plinius Secundus Veronensis temporibus Vespasiani vixit, cujus negotia administrabat. &c.*

15 Joannes Ravisius Textor tomo 2. officinæ tit. Viri celebres mortui in alienâ terrâ. *Plinium infantem lavit Athesis, grandævum extinxit Vesevus.*

16 Quinctius Æmilianus Poëta.

Veronæ decus, & domus Secundæ
PLINI gloria, cognitumque lumen
Ingens historiæ perennioris,
Quis te sic nitidum manu expolivit?
Doctâ, Iuppiter, & scientiori,
Vel per se Aonides sequi sorores,
Ut qui tam fueras sacer, retonsus,
Nunc sis integer, elegans subinde,
Musarum sacer agnitus sacerdos?
Sic possis merito omnibus placere
Exutus scabiem librariorum;
Pœanti ingenio eruditiori,
Et digno cytharâ mei Catulli,
Tandem sum mihi redditus, meæque
Assertus Patriæ vetustiori,
Quam herciscens Athesis remugit undis,
Me COMI licet arbitrantur ortum,
Quod si plus fidei.... requiris,
VERONAM petito, & videto saxum,
Sacris quod posui ossibus parentum,
Tunc dices tripodas tibi loquutos.

17 Georgius Jodocus Berganus lib. 2. Benaci.

Quid plura? obliquus quicquid complectitur orbis
Plinius æternis scriptis committet. At atros
Quid (dolor) aspicio cineres: tristesque favillas?
Fatane tam miseranda manent? O dira Vesevi
Flammivomi impietas. Quæ tanta licentia Divi?
Ah nimis ah cupidum pectus. tu condita tunè
Naturæ secreta voles rimarier, illa
Quæ latuisse volet? tantis te incaute periclis
Discendi studio objectas? Quo te tuus ardor
Protrahit? ah servato modum, vitamque tuere.
Sed quid adhuc video? Lari num littora magni
Exciri circùm trepidos per inane tumultus?
Murmure quid strepitant? quid digladiantur? an illum
Et patriæ rapuisse parant, & dicere civem
Insubres? subito malus hic undè ingruit error?
An quia Cæcilius charusque neposque Secundo
Municipem Comi sese est dicturus? At heus tu
Laudibus ipse tuis non tam moveare Secunde:
Urbibus ut multis civis poscare. sed ipsi
Assere te patriæ vivens, doctumque Catullum
CONTERRANEUM: & illius molire Camœnas
Objicere errori. Quin & veneranda parentum
Te tangat pietas. Horum & monumenta sacratis
Ossibus extruito Veronæ. Et clara Secundæ
Stemmata declament sobolis, disposta per urbem,
Per delubra Deûm: per compita lata: per agros
Marmora. quæ comperta colat: veneretur: adoret
Posteritas. quæque erroris nigra nubila tollant:
Teque decus patriæ & civem testentur in ævum.
Dicite Pierides Benaci dicite prolem.

18 Jacobus Philippus Bergomas lib. 6. chronici universalis, ubi de Veronâ loquitur, sic inquit latinè à me redditus; *Inde ortus est Catullus, & Plinius ejus nepos, historiographus.*

19 Bernardinus Corius in vita Domitiani latinè & hic redditus. *Illius tempore floruerunt Joseph Judæus, Statius poëta Tolosanus, Quinctilianus Hispanus Rhetor, Plinius Veronensis.*

20 Hieronymus Ruscellius in Indice Virorum Illustrium latinè itidem redditus. *Plinius Secundus Veronensis temporibus Vespasiani fuit; cujus negotia procuravit, noctuque & succisivis temporibus (ut ipsemet asserit) opus naturalis historiæ scripsit: homo temporis parcissimus, periit Vesuvii incendio, dum illius causam investigaret, hujus vitam Cæcilius illius ex sorore nepos exactè scripsit, cujus adhuc exstat epistolarum liber, & Panegyricus Trajano dictus Consulatu ab eo impetrato; hic in epistolis suis scribit, se Quinctiliani filiæ dotem dedisse, & Martialem poëtam decedentem viatico prosecutum fuisse.*

21 Arnoldus Pontacus Gallus Episcopus Vasatensis in Commentariis in Eusebium, ut supra demonstravi fol. 160. (pag. 75. hujus novæ Editionis) sic habet. *Fi alicujus scioli, qui confundens nepotem cum avunculo, (sic ut etiam facit Vincentius tom. 4.) retulit ad hunc C. Plinium secundum juniorem, & Novocomensem, id quod est proprium Plinii secundi senioris, & Veronensis. &c.*

22 Joseph Scaliger in comment. in ipsum Eusebium, ut supra retuli fol. 161. (pag. 75. huj. Edit.) *Is in fimi Subsellii scriptor ex duobus Pliniis unum conflavit, & illi patriam attribuit Novumcomum; Onufrius Panvinius Plinium majorem asserit Veronæ nostræ, rectè, sed quòd ex veteri inscriptione, parum prudenter.*

TESTIMONIA EORUM, QUI PLINIUM vel *Comensem* prorsus negant, vel *Veronensem* subindicant.

23 Joannes Cuspinianus à me etiam relatus supra fol. 162. (pag. 74. huj. Edit.) *Nam hoc de seniore Plinio avunculo suo junior Plinius scribit lib. epistolarum sexto, qui Vesuvii montis conflagratione periit; quæ sub Tito fuit, ut ex Dione superius annotavimus, adeo ut frustra quidam hoc Plinium majorem Novocomensem fore comprobant.*

24 Cœlius Rodiginus lib. 14. cap. 5. antiq. lection. & inquit.. *Quam vanitatem in pluribus sequitur & Macrobius, quem sibi civem nunc vendicant Veronenses, ut Vitruvium quoque, ac Celsum, & Plinium.*

25 Gaspar Bugatus lib. 1. hist. universalis sic latinè loquitur. *Hinc alii etiam non inferiores prodiere* (de qua quâ Mediolanensium Academiâ, seu Gymnasio loquitur) *videlicet Statius, Cæcilius Mediolanensis, Nigidius, Vergilius Mantuanus, Albutius Novariensis, Symmachus, Plinius Novocomensis, Cornelius Tacitus, D. Augustinus, & Ausonius Poëta.* Ecce quòd dum Plinium *Novocomensem* tantùm nominat, vel communi antiquorum errore ex duobus unum efficit, vel quod est rius alterum tacitè suis *Veronensibus* dimittit.



POLYCARPI PALERMI,

Jurisconsulti Veronensis, Academici Philarmonici,

DE VERA

C. PLINII SECUNDI

SUPERIORIS PATRIA, ATQUE EA

VERONA,

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.



Caius Plinius *Secundus* magnus ille naturæ Myſtes, atque omnium rimator ſolertiſſimus, qui immenſam illius fœcunditatem, in his etiam quæ in ejus majeſtate aliquando abdita fuerant, & aſſequi divino ingenio potuit, & triginta ſeptem voluminibus conſcriptis admirabili calamo celebravit, præter alia pene innumera ſcriptorum monumenta, quæ non exſtant, ex quibus ſatis gloriæ, certamque nominis immortalitatem ſibi etiam aliunde comparaverat, natus eſt *Tiberio* imperante annum circiter DCCLXXVI. ab urbe conditâ, à Chriſti verò ſacratiſſ. natali XXV. Scribit [a] enim minor *Plinius* illius ex ſorore nepos, & per adoptionem filius, virum hunc clariſſimum mortalitate interceptum vitæ finem impleviſſe anno ætatis ſuæ ſexto ſupra quinquageſimum, animæ meatibus ſulfureâ, & craſſiore caligine ex immenſo, & latius præter ſolitum effuſo *Veſuvii* montis incendio, interclusis, ſpirituque obſtructo, dum eo cum Liburnicâ, &
8 quadriremibus è *Miſenenſi* claſſe, cui præerat, [b] applicuiſſet, ſeu viſendi ſtudio, ut quidam credidere, ſeu potius ut imminentibus *Campaniæ* periculis occurreret, terrâ jam antea proxime continuis motibus concuſſâ, ſed tum demum adeo illius tremore invaleſcente, ut non moveri omnia, ſed everti è ſedibus ſuis crederentur; quod quidem incendium, quo tota vicina regio, & Urbes cum hominibus conflagrarunt, è ſummo *Veſuvii* vertice ſub *Tito Veſpaſiano* erupit, ut teſtantur ex vetuſtioribus [c] *Suetonius Tranquillus* illi ætati proximus, & [d] *Oroſius*, [e] *Dioque*, cujus libros majori ex parte convulſos, & truncatos eleganti epitome perſtrictos nobis *Xiphilinus* conſervavit, nec non & [f] *Sex. Aurelius Victor*, & [g] *Euſebius*, de quo etiam [h] *Papinius Statius*, & [i] *Martialis* ex Poëtis meminere: ex recentioribus multi, ſed inter cæteros *Vincentius* antiſtes [k] Bellovacenſis, [l] *Marcus Antonius Sabellicus*, [m] *Joannes Cuſpinianus*; [n] *Hieronymus Bardus*, qui tamen *Ætnam* pro *Veſuvio* poſuit, [o] *Franciſcus Sanſovinus*, & [p] *Cæſar Baronius* S. R. E. Cardinalis ampliſſimus, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, ut ſupremus, ita omnium ſcriptor graviſſimus, & eminentiſſimus, anno ſcilicet primo Olympiadis ducenteſimæ decimæ quintæ, qui fuit primus imperii *T. Veſpaſiani*, eodem *Euſebio* auctore, & Urbis con-

A ditæ DCCCXXXII. *Veſpaſiano* patre IX, qui in Conſulatu vitâ functus eſt, & *Tito* filio VII. Conſulibus, juxta *Panvinii* temporum rationem, diem etiam tanti viri morte illuſtratum adjicerem, ne quid à me curioſa ingenia deſiderarent, niſi me codicum inconſtantia in epiſtolâ minoris [q] *Plinii* ad *Tacitum* ſuſpenſum teneret, in quorum altero dicitur VIII. Kal. Septemb. in altero vero III. 9
Non. Novemb. illum obiiſſe, poſtridie ſcilicet quam à *Miſeno* ſolviſſet. quamobrem ſi ab iſto *Veſuvii* incendio ſeriem annorum ſex, & quinquaginta illius vitæ retro agemus, neceſſe eſt, ut ejus natalem in annum ſupradictum, ſive illi proximum, conferamus; Puerum ſane impuberem,
B & peradoleſcentulum *Roma* vidit, & peregrinum excepit; eo ſcilicet vel à parentibus, vel à ſuis adductum; hoc enim inter cætera laudabile inſtitutum antiquorum fuit, tam florente Republ. quam Imperio, (ſub quo præſertim *Romanæ* Civitatis jus latiſſime fuerat propagatum) ut pueri cives *Romani* ingentis ſpiritus, & altæ indolis è ſuis municipiis, & coloniis *Romam* ducerentur, ut ibi ſtudiis, & honeſtis diſciplinis vitam ab adoleſcentiâ inſtituerent, gratiamque potentiorum civium vel ingenio, vel militiæ ſudoribus demererent, & ſuam quiſque fortunam in Urbe omnium
C Principe, & totius Orbis Regiâ, ſeu potius compendio, ut inquit [r] *Athenæus*, experiretur. Hac ratione [s] *M. Cato* Porciæ familiæ princeps Tuſculo *Romam* migravit, ut qui nomen ſuum ignobile aliquando in patriâ geſſerat, *Romæ* nobiliſſimum redderet; Eadem ratione [t] *C. Marius*, ubi primùm ætas militiæ patiens fuit, *Romam* ſe è ſuo municipio contulit, ubi ſepties Conſul, triumphatorque glorioſiſſimus ex aratore *Arpinate* factus, omnium ſui ſæculi maximus imperator extitiſſet, ſi Barbarorum excidio deſtinatam virtutem à civili tantum ſanguine revocaſſet. Inde etiam *M. Tullium Ciceronem* adoleſcentem à [v] pa-
D tre *Romam* ductum, & incomparabilis eloquentiæ palmam adeptum, conſulatus non erubuit; [w] *Q.* quoque *Sertorium* imperatorem clariſſimum, 10
cujus exitio feralis illa fax *Syllanæ* proſcriptionis exſtincta eſt, non *Romanum*, ſed *Nurſiæ* Sabinorum oppidi civem agnoſcimus, [x] *Salluſtium* Amiterni, [y] *Cornelium Balbum*, qui etiam Conſul fuit, è *Gadibus* Hiſpanum; omitto alios prope innumeros, qui *Romam* ab ſuis ablegati, & viris Principibus grati dignitate, & gloriâ floruerunt, ne in re omnibus notiſſima fruſtra inſiſtam. Nunc qua ætate noſter *Plinius Romæ* vixerit videamus, ibique quid egerit, viderit,

[a] ep. 5. lib. 3.
[b] ep. 16. & 20. lib. 6.
[c] in Tito c. 8.
[d] lib. 7. cap. 9.
[e] in Tito.
[f] in Tito.
[g] in chronico.
[h] lib. 5. Silv. in epiced. in patrem.
[i] epigr. 124. lib. 1.
[k] in ſpecul. hiſtorial. lib. 10. c. 9.
[l] lib. 4. Ennead. 7.
[m] in comment. in Coſſ. Caſſiod. in Tito.
[n] in chronologia.
[o] in chronologia.
[p] in annal. Eccleſiaſt.
[q] ep. 16. lib. 6.
[r] lib. 1. c. 15. Dipnoſoph.
[s] Val. Max lib. 3. c. 4.
[t] Salluſt. de bell. Jug. Plutarch. in Mario.
[v] Cic. in Lælio.
[w] Plutarch. in Sertor.
[x] Euſebius in chronic. Blond. lib. Ital. illuſtr.
[y] Dio. lib. 48.

aut scripserit, sui ipsius testimonio magis, quam aliorum judicio, ostendamus. In primis igitur certum est, *Ap. Junium*, & *P. Silium* Consules a lib. 8. c. 40. ÆVO SUO fuisse, ut [a] ipse prodit anno scilicet Urb. Conditæ DCCLXXXI, & XV *Tiberii* Principatus; à SE VISUM etiam *Q. Ser-* b lib. 37. c. 6. *vilium Nonianum* Consulem idem [b] *Plinius* testatur, sub eodem Principe, anno DCCLXXXVIII, c lib. 13. c. 14. nec non & [c] *Sex. Papinium* Consulem, anno DCCLXXXIX, quo tempore *Plinius* annum æ- d lib. 9. c. 35. tatis suæ XII, & XIII agebat, [d] alibi etiam A SE VISAM *Lolliam Paulinam* Caji Principis matronam scribit, gemmis, & margaritis onustam, cujus verba hic non piget subjicere, quia & ipsa vere aurea, nec ipsis *Lollianis* gemmis e cap. 54. in polyhist. minus pretiosa sunt, vel ipso *Julio* [e] *Solino* teste, qui eandem materiam nullis aliis verborum coloribus exprimere valuit, quam Plinianis. *Lolliam*, inquit, *Paulinam, quæ fuit Caji Principis matrona, ne serio quidem, ac solemni ceremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœnâ, VIDI, smaragdis, margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque, quæ summa quadringenties HS colligebat, ipsam confestim* 11 *paratam nuncupationem tabulis probare; nec dona prodigi Principis fuerant, sed avitæ opes, Provinciarum scilicet spoliis partæ; hic est rapinarum exitus, hoc fuit quare M. Lollius infamatus Regum muneribus in toto Oriente, interdictâ amicitiâ à C. Cæsare Augusti filio, venenum biberet, ut neptis ejus CCCC HS operta spectaretur ad lucernas*: SUA etiam MEMORIA *Caji* Principis *Asturiâ Romam* remigantis pisciculum auspi- f lib. 32. c. 1. calem navem tenuisse [f] prodit, quo anno suis telis confossus jacuit. *Claudio* porro *Cæsare* Ostiæ portum ædificante, & Orcâ in litus fluctibus propulsâ, militem lanceas congerentem ex g lib. 9. c. 6. navigiis assultantibus mergi A SE VISUM [g] scribit, reflatu belluæ oppletum unda, item Hip- h lib. 7. c. 3. pocentaurum [h] eidem Principi ex *Ægypto Romam* allatum in melle, [i] Lusciniam itidem can- i lib. 10. c. 29. didam, [k] turdumque *Agrippinæ* ejusdem *Claudii* k lib. 10. c. 42. uxoris sermones hominum imitantem. Libertos præterea *Claudii* potiri rerum, & eisdem, jubente *Agrippinâ*, Prætoria ornamenta à Sena- l lib. 35. cap. penult. tu decerni cum indignatione [l] VIDIT. [m] Alibi etiam, *bis*, inquit, *VIDIMUS Urbem cingi do-* m lib. 36. c. 15. *mibus Principum Caji, & Neronis.* & rursus [n] alibi, *NOSTRA Q. ÆTATE*, inquit, *Poppæa* n lib. 33. c. 11. *conjux Neronis.* & [o] alibi, *AMNES retro flue-* o lib. 2. c. 103. *re & NOSTRA vidit ÆTAS, Neronis Principis annis supremis.* Præterea familiaritate *Pomponii Secundi* usus est, Poëtæ illius temporis clarissimi, & *Caligulæ* Principis familiaris, cui etiam aliquando cœnam dedit, de cujus vitâ libellum p lib. 14. c. 4. *Plinius* noster à se scriptum [p] docet. Sub *Nerone* vero *Ausonium Paulinum* Consulem SE VIDIS- q lib. 5. c. 1. SE [q] alibi ostendit, multaque sub eodem Principe illum scripsisse nepos [r] refert, at ipsam Na- 12 r epist. 5. l. 3. turalem historiam cum scriberet annus nonagesimus agebatur ab obitu *P. Vergilii Maronis*, s lib. 14. c. 1. [s] ut ipsemet testatur, qui fuit Urbis conditæ DCCCXXV, *Vespasiano* IV, & *Tito* II. Consulibus, decessit enim *Vergilius* X. Kal. Octob. *C. Sentio Saturnino, & Q. Lucretio Vispillone* Consu- t in vita Verg. libus, anno DCCXXXV, [t] *Donato*, & [v] *Eu-* v in chronic. *sebio* auctoribus; ipsum porro Naturalis historiæ volumen absolutum *T. Vespasiano* filio VI. Consuli dicavit, anno DCCCXXX; studiosissimus omnium suæ tempestatis fuit, atque adeo temporis parcus, ut illud omnino periisse existimaret, quod studiis non dedisset; Principibus *Vespasianis* acceptus supra omnium gratiam vixit, cum quibus Judaico illum bello interfuisse, tum vetus,

A nec vulgaris illorum consuetudo, tum illa quæ de *Judæa*, & balsamo ipse [w] *Plinius* scribit, mihi fa- w lib. 5. c. 13. cum seqq. & lib. 12. c. 25. cile persuadent; quodque *Plinius* nepos cum esset adolescentulus in *Syriâ* se militasse (cum avunculo credendum est) in epistolâ ad *Actium Clementem* [x] testatur, & [y] *Pontio* quid inde *Romam* rediens x epist. 16. l. 6. scripserit significat; militiâ, magistratibus, & re- y epist. 4. lib. 7. bus gestis apprime clarus, procuravit in *Hispaniâ*, Misenensi classi præfuit, amplo vir corpore, sed divino, & incomparabili ingenio.

CAPUT II. 13

B ACTURUM de Patria *C. Plinii Secundi* quispiam fortasse arguet me à rectâ propositi semitâ aberrasse, quoniam ab illius vita initium scribendi feci; verum nihil à me temere actum fuisse intelligent, quicumque consilii mei rationem toto opere prius perlecto percalluerint: fuit enim plusquam necessaria ista demonstratio temporis vitæ, & mortis ipsius *Plinii*, ad cognoscendum etiam illius patriam, cum non defuerint homines alioquin studiosi, & literati, qui ea quæ prodita sunt à scriptoribus de posteriore *Plinio Novocomensi*, nominum utriusque similitudine decepti ad superiorem, de quo a- C gimus, præposterâ temporum serie perperam retulerunt, quamobrem illius vitam præmonstrare non ab re mihi visum est, ut illius cognitione præviâ, ceu quadam face prælucente, quodcumque obscuritatis in legendo obtendi posset, statim in ipso lumine claresceret. Cæterum quia multa sunt argumenta, quibus hæc nostra de *Plinii* patriâ disputatio nititur, ab eo, quod est omnium maximum, illius exordium ducere decrevi, ab ipso scilicet ejusdem *Plinii* testimonio, quo nullum nec certius haberi potest, nec quod à *Comensibus* acrius impugnetur, mox cetera omnia singulatim percensebo, ita enim fiet, quod ædifi- D cantibus usuvenit, ut solidioribus jactis fundamentis, quod superimponitur ædificium nulla ex parte nutet, sed circumfrementes ventorum procellas firmitate sua frangat, & eludat; Ex hoc igitur ipsum *Plinium* Veronensem fuisse non du- 14 bitamus asserere, quia ipsemet *Catullum* conterraneum suum vocat in operis sui præfatione ad *T. Vespasianum* his verbis. (*Ut obiter*, inquit, *emolliam Catullum conterraneum meum*) dubio procul indicans eo verbo ex eâdem se terrâ, & patriâ ortum, qua *Catullus*, ut ergo ille *Veronensis* fuit, ita & *Plinius*. Non ignoro argumentum hoc meum, quo etiam alii ante me pro *Veronensibus* usi sunt, E à *Benedicto Jovio*, & ab aliis viris doctissimis parvifieri, à *Basilio* vero *Paravicino* aperte etiam improbari, & irrideri. Hi enim omnes verbum (*conterraneus*) hominem non ex eâdem patria, diœcesi, & territorio, sed ex eâdem regione, & provinciâ interpretantur, atque ideo non improprie *Catullum* à *Plinio* conterraneum vocatum fuisse contendunt, cum uterque esset ex ipsâ *Cisalpinâ Galliâ*, & *Transpadanus*. Ex quibus patet primam disputationis nostræ partem ab ipsâ definitione vocabuli nostri pendere, cujus aleæ discrimen ut *Veronensibus* plurimum confert, ita *Comensibus* vel nihil, vel parum utilitatis affer- F re potest: Nam si conterraneus is proprie dicitur, qui est ejusdem terræ, territorii, & diœcesis, jam ipsum *Plinium* ex propriâ confessione *Veronensem* civem habemus; si vero etiam conterraneus is dici potest, qui est ejusdem regionis, & provinciæ, ut arguunt adversarii, in dubio magis erit, *Comensisne*, an *Veronensis* fuerit, quam ut *Comensis* efficiatur, sed pauca prius de origine illius formationis differamus; Credidit *Ambrosius Calepinus*, à quo nec *Cigalinus* dissentit,

tit, vocabulum hoc in castris ortum fuisse, ipsâ præsertim militum multitudine eo confluentium id suadente, quo facilius alter ab altero dignosci
15 posset, atque ita ipso etiam *Plinio* innuente, ibi (*agnoscis & hoc castrense verbum.*) Sed alia est origo *Pliniani* vocabuli, ni fallor, ita enim mihi illud appellare libet; quando antiquorum nullus, quorum scripta nunc exstant, illo usus fuerit, excepto *Plinio*, ut etiàm *Nicolaus Perotus*, ac post eum *Cigalinus*, observavit. Siquidem non ideo castrense verbum à *Plinio* dictum est, quia ortum esset in castris, sed quia ibidem usu frequentiore, quam in foro, & in publicis, privatisque negotiis tractandis, ita re exigente, esset receptum; necessitas vero, & latinorum vocabulorum inopia illud effecit, & è *Græco* fonte, ut alia multa, *Varrone*, *Horatio*, & *Pompejo Festo* auctoribus, in *Latinos* rivos deduxit. Est enim conterraneus apud Græcos αὐτόχθων, constatque ex αὐτός, quod ipsum significat, & χθών, quod terram, *Homero*, & *Florilegii* auctoribus perfamiliare verbum, perinde ac si diceretur homo ejusdem terræ; quoniam vero terræ nomen, à quo tam *Græca*, quam *Latina* dictio derivatur, plurifariam accipitur, quandoque enim globus hic universus, qui Oceano undique circumfusus Coeli ambitu continetur, à Cosmographis terra dicitur, nec aliter sensit divinus ille *Moses*, cum τὴν γῆν, hoc est terram à Deo creatam in principio, & in ipsis mundi primordiis dixit, nec *Cicero* in illo admirabili suæ divinitatis fragmento, ubi somnium *Scipionis* describit; quandoque vero solas civitates cum suis territoriis comprehendit; ac demum non improprie quantulacumque terræ pars, quam vel oculis per temporum monumenta lustramus, vel pedibus terimus, vel etiam digitis attingimus, terra
16 dicitur; ideo ut veram Latini nominis significationem assequamur, *Græci* primum proprietas, à quo Latinum emanavit, videnda nobis est. Est igitur αὐτόχθων apud *Græcos*, ut tradit [a] *Pollux*, ejusdem terræ, & civitatis incola, & indigena, quam dictionem, ideo *Rodulfus Gualterius*, qui illum *Latinitate* donavit, in *conterraneum* transtulit, quamobrem *Athenienses*, cum vellent antiquam generis nobilitatem ostentare, αὐτόχθονων se invicem nomine ab aliis distinxerunt, prout etiam *Arcades*, *Æginetæ*, & *Thebani*, ut ex *Hellanico* refert [b] *Harpocratio*, ut pote non aliunde oriundos, non advenas, sed indigenas, & cum ipsâ quodammodo *Atticâ* terrâ natos, ut testatur *Euripides* apud [c] *Plutarchum*, [d] *Suidas*, & [e] *Claudius Minos*, quod etiam apertissimo prodidit testimonio [f] *Justinus* his verbis, ubi de *Athenis* loquitur: *Quippe non advena, inquit, neque passim collecta populi colluvies originem Urbi dedit, sed in eodem nati solo, quod incolunt, & quæ illis sedes, eadem origo est.* quo respiciens [g] *Lazarus Baysius*, J. C. doctissimus, *Græcos* illos, qui in *Gallia* Francisci Regis gloriosissimi beneficio suo tempore floruerunt, tales fuisse inquit, qui valerent revocata *Massiliensium* memoria, cum ipsis αὐτόχθοσι, idest *Atheniensibus*, non solum de disciplinarum elegantiâ, sed etiam de ipso Atticismo ὑπεραττικῶς contendere. quam generis claritatem non solum nomine, sed etiam exteriore notâ ad cultum corporis comparatâ ostendere *Athenienses* voluerunt, cicadas enim aureas eâ ratione crinibus innodabant, quod & ipsæ, in quâ nascuntur terrâ, in eâdem vivant, & moriantur, unde γηγενής à *Thucidide*, & *Suidâ*, hoc est terrigenæ, & indigenæ non
17 absimili vocabulo nominantur. Jam igitur si ipsam verbi nostri originem, & derivationem inspicimus, ejusdem terræ, & civitatis hominem significari per illud videmus, si vero etiam ipsam illius definitionem, idem erit statuendum;

a lib. 3. c. 4. onomast.
b in Lexico in verbo αὐτόχθων.
c in lib. de exsulio.
d in verbo αὐτόχθων.
e in emblem. 136. Alciati.
f lib. 2.
g in præfat. ad librum de re navali.

A hæc autem à posterioribus, & recentioribus erit nobis petenda, quando nulla antiquorum monumenta nobis supersunt, unde illam possimus agnoscere.

CONTERRANEUS, inquit [h] *Valla*, post [i] *Guarinum* nostrum, & [k] *Nicolaum Perotum*, viros doctissimos, is dicitur, *qui est ejusdem territorii, & diœcesis:* id ipsum [l] *Ælius* etiam *Antonius Nebrissensis*, & [m] *Antonius Mancinellus* post illos tradidere; nec aliter de hoc ipso vocabulo sentit [n] *Angelus Politianus*, peracri vir ingenio, &, vel ipso *Justi Lipsii* judicio, quod summum est in literis, doctissimus, cum enim alias in no-
B bili virorum *Veronensium* cœtu *Catullianum* epigramma in *Arrium*, imo plane universum *Catullum* explicasset, eosdem sibi applaudentes describit, & Angelum demissum cælitus clamitantes, qui sibi poëtam CONTERRANEUM interpretaretur, innuens, imo apertâ significatione ostendens, hoc verbum ad ejusdem terræ homines, & cives esse proprie referendum. Expalluit repente *Jovius* tanti viri sententiâ auditâ, ac subito exanimatus metu diriguit, non aliter quàm si *Gorgonem* aliquam, aut quippiam horrendum ex improviso obvium habuisset; inde, ut est homo ingeniosus, & ad omnem defensionem
C paratissimus, ad artes, ut alter *Proteus*, se convertit, si quà *Politiani* judicium fallere possit, & eludere, *Catullum*que, non à *Politiano*, sed à *Veronensibus*, cum eo colloquentibus, CONTERRANEUM suum vocatum fuisse contendit: tam vano, & ridiculo commento, ut ego existimo, 18
quàm si dixisset, caput illud Miscellaneorum, ubi hæc ab eo produntur, à *Veronensibus*, non à *Politiano*, fuisse conscriptum; verum nec aliquâ fortasse veniâ indignus habendus esset *Jovius*, nec alii *Comenses*, qui cum eo transierunt, ex quo legerint, ut ipsi ajunt, aliquan-
D do apud [o] Politianum, *Plinium* nostrum *Novocomensem* fuisse vocatum, nisi imposturæ magis aurem, quam veritati, & rectæ *Politiani* sententiæ, præbere voluissent, ut enim ista dictio (*Novocomensis*) in meo codice *Lugduni* impressо anno Domini MDXXXIX, apud *Sebastianum Griphium* non legitur, nec in aliis, quotcumque vidi, ita ab eis contra mentem ipsius auctoris jam satis exploratam, non erat recipienda, sed potius uti spuria rejicienda. Verum enimvero præclarum de hujus vocabuli nostri significatione testimonium, & exemplum nobis reliquit *Franciscus Niger* in epistolâ ad
E *Jacobum* Comitem *Purliliarum*, Virum natalium splendore, & doctrinâ spectatissimum, post illius libellum de Liberorum educatione, impressum *Tarvisii* anno Domini MCCCCXCII; idem quoque de eodem vocabulo sensere [p] *Angelus Decembrius*, & [q] *Marinus Becichemus*, Viri doctissimi, sed politiorum literarum studio suo tempore in primis insignes, à quibus nec *Marcus Mantua* J. C. clariss. dissentit: qui in eo libro, in quo Jurisconsultorum vitas describit, *Nellum* à Sancto *Geminiano* CONTERRANEUM *Francisci Pepi* vocat, *Florentinum* videlicet, siquidem ipsum *Franciscum* jam antea inter J.
F Consultos *Florentinos* retulerat. His accedit *Andreas Schottus*, vir inter literatos ævi superioris non obscuri nominis, is enim in suâ præfatio- 19
ne ad *Sex. Aurelii Victoris* librum de Viris illustribus, *Cornelium Nepotem* Veronensem civem, & municipem *Catulli* vocat, & CONTERRANEUM, *Plinii* nostri castrensi vocabulo usurpato. Neque vero [r] *Bernardinus Scardæonius* aliter de hoc nostro vocabulo statuit, qui *Julium Paulum* J. C. Patavinum *Titi Livii* coætaneum per errorem in marmoreâ inscriptione nuncu-

h lib. 4. c. 83. elegant.
i apud Rufum, & apud Angelum Decembrium sæpe.
k in Cornucop.
l in dictior. hispanolat.
m in lib. cui titulus Elegantiæ portus. verbo Conterraneus.
n cap. 19. Miscellan.
o cap. 48. in Miscell.
p lib. 6. c. 68. de polit. liter.
q in suis prælect. in Plin.
r lib. 2. class. 8.

patum, CONTERRANEUM vocandum docet. Ipsi porro *Tito Livio* C. Cornelium Augurem πολίτην fuisse *Plutarchus* prodidit, [a] civem *Gulielmus Xylander* transtulit. Sed CONTERRANEUM etiam *Jacobus Angelus à Scarpariâ* vetus *Plutarchi* traductor convertit, cujus etiam meminit [b] *Scardæonius*; *Alexander* [c] quoque *ab Alexandro* vir doctissimus *Jovianum Majum* CONTERRANEUM suum vocat, *Neapolitanum* & ipsum innuens, fuit enim præceptor *Sannazarii*, & aliorum insignium virorum, de quo idem *Sannazarius* [d] sic cecinit:

Quique tot egregias animas, tot clara virorum
Ingenia enixu format, alitque suo,
Nectat honorata Majus sua dicta corona,
Tamque pias ferulas regia sceptra vocet.

Fuit autem usu frequens ingeniis *Neapolitanis* hoc vocabulum, namque & *Pomponius Gauricus* Neapolitanus *in libro de Sculpturâ*, ubi versus *Papinii Statii* citat de Equo Maximo *Domitiani*, ipsum Poëtam CONTERRANEUM suum vocat, id est *Neapolitanum*. *Catulli* demum CONTERRANEUM *Plinium*, idest *Veronensem* vocat *Achilles Statius* in suis in *Catullum* commentariis, & [e] *Georgius Jodocus Berganus* eundem *Catulli* CONTERRANEUM eodem sen-
20 su prodidit. Quis est autem, qui *Ambrosii Calepini* Viri nobilis, & eruditissimi ingenio, & honestis sudoribus plurimum non tribuat, ipsasque literas ei multum debere non fateatur? is tametsi *Bergomas*, & *Comensibus* finitimus, cum vocabulum hoc [f] exponeret, hominem tamen ex eâdem terrâ, & territorio significare dixit, *Plinium*que perinde *Veronensem* agnovit, ac ipsum *Catullum*, & in *Græcam* dictionem, quæ ὁμοχώριος est, convertit, ἐπιχώριος, & ἐγχώριος non absimilem, quibus ejusdem civitatis incolas, non regionis, aut Provinciæ significari scribit [g] *Pollux*. Idem de hoc vocabulo scripsere Auctores Thesauri linguæ Latinæ, atque inter eos *Albertus Burerus* postremus ejusdem libri, idemque acerrimus censor, atque, ut ita dicam, repurgator, à quibus non recessere viri duo præstantes, & omnium doctrinarum, *Latinæ*que linguæ in primis gnari, *Christophorus Landinus*, & *Ludovicus Dominicus*, qui verbum hoc nostrum in compatriotam *Italicâ* linguâ transtulerunt, ex eâdem quippe patriâ, non Provinciâ. Hoc idem de hoc nostro *Pliniano* vocabulo tradidit doctissimus, ac nobilissimus *Scaliger*, mihi solus instar omnium, in suis in *Eusebium* commentariis nuperrime editis; ita demum hoc idem interpretati sunt [h] *Marsilius Cagnatus*, & [i] *Nicolaus Maronea* Philosophi, & Medici *Veronenses* præstantissimi, at *Maronea* etiam *Cigalini* auditor. Nostrorum demum Statutorum conditores hoc idem de hoc eodem vocabulo & ipsi jam ante plura sæcula senserunt, nullâ adhuc inter nos, & *Comenses* exortâ controversiâ de *Plinii* Patriâ. Exstat enim inter alia Statutum [k] cum hujusmodi inscriptione. *Quod Vicarius, sive de-*
21 *legatus, & alii Judices Domini Potestatis forenses de aliquâ causâ non cognoscant alicujus* CONTERRANEI *sui*, quod verbum in ipso statuto ita sunt interpretati: *Item statuimus, quod Vicarius, seu delegatus Domini Potestatis, & alii Judices, qui sunt forenses, non possint, nec debeant cognoscere de causâ, seu causis civilibus alicujus personæ, quæ sit de ipsâ terrâ, unde fuerint.* Hic autem non erit absurdum inspicere, quid territorii nomine contineatur, quando ad ejusdem terræ, & territorii homines vocabulum hoc nostrum à *Valla* refertur, post *Guarinum*, & *Perotum*, & alios, ut supra vidimus, atque hic in primis antiquum legis *Mamiliæ* fragmentum occurrit, quod

[a] in vita Caji Julii Cæsaris.
[b] lib. 1. class. 1.
[c] lib. 1. c. 11. genial. dier.
[d] in eleg. in maledicos detractores lib. 1.
[e] lib. Benaci.
[f] in verbo conterraneus.
[g] lib. 3. c. 4. & lib. 9. c. 11. onomast.
[h] in epist. dedicat. ad Paulum V. Pont. Max. ad libr. de sanitate tuenda.
[i] lib. de amomo.
[k] lib. 1. c. 12.

pristino suo juri, ac nitori doctissimus [l] *Lipsius* restituit, unde hoc facile cognoscamus, & [m] *Pomponius* J.C., ac post eum auctor [n] Dictionarii juris, aliique permulti auctores videndi sunt, asserentes *territorium esse universitatem agrorum intra fines cujusque civitatis*; [o] Frontinus quoque, *quidquid*, inquit, *ad Coloniæ, municipiive privilegium pertinet, territorii jus appellant.* Item [p] Flaccus, *Territorium veteres dixere intra quos fines juris dicendi jus esset.* [q] Varro quoque, *Terra*, inquit, *dicta est ab eo, ut Ælius scribit, quod teritur, itaque tera in Augurum libreis scripta cum r uno, ab eo colonis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, territorium, quod maxime teritur.*

Non eo sane inficias, aliter verbum hoc (CONTERRANEUS) ab aliis fuisse acceptum; existimantibus, illud non improprie referri posse ad homines etiam ejusdem regionis, & Provinciæ: cujus sententiæ auctorem video [r] *Hermolaum Barbarum*, virum clarissimum, & doctissimum, quem præter *Benedictum Jovium*, & alios *Comenses* scriptores, alii quoque secuti sunt, [f] *Elias* scilicet *Vinetus*, & alii nonnulli; verum adeo tenuis est illorum numerus, (si quid in hoc inest momenti ad 22
victoriam) ut jam deploratam causam ab se agi intelligant, si ulterius nobiscum contendant *Comenses*, quod si literarii testes ab ingenii magis præstantiâ, quàm à numero sunt æstimandi, adhuc illorum res in tuto non locantur: inter nostros enim permulti exstant doctrinâ in universum insignes, & ingenio præstantissimi, vel ipso *Pauli Jovii* gravissimi hominis judicio, qui *Guarinum* nostrum, *Nicolaum Perotum*, *Laurentium Vallam*, *Politianum*, *Pomponium Gauricum*, & *Nebrissensem*, nec Musæo suo literario, nec elogio luculentissimo indignos existimavit, ita ut singuli cum singulis *Comensium* fautoribus nullo discrimine conferri possint. Jam vero si remoto etiam testium utriusque partis numero, & auctoritote, rationes tantum, quibus omnes ducti sunt, in ipso vocabulo interpretando, expendere voluerimus, saniora adhuc consilia illos iniisse inveniemus, qui pro *Veronensibus* scripsêre, quam qui *Comensium* sententiæ subscripsêre. A terrâ deductum vocabulum illi nullis adversantibus conclamant; terræ vero appellatione regiones, & provincias contineri subdunt, id ipsumque ut ostendant, multis exemplis nituntur, in quibus colligendis *Cigalinus* in primis multis pervolutis historiis sedulam operam navavit, sed frustra: neque enim hoc etiam omnino à nobis negatur, est enim verissimum terræ nomen, (Provinciæ tamen, & regionis nomine apposito) ad Provincias etiam, & regiones spectare, quid enim hoc prohibet, si ad solidas orbis terrarum partes, si ad ipsum denique terrarum orbem, nec improprie refertur? nam præter *M.* 23
Tullium à [t] *Peroto* primum, & à *Valla* observatum, & mox à *Comensibus* relatum, Terram *Africam* ante omnes vocavit *Ennius*, eandemque itidem [v] *Vergilius*, *Italiam*que terram [x] *Livius*, quo pacto à *Catone*, *Plinio*, & *A. Gellio* dicta est, ut *Cigalinus* animadvertit. [y] *Thraciam* porro *Mavortiam* tellurem, & terram, [z] *Italiam* vero antiquam terram, item [a] *Saturniam*, [b] *Oenotriam*, ac demum [c] *Hesperiam* vocavit *Vergilius*, & *Asida* terram pro *Asiâ* [d] Ovidius. at vero quod subjiciunt *Comenses*, ergo CONTERRANEUS, quod ab ipsâ terrâ deducitur, ad ejusdem quoque regionis homines, & Provinciæ porrigitur, hoc à nobis minime probatur, hoc expresse impugnatur; perraro enim, atque ita raro, ut nunquam fortasse, terræ nomen solum, & sine Provinciæ nomine adjuncto, vel saltem per dictionem relativam, vel similem, subindicato, Provinciam denotat, ut modo præmonstravi: at ex adverso idem ter-

[l] lib. 1. c. 15. elect.
[m] in l. pupillus. ff. de verb. signif.
[n] in Diction. juris in verbo Territorium.
[o] apud Velserum lib. 4. rerum Augustan.
[p] ibid.
[q] lib. 4. de ling. lat. Vide Clem. 2. §. sane de electione.
[r] in castigat. in Plin. in præfat.
[f] in notis ad Sueton.
[t] in Cornucopia.
[v] lib. 4. Æn.
[x] lib. 9. Decad. 4.
[y] lib. 4. Georg. & lib. 3. Æn.
[z] lib. 1. Æneid.
[a] lib. 3. Georg.
[b] lib. 7. Æn.
[c] lib. 2. Æn. in fin.
[d] lib. 9. Metamorph.

terræ nomen Urbes per se proprie significat, prout multis tum *Græcorum*, tum *Latinorum* patet exemplis, quorum hic pauca subjiciam: atque ut à *Græcis* initium sumamus, χθὼν ab eis, & γῆ terra dicitur, quorum utrumque territorium etiam, & civitatem, nunquam vero regionem, vel Provinciam significat; atque hinc *Sophocles*, ubi in tragœdiâ, quæ *Oedipus Colonæus* inscribitur, ipsum *Oedipum* ab hospite sciscitantem facit de loco, ubi insederat, (erat autem sibi fatalis apud Σεμνὰς θεὰς) ita ab hospite edoctum cecinit, *Græcos* versus adscribam, atque illos, quos latinos è Græcis *Thomas Naogeorgius* suis numeris reddidit.

24

ὃν δ' ἐπιστείβεις τόπον,
ΧΘΟΝΟΣ καλεῖται τῆσδε χαλκόπους ὀδός,
ἔρεισμ' Ἀθηνῶν.

id est:

porro quem
Calcas locum, TERRÆ hujus appellatus est
[a] *Via ærea, Urbisque est Atheniensium.*

[a vale verbum χαλκόπους in viam æream transfertur, cum potius via æripes dicenda sit, idest aspera, & fragosa, quâque æreis pedibus esset eundum.]

Paulo verò inferius hoc idem clarius expressit, ubi chorus, & *Theseus* Athenarum Rex adversam *Oedipi* fortunam, & ærumnas miserati inter se colloquuntur.

ΧΟ. Ἄναξ πάλαι δὴ ταῦτα, καὶ τοιαῦτ' ἔπη
Γῇ τῇδ' ὅδ' ἀνὴρ, ὡς τελῶν ἐφαίνετο.

idest:

Cho. Vir hic (Rex) jam diù hæc,
Taliaque prolocutus est oracula,
TERRÆ huic quasi effecturus.

mox paucis interjectis sequitur Theseus.

Ἔπειτα δ' ἱκέτης δαιμόνων ἀφιγμένος
Γῇ τῇδε κἀμοὶ δασμὸν οὐ σμικρὸν τίνει.

id est:

Deinde venit his
Supplex Deabus, hisque TERRIS, & mihi
Non pendit exiguum tributum.

[(Hisque terris) metri causa dixit, cum HUIC TERRÆ dicendum sit, ut in Græco γῇ τῇ.]

Ex quibus apparet, ipsum TERRÆ vocabulum ad ipsas *Athenas* semper, & ad earum territorium fuisse relatum, ut eo non improprie apud *Græcos* ipsas Urbes, & earum territoria significari doceremur. *Euripides* vero per hoc idem verbum, γῆ, patriam itidem expressit in quodam senario versu, quem citat doctissimus *Scaliger* in suis in *M. Varronem* de linguâ Latinâ conjectaneis, est autem hujusmodi

Τίνες δὲ πολιτῶν ἐξαμιλλῶνταί σε γῆς.

Idest, Quinam è civibus exturbant te è TERRA?

25 *Menelai* sunt verba erga *Orestem*, qui jam se à suis civili conspiratione è Patriâ expulsum fuerat conquestus; itaque *Dorotheus Camillus*, cujus operâ *Euripidem* latine loquentem habemus, hoc idem verbum γῆν in Patriam non sine causâ transtulit; Ne verò diutiùs in *Græcis* recensendis immoremur, quæ nobis etiam à *Latinis* auctoribus suppeditantur testimonia, videamus. [b] *Plautus* in nostrâ TERRA, inquit, idest in Urbe, ubi Comœdia *Casina* acta fingitur, & eluviones, exustionesque TERRARUM, idest Urbium inundationes, & incendia, direptionesque vocavit [c] *Cicero*. siquid porrò etiam certius *Comenses* desiderant, audiant quæ à *Veturia Coriolano* filio bellum Patriæ inferenti objecta apud [d] *Livium* leguntur, quæque à [e] *Valerio Maximo* repetuntur, licet illa *Pighius* inde expungat, *Potuisti*, inquit, *populari hanc TERRAM* (Romanum agrum intelligens) *quæ te genuit, atque aluit?* frequens vero, & mirabilis in hoc *Vergilius* [f] exstitit, multisque in locis hoc nobis apertissime testatur, ibi

Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam, hac demum voluit consistere TERRA.

[b in prologo Casinæ.] [c lib. de somn. Scipion.] [d lib. 2.] [e lib. 5. cap. 4.] [f lib. 1. Æneid.]

De *Carthagine* loquitur: item [g] alibi de eadem:

Dissimulare etiam sperasti perfide tantum
Posse nefas, tacitusque mea decedere TERRA?

Multis itidem Urbibus alio in [h] loco per ἀναχρονισμὸν nominatis, priusquam conderentur, his versibus:

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios, castrumque Inui, Bolamque, Coramque:

Hunc deinde subdidit:

Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine TERRÆ. 26

Idem etiam, ubi de *Numa* Rege loquitur, qui è Curibus *Sabinorum* oppido *Romam* evocatus, defuncto *Romulo*, ad summum regiæ dignitatis fastigium sublatus est, sic inquit:

[i] *Quis procul ille autem ramis insignis olivæ*
Sacra ferens? nosco crines, incanaque menta
Regis Romani, primus qui legibus Urbem
Fundabit, Curibus parvis, & paupere TERRA
Missus in imperium magnum.

Quem *Vergilii* locum imitatus [k] *Gabriel Lermeus*, vel potius *Gulielmus Sallustius*, vir doctissimus, ubi de *Diocletiano* loquitur, sic inquit:

Hæc eadem exosus quoque tædia maximus ille,
Qui laribus parvis, & TERRA è paupere missus
Imperii victor Romani invasit habenas.

Quamquam vero non sum nescius, alia quamplurima hujusmodi exstare exempla apud *Vergilium*, aliosque probatissimos auctores, illis tamen recensendis ita demum datâ operâ supersedeo, ut mihi nonnulla ex ipso tantum *Ovidio* desumpta referre non sit vetitum, à quo *Lemnon* insulam, & *Sulmonem*, *Sestonque*, & *Abydon* TERRAS vocatas fuisse legimus, ac primum de Lemno:

[l] *Dos tibi Lemnos erit, TERRA ingeniosa colenti.*

De Sulmone autem, sive illius territorio, sic inquit:

[k] *TERRA ferax Cereris, multoque feracior uvæ.*

At illa de *Sesto*, & *Abydo*, ut sunt speciosissima, ita rem nostram ad vivum supra omnem fidem exprimunt:

[l] *Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos,*
Tam tua TERRA mihi, quam tibi nostra placet.

Hoc demum quod sequitur quemadmodum rarissimum est, ita erit nobis multorum instar, & pro limite sententiæ nostræ: 27

[m] *Cecropiâ Pallas scopulum Mavortis in arce*
Pingit, & antiquam de TERRÆ nomine litem.

De lite loquitur jam conditis *Athenis* exortâ inter *Neptunum*, *Minervamque*, de nomine Urbi imponendo, historia est notissima ex [n] *Pausania*, *Ovidio*, & aliis.

Si igitur terræ nomen, Provinciæ nomine adjecto, ad ipsas Provincias refertur, per se vero, & nullo apposito Urbium nomine, tam apud *Græcos*, quàm apud *Latinos* auctores ipsas Urbes, & earum territoria proprie significat, ut jam vel ipsi lippi, vel qui sponte non cæcutiunt, videre possunt, quis credat, ut si ex hoc ipso nomine verbum CONTERRANEUS derivetur, ad ipsas provincias magis, quas per se non sonat, referendum sit, quam ad Urbes, quæ sub eo proprie continentur? Hæc ego libenter à *Comensibus* sciscitarer, his enim argumentis, non longis illis ambagi-

[g lib. 4. Æneid.] [h lib. 6. Æneid.] [i lib. 6. Æneid.] [k lib. 3. Hebdom. fol. 129.] [l in epist. Hipsyp. ad Jason.] [m eleg. 16. lib. 2. Amor.] [n in ep. Leandri.] [o l. 6. Metam.] [p in Atticis.]

gibus, vel ipsis labyrinthæis erroribus magis, perplexis, & intricatis, quibus *Cigalini* luculentissima oratio plena est, hujus vocabuli proprietas mihi videtur investiganda. Jam profectò etiam particula (*con*) quæ in hujus vocabuli, de quo agimus, formatione concurrit, ipsum compositum restringit, nec illud in sensum extraneum, & longinquum à propriâ verbi naturâ, unde deducitur, labi, & evagari permittit, ut tota passim docet antiquitas; sic enim, Contribulis is proprie dicitur, nec aliter latine interpretari potest, qui in eadem tribu descriptus est, unde omnes ex *Fabiâ* inter se sunt contribules, item ex *Poblicia*, ex *Oufentinâ* itidem, & sic de singulis, 28 nec eadem ratione, qui in *Fabiâ* suffragium ferunt, contribules erunt his, qui in *Oufentinâ*, sive in *Poblicia* sunt. Conservus quoque is dicitur, qui cum aliis ejusdem domini servitio addictus est: cujus rei multa apud *Plautum*, & alios Comicos extare videmus exempla, quæ brevitatis causâ non subjicio: nec conservi, nisi invitâ *Latinitate*, inter se hi dici poterunt, qui sunt diversorum dominorum juris, quamvis servilis conditionis omnes. Quid autem de dictione (commilito, vel commilitium) erit dicendum? nisi prorsus hoc idem? est enim commilito, qui sub eodem Imperatore militiæ nomen dedit, & in eodem exercitu stipendia meretur, non qui sub diversis imperatoribus, & diversis in castris; commilitium vero ejusdem militiæ societas; nec desunt exempla utriusque; *Cæsar* commilitones suos milites, etsi imperator, blandiore vocabulo appellabat, docet [a] ipse, docet [b] *Suetonius*. *Perdiccas* vero apud *Justinum* [c] hoc idem clarius expressit: *Certe*, inquit, *commilitones eorundem castrorum*; præterea ubi idem auctor de [d] Alexandro loquitur, *ne qua materia*, inquit, *seditionis procul se agente in Macedoniâ remaneret, reges stipendiarios conspectioris ingenii ad commilitium secum trahit, seniores ad tutelam regni relinquit.* cur igitur tanto afficietur præjudicio vocabulum hoc nostrum, CONTERRANEUS, ut à suâ naturâ deflecti, & in impropriam significationem transferri debeat, Grammaticorum omnium sententiâ, imo totius *Latinitatis* ratione resistente, aliis similibus interim pristinum jus suum retinentibus? an ideo, ut *Comensibus* mos geratur? at non illis ita parendum est, ut *Latinæ* dictionis proprietati, & ipsi *Plinio* injuria inferatur. 29 Quid enim magis proprie sonat hæc vox (CONTERRANEUS) si illius originem, si etymon, definitionemque ingenti numero testium vallatam, si denique connexionem ex duabus dictionibus compactam intuemur, quam hominem ejusdem terræ, idest civitatis, & Patriæ? quonam ergo pacto citra injuriam in spurium sensum, & suæ naturæ reluctantem transferri potest, omnibus rationibus, atque ipsis prope elementis repugnantibus? in ipso vero *Plinio* literati omnes quid impensius observant, & admirantur, quam miram *Latinorum* vocabulorum proprietatem? quid magis illius operum divinitatem aperit, quam *Latinorum* verborum simplex, nudus, germanusque usus, & remoto omni circuitu, solida vis, atque efficax significatio? at quid ageret apud *Plinium* ista dictio, si ad hominem ejusdem regionis, & provinciæ referretur, nisi id solum ut nihil ageret, sed superflueret, & redundaret? cum enim inventum sit epitheton, ut tradunt [e] Rhetores, ornandi, aut vituperandi, sive indicandi, vel etiam (quod est illius magis proprium) significantius exprimendi gratiâ, nimiâ profectò apud illum vel frigiditate languesceret, vel laxitate evanesceret; A *Liguribus* quippe olim *Cisalpina Gallia* incipiebat, atque inde secus *Alpium* radices per *Insubres*, & *Cænomanos* extensa usque ad *Formionem* proximum *Aquilejæ* Fluvium, *Venetiam* totam cum *Carnis* continebat, [f] *Pomponio Mela*, & [g] *Sigonio* auctoribus, à *Cigalino* etiam relatis, tam longinquo terrarum spatio inter *Ligures*, & *Insubres*, *Venetorumque*, & *Carnorum* fines interjecto, idque Reip. *Romanæ* tempore, ut laboret eodem fides, qui hos populos inter se CONTERRANEOS dici potuisse contendunt, nihil enim fe- 30 re minus CONTERRANEUM, nisi forte omnes etiam ex universâ *Italiâ* inter se CONTERRANEOS esse credunt: at quam propriè, & quàm vere, aliorum sit judicium.

a lib. 2. de bello civ.
b cap. 67. in Julio Cæs.
c lib. 13.
d lib. 11.
e Quintilian. lib 8 cap. 2. Cornel. Val. in tab. Rhet.
f lib. 2. c. 2.
g lib. 1. c. 35. de antiq. jure Ital.

CAPUT III.

NIMIS ampla, & effusa ipsis quoque *Comensibus* visa est superior vocabuli nostri interpretatio, dum illud ad omnes ejusdem regionis incolas, atque etiam Provinciæ, referendum esse censuerunt, quamobrem mutatâ sententiâ, & ejusdem vocabuli significationem infra angustiores terminos contrahentes, illos tantum sub eo comprehendi statuerunt, qui essent ejusdem regionis, & Provinciæ, quæ ab uno, eodemque Proconsule, vel alio magistratu regeretur: sperantes hujusmodi restrictione, ceu piaculo quodam, grammaticis offensis litari posse: atque hinc recte *Catullum* à *Plinio* Conterraneum vocatum existimant, ex eâdem scilicet utrumque Provinciâ, cujus administrationem idem Proconsul obtineret, ex *Galliâ* quippe *Cisalpinâ*, cujus sententiæ auctores illis sunt [h] *Sallustius*, & [i] *Donatus*; quorum ille à *C. Murena*, qui *Catilinæ* conjurationis tempore *Galliæ* citerioris Legatus præerat, multos ex illius sociis in vincula conjectos scribit: ex ipso scilicet Legati munere Provinciam totam Proconsulis, vel Prætoris imperio subjectam fuisse innuentes, nec immerito; is enim à Senatu lectus in Provinciam publicorum negotiorum administer, una cum Proconsule, sive Prætore mit- 31 tebatur, ita enim [k] *P. Scipionem Africanum* L. Scipionis fratris Proconsulis in *Græciâ*, & in *Asiâ* Legatum fuisse legimus; ita [l] *C. Marium* Metelli in *Africâ*, & [m] *Afranium* Pompeji in *Hispaniâ*: de officio etiam Proconsulis, & Legati scripsêre, sed serius, & post eversam Remp. [n] *Ulpianus*, *Papinianus*, & alii. *Donatus* vero *C. Asinium Pollionem* Transpadanæ Provinciæ præfuisse literis prodidit, cum *P. Vergilius Maro* Bucolica auspicatus, admirabilem ingenii sui felicitatem patefecisset. Verum adhuc falluntur *Comenses*, quoniam quamquam Reip. *Rom.* tempore, & postea sub *Augusto*, Triumviris Reip. constituendæ rerum potientibus, cum *Asinius Pollio* Transpadanam Provinciam regebat, à Proconsulibus, & ab aliis magistratibus ipsa Provincia regebatur, secus tamen erat *Plinii* nostri ætate, & cum opus suum de Naturali historiâ *T. Vespasiano* VI. Consuli dicavit, quod ut clarius appareret, totum bellum *Gallicum Cisalpinum*, & totam citerioris *Galliæ* administrandæ rationem ab anno U. C. DXXVIII, quo [o] primum post deletos funditus *Gallos Senonas*, *Galli Boji*, & *Insubres* cum aliis à *C. Atilio Regulo*, & *L. Æmilio Papo* Consulibus ad *Fesulas* cæsi sunt, usque ad Consulatum *P. Cornelii Scipionis Nasicæ*, qui postremus de *Gallis* [p] *Bojis* triumphavit anno U. C. DLXIII, satis longo capite ex diversis auctoribus collecto fueram complexus, sed ne viderer impendio longius evagari, atque ita etiam suadentibus amicis, totum ipsum caput resecui, ac rejeci. Certum est igitur post primum Consulatum [q] *M. Marcelli*, cujus virtute *Cisalpina Gallia* Romanis armis subacta, Provincia primum *P. Romani* facta est, anno U. C. DXXXI, quamdiu postea Resp. *Rom.* 32 fuit,

h In Catilin.
i in vita Vergil.
k Flor. lib 2. c. 8.
l Sallust. de bell. Jugurt. Plutarch. in Mario.
m Cæs. lib 1. de bell. civil. Suet in Cæsar. c. 34.
n toto tit. ff. de offic. Proconf. & legat.
o Polyb. lib. 2. Oros. lib. 4. c. 13.
p Panvin. in Fast. & Triumph. Sigon. in fast.
q Polybius lib. 2. Liv. epit. l. 20. Flor. lib. 2. c. 4. Oros. l. 4. c. 13. Eutrop. lib. 3. Jornand. lib. 1. Panv. in fast. Sigon. in fast.

fuit, citeriorem Galliam *Venetis*, & *Carnis* adjunctis, per Prætores, ac per Consules belli tempore fuisse administratam, pacato, & tranquillo, per Proconsules; multorum Consulum, & Prætorum, quibus illius administratio diversis temporibus commissa est, meminit *Livius*, & alii supra citati, Proconsulum vero frequentissima mentio est apud omnes. Hinc [a] *M. Æmilium Lepidum* Proconsulem in eâdem Provinciâ viam *Æmiliam* silice nigricante stravisse à *Bononiâ* usque in *Aquilejam*, prodit [b] *Strabo*, cujus non obscura vestigia adhuc exstant inter *Veronam*, *Vicetiam*que. Eamdem *D. Brutus* Proconsule obtinuit, ad quem exstant [c] *Ciceronis* epistolæ, ac demum [d] *C. Cæsar*, qui se etiam in eâ jus dixisse [e] testatur. Hujusmodi verò provinciæ regendæ institutum nunquam *Romanâ* Rep. incolumi, & florenti, immutatum fuisse legimus, sed tantum sero, & illâ jam extinctâ sub *Augusto*; ille enim primus omnium superato jam, fugatoque apud Actium *Antonio*, & ad manus inertes, impiasque, ac *Ciceronis* sanguine pollutas in se ultro inferendas coacto, potitus rerum, animoque à bello ad imperii curam converso, [f] *Italiam* in XI. Regiones divisit, singulisque Regionibus Consularem præfecit, Urbibus vero ut duo Prætorii præessent instituit, ut ex *C. Theodosiano*, & antiquis monumentis liquet, ac plenissime ostendit [g] *Guidus Pancirolus* præceptor meus, vir & summâ jurisprudentiâ, & omnifariam eruditione juxta insignis, pietate vero, ac morum sanctitate incomparabilis, licet singulis Urbibus Consularem ab *Augusto* præfectum fuisse, perperam apud [h] *Dionem* scriptum videatur. Ab iis igitur Consularibus, &
33 Prætoriis ab *Augusto*, ut supra, institutis universa *Italia* recta est usque ad *Hadrianum* Imp. qui primus hunc numerum XI. Consularium ad quatuor tantum redegit, ut inquit [i] *Spartianus*, ex quibus unus ab eo creatus est *Antoninus Pius*, ad illam *Italiæ* partem regendam, in quâ plurimum possidebat, auctore [k] *Capitolino*, ut viri talis honori consuleret, & quieti. Rebus igitur ita constitutis, jam in aperto est, *Sallustii*, *Donati*que auctoritatem nihil *Comensibus* conducere, frustraque in primis *Cigalinum* laborasse, cum longo studio multa undique inaniter coacervavit, ut ab uno, eodemque magistratu *Cisalpinam Galliam*, *Venetiâ*, & *Carnis* adjunctis, olim rectam fuisse probaret, eo solum tendens, ut *Plinianum* vocabulum ad homines ejusdem regionis referret, quam idem Præses administraret. Nihil etiam ad rem facit, quod *Catilinæ* conjurationis tempore, florente adhuc Rep. *Cisalpina Gallia* per Proconsulem, seu per Prætorem regeretur, quatenus nobis ex *Sallustio* licet conjectare, siquidem *M. Tullio Cicerone*, & *C. Antonio* Consulibus, anno ab U. cond. DCXCI. quo hæc gesta sunt, natus est *Augustus* primus *Italiæ* reformator IX. Kal. Octobr. ut auctor est [l] *Suetonius*, & [m] *Vellejus*; neque vero etiam refert, quod ab *Asinio Pollione* eadem Provincia regeretur, [n] *Donato* auctore, quo tempore *Cremonensium*, & aliorum *Cisalpinorum* ager veteranis *Augusti* divisus est, quoniam hæc omnia gesta sunt civili bello ad *Philippos* jam exhausto contra *Brutum*, & *Cassium* Cæsaris percussores, anno post U. cond. DCCXII, *P. Servilio Isaurico*, & *L. Antonio* Triumviri fratre Consulibus, [o] *Vellejo*, [p] *Suetonio*, & [q] *Floro* testibus,
34 ipsisque *Vergilii* vitæ auctoribus, manifesti tamen erroris, ob seriem temporum confusam, convictis; ipsa vero *Italiæ* divisio ab *Augusto* facta est post devictum apud *Actium* navali prælio *Antonium*, illiusque nece jam peractâ, ut supra memini, ipso [r] Cæsare *Augusto* III, & *M. Valerio Messala* Consulibus, anno ab Urbe Cond.

[a] Liv. lib. 49.
[b] lib. 4.
[c] epist. 12. lib. 13. famil.
[d] Suet. in Cæs. cap. 22.
[e] lib. 8. de bell. Gall.
[f] Suet. in Aug. c. 46. Plin. lib. 3. c. 5.
[g] in comment. Occid. imp. in Notitia c. 49. & cap. 155. in comment. oriental. imp.
[h] lib. 52.
[i] in Hadriano.
[k] in Pio.
[l] in Augusto c. 5.
[m] lib. 2.
[n] in vita Verg.
[o] lib. 2.
[p] in Aug. c. 13.
[q] lib. 4. c. 7.
[r] Panvin. in Fast. Sigon. ibid.

A DCCXXIII, & sequentibus; Quapropter si ab hoc postremo tempore citra usque ad *Hadrianum*, singulæ *Italiæ* Regiones Proconsulari, vel Prætoriâ administratione jam abrogatâ per Consulares, & Prætorios ex *Augusti* instituto regebantur, quis adeo cæcus est, quis adeo vecors, & stupidus, qui non intelligat, *Plinii* nostri tempore, cum Naturalis historiæ absolutum volumen *T. Vespasiano* filio inscriberet, *Venetiam*, quæ decimam tunc *Italiæ* Regionem constituebat, secundum divi *Augusti* divisionem, sub quâ *Verona* continetur, suum Consularem, suosque Prætorios habuisse, à quibus regeretur? *Transpadanam* vero
B *Italiam*, quæ undecimam, in quâ *Comum*, suum & ipsam Consularem, suosque Prætorios penitus a superioribus diversos agnovisse? atque inde jam expeditum esse, quod si verbum (CONTERRANEUS) ad incolas etiam ejusdem Provinciæ referri posset, quam idem Proconsul administraret, ut aliquando credidit *Barbarus*, quique illum re totâ non bene exploratâ postea secuti sunt, *Plinius*, si *Comensis* fuisset, *Catullum* Veronensem è *Venetiâ* CONTERRANEUM suum vocare minime potuisset, quando suo tempore ita ipso prodente *Plinio*, utraque Regio, ut nomine, ita etiam re, inter se differebat, & diverso jure censebatur,
C diversisque à Consularibus, & Prætoriis regebatur? Urget hæc nostra argumentatio, ni fallor, atque imos sensus scriptorum *Comensium* acriter
35 perurit, indicium mali sunt medicamenta ab illis opportune comparata, ut enim hunc dolorem lenirent, atque istam *Augusti* Italiæ divisionem evitarent, quam sibi omnino fatalem esse sentiunt, statim captioso argumento occurrunt. Scribit enim *Jovius*, nec improbat *Cigalinus*, ipsum *Plinium* in *Italiæ* descriptione inverso ordine multa scripsisse, & ab illo, quem divus *Augustus* statuerat, quandoque recessisse; & ideo *Larium*, *Sebinum*, aliosque lacus, & flumina, quæ ad unde-
D cimam *Italiæ* Regionem pertinent, in decimâ cum *Benaco* nostro descripsit; Verum his etiam, prout aliis omnibus, facilis est responsio; aliud est enim *Italiæ* descriptionem ab *Augusto* approbatam sequi, aliud ordinem locorum; illam secutum se esse *Plinius* palam testatur, hunc in omnibus, re ita exigente, non servasse; quam ob causam hac præfatiunculâ, ne cui à se impositum videretur, se ipsum [f] excusat. *Qua in re*, inquit, *præfari necessarium est, auctorem nos divum Augustum secuturos, descriptionemque ab eo factam Italiæ totius in Regiones undecim, sed ordine eo, qui litorum tra-*
E *ctu fiet, urbium quidem vicinitates oratione præproperâ servari non posse, itaque interiori in parte digestionem in literas nos secuturos, Coloniarum mentione signatâ, quas ille in eo prodidit numero.* Hoc enim pacto *Athesim* quoque nostrum, & alios fluvios ex nostratibus in *Padi* descriptione, qui ad octavam Regionem spectat, locavit, & prius de *Italiâ Transpadanâ*, quæ undecima Regio est, quam de *Venetiâ*, quæ decima, tractavit; ipsa igitur vocabuli nostri proprietas non ex ordine locorum, sed ex Regionum divisione, atque ex diversâ illarum administratione, quam
36 secutus est *Plinius*, metienda est. Verum hoc quid aliud est, Dii boni, quàm sententiam
F suam impugnare? quàm in se ipsum insurgere, & propriis telis, ut olim *Cadmæa* messis, se ipsum conficere, & jugulare? nam quod olim *Comenses* pro scopo opinionis suæ statuerunt, idem rebus jam desperatis contrariâ sententiâ videntur effugere, & declinare. Alia præterea multa sunt, quibus *Comenses* rectum *Pliniani* vocabuli sensum invertere, atque illud è civico, ut ita dixerim, merum provinciale efficere conantur, pro certo habentes certam victo-

[f] lib. 3. c. 5.

riæ

riæ spem in illius significatione constitutam esse, A certumque, nec dubitatum testimonium illud pro nobis stare; quæ omnia quanquam longum esset exequi, missa tamen facere nolui, ne vel illa parvi fecisse videar, vel illorum ingenium, quod est maximum, suâ gloriâ fraudarem. Sic autem subdit [a] Cigalinus. *Cum Italia pluribus olim modis divideretur*, (verba illius sunt) *alius aliam arbitrio suo divisionem secutus est*, *milites quoque in verbi* (CONTERRANEUS) *significatu aliam quandam Italiæ divisionem*, *non Augusti*, *in castris secuti sunt*, *quos verisimilius est ante Augustum verbum* (CONTERRANEUS) *libertate militari sæpe usurpatum*, *eâdem libertate post Augustum*, *ejus neglectâ* B *descriptione*, *in eâdem significatione accipientes*, *antiquam divisionem intellexisse.* Et paulo inferius: *ideo Conterraneum suum vocatum à Plinio Catullum fuisse*, inquit, *quod ejusdem uterque TERRÆ Transpadanæ inquilinus esset*, *sic autem illam appellavit cum Cispadanâ comparatam.* & paulò etiam inferius, post relatos *Catulli* versus in *Egnatium*, in quibus se *Transpadanum* facit, cum suos *Transpadanos* vocat,

37 *Si urbanus esses*, *aut Sabinus*, *aut Tiburs*,
Aut parcus Umber, *aut obesus Hetruscus*,
Aut Lanuvinus ater, *atque dentatus*,
Aut Transpadanus, *ut meos quoque attingam.*

Sic inquit; *Catullum hoc in loco secutus Plinius*, *Conterraneum suum eum vocavit*, *divisionem eam Italiæ intelligens*, *quam Catullus sequeretur*, *minime vero posteriorem illam ab Augusto institutam.* hucusque *Cigalinus*; à quo me juvat sciscitari, Ex quâ nam diphthæra acceperit, (nam nullos habet auctores, verùm has duas priores propositiones ab illius ingenio agnoscimus, tertiæ vero auctor fuit *Hermolaus Barbarus*) quod milites *T. Vespasiani* ævo neglectâ *Augusti* Italiæ divisione, aliam in castris sequerentur, quodque eâdem libertate militari post *Augustum*, & illius *Italiæ* divisione non servatâ, quâ ante illum, vocabulum de quo agimus, secundum antiquam significationem acceperint, ac demum quæ nam fuerit ista antiqua vocabuli nostri significatio ante *Augustum*, nam talia, & nullis auctoribus asserere, nihil aliud est quàm somniare, & divinare; quoniam si negabimus hæc omnia, si vero etiam negabimus verbum hoc (CONTERRANEUS) ante *Augustum* fuisse inventum, quando antiquorum nullus, qui ante *Plinium* scripserit, de illo unquam meminerit, ut aliàs præmonui, & ipsa *Plinii* verba, ibi (*agnoscis & hoc castrense verbum*) recens illud, non antiquum fuisse ostendant, unde nobis contrarium *Cigalinus* probabit? unde in priorem magis sensum, & si foret antiquius, quàm in posteriorem, & *Augusti* divisioni congruentem, acceptum fuisse docebit? quomodo in animos antiquorum militum, & ipsius in mentem
38 *Plinii* Cigalinus penetravit? quomodo post tot sæcula in tantâ vetustatis caligine ita se in eorum intellectum insinuavit, ut talia non vereatur pro veris asserere, & prædicare? ista vero vocabuli nostri significatio cur magis opinioni, quam de illo statuunt *Comenses*, quam quæ à *Veronensibus*, & ab universo literatorum pene omnium consensu recepta est, inserviebat? unde hoc *Cigalino* constat? à quo *Fauno* hæc edoctus? à qua *Ægeriâ* in *Aricino* nemore? si vero hæc etiam aliquâ ratione niterentur, ita ut quandam veritatis speciem præ se ferrent, adhuc multum differret inter milites, seu quoscumque alios hoc vocabulo utentes, ac ipsum *Plinium* Italiæ divisionis ab *Augusto* institutæ jam aperte confessum sectatorem; quid enim militibus, sive militari libertati, cum *Plinio*? qui si hoc vocabulo secundum *Comensium* de eo sententiam usus esset, non solum lectori imponeret, sed etiam sibi contrarius extitisset? Nihil vero refert, quòd Catullus *Transpadanos* suos vocavit, suo enim tempori singula accommodanda sunt, non diversis promiscue confundenda. Etenim *Catullus* vel ut sui temporis ratio postulabat, (quod est verisimile, *Transpadanos* suos dixit, quandoquidem in Transpadanis *Verona* tunc temporis cum totâ *Venetiâ*, Carnis etiam comprehensis, censebatur, ut supra vidimus; vel potius non omnes *Transpadanos*, sed *Veronenses* tantum, atque his propinquiores, suos intellexit, quorum mores sibi magis perspectos fuisse, quàm aliorum, qui longinquiores essent, credibile est; sive etiam affectu aliquo singulari hoc dixit, quo ipsos prosequebatur, est enim hoc verbum (*suus*) benevolentiæ, & familiaritatis nota, atque ita *Cicero*, 39 ita *Plinius* junior, ita *Trajanus* apud illum, amicos, clientes, & provinciales suos vocant, atque ut omnia uno verbo concludam, ex quacumque causâ Catullus *Transpadanos* suos vocaverit, hoc profectò certissimum est, quòd ipsos nunquam Conterraneos suos appellavit; At verò dum rursus asserunt, quòd *Plinius* ad eam *Italiæ* divisionem respexerit, quæ servabatur *Catulli* tempore C ante *Augustum*, cum *Catullum* Conterraneum suum vocavit, quodque in hoc illum fuerit secutus, est itidem aperta divinatio, vel potius vanissimum somnium, quo *Plinii* sententiam eludant, non videntes se eundem sibi adversantem, & repugnantem constituere, omni illius dignitatis, & judicii posthabitâ ratione.

CAPUT IV.

NULLUM esse majus ingeniorum tormentum, quàm impugnationem veritatis ex ipso rerum usu, & ex ipsâ experientiâ satis docemur, & ideo minime mirum videri debet, si *Comenses* D scriptores dum vim *Pliniano* vocabulo inferre volunt, & verum illius sensum circumscribere, & obliquare, inquieto animo huc illuc feruntur, ita ut omnibus deficientibus argumentis, quæ etiam futilia, quæque vanissima sunt, ut supra vidimus, amplectantur, atque utinam saltem se ab ipsis Ecclesiasticæ historiæ voluminibus inaniter referendis, & minus sane interpretandis, abstinerent, dum enim omnibus destituti sunt, & multis abundantes videri volunt, istis etiam manum admovere non verentur, minus tamen rectè, ut mox 40 patebit; quemadmodum igitur à veritate alienum, ita fabulæ propius est, quod tradit *Jovius*, E quodque affirmat *Paravicinus*, aliquâ *Comenses*, *Veronenses*que inter se communione uti, & utriusque Civitatis agrum sibi confinem esse, *Veronensium*que Territorium usque ad Vallem *Telinam* protendi: fabulosum porrò est, quod *Paravicinus* subjicit, agrum scilicet *Comensem* ab eâ præsertim parte, quâ Vallem *Camonicam* attingit, Valli *Camonicæ* Veronensium adhærere, ut ostendat uterque non solùm Regionis, & Provinciæ jure, sed etiam ex istâ communione, & vicinitate, *Catullum* licet *Veronensem*, vere Conterraneum à *Comensi* Latine dici potuisse. sed doceat, obsecro, *Jovius*, vel saltem *Paravicinus* illius superstes, un- F de hoc sibi compertum sit, aut ubi tam prodigiosa, & ipsis sensibus repugnantia unquam legerint; quidquid enim sit de Valle *Telinâ*, an coëat, vel ne, cum Valle *Camonicâ*, hoc certe manifestissimum est, Vallem Telinam *Vennonetes Rhætos* continere, *Comensibus* finitimos, & in his, quæ ad sacra spectant, Ecclesiæ *Comensi* subjectos, [b] *Abrahamo Ortelio*, & [c] *Thoma Porcachio* auctoribus, ita etiam tradentibus [d] *Castaldio*, [e] *Laurentio Anania*, & [f] *Gerardo Mercatore*; Vallem vero

[a] Fol. 67.

[b] in Synonim.
[c] lib. 1. de Com. nob.
[d] in Italiæ tab.
[e] lib. 1. fabr. mund.
[f] in tab. Ital.

verò *Camonicam* nunquam *Veronensium*, sed *Brixiensis* ditionis semper fuisse, *Eliâ* [a] *Capreolo*, & [b] *Joanne Botero* testibus; agri porrò nostri fines ab ea parte quæ ad *Comenses* vergit, *Benacum* nostrum non excedunt, à quo *Salodium*, & alia *Brixiensium* oppida, pagique amœnissimi leni fluctu per ambitum alluuntur, ipsis *Brixiensibus*, *Bergomensibus*que inter nos, & *Comenses* constitutis;

41 quo ergo nos cum illis commercio jungi possumus, quos ipsa natura immenso terrarum tractu, duorumque populorum territoriis interjectis, longissimis abhinc sæculis, & longe ante ipsum *Plinium* separavit? quis igitur recte talia prodentibus non objiciat, quod olim *Thaleti* [c] *Milesio* ancilla objecit, cum domo egressus contemplaturus sidera in subjectam foveam incidisset, *Qua ratione*, inquit, *ò Thales*, *quæ in cælis sunt*, *comprehensurum te arbitraris*, *qui ea quæ sunt ante oculos videre non vales?* quando autem in *Benaci* nostri mentionem incidimus, opportunè lectorem admonitum esse volui, *Benacum* ipsum nostri juris esse, vel ipso *Plinio* [d] teste, & ideo manifesto errore lapsum [e] *Joannem Boterum*, qui illum *Brixiensibus* olim adscripsit. sic enim de illo inquit Plinius, *Lacus est Italiæ Benacus in Veronensi agro Mincium amnem transmittens;* cujus undæ ideo *Lydiæ* dictæ sunt à [f] *Catullo*, quia ad *Veronam* vetustissimam *Tuscorum* coloniam spectabant, nam *Brixia* Cænomanorum fuit, *Tuscos* enim à *Lydis* ortos, *Herodotus*, *Vergilius*, *Strabo*, & alii prodidere, hinc etiam [g] *Vergilius* Tiberim *Lydium* appellavit, *Tuscum* scilicet fluvium, & ex *Hetruriâ* ortum ducentem. *Veronensis* etiam appellatur *Benacus* in tabulis solemnis fœderis inter *Venetam* Remp. & *Mantuanorum* Marchionem initi nonis Novembris anno Domini MCCCCVII. Multos præterea myoparones in classis speciem instructos in eo *Verona* tenet, in certum vetustæ illius possessionis, & dominii titulum, ad arcendas latronum, piratarumque latentes incursationes, illicitosque Mercatorum conatus compescendos, Præfecto illi Senatus nostri suffragiis ex optima-

42 tum ordine constituto cum imperio quinquennali; Ad nos demum *Benacum* ipsum pertinere, ab Excellentiss. Senatu *Veneto*, dum hæc nostra disputatio prælo committitur, nuper decretum est, *Aurelio Prandino* J. C. & Equite, & *M. Antonio Gulientio* J. C. VV. clarissimis *Veronensium* legatis orantibus, & *Salodiensibus* adversantibus. Sed hactenus de his, nunc ad ea quæ nobis ex Ecclesiastica historia objiciuntur, transeamus. Scribit *Benedictus Jovius* Romanæ Curiæ libro in primis fretus, quem Provincialem vocat, *Comensem* Antistitem æque ac *Veronensem*, tamquam ex eâdem utrumque Provinciâ, *Aquilejensi* Patriarchæ subjectum esse, idque inde evenisse usque à primis nascentis Ecclesiæ primordiis, quoniam cum olim etiam ante Christi natalem *Aquilejenses* Pontifices, & Flamines dignitate *Comensibus*, & *Veronensibus* anteirent, qui primi Ecclesiasticas dignitates in eisdem civitatibus constituerunt, nihil de veteri Provinciæ jure immutatum esse voluerunt, *Gratiano* [h] auctore, qui ex *Lucino* Papa (de quo mihi, ut omnibus nondum liquet) talia refert.

Urbes, & loca, in quibus primates præsidere debent, non à modernis, sed multis ante adventum Christi statutæ sunt temporibus, quarum Primates gentiles etiam pro majoribus negotiis appellabant; in ipsis vero urbibus post adventum Christi Apostoli, & eorum successores, Patriarchas, & Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia (salvâ tamen in omnibus Apostolicâ auctoritate) & majores causæ per Apostolicam sedem sunt referendæ. Item ex Clemente.

In illis vero civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primiflamines eorum, atque Primi legis do-

ctores erant, Episcoporum Primates, ac Patriarchas 43
beatus Petrus poni præcepit, qui reliquorum causas Episcoporum, & majora negotia in fide agitarent, in illis autem, in quibus dudum apud prædictos Ethnicos erant eorum Archiflamines, quos tamen minores esse tenebant, quam memoratos, Episcopos institui præcepit. hucusque Gratianus. Huc *Plinium* respicere potuisse scribit *Jovius*, idem refert *Paravicinus*, cum *Catullum* Conterraneum suum vocavit; quasi scilicet nihil, vel parum foret; tot artibus, & tantâ calliditate *Pliniani* vocabuli sententiam circumscripsisse, nisi etiam profana sacris miscerentur, ut tantæ vanitati sacrorum fuco fides adstrueretur.

Sciendum est igitur, *Gratiani* Decretum multis in locis, atque in hoc potissimum, qui à *Comensibus* citatur, suspectum esse, prout vel ex ipsâ primâ fronte duorum capitum superiùs relatorum quilibet vix mediocriter literatus, facillime intelligit. *Lucini* enim nomen nunquam inter *Romanos* Pontifices fuit receptum, nisi forte pro Lucino *Linum* restituamus, qui proxime *Clementem* antecessit, cujus tamen nulla exstant scripta, vel *Lucium*, ut postremi decreti correctores reposuerunt, in cujus epistolis decretalibus hæc itidem non exstant. Barbara porro Latinè scribendi ratio, & nulla, vel saltem pauca antiquæ historiæ demonstratio, de fide *Gratiani* in loco jam dicto nos cogit dubitare. Nusquam enim Reip. *Romanæ* tempore, aut serius sub imperio usque ad *Constantinum*, Primates in *Italiâ*, aut in aliis Provinciis constitutos fuisse legimus, quod equidem sciam, hoc enim vocabulum, si Latinè accipiatur, non publicæ dignitatis notam, non sacerdotii præ se fert, sed primatum quendam, & summum inter suos cives gradum. Ita Prima- 44
tes in civitate viros vocavit [i] *Constantinus*, & [k] Primates Alexandriæ *Theodosius*, eosdem Principes civitatis, & Primarios populi *Cicero*, *Vellejus*, *Livius*, *Plinius* minor, & alii, Provincia *Cæsar*, Primores *Tacitus*, Ἄρχοντες Græci vocant. Ecclesiastici tantum scriptores primi post *Constantinum*, prout etiam me [l] *Wolfangus Lazius* monet, hoc nomen pro dignitate usurparunt, ut ex epistolis, quæ Latinitate donatæ sunt (nam *Græcas* nunquàm legi) *Anacleti*, *Zepherini*, & aliorum complurium Summorum Pontificum, Concilioque *Chalcedonensi*, atque ex aliis multis colligitur; sed quidquid sit de hoc vocabulo, illud certe barbarissimum est, (*modernis*) pro recentioribus, & postremis, quo nunc vocabulo passim in *Italiâ* utimur. Neque illa verba primi capitis (*quarum Primates gentiles*) adeo clara sunt, ut aliquo *Palæmone*, vel potius *Apolline* non indigeant, quatenus eorum sensus ex secundâ [m] *Anacleti* epistolâ non suppleatur. Præterea flaminum quidem frequentem memoriam apud veteres, & posteriores scriptores vidi, frequentissimam in antiquis lapidibus observavi, at Archiflamines æque mihi ex utroque essent ignoti, ac Primiflamines, & Primilegum doctores, nisi Archiflaminum, qui in *Britanniâ* semel [n] à *Wolfango Lazio*, & eorum qui alibi semel à [o] *Rosino* fieret mentio, ac sola fortasse *Gratiani* in hoc loco auctoritate; Primos vero legum Doctores à [p] *Cajo* J.C. inter veteres jurisprudentiæ auctores memoratos nunquam vidi. Ac demum quod Archiflamines aliis flaminibus minores essent, repugnat vis vocabuli, si ex utrâque lingua hoc mixtum coëat, repugnat [q] *Rosinus*. Quare jure merito locum istum, tamquam corruptum, & emendatione indigen- 45
tem [r] *Antonius Augustinus* J. C. clariss. & *Tarraconensis* Archiepiscopus veru notat. Depravatum etiam *Gratiani* Decretum innuit *Jacobus Pamelius* in sua præfatione in *Tertullianum Gre-*

[a] in hist. Brix.
[b] lib. 1. relat. univ.
[c] Laërtius in Thal.
[d] lib. 9. c. 22.
[e] lib. 1. relat. univ.
[f] in epigram. ad Sirmionem.
[g] lib. 2. Æneid.
[h] dist. 80. c. 1. & 2.
[i] lib. 1. C. de spect. & scen. lib. 11.
[k] in rub. Cod. de Alex. Primat. lib. 11.
[l] lib. 2. c. 2. & 3. comm. R. Rom.
[m] dist. 99. c. 1.
[n] lib. 3. c. 13.
[o] lib. 10. orat. 1.
[p] lib. 2. ff. de orig. jur.
[q] ibid.
[r] lib. 9. dialog. in numism.

gorio XIII. Pontifici Max. dicata, cujus etiam emaculandi, & repurgandi provinciam ab eodem Pontifice susceptam fuisse testatur. Patriarchæ porro nomen longe post Apostolorum tempora Ecclesiæ innotuit, quamvis enim illius origo ab expugnatis *Hierosolymis* paulatim inceperit, ut tradit [a] *Baronius*, atque inde postea tractu temporis in Ecclesiam migraverit, ita ut vix in prima *Anacleti* epistola, qui *Clementi* sub *Trajano* successit, atque in prima *Zepherini*, prout Latinæ redditæ sunt, hujus vocis mentio fit, in aliis vero multis [b] *Leonis* Imp. ad *Stephanum* Constantinopolitanum Patriarcham, qui rerum potitus est anno Domini CCCCLVII. aliquanto etiam [c] effusior, illius tamen usus frequentior à *Gothis* primum videtur emersisse, *Justiniano* imperante; siquidem [d] *Athalaricus* Rex omnes Archiepiscopos Patriarchas promiscue vocare solitus fuit, quod etiam ab Ecclesia factitatum aliquando fuisse idem [e] *Baronius* tradit, hac ipsâ licentiâ etiam ab *Arrianis* hæreticis sæpe usurpatâ, quem enim sequebantur erroris Principem, eundem, ut majorem suis fraudibus ab hominis auctoritate fidem captarent, & Patriarcham [f] dicebant, eodem *Baronio* auctore. Hæc sunt quæ nos à *Gratiani* Decreto tutos præstant. Quæ verò *Benedicti Jovii* sententiam prorsus eliminant, multa itidem sunt. Nulla enim veritate, nec veritatis specie
46 nititur, quod ait *Jovius*, ante Christi natalem *Aquilejenses* Pontifices, seu Flamines, nostris, seu *Comensium* Pontificibus, aut Flaminibus præstantiores fuisse; obstat enim *Aquilejensis*, *Veronensis*que, & *Comensis* coloniæ ratio, ut mox declarabo; post Christum vero natum idem esse statuendum, & præsertim *Plinii* tempore, utriusque Provinciæ distinctio, *Venetiæ*, & *Transpadanæ Italiæ* facilè ostendit, ut supra vidimus; Tempus demum Patriarchalis, & supremæ in alios Episcopos dignitatis apud *Aquilejenses* constitutæ, non ab Apostolis, non à primis nascentis Ecclesiæ Patribus, nec etiam à *Romano* Pontifice, sed seriùs, & *Alboini* Regis tempore, ab Episcopis *Liguriæ*, *Venetiæ*, & *Istriæ* schismaticis, ut ostendam, tam insignem *Benedicti Jovii* errorem demonstrabit, nunc de singulis.

a in annalib. Ecclesiast.
b in l. decernimus. C. de Sacrosanct. Eccles.
c in novellis cujus multæ
d Baron. in annal. Eccles. sub ann. 533.
e in annal. Eccles. sub annum 570.
f Baron. ibid.

CAPUT V.

FUIT olim *Aquilejam* cum jure *Latii* deducta colonia, post ancipitem diu Senatus sententiam in ejus jure statuendo, *Istris* etiam bello prohibentibus, ut tradit [g] *Livius*, anno U. cond. DLXXIII. *P. Cornelio Cethego*, & *M. Bæbio Tamphilo* Coss. deduxere Triumviri *P. Cornelius Scipio Nasica*, *C. Flaminius*, *L. Manlius Acidinus*; Comum verò colonia à *Cn. Pompejo Strabone* Pompeji Magni patre, cum eodem jure deducta est, [h] *Strabone*, [i] *Panvinio*, & [k] *Sigonio* auctoribus. *Verona* an cum aliis coloniis
47 *Transpadanis* jure *Latinæ* coloniæ ab eodem *Pompejo* donata fuerit, vel ne, in dubio quondam fuit, à *Pompejo* enim hoc jure donatam *Mamertinus* testatur, sive quisquis alius est auctor Panegyrici ad *Constantinum*, illis verbis: ubi de *Verona* loquitur, *scilicet ut quam coloniam Cn. Pompejus deduxerat, Pompejanus everteret.* idem probat [l] *Panvinius*, docet *Sigonius*: ab *Augusto* vero inter duo de triginta colonias relatam, quarum [m] *Suetonius* meminit, videtur innuere *Torellus Saraina*, ubi de Theatro [n] loquitur, sed perperam, ut alia multa; *Pompejum* enim *Strabonem* sui colonici juris auctorem agnoscit, non alium, ut infra latius probabo. Erunt igitur pari jure omnes istæ coloniæ constitutæ, nisi melioris conditionis *Veronam* fuisse credamus, in quam nulli coloni externi ex illa fæce *Romanæ* plebis deducti sunt, ut in alias, sed suis civibus suæ sedes servatæ, ut docet [o] *Pædianus.* Quomodo igitur fieri potest, ut ab æquali coloniâ altera ejusdem juris sua sacra agnoverit? petierit? nullo auctore, nullis testibus, & historiæ fide resistente? est enim certissimum, colonias omnes jura, & instituta omnia Populi *Romani*, non sui arbitrii habuisse, ut docet [p] *A. Gellius*, ita ut quasi effigies parvæ, & quædam Pop. *Romani* simulacra viderentur, quod etiam post [q] *Panvinium* nostrum latius explicant [r] *Lipsius*, & [s] *Velserus*, duo ævi nostri lumina, his verbis. *Triumviri* (inquit Lipsius) *coloniis deducendis graves, & prudentes legi solebant, qui etiam sedes, agrosque, & ipsum oppidum, si condendum esset, disponebant, & jura, & formam novæ quasi Reip. dabant, sic tamen, ut omnia Romam, & Urbem matrem referrent; ipsis quoque locis fora, Capitolia, templa, Curiæ pro illa imagine essent, & in gubernatione Duum-* 48
viri plerisque locis, quasi duo Consules, Ædiles item, & Decuriones pro Senatu. Nobis (inquit Velserus) *de religione universim eo minus dicendum, quod colonos patria sacra, Romana videlicet, coluisse nemo ambigat; ludis tamen, festisque quibusdam diebus variasse docet* [t] *Cicero, quod inter Romanæ Urbis commoda ludos, & festos dies numerat, quibus Quirites in colonias missi sint carituri*; deinde subdit, *Curatio sacrorum Sacerdotibus demandata est, inter quos eminuere Pontifices,* [v] *exstant fasti marmorei cum inscriptione Pontificum coloniæ Juliæ Sutrinæ. Item C. Virius quidam PONTIF. ET DECUR. in antiqua inscriptione legitur, & plura hujus generis, præter Ciceronis verba, nos de colonicis Pontificibus dubitare non patiuntur; singulorum deinceps Deorum Flamines, Augures, Haruspices, Æditui etiam, Tibicines, Popæ, ministri*; quid clarius? De Sexviris quoque Augustalibus, quorum in nostris antiquis inscriptionibus frequentissima mentio est, an inter Larium sacerdotes essent referendi, ut suadet [x] *Alexander ab Alexandro*, an potius *Augusti*, ut tradit [y] *Choulius*, an verò medio inter decuriones, & plebem ordine censendi, ut docet [z] *Velserus*, vel potius de illis, eorumque munere decernendum esset inspecto regionis more, ut innuit *Wolfangus* [a] *Lazius*, nonnulla curiose scripseram, verum omnia de industria rejeci, cum viderem illos ad colonicum jus eatenus duntaxat pertinere, quatenus decurionum numero, & ordine seligebantur, ut scriptis suis idem *Lazius* testatum reliquit.

Romanorum porrò numinum, quæ à majoribus nostris, ut pote colonis Latini juris, colebantur, exstat mentio in antiquis inscriptionibus *Veronæ*, & in agro, quas hîc subjicio: earum prius exem- 49
plo in *Germaniam* ad *Janum Gruterum* à me misso, in cujus postremâ appendice leguntur *Palermanarum* schedarum præpositâ notâ.

g lib. 49. & 50.
h lib. 5.
i in descript. Colon. Rom.
k lib. 3. cap. 2. de antiq. jure Ital.
l in locis supracitatis.
m in Aug. cap. 46.
n in lib. de antiq. & amplitud. Veronæ.
o in Pisoniana.
p lib. 16. c. 13.
q in lib. cui. tit. Imp. Rom.
r lib. 1. c. 6. de magnit. Rom.
s lib. 5. rerum August.
t in agraria 2.
v apud Fulv. Ursin. in gente Farsuleja.
x lib. 3. c. 12. genial. dier.
y in l. de ant. Rom. relig.
z lib. 5. rerum Aug.
a lib. 3. cap. 6. comm. R. Rom.

Ceretæ in angulo ædiculæ D. Zenonis.

IOVI
IVNONI
MINERVAE
.... VS. V. S. L. M.

Ibidem.

IOVI
P. PERCEN. ...
SABINUS VET.
COH. II. PRAE.
V. S. L. M.

Cal-

Calderii hanc inscriptionem vidit Saraina, & mendosam, ut omnes, edidit.

DIs IOVI ET IVNONI MANIB.
TI. FLAVIVS NORICVS
IIII VIR ID. &c.

Coloniolæ in angulo ædis, quam plebem vocant.

MERCVRIO
V. S. L. M.
L. CALVISIVS P. F.
ORICVLO

Lavanei prope ædiculam ad montis radices sitam.

I. O. M.

porcus infulatus

P. FALERIVS L. F. COS.

Vargatariæ in templo D. Firmi.

IOVI O. M.

Veronæ apud me.

IVNONI
porca fœta mammis prominentibus.
SACR.

Coloniolæ in æde plebis uno versu oblongo.

L. POSTVMIVS DOCILIS
T. KAREIVS VALENS
LINTIONES APOLL.
D. P. S. D. L. D. P.

---

10 *Calderii, quam vidit, & edidit Saraina corruptissimam.*

V. IVNONI F.
PETRONIO PROBO VE.
TOTIVS ADMIRATIONIS V.
PROCOS. AFRICAE
PRAEF. PRAET. ILLYRICI
&c.

Summæ campaneæ in æde D. Petri.

GRATIA C. F.

MINERVAE

V. S. L. M.

Veronæ apud Federicum Cerutum.

NOMINE
Q. DOMITII ALPINI
SVLPICIA MATER
SIGNVM DIANAE, ET VENATIONEM
ET SALIENTES T. F. I.

Veronæ ad Divi Petri in carnario.

MINERVAE SACR.
C. CASSIVS. L. F.
IVSTVS.
VIVIR AVG.
ET LAELIA LOGAS.

A *In pago D. Petri in cariano.*

MER. SACR.
SVM DEVS ALATIS QVI
CRVRIBVS AETERA
CARPO
QVEM PEPERIT MAGNO
LVCIDA MAIA IOVI.

Veronæ in basilicâ D. Zenonis à Pipino Rege Caroli magni F. extructâ.

B LOCVS ASSIGNATVS
MONVMENTO
IN QVO EST AEDICVLA
PRIAPI
IN FR. P. LXX. IN. AG.
P. LXX.

Coloniolæ.

NVMINI MERCVR.
SACR.
P. LICINIVS SATVRNINVS.
P. S. F.

C Non solum verò in his, quæ ad sacra, & ad Reip. administrationem spectant, coloniæ omnes exemplum à *Romanâ* civitate petebant, sed etiam in ædificiis extruendis, quam maxime ad *Romanæ* magnitudinis speciem imitandam, & re, & nomine pari studio contendebant, ut nobis liquet ex *Tacito*, *Suetonio*, *Panvinio*, *Lipsio*, & *Rosino*, atque in primis ex libris clariss. *Velseri*; atque hinc, ut olim in coloniis theatra fuerunt, amphitheatra, capitolia, arcus, basilicæ, porticus, atque alia hujusmodi ædificia, ita illorum adhuc vestigia passim per *Europam* visuntur, sed nullibi plura, quam apud nos, unam excipio *Romam*. 51

D Multa Theatri nostri vestigia temporis injuriâ, & Barbarorum manu crudeliter disjecta, multique illius fornices *Veronæ* etiam nunc supersunt ad *Athesim*; Locus ipse inferior *Regasta* dicitur, ubi ad fluminis ripam, & in ipsius Theatri radicibus familiæ nostræ piscina sita est: supremum Arx Divi *Petri*: medium Jesuatorum Cœnobium, & horti privatorum occupant; multa marmorea frusta ex tantis ruinis apud me servantur, pleraque *Africana*, externa pene omnia; ex nostratibus verò quæ & varia, & copiosa sunt, nec minus pretiosa, fere nihil, usque adeo quæ magno pretio non importabantur, vilescebant. *Hercules*
E etiam bipedalis ad terram pronus, (oneri quippe ferendo olim collocatus,) ex ejusdem Theatri ruderibus pene integer ad me pervenit; item Satyrus umbilico tenus, brachiis, cruribus, & reliquâ corporis parte deficientibus, quodque omnium rarissimum est in *Italiâ*, capitulum columnæ angularis, *Ionico* genere, & tribus volutis distinctum, 52 præter alia multa, quæ in atrio mearum ædium servata, ut summam mihi patriæ dignitatem, & splendorem cum jucunditate in memoriam reducunt, ita omnium rerum vicissitudinis triste monumentum præbent.

Exstat itidem adhuc *Veronæ* Amphitheatrum pro-
F pius integro, exteriori tantum illius ambitu toto ferme collapso ex terræ motu anno Domini MCXVII. vix minimâ illius parte nunc superstite, quam Alam vocant, ut in eâ possimus tam gloriosæ molis magnificentiam contemplari. Hoc ipsum annis proxime præteritis operâ, & studio *Aurelii Prandini* J. C., & *Marci Veritatis Comitis* VV. Clariss., Reipubl. nostræ tunc Duumvirûm, adhærentibus ædificiis dejectis, & solo æquatis, quandam vetustæ majestatis speciem patefecit,

P. Palermus. B 2 pero-

peroratâ prius à me causâ publico nomine, ut à tantâ injuriâ vindicaretur, *Fabio Nichesola*, & *Lycurgo Spolverino* Jurisconsis clariss. itidem Duumviris.

Capitolii porrò nostri talis apud nos inscriptio adhuc visitur, eaque in ipso majori foro, non in aliquo editiore urbis loco, ubi olim capitolia exstruebantur, effossa: quam doctissimo *Velseri* calamo incuriâ nostrâ subductam vehementer doleo, ut enim *Beneventanum*, *Nolanum*, & alia non magni nominis coloniarum Capitolia commemorat, ita nostrum, quæ maxima illius est humanitas, nec silentio, nec sine laude præteriisset.

53 HORTANTE BEATITVDINE
TEMPORVM DDD. NNN.
GRATIANI VALENTINIANI
ET THEODOSII AVGGG.
STATVAM IN CAPITOLIO
DIV IACENTEM IN
[a] CEREBERRIMO FORI
LOCO CONSTITVI
IVSSIT VAL. PALLADIVS
V. C. CONS. VENET. ET HIST.

a ita re verâ legitur in ipso marmore.

Integri apud nos arcus nulli exstant, arcu *Gallieni* excepto, quem *Bursaream* portam appellant, at multorum, qui interiêre, vestigia adhuc supersunt, alterius scilicet à gente *Gaviâ L. Vitruvio LL. Cerdone* architecto extructi, alterius à *Tiberio Flavio Norico* IIII VIRO I. D. in cujus posticâ parte, quam nunc tonsoria officina cum ædibus adjunctis occupat, hæc inscriptio *Torelli Sarainæ* tempore legebatur,

P. VALERIVS
Q. CAECILIVS
Q. SERVILIVS.
P. CORNELIVS.

Quartum his adjicio, cujus adhuc exstat columna, cum capitulo, & modico fornicis fragmento superstite, & clave *Jovis Ammonis* cornuto capite notata, quæ medium supernè connectebat, visiturque in quadrivio prope ædes clariss. fratrum *Gentilis*, & *Aloysii* Comitum *Turrianorum*; ibi-
54 dem etiam jam quadriennium, dum à Fabro ferrario fundamenta domus jacerentur, multæ columnarum spiræ sub terrâ suo singulæ loco dispositæ repertæ sunt, nonnullæ itidem anno MDCI. in septo Judæorum in lucem prodiere, octonis & ipsæ pedibus sub solo, suoque ordine locatæ, nuper etiam in ipsis novis ædibus *Pompeji Peregrini* Equit. præstantiss. quas splendidiss. à solo extruxit (nam quæ vetustæ visebantur, nunc dejectæ, *Veritatis* familiæ fuerunt) nonnulla marmorearum columnarum fragmenta, & bases suis sedibus locatæ erutæ sunt, & in loco illis proximo alia similia marmora effossa, quæ omnia vel *Basilicæ* alicujus, (sunt enim prope forum, juxta quod illa statuit [b] *Vitruvius*) vel porticus reliquias fuisse literati omnes architecti pro certo affirmant. reperta etiam hoc anno fuerunt MDCIV, dum puteus effoditur, alterius arcus fundamenta affabre, & miro ordine composita in vico meo Divi *Thomæ*, quæ summâ cum antiquitatis injuriâ nullo resistente dejecta sunt, marmoribus inde extractis in apothecarum columnas, & vicinarum ædium fulcimenta conversis.

b lib. 5. cap. 1.

Vetus porticus quaterno columnarum striatarum ordine adhuc cernitur in eo vico, quod Mercatum novum appellant.

A Campus quoque *Martius*, ne quid deesset, quod *Romanam* civitatem in omnibus non referret, triplex apud nos est, vetusque nomen adhuc servat, primus intra Urbis mœnia, alter extra ipsa mœnia, *Scaligerorum* olim Principum, at nunc *Peregrinæ* clariss. familiæ amœnissimum suburbanum: tertius octavo ab urbe lapide, olim & ipse *Scaligeræ*, postea *Seraticæ* amplissimæ, nunc *Miniscalchæ*, aquis irriguis, saltu, & silvâ nobilis. 55 Primum juventuti ad exercitandam corporis, animique virtutem ludicris certaminibus patuisse credo, sicut etiam nunc patet, cæteros militibus in usum alendorum equorum; de tertio me dubitare non
B sinit vetustus *Enverardi* notarii liber manuscriptus *de divisionibus Paludis*, (is pagus prope Campum *Martium* postremum jacet) qui apud me servatur, conscriptus anno Domini MCXCIX. in quo inter cætera multarum familiarum nomina ex antiquissimis nostræ civitatis miro quodam fato conservantur, *Scaligeræ* scilicet, unde Principes prodiêre, *Veritatis*, *Masceæ*, *Moscardæ*, *Fontanellæ*, & aliarum multarum, meam quoque his adjicio, non quidem ut inani fastu tumefactus me ipsum ornem, atque amplificem, sed solum ne quam de meis majoribus mentionem probatissimus auctor fecit, eandem ego ingratâ dissimulatione præter-
C iens non magnifecisse videar. Nullus igitur sanæ mentis, quique *Romanarum* Coloniarum juris omnino non sit rudis, affirmabit, ut *Jovius* fecit, *Aquilejam* coloniam præstantiores Pontifices, & Flamines ante Christi natalem habuisse, quam *Comum*, quam *Veronam*, Colonias æqualis juris, neque ad hanc Provinciæ rationem veteres respexisse, cum sub *Aquilejensi* Præsule tam *Comensem*, quam *Veronensem*, & alios *Venetiæ*, & *Istriæ* constituerunt, repugnat enim ipsarum coloniarum jus, obstat historiæ fides.

Utriusque vero etiam Provinciæ ratio, *Transpadanæ* scilicet *Italiæ*, & *Venetiæ*, Plinii tempo-
D re servata *Jovii* lapsum facile ostendit, non enim 56 tunc temporis utraque simul ab uno Prætore, seu Proconsule, ut olim ante *Augustam Italiæ* divisionem, regebatur, sed singulæ seorsum à diversis Consularibus, & Prætoriis, ut supra latius probavi, & ideo utcumque Ecclesiastici Antistites in his Provinciis à principio constituti fuerint, eos sane post *Augusti* divisionem ortum habuisse certissimum est, Christo præsertim annis XXVIII. post *Actiacam* victoriam nato. si igitur qui illos à principio instituerunt, aliquam Provinciæ rationem secuti sunt, atque eam fortasse, quam
E tradit [c] *Anacletus* à *Gratiano* citatus, & quam *Wolfgangus Lazius* videtur innuere [d], ubi de *Antiochenâ* Sede, & ubi de *Constantinopolitanâ* loquitur, adhuc indubitatum est, aliâ ratione Episcopos *Transpadanæ Italiæ*, in quâ *Comum*, aliâ *Venetiæ*, in quâ *Verona*, & *Aquileja*, suam dignitatem obtinuisse.

c distinct. 97. cap. 1.
d lib. 2.

Hæc omnia, quæ ab annalium *Romanorum* cognitione pendent, ut nullâ prorsus excusatione *Jovium*, & *Paravicinum* dignos reddunt, ita vulgata *Aquilejensis* Ecclesiæ historia, quam in primis ex *Pelagii* Pontificis epistolis *Baronius* probat, apertissimi, ne dicam supini erroris, utrumque arguit. Neque enim in ipsis Christianæ Ecclesiæ
F primordiis *Aquilejensis* Patriarcha constitutus est cum eo jure, quod nunc in subjectos Episcopos exercet, ut male credit *Jovius*, sed serius, & circa annum Domini DLVIII, *Justiniani* Principis annis supremis, vel potius *Alboini Langobardorum* in *Italiâ* Regis tempore, anno DLXX, ut tradit [e] *Baronius*: Orto enim in Ecclesiâ schi- 57 smate, *Liguriæ*, *Venetiæ*, & *Istriæ* Episcopis *Pelagio* Summo Pontifici parere recusantibus, *Paulinus* Aquilejensis Episcopus, qui cæteros auctoritate anteibat, Archiepiscopus sacratus est ab *Ho-*

e in annal. Eccles. hujus anni.

Honorato Mediolanensi contra morem majorum, ut ait [a] *Sigonius*, Patriarchaque ab eis nuncupatus, & omnibus, qui à *Romanæ* Sedis obedientiâ descivissent, supremus Antistes loco *Romani* Pontificis constitutus, ut idem *Baronius* testatur, Patriarchalem is titulum primus omnium, ac jurisdictionem ad successores transmisit, factum deinde *Romanis* Pontificibus approbantibus, *Italiæ* rebus, atque Ecclesiæ variis tempestatum procellis nimium postea, longoque tempore jactatæ, ita suadentibus.

a lib. 20. de occid. Imp.

CAPUT VI.

NEC me etiam movet, quod *Hermolaus Barbarus* (quem nobis *Jovius*, & *Paravicinus* in primis objiciunt) a quibusdam legi apud *Plinium* asserit (*congerronem meum*) loco dictionis (*Conterraneum meum*) nullo enim codice, nec manuscripto, nec adhuc impresso, ista lectio adjuvatur, atque ideo à *Becichemo* damnatur, & communi etiam literatorum calculo rejicitur; non enim hoc fugisset aut *Henricum Glareanum*, aut *Jacobum Daleoampium* Medicum *Cadumensem* clarissimum, sicubi apud *Plinium* extitisset; cujus auspiciis, & operâ *Plinius* noster nitidissimus, & ab omni errorum labe purgatissimus in lucem prodiit
58 *Francofurti* anno Domini MDIC, nec etiam latuisset viros illos insignes, quorum studio, & doctrinâ ante supremum *Dalecampii* conatum idem *Plinius* emendatissimus emersit, *Petri Santandreani* typis anno MDLXXXII. Quinimo lectionem hanc nullâ ratione sustineri posse existimo; quid enim est aliud concerro, sive congerro, quam is, cum quo nugamur, & ineptias facimus? Gerræ sane, unde verbum hoc derivatur, nihil aliud sunt, quàm nugæ, & ineptiæ leves, ut docet *Pompejus* [b] *Festus*, & *Nonius* [c] *Marcellus*, ac post eum [d] *Grapaldus*, cerrones etiam inde dictos asserit *Festus*, unde concerrones, & congerrones emanarunt, vocabulum longe antiquum, & uni [e] *Plauto*, quod sciam, notum, & congeras, quòd crebrò coëant, sodales A dictos fuisse probat [f] *Scaliger*. At quas nugas, & ineptias (age etiam fabulas, & jocos) inter *Catullum*, & *Plinium* intercessisse credendum est, si sæculum integrum post *Catullum Plinius* floruit? Quod si ideo quispiam *Catullum* à *Plinio* concerronem, seu congerronem dictum fuisse contendat, quòd illius assiduâ lectione oblectaretur, animosâ nimium translatione vocabulum hoc à sua proprietate deflectet, nec moribus fortasse conveniet veteris disciplinæ hominis, severique supercilii, sed temporis in primis supra omnes parcissimi, nimiam jocosi, & procacis Poëtæ consuetudinem ostentare, eamque B vocabulo ad contemptum magis, quàm ad jocum comparato, posteris indicare. si vero etiam Congerrones hi sunt, qui aliena ad se congregant, unde apud *Romanos* Brutiani *Gerones* dicti sunt, ut inquit [g] *Fulgentius*, adhuc apud *Pinium* nihil efficeret ista dictio: Conterraneum etiam in qui- 59
busdam exemplaribus aliquando à se lectum *Barbarus* tradit, corruptâ quidem dictione, verum ita tamen, ut ad germanam, & ab omnibus, approbatam, quam proxime accedat. Postremo tentatis omnibus, sed frustra semper, remediis, ut qui deploratâ valetudine oppressi nullum recusant, fatetur tandem *Jovius*, (tanta vis est veritatis, vel C potius necessitatis) fatetur etiam *Paravicinus*, CONTERRANEI vocabulo unius diœcesis homines, & territorii tantum contineri; cæterum cum eâ ratione id efficiant, ut *Catulli* originem in *Comenses* transferant, ne verbum hoc temere, & nequidquam *Pliniano* è calamo excidisse videatur, dictitantes illum *Valeriâ* gente ortum, quæ *Comensis* olim fuit, ita lapidibus apud eos nuper repertis indicantibus; necesse est ut homines devios, & vanissimo errore deceptos in rectum *Romanæ* historiæ callem, à quo longe videntur deflexisse, reducamus, atque ita dum de *Plinio* cive suis *Veronensibus* asserendo tractatio D nobis est, *Catullum* interea eisdem, vel eripi inique, vel illius originem falso *Comensibus* adscribi non patiamur.

b in verbo Gerræ.
c in verbo Gerræ.
d in epist. dedicat. ad lib. de part. ædium.
e in Mostellar. & in Truculent.
f apud Festum in verbo sodalis.

60

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.



UT multa sunt, quibus castrense *Plinii* vocabulum *Comenses*, Hermolao Barbaro suasore, & auctore circumveniebant, & ad transfugium, iniquamque transitionem sollicitabant, ita mihi paucis non erat agendum, ut juratam pro nobis dictionem à tam violentis conatibus assererem, & intra sua castra, hoc est intra nostrum vallum, continerem; quo circa excusatus satis ero, si, præter instituti mei rationem, totus mihi liber, & justo pene longior fortasse excidit, dum tantis *Comensium* paratibus obsisto; neque enim sane graviorem pugnam memini me unquam subiisse, nec quæ magis ab adversariis fuerit ab omni parte restaurata, at nec immerito quidem; maximam enim victoriæ spem constitutam videbant in hujus vocabuli propriâ significatione eruendâ; itaque omnia quæcunque ad illius originem, formationem, derivationem, ac demum definitionem spectabant, mihi necesse fuit longâ explanatione
61 aperire, ac demum quam plurimis doctorum virorum testimoniis singula confirmare; ne vel sine ratione loqui videremur, (quod est fatuorum,) vel sine idoneis, & legitimis testibus (quod esset arrogantis ingenii, nimiumque sibi tribuentis) causam nostram ageremus. Nunc venio ad gen- E tem *Valeriam Comensem*, ad quam *Catulli* originem acutissimi *Comenses* referunt, ut illum *Plinii* non sui conterraneum efficiant, & utrumque *Comensem*. Comi *Valeriam* gentem olim fuisse, *Jovius*, & *Paravicinus* prædicant, lapidibus postremo apud eos è solo erutis id indicantibus; quibus ego quoque assentior, licet illorum inscriptiones nondum legerim; ne tantorum virorum fides apud me dubia in hoc esse videatur: sed ab istâ gente *Catullum* originem duxisse, & *Plinium* ad eam intendisse, cum illum Conterraneum suum vocavit, neque verum est, neque ulla veritatis specie niti potest; quamvis autem illis non F defuerit *Comensis* testis, (quem miror etiam juratum illis non accessisse, ut olim [g] *Julius Proculus* Romuli, & [h] *Numerius Atticus* Augusti divinitatis falsi, & perjuri asseveratores extitere) nihil tamen efficiunt, nec ideo minus sibi falso blandiuntur: subjiciam istius carmina, ac mox illorum errorem coarguam.

Tu claris fœcunda viris, te matre Catullus
Gaudet, te matrem Plinius omnis habet;
Mitto Cæcilios, & Rufæ insignia gentis,
Atque alios, quos est longa referre mora.

g Liv. lib. 1.
h Dio. lib. 56. in fine.

Horum carminum auctorem *Cæcilium* Paravi-
cinus facit, illum nimirum *Comensem* Catulli fa-
62 miliarem, qui sæculum integrum ante majorem
Plinium, & longius ævi spatium ante posterio-
rem floruit, unde non nisi divinâ quadam men-
te, & fatidicâ, futurorumque præsciâ, utrum-
que *Plinium* prævidere, & celebrare potuit,
[a] *tantum mortalia pectora cæcæ Noctis habent.*
At verò eundem nos versificatorem aliquem è
posterioribus fuisse credimus, ita illius carmi-
num notâ indicante, ex quibus nulla *Veneris*,
nulla *Romanæ* elegantiæ, leporisve aura naribus
legentium spirat, sed stilo enervi, & fluenti fe-
runtur, quali pleraque omnia posteriorum; ubi
verò inter *Comenses* familias *Rufam* commemo-
rat, & illius insignia, tunc vere se nec valde
eruditum, nec antiquum aperte testatur: etenim
nunquam (*Rufus*) nomen alicujus familiæ pro-
prium fuit, sed multarum cognomen tantùm,
à capillorum colore tractum, *Cordiæ* scilicet,
Farsulejæ, *Sulpiciæ*, *Virginiæ*, & aliarum mul-
tarum inter *Romanas*, *Corneliæ* vero, & *Lætiliæ*
inter *Veronenses*; non inficior tamen, quin &
Rufa gens dici possit Latine, & sine historiæ
offensione, quando unius tantum familiæ, non
multarum cognomini inserviret, ita enim & *Pli-
nius* gentem *Lepidam* vocavit, idest *Æmiliam*,
quæ sola *Lepidorum* cognomento utebatur, &
gentem *Galbam* [b] Volaterranus, pro *Sulpicia*,
quia *Galbarum* cognomen proprium *Sulpiciæ* gen-
tis fuit, male tamen illi prænomine *Sergiorum*
apposito, pro *Serviorum*, hoc enim proprium
prænomen *Sulpiciorum* fuit, ut *Sergius* proprium
est familiæ nomen, ex quâ *L. Sergius Catilina*,
& alii, à *Sergesto Trojano* Æneæ comite dedu-
ctæ, ut tradit [c] *Vergilius*; at quæ nam sunt ista
insignia gentis *Rufæ*? si tantum *Federici primi*
63 Imp. ævo familiarum insignia, quibus nunc uti-
mur, perpetua successione in *Italiâ* gentilitia es-
se cœperunt, ut tradit *Petrus* [d] *Gritius Æsinas*?
verum utcumque se habeant ista carmina cum
suo auctore, hoc profectò in comperto est, ex
eis non apparere, quo spectent, neque enim
magis ad *Comum* diriguntur, ut credit *Paravi-
cinus*, quam ad *Veronam*, (cui rectius fortasse
conveniunt,) veram *Catulli* patriam, *Plinii* iti-
dem Superioris naturâ, ut *Plinii* minoris civili
jure adoptionis, in qua *Cæcilia* gens, & *Ruforum*
cognomina multarum familiarum antiquitus ex-
titere. Verum esto, quòd *Valeria* gens inter
Comenses aliquando fuerit relata, non ideo ta-
men sequitur, ut *Catullus* ex illâ ortus, aucto-
res suos *Comenses* habuerit; nullo præsertim te-
stimonio, unde hoc probetur, exstante; cur e-
nim magis ab illâ *Romanâ* patriâ, à *Sabinis* o-
riundâ, *Acisculorum*, *Flaccorum*, *Messalarum*,
Poplicolarum, & aliis cognominibus distinctâ,
quàm à suâ Comensi *Catullum* non deducunt? an
forte quia inter *Romanas* nulla unquàm exstitit *Ca-
tullorum*? at nec inter *Comenses*, quod sciam, cur
igitur in re tam incertâ hoc pro certo audet *Pa-
ravicinus* affirmare? usque eo scribendo prolapsus,
ut asserere etiam non vereatur, ex isto suo argu-
mento meliore forsan jure *Comenses* Catullum,
quàm *Veronenses* Plinium suum sibi civem vindica-
re. Verum ego illis jam jam *Catullum Veronen-
sem* ostendam, simulque *Valeriam* gentem viro-
rum numero amplissimam, & variis cognomini-
bus notatam, *Clementium* scilicet *Crispinorum*, *Fe-
storum*, *Montanorum*, *Severorum*, *Trophimorum*-
que, addo etiam *Coxsinorum*, apud nos olim fuis-
se, nostrorum lapidum fide, & auctoritate demon-
strabo.
64 *Catullus* igitur, ut ab illo exordiar, *Sirmionem*
larem suum vocat, seque illius herum dicit, (est

[a] Ovid. lib. 6. Metam.
[b] lib. 6. anthropol.
[c] lib. 5. Æneid.
[d] lib. cui titulus Castellio: sive de insignibus nobilitatis.

A autem *Sirmio*, ut omnes conveniunt, peninsula
cum oppido ad littus *Benaci* in agro *Veronensi* quin-
todecimo ab Urbe lapide) ex quo facilè conjice-
re possumus, *Veronensem* illum fuisse; quod etiam
aperte innuit in elegiâ ad Januam impudicæ mu-
lieris ibi,

Brixia Veronæ mater amata meæ.

Catullus porrò *Veronam* alibi *Cæcilium* Poëtam
ad se *Como* accersit; & in elegiâ ad Mallium,
Veronæ se esse scribit librorum copiâ destitutum,
& *Cœlium*, *Quinctium*que *Veronensium* juvenum
florem alibi appellat; quod si adhuc *Paravicini*
B animus in dubio versatur, audiat veteres, po-
sterioresque scriptores hoc ipsum clarius testan-
tes. [e] *Ovidium*que ante alios, ibi:

Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo,
Pelignæ dicar gloria gentis ego.

[f] Martialis itidem ter expresse, bis tacite hoc i-
dem tradit; expresse ibi:

Nec sua plus tenui debet Verona Catullo,
Meque velit dici non minus illa suum.

[g] Item ibi:

Tantum magna suo debet Verona Catullo;
Quantum parva suo Mantua Vergilio.

C Ita enim legendum est, non parva *Verona*, ma-
gna *Mantua*, (ut legitur in quibusdam codici-
bus,) [h] *Strabone* id nobis suadente, qui *Veronam* 65
longe ampliorem *Mantuâ* suo tempore fuisse scri-
bit *Augusto* imperante, & sub *Tiberio*, [i] taci-
te ibi:

Verona docti syllabas amat Vatis,
Marone felix Mantua est.

Item ad [k] *Maximum* de Columba Stellæ, ibi:

Stellæ delicium mei columba,
Veronâ licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli.

D Doctum Vatem *Catullum* intelligens; quo co-
gnomine ab antiquis poëta noster designatus
est, quibus & posteriores assenserunt, ita enim
illum [l] *Ovidius* appellat in elegiâ, quâ *Tibulli*
mortem deflet his verbis:

Obvius huic venies hedera juvenilia cinctus
Tempora cam Calvo, docte Catulle, tuo.

Et *Sannazarius* in epigrammate ad *Jovianum Pon-
tanum* de *Catullo* ab eo restituto:

Doctus ab Elysia redeat si valle Catullus,
Et trahat ingratos Lesbia sola choros.

Marullus [m] etiam in epigrammate de comâ *Be-*
E *renices* adversus *Politianum*, & [n] *Scaliger* Pater
vir clariss. & omnium sui sæculi doctissimus,
idem testantur. Inter posteriores verò adeo
trita, & vulgata est ista sententia, inter quos
eminent [o] *Franciscus Petrarcha*, & *Petrus* [p] *Cri-
nitus*, ut valde mirer *Paravicinum* tantæ erudi-
tionis virum illam in dubium revocasse. Omit-
tere etiam consultò volebam *Plinii* nostri te-
stimonium, qui in eo [q] loco, ubi *Mamurræ*
Formiani Catulli carminibus proscissi meminit,
prout etiam *Cigalinus* monet, *Veronensem* illum
apertè nominat, ne illos honesto rubore per-
F funderem, qui sine ipso *Plinio* de *Plinii* patriâ
scribunt, sed nefas esse duxi tanti viri testimo-
nium subticere; Verba Plinii sunt. *Hic nam-* 66
*que est Mamurra Catulli Veronensis carminibus pro-
scissus.*

Alter *Paravicini* lapsus, & aliorum *Comensium*
nihilò levior, ille est, ubi *Catullum* à *Plinio* ju-
niore suum vocatum fuisse dicunt, [r] in epistolâ
ad *Falconem*, ut illius originem in suos *Comen-
ses* nulla prorsus omissâ injuriâ transferrent, non
videntes *Catullum* in eâ epistolâ non à *Plinio*
suum

[e] eleg. ult. lib. 3. amor.
[f] epigr. 103. lib. 10.
[g] epigr. 195. lib. 14.
[h] lib. 5.
[i] epigr. 29. lib. 1.
[k] epigr. 8. lib. 1.
[l] eleg. 8. lib. 3. amor.
[m] citatus à M. Ant. Mureto in comment. Catull.
[n] lib. 6. cap. 7. Poët.
[o] epistola 3. lib. 11. rerum senil.
[p] cap. 37. lib. 2. de Poët. lat.
[q] cap. 6. lib. 36.
[r] epist. 26. lib. 4.

suum vocari, sed à *Sentio Augurino*, Poëtâ illius A temporis non ignobili, *Catulli* vero in primis rarissimo imitatore, quod etiam ante me [a] *Crinitus* observavit, licet illum *Sentium Augurem*, pro *Augurino* appellet.

[a] cap. 27. lib. 2. de Poët. lat.

CAPUT II.

AT quanta fuerit apud nos priscis temporibus *Valeria* familia, docent infrascripta monumenta, quorum pars à *Torello Sarainâ* refertur, nonnulla vero à me etiam fuerunt observata.

B

Extra portam Divi Georgii in Valle dominicâ.

P. VALERIVS SP. F.
MONTANVS
VIVVS FECIT SIBI ET
SPVRIAE DOMITIAE
MATRI
ET PATRI HILARIONI
ET SVIS.

C

In Pago Portu.

GAVIA C. F.
RVLLA
VIVA SIBI FECIT ET
M. VALERIO CRISPINO
FILIO
Ɔ LEG. VII.

---

67 *Fumanis.*

C. VALERIVS
CLEMENS.

D

Veronæ in parte postica Arcus in vico Leonum.

P. VALERIVS
Q. CAECILIVS
Q. SERVILIVS
P. CORNELIVS.

E

Veronæ in vestibulo templi Trinitatis.

D. M.
ARRVNTIAE
FELICITATI
C. VALERIVS.

reliquum ostii limine superædificato delitescit.

Veronæ in templo Divi Proculi.

. . . . L. F.
MAXIMAE ET
C. VALERIO L. F.
FESTO
C. VALERIVS.

F

Lavanei in pariete ædiculæ ad montis radices sitæ.

I. O. M.

porcus infulatus

P. FALERIVS P. F. COS.

Prope Benacum.

D. S.
HERCVLI
ET IVNONIBVS
AVG.
C. VALERIVS.
SEVERVS
ET CLODIA CORNE-
LIANA
PRO L. VALERIO
CORNELIANO
V. S. L. M.

In æde D. Georgii vallis Pulicellæ.

. . . .
L. VALERIVS
. . . . .

Pontoni in hortis V. clariss. Cæsaris Nichesolæ Fabii J. C. clariss. F.

L. VALERIVS L. F.
COXSINVS.

Ibidem.

PARCIS AVG.
P. FALERIVS
TROPHIMVS
ORNAMENTIS
DECVRIONALIB.
REST. OR. R. VER.

Nec miretur quispiam has duas postremas inscriptiones ad gentem *Valeriam* à me referri, cum magis ad *Faleriam* pertinere videantur, quoniam veteres frequenter usi sunt littera F pro V, sive propter quandam, quæ inter utriusque sonum est, affinitatem, sive, quod est verius, quia nullam syllabam litterâ vocali geminatâ constituebant, *Donato* auctore, sed ejus loco, quæ consonans effici debuisset, digamma *Æolico*, idest littera F utebatur, hinc illa antiqua exempla emanarunt, *DaFus*, *serFus*, *Fulgus*, & similia pro *Davus*, *servus*, *vulgus*, [b] Quinctiliani, & [c] Huberti Goltzii testimonio annuente. hinc etiam illud in antiquis epitaphiis frequentissimum *FiFens fecit*, pro *vivens*, & *Fixit* pro *vixit*; quod etiam inversa litera Ⅎ aliquando factitatum fuisse video, unicum sufficiet exemplum *Camertis* inscriptionis pro multis, quas possem referre, quod est perelegans, & vetustissimum, referturque à *Petro Appiano*. 68

[b] lib. 1. cap. 4. & 7.

[c] in explicat. literæ F in Thesaur. rei antiq. & in Indice grammatic. fol. 179.

Ɔ. TIBVLLA
C. SEMPRONI F. L. NEP.
INFERNO PLOTONI
TRICORPORI OXSORI
CAR. PROSERPINAE
MVNVS MECVM FERENS
DAMNATAM DEDO ANIMAM
ℲIℲAM HOC ME CONDO
MONIMENTO
NE OBRVTIS DOMVS LAPSV
FILIS SEX
QVOS P. SCIPIO PATRIIS COMERTIE
A SALO, ET LYBIA INCOLVMES
RESTITVERAT
INDESOLATA ORBITATE SVPERSIM
MISERA
ℲIX ANN. XXXX. M. I. D. VI.
HOR. SCIT NEMO.

Ipsam etiam *Lavaniensem* inscriptionem, cujus men- 69

mentio supra habita est, & vetustissimam esse credo (hoc enim & lapis ipse confractus indicat,) & ad *P. Valerium Flaccum* Consulem pertinere, qui Consulatùm gessit cum *M. Atilio Regulo* collega anno U. C. DXXVII, majoremque fidem marmoreæ inscriptioni habendam esse censeo, in qua P. F. describitur, quam fastis *Verrii Flacci*, & aliis hucusque editis, in quibus per errorem L. F. vocatur. Notam porro fœderis inter *Romanos*, & *Venetos* icti in eo sculptam esse conjicio, belli *Gallici Cisalpini* motibus jam tum plusquam antea gliscentibus; multa sunt quæ mihi hoc persuadent; Porca, seu porcus infulatus sacrificio addictus, hunc enim qui fœdus inter se percutiebant, mactare consueverunt, [a] *Varrone*, [b] *Vergilio*, & [c] *Tranquillo* testibus, sic enim Varro. *Quod initiis Cereris porci immolentur, & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur.* illud porro Vergilii vulgatissimum est.

a lib. 2. cap. 4. de re rust.
b lib. 8. Æneid.
c cap. 25. in Claud.

Et cæsâ mactabant fœdera porcâ.

Tranquillus vero à *Claudio* fœdus ictum in foro cum Regibus tradit, *Porcâ cæsâ, & vetere fæcialium præfatione adhibitâ*, quibus accedit [d] Pompejus Festus his verbis. *Porci*, inquit, *effigies inter militaria signa locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæsâ porcâ fœdus firmari solebat*; illæ itidem tres litteræ in superiore parte lapidis notatæ hoc idem ostendunt I. O. M. videlicet *Jovi Optimo Maximo*, etenim illius numen à *Fæciali* peracto fœdere invocabatur, ut docet [e] *Livius* in præclara, & antiquissima illa formula, cujus etiam meminit [f] *Brissonius*, qua fœdus ictum à *Tullo Hostilio* cum *Albanis* describit. *Audi*, inquit, *Jupiter*,

d in verbo Porcus.
e lib. 1.
f lib. 4.

70 *audi Pater patrate Populi Albani, audi tu Populus Albanus, ut illa palam prima postrema ex illis tabulis, cerave recitata sunt, sine dolo malo utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus Pop. Romanus prior non deficiet, si prior defexit, publico consilio, dolo malo, tu illo die Jupiter Populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque, id ubi dixit, porcum saxo silice percussit.* Hac etiam conjectura ductus hoc magis mihi persuadeo, nam *Veneti* ante *Hannibalis* in *Italiam* adventum in societatem, & amicitiam *Romanorum* concesserant, ut docet [g] *Polybius*, nec umquam ab eis postea bello petiti, victi, aut subacti sunt, sed fidem semel datam castissime semper coluerunt, teste [h] *Sigonio*.

g lib. 2.
h lib. 12. c. 25. de ant. jure Ital.

Verum & ampliorem Veronæ *Valeriam* gentem fuisse, quam ex præcitatis lapidibus colligitur, nos monent alia vetusta, quæ apud nos servantur, documenta, in quibus fœminarum nomina ex eadem gente notata sunt, nec dubium hoc argumentum; est enim certissimum, antiquos, ac præsertim *Romanæ* Reip. tempore, & adhuc florente imperio, fœminarum suarum nomina ex ipso familiæ cujusque nomine petere solitos, ac derivare; auctores sunt *Dionysius Halicarnasseus*, *Livius*, *Plutarchus*, *Franciscus Robortellus*, *Antonius Augustinus*, *Panvinius*, *Sigonius*, & alii; usus denique hoc probat nulli literatorum ignotus, hinc omnes ex Corneliâ *Corneliæ*, ex Sculpicia *Sulpiciæ* dicebantur, ex Domitiâ, Serviliâ, Octaviâ, Juliâ, *Domitiæ*, *Serviliæ*, *Octaviæ*, *Juliæ*. Prænomine distinguebantur, raro tamen, at in primis ævo superiore, ut *Caja*, *Lucia*, *Mania*, *Numeria*, cognomine utroque tempore,
71 quod arbitrio parentum, & ex eventibus ut plurimum filiabus accedebat, ut *Severa*, *Festa*, *Hilara*, ex ordine etiam natalis earum, ut *Prima*, *Secunda*, *Tertia*, *Quarta*: quod etiam in

A maribus fuit observatum: quandoque verò ex ipsâ etiam familiâ cognomen fœminæ sumebant, ut in *Cæciliâ Metellâ* vidimus, *Q. Cæcilii Metelli Cretici* filiâ, & uxore *M. Crassi*, cujus adhuc sepulcrum pene integrum, extra *Romæ* muros in viâ *Appiâ* cernitur cum hac inscriptione.

CAECILIAE
Q. CRETICI F.
METELLAE
CRASSI.

B Sepulcrales porro lapides, in quibus Fœminarum *Valeriæ* gentis mentio est, quique apud nos servantur, hi sunt.

Veronæ ad D. Clementis, cujus etiam meminit [i] *Manutius.*

i lib. de ortograph. in verbo Mæcius.

DIS MANIBVS
ET MEMORIAE VALERIAE
VALERIANAE
C. MAECIVS ATILIANVS
VXORI
ET MAECI FRONTO ET
ATILIANA
MATRI.

C

Veronæ in area ante Basilicam D. Zenonis.

VALERIAE
C. F. MAXIMAE
HERENNIA P. F. AVGVRINA
FILIAE PIISSIMAE
ET SIBI

D

Veronæ prope portam novam ante ostium fullonis.

. . . .
. . . . LERIAE LL. L. GALLAE
. . . . MENTO
. . . . IVSS.

Pontoni in hortis Nichesoliis.

CALPVRNIA
L. F. PRISCA
SIBI ET
L. CALPVRNIO
QVADRATO PATRI
VALERIAE C. F.
SECVNDAE MATRI
L. CALPVRNIO
PVDENTI FRATRI
IIIIII. AVG.

E

Hucusque vidimus *Valeriam* gentem, *Comensibus* ita testantibus, *Comi* olim fuisse, eandem verò etiam *Veronæ* antiquitus floruisse tam immenso lapidum nostrorum numero docti sumus, sed adhuc in incerto est, an nostra *Veronensis* ab illa *Comensi* pendeat, an vero illa potius à nostra effluxerit; verum levis dubitationis facilis est resolutio: aut enim cognomina utriusque, quibus olim familiæ distinguebantur, inter se conveniunt, & tunc utramque unam eandemque fuisse facile credemus, sin minus, negabimus; quis est enim vel mediocriter tantum literatus, qui ignoret multas *Romani* nominis familias passim per totam *Europam*, quocumque *Romana* potentia penetravit, reperiri, omnes tamen inter se diversas? quâque ratione apud nos olim exstiterunt infrascriptæ, 72

F

quæ

quæ in noſtris inſcriptionibus adhuc ſuperſunt, præter alias vetuſtate, & oblivione deletas,

Annia	*Julia*
Aquillia	*Lælia*
Arria	*Licinia*
Atilia	*Livia*
Attia	*Marcia*
Aurelia	*Nonia*
Cæcilia	*Octavia*
Calpurnia	*Petronia*
Caſſia	*Pomponia*
Claudia, & *Clodia*	*Porcia*
Cœlia	*Poſtumia*
Cornelia	*Quinctia*
Curtia	*Quinctilia*
Didia	*Servilia*
Domitia	*Statia*
Flavia	*Terentia*
Fulvia	*Tituria*
Furia	*Turpilia*
Herennia	*Valeria*
Hoſtilia	*Vibia*.

Eâdem ratione apud alios etiam inveniri poſſunt, nec tamen *Romanæ*, nec eædem, niſi quatenus cognomine inter ſe non differant, ſed penitus diverſæ. unde autem id acciderit, nunc, quando ita res exigit, breviter aperiam.

73

CAPUT III.

NOVI, & alieni nominis aſſumptio multis de cauſis apud antiquos olim contingebat, vel enim manumiſſionis, vel adoptionis jure, ſive etiam privatæ clientelæ, ſervi libertate donati, adoptivi, clienteſque, ſuorum patronorum, parentumque adoptantium familiis inſerebantur, & illorum nomina ſumebant, diverſâ tamen quiſque ratione, quoniam liberti patronorum quidem prænomen, & ipſum illius familiæ nomen geſtabant, cognomen vero nunquam, ſed illius loco proprium nomen retinebant: at qui civitatem *Romanam* alicujus *Romani* civis beneficio adepti fuiſſent, illius clientes efficiebantur, & ad inſtar manumiſſorum, libertate illi, civitate iſti acceptâ ejuſdem prænomine, & nomine familiæ utebantur, adoptivi verò etiam cognomine, ſuo tantum nomine non nihil immutato; ſingula ſuis exemplis probanda, licet apud doctos nulla egeant probatione. Omnes *Marci Tullii Ciceronis* liberti *Marci Tullii* & ipſi dicti ſunt, at nullus *Cicero*, ſed quod illis prius erat nomen, in cognomen tranſiit; Hinc *Marci Tullii Tironis*, & *M. Tullii Laureæ* nomen (fuit enim uterque longè eruditus, & à libris) apud ſcriptores legitur. *Laureæ* carmina à [a] *Plinio* potiſſimùm probantur, tamquam digna tanti viri liberto, cujus etiam extat pervenuſtum epigramma græcum in [b] *Sappho*. hoc idem paſſim Latinæ inſcriptiones hâc nota L, quæ libertum, libertamve ſignificat, indicant, quarum tantus apud nos eſt numerus, quantus vix in totâ *Româ*, ut vel hinc intelligas majores noſtros humaniſſimos ſemper, & in ſuorum ſervorum libertatem pronos fuiſſe: tria tantum ſubjiciam exempla, cæteris quamplurimis prætermiſſis.

[a] lib. 31. c. 2.
[b] lib. 3. Flori.

74 *Veronæ in Arcu gentis Gaviæ propè caſtrum vetus.*

L. VITRVVIVS L. L.
CERDO
ARCHITECTVS.

Veronæ in æde D. Sylveſtri.

L. CASSIVS L. L.
IANVARIVS
&c.

A *Gardæ ad litus Benaci.*

D. M.
SEX. NAVINIVS
SEX. L.
APOLLONIVS. &c.

Ex quibus *Cerdonem* L. Vitruvii, *Januarium* L. Caſſii, & *Apollonium* Sex. Navinii prius ſervos agnoſcimus, libertate verò poſtea ab eis donatos, patronorum nominibus notatos videmus, quæ omnia in his etiam, qui à patronâ fœminâ manumiſſi eſſent, ſervabantur, ut docent hæ duæ noſtræ inſcriptiones.

B *Veronæ in arce D. Petri.*

C. CORNELIO Ɔ. L.
MONTANO.

Veronæ in vico D. Andreæ.

OCTAVIA Ɔ. L.
HILARA &c.

Neque enim dubium eſt literam illam C. hoc modo inverſam Ɔ *Cajæ* prænomen præ ſe ferre [c] *Quinctiliano*, *Antonio* [d] *Auguſtino*, & [e] *Huberto Goltzio* teſtibus.

C Filios porrò adoptivos in parentum familiam tranſiviſſe eorum nominibus unà cum cognomine ſuſceptis, ſuæ tantùm familiæ nomine retento, ſed non nihil immutato, nulli dubium eſt; præſertimque Reip. tempore, in cujus rei teſtimonium *Auguſti* tantùm exemplum nobis ſufficiat: is enim *C. Octavio* genitus *C. Octavius* dicebatur, verum à *C. Julio Cæſare* poſtea adoptatus 75 *C. Julius Cæſar Octavianus* dictus eſt, cui deinde *Auguſti* cognomen acceſſit, auctore Senatu, quod majeſtatem quandam, & venerationem hominis naturâ ampliorem continet, ut docet [f] *Dio*, vel illud à ſe ipſo induit, ut ait [g] *Florus*, non propter auctum imperium, ut olim credidit [h] *Accurſius*, [i] Ovidio fortaſſe ſuadente: *Auguſtum* enim vocamus, quod honore digniſſimum, & D ſanctiſſimum eſt, quodque Σεβαςὸν Græci vocant, quaſi venerandum, ita paſſim *Cæcilianos*, *Æmilianos*, *Plætorianos*que, & alia hujuſmodi nomina apud hiſtoricos, & in numis antiquis legimus, è *Cæciliâ* quippe gente, *Æmiliâ*, & *Plætoriâ* in alienas familias per adoptionem inſertos. Ita *C. Plinium* nepotem *L. Cæcilii* filium fuiſſe novimus, qui tamen ab avunculo *C. Plinio Secundo* adoptatus *C. Plinius Secundus Cæcilius* & ipſe dictus eſt, veteri illâ conſuetudine jam antiquatâ, cum magis *Cæcilianus* dici debuiſſet, prout illum nominat *Scaliger* filius, & alii doctiſſimi auctores.

E Eâdem & municipes ratione, vel externarum coloniarum cives, quicumque civitatem *Romanam* alicujus *Romani* civis beneficio accepiſſent, illius privati clientes efficiebantur, & prænomen ejuſdem cùm nomine ſumebant. Horum meminit [k] *Cicero*, [l] *Cæſar*, [m] *Plutarchus*, [n] *A. Gellius*, & [o] *Proculus* J. C. & omnium noviſſimus, [p] *Budæus*. [q] Cicero ad Acilium ſcribens; *Cum Demetrio*, inquit, *Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt*, *familiaritas autem tanta*, *quanta cùm Siculo nullo*; *ei Dolabella rogatu meo civitatem à Cæſare impetravit*, *quâ in re ego interfui*, *itaque nunc P. Cor-* F *nelius vocatur* (Dolabellam enim è gente *Corneliâ*, 76 & *Publium* vocatum, vel lippis, & cæcis liquet.) Idem [r] alibi *Cn. Pompejum Theodorum*, & *Sex. Pompejum Chlorum* nominat, ambos *Siculos*, quorum alter *Cn. Pompeji* Patris beneficio, alter *Sex. Pompeji* filii civitate fuerat donatus; ab eodem quoque [s] *Q. Cæcilium Dionem Haleſinum* ideo vocatum intelligimus, quod is *Q. Cæcilii Metelli* operâ inter *Romanos* cives relatus fuerat, & *Q. Lutatium Diodorum*, quod *Q. Lutatii Catuli* ſtudio *Romanam* civitatem à *L. Sylla* fuerat conſecutus, [t] *Cæſar* verò de Valerio Procilio ita inquit. *Commu-*

[c] lib. 2. cap. 7. in fin.
[d] in lib. antiq. numiſmat. dial. 9
[e] in Theſaur. rei antiq.
[f] lib. 53.
[g] lib. 4. cap. 4.
[h] in rub. procem. Inſtit.
[i] lib. 1. faſt.
[k] pro Sex. Roſc. Amer.
[l] lib. 6. de bello Gall.
[m] in Romulo
[n] lib. 5. c. 13.
[o] in l. non debito ff. de capt. & poſtlim. reverſ.
[p] in annot. ad Pand. in l. Herennius. ff. de evict.
[q] epiſt. 37. lib. 13. famil.
[r] lib. 2. in Verrem.
[s] ibid.
[t] lib. 1. de bell. Gall.

modissimum visum est, M. Valerium Procilium, C. Valerii Caburri filium, summa virtute, atque humanitate adolescentem, cujus pater à C. Valerio Flacco civitate donatus erat, mittere. tantus verò istorum privatorum clientum aliquando fuit numerus, ut eorum quinque millia *Fabios* ad bellum secuta fuerint [a] *Pompejo Festo* auctore.

Fuerunt etiàm apud *Romanos* aliæ clientelæ, quæ publicæ vocabantur, Urbium scilicet, & Provinciarum, quæ alicujus *Romanæ* familiæ patrocinio, & fidei seaddixerant, quod institutum ab usque *Romulo* manavit, ut tradit [b] *Dionys.* refert [c] Velserus. *Dyrrhachium* itaque in fide suâ fuisse [d] *Cicero* testatur, *Sicilia* omnis *Marcellorum* patrocinio utebatur, [e] *Crassorum* Istria, [f] Bononia *Antoninorum*, Puteoli *Bruti*, & *Cassii*, quos etiam patronos sibi adoptarunt; [g] *Getuli* verò *C. Marii* clientes fuerunt; Agrum *Picènum* clientelis quamplurimis *Cn. Pompeji Strabonis* refertum prodit [h] *Paterculus*, & plurimas clientelas ab *Appio Claudio* cæco rectas [i] *Valerius Maximus* auctor est.

His ita præmissis, reliquum est ut videamus, unde tàm in *Comensem* Coloniam, quàm in *Veronensem*, & in alias civitates, & Provincias *Ro-*
77 *mana* nomina confluxerint, & externis familiis inserta cum eis coaluerint: illis enim video præter *Italiam*, totam *Hispaniam* refertam, ut antiqui lapides relati ab [k] *Ambrosio Morali* ostendunt, in quibus est etiam frequens mentiò *Valeriæ* gentis, variis tamen cognominibus, & à nostris penitus diversis distinctæ, *Optatorum* scilicet, *Phœborum*, & *Valerianorum*, eisdem & *Germaniam*, & *Galliam* abundare docent inscriptiones ad has provincias spectantes apud *Petrum Appianum*, *Lipsium*, *Velserum*, & *Gruterum*. Credo igitur jure privatæ clientelæ in primis id evenisse: est enim certissimum, quod quemadmodùm colonis Latini juris *Romæ* jus suffragii non erat omnino prohibitum, illorum potissimùm magistratuum permissu, qui *Romæ* comitia haberent, quatenus ex [l] *M. Tullio*, *Dionysio* [m] *Halicarnasseo*, & [n] *Livio* conjicere possumus, & omnium postremus docet [o] *Panvinius*, ita illis qui majores magistratus in *Latinâ* coloniâ gessissent, ex Decurionum quippe ordine, (nam Decurionum honoribus plebeji fungi prohibebantur, ut inquit [p] *Paul.* J.C.) *Romana* etiam civitas pleno jure adquirebatur, *Romanis* præsertim civibus adnitentibus, [q] *Livio*, [r] *Appiano*, [s] *Panvinio*, [t] *Rosino*, & *Jacobo* [v] *Cavacio* auctoribus, post *Strabonem* [x]: ita enim legitur apud eum, licet subobscure. *Auricomorum verò metropolis Nemausus exstat, alienigenâ quidem plebe, & mercatorum numero longè Narbone inferior, cæterùm regendæ civitatis formâ superior, quatuor enim & viginti ejusdem nationis vicos habet subditos virorum fortitudine excellentissimos, illi tributa conferentes, & Latii jus habentes,*
78 *adeo ut qui Ædilitatis, Quæsturæque dignitatem assecuti sunt, Romani in Nemauso adsint*; innuens, ut est verissimum, cives *Romanos* deinceps *Nemausi* adesse, qui majoribus magistratibus inibi defuncti sunt. quod tamen aliter sensit [y] *Alexander ab Alexandro*, suppresso auctoris nomine de more. Hinc est quod *Catulli* tempore Comi *Cæcilia* gens, (*Cæciliæ* quippè *Romanæ* cliens) exstabat, nec deerant aliæ familiæ *Romanis* nominibus honestatæ, Coloniâ scilicet Latini juris eò jampridem à *Cn Pompejo Strabone* deductâ, ut supra vidimus. Hinc est quod *Cæliorum*, & *Quinctiorum Veronensium*, *Furiorum*que, & *Aureliorum*, præter alios, quos itidem *Veronenses* fuisse facilè credimus, mentionem apud *Catullum* habemus, quæ omnes familiæ à *Romanis* derivatæ jus ipsum simul clientelæ, & Coloniam nostram, cum jure *Latii* ante *Catullum* constitutam fuisse

a in verbo [scelerata]
b lib. 2.
c lib. 6. in princ.
d in orat. pro Planc.
e Tacit. lib. 2. histor.
f Sueton. in Aug. cap. 16. in fin.
g Hirtius de bell. Afric.
h lib. 2.
i lib. 8. cap. 4.
k in lib. cui titulus Las antiguedades.
l in orat. pro P. Sext.
m lib. 8.
n lib. 25.
o in lib. cui titulus Imperium Romanum.
p in l. 7. ff. de Decur.
q lib. 41.
r lib. 2. bell. civil.
s in lib. supra cit.
t lib. 10. c. 22. antiq. Rom.
v lib. 1. hist. cœnob. D. Justinæ.
x lib. 4. in princ.
y lib. 4. c. 10. genial. dier.

demonstrant, ab eodem quippe *Pompejo Strabone*, una cum aliis coloniis Transpadanis. Hinc etiam *L. Valerius Catullus*, Catulli nostri frater, ut non levibus conjecturis probat [z] *Ursinus*, notatur in æreo numo, cujus etiam meminit [a] *Achilles Statius*, Romæ Triumvir A. A. A. F. F. qui ante fratrem Poëtam in *Bithynia*, seu *Troade* vitam obiit, ut sæpius *Catullus* conqueritur, neque enim *Valeria* gens, quæ ubicumque gentium unquam fuit, *Catullorum* cognomen habuit, præterquam nostra *Veronensis*: licet enim extent duo *Catulli*, equorum in Circo agitatores, memorati in quadam veteri inscriptione *Romæ* effossâ, quam [b] refert *Panvinius*, incertâ tamen sunt familiâ. Verùm alia etiam quamplurima *Romanorum* familiarum nomina, quarum *Veronenses* inscriptiones meminere, cum sua tribu POB. in 79
quam fuerunt relatæ, antiquiorem coloniam nostram apertè ostendunt ipsâ *Julii Cæsaris* Dictaturâ, atque ideo ipso etiam *Catullo*, cujus patris hospitio *Julius Cæsar* familiariter utebatur, ut ait [c] *Suetonius*, non è contra, ut perperam tradit [d] *Crinitus*; tùm quia post *Cæsaris* Dictaturam omnia ex arbitrio Principum fuere administrata, tribuum suffragiis ad magistratuum creationem minimè, vel parùm necessariis, tùm etiàm quia civitate ab illo *Transpadanis* omnibus pleno jure donata, ut post [e] *Tacitum*, & [f] *Dionem* tradit [g] *Alexander ab Alexandro*, & [h] *Lævinus Torrentius*, nec ipsâ Civitate Romanâ *Transpadani* indigebant, nec erat, ut eam adquirerent, cur se ampliùs in alicujus fidem, & clientelam committerent, quam ob rem rectè auctor Panegyrici ad *Constantinum*, illam à *Cn. Pompejo Strabone* deductam apertè testatur his verbis: *Scilicet ut quam Coloniam* (de Veronâ loquitur) *Cn. Pompejus aliquando deduxerat, Pompejanus evertet; ò miserabilem Veronensium calamitatem, quos non tàm tua,* (ad Constantinum loquitur) *quàm intestina satellitum pressit obsidio; quippe Athesis ille saxis asper, & gurgitibus verticosus, & impetu ferox oppugnationem prohibebat, omnemque retrò regionem evehendis copiis tutam, defensamque præstabat.* Neque verò me de sententiâ dejicit [i] *Velleji* auctoritas, qui ab Eporœdiâ deductâ, *Cn. Mario* sexies, & *L. Valerio Flacco* Consulibus, anno U.C. DCLIV. usque ad sua tempora nullam coloniam deductam fuisse testatur, quod ipse meminerit, præter militares, anno scilicet XI. ante colonias *Transpadanas* à *Cn. Pompejo Strabone* Latino jure donatas; rectè enim deductas non fuisse inquit *Vellejus*, quia diverso ab aliis ordine hoc jure donatæ fue- 80
rant, nullis quippe Triumviris earum deducendarum causâ institutis, nec novis in eas colonis inductis, *Comensi* exceptâ, in quam novi coloni, atque iidem fortasse militares, restituti sunt, [k] *Strabone* auctore. Quoniam verò adhuc nonnulli *Veronam* inter duodetriginta colonias ab *Augusto* in *Italiam* deductas commemorant, eâ præsertim freti inscriptione, quæ in arcu *Gallieni*, (vel potius in portis nostræ civitatis à *Gallieno* olim conditis: quas nunc *Bursareas* vocant,) adhuc cernitur, hoc modo,

COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLIENIANA
VALERIANO II ET LVCILLO COSS. MVRI VERONENSIVM FABRICATI EX DIE III. NON. APRILIVM
DEDICATI PR. NON DECEMBRIS
IVBENTE SANCTISSIMO GALLIENO AVG. N.
INSISTENTE AVR. MARCELLINO V. P. DVC. DVC.
CVRANTE IVLIO MARCELLINO.

Tales homines in summo errore versari, & totius antiquitatis rudes esse vel ex eo liquet, (si cætera à me relata hoc satis non persuadent,) quòd eo pacto Verona *Augusta Gallieniana* dicta est, quo colonia *Ælia Hadriana Augusta*, & colonia *Trajana Augusta* frugifera *Hadrumetina* apud [l] *Goltzium* legitur cum sua veteri inscriptione, cujus

z in gente Valeria.
a in comment. in Catull. in principio.
b in libro de Lud. Circens.
c in Cæsare cap. 75.
d lib. 2. c. 27. de Poët. lat.
e lib. II. annal.
f lib. 4.
g lib. 4. c. 10.
h in comment. Sueton. cap. 8. in Julio Cæsare.
i lib. 2.
k lib. 5.
l in Thesauro rei antiq.

jus etiam [a] *Abraham Ortelius* mentionem facit; apud [b] *Panvinium* porrò, ubi singulæ quæ extra *Italiam* coloniæ recensentur, Colonia *Augusta Ulpia Trajana* nominatur in *Galliâ Belgicâ*, nec non & Colonia *Augusta Tiberii* in *Rhœtiâ*, & Co-
81 lonia *Ulpia Trajana Augusta Dacica Zarmis* in *Daciâ*, ita enim & in æreo *Gallieni* numo legitur, quem refert [c] *Sebastianus Ericius*, COL. IVL. AVG. FEL. id est *Colonia Julia Augusta Felix:* Neque enim ad *Augustum* Divi F. verbum illud (*Augusta*) refertur, sed ad illos potissimum Impp., à quibus vel ipsæ coloniæ deductæ sunt, vel restauratæ, sive ingenti aliquo beneficio affectæ; quamquam vero coloniam a Gallieno *Veronam* deductam ex hac inscriptione credidit [d] *Pancirolus*, illi tamen non ita facilè assentior, ut aliâs à me latius explicabitur.

[a] in Synonym. geogr. verbo Adrumetum.
[b] dicto libro supra cit.
[c] in tract. numismat.
[d] in comment. in Notit. occid. imp. c. 90.

CAPUT IV.

JUVIT animum jam nimis longâ contentione fatigatum *Romanæ* historiæ recordatione paulisper recreare, dum utriusque *Valeriæ* gentis *Veronensis*, *Comensis*que originem scrutamur: majore verò voluptate inde etiam afficimur, quòd nec sine fructu, nec improsperè id egimus, namque & tenebris *Comensium*, (*Paravicini*que in primis) multa lux à nobis allata est, & rebus *Veronensium* certus nitor: nunc ad ipsum *Plinium* revertor, quem vel ex ipso vocabulo, de quo agimus, eò magis *Veronensem* fuisse credendum est, quo magis à Patriæ mentione semper toto opere abstinuit; satis illam, & super testatus, novâ, & singulari, nec ab aliis unquàm usurpatâ dictione, in operis sui præfatione: ubi enim de *Veronâ* deinceps loquitur, sive de his, quæ ad agrum, & res *Veronensium* spectant, quod sæpè facit, ut ostendam, nunquàm amplius Patriam illam vocat, ne vir *Romanus* superfluè patriæ mentione repetitâ, *Romanam* sibi civitatem obscuraret. Itaque longè fallitur *Cigalinus*, qui ex isto posteriore *Plinii* si-
82 lentio argumentum pro suis *Comensibus* ducit, memorans illum opportuniore loco, ubi de *Verona* loquitur, illam patriam suam testari potuisse, si *Veronensis* fuisset: nec videt, vir alioquin prudens, in se ipsum hæc eadem tela certius retorqueri posse, æquè enim Plinius *Comensium* rerum, ac *Veronensium* mentionem facit, nùmquàm tamen *Comum* Patriam nominat; quin etiam eorum, quæ apud *Comenses* rarissima quandoque exstiterunt, ignarum se fuisse manifestè ostendit, (ut infra videbitur,) unde eâdem ratione illum nos *Comensem* fuisse negamus: intereà hæc etiam ab ipso *Plinio*, qualiacumque sint, agnoscamus. Ubi enim de lino [e] scribit, APUD NOS, inquit, *maturitas ejus duobus argumentis intelligitur, intumescente semine, aut colore flavescente, tunc evulsum & in fasciculos manuales colligatum siccatur in sole pendens, conversis supernè radicibus, uno die.* &c. illa enim verba (*apud nos*) non video quomodo ad agrum *Romanum* referri possint, quem lini feracem nunquàm novimus, nullaque ob id de lino serendo præcepta nobis à *Catone*, *Varrone*, aut *Columella* relicta sunt, quid ferat ager *Comensis*, quanto lini proventu exuberet, doceant ipsi; apud nos sanè magna lini copia est, atque in eo parando eadem adhuc ratio, quam *Plinius* tradit, servatur, ac demum *Lini vicus* exstat (quem hodie *Liniacum* vocant, (oppidum munitissimum ad *Athesim*, tricesimo ab Urbe lapide, frumenti linique mercatu in primis nobile: & ideo (*apud nos*) meliore jure apud *Veronenses* interpretor, quàm apud *Romanos*, *Comenses*ve. [f] Alibi etiam ubi de *Thymbrâ* loquitur, *Hæc* APUD NOS, inquit, *habet vocabulum & aliud, Satureja dicta in condimentario genere*; an Romanum

[e] lib. 19. c. 1.
[f] lib. 19. c. 8.

A *Saturejæ* nomen fuerit, non liquet, at illud ex 83
adverso *Veronense* antiquitus fuisse vetustissimus illius usus apud nos, & majores nostros demonstrat; *Saoreziam* enim hanc herbam corrupto vocabulo adhuc vocamus, diverso porrò ab aliis nominibus, quibus passim per totam *Italiam* nuncupatur, ut ostendit [g] *Matthiolus*; neque verò ideo minus *Latinum* dici debet, quia *Veronense*, quoniam *Italica* omnia vocabula æquè ac *Romana*, *Latina* [h] Quinctilianus agnoscit, & inter *Romanos* Oratores nonnullos è *Galliâ Cisalpinâ* [i] Marcus Tullius recenset, hinc illa T. Livio [k] *Patavinitas* ab *Asinio Pollione* objecta, nimia scilicet *Patavinorum* vocabulorum frequentia. *Alicæ* præterea
B quæ in agro *Veronensi*, *Pisano*que, & *Campano* olim optima conficiebatur, [l] *Plinius* meminit, usu quippe ita edoctus, dum apud *Veronenses* suos in patriâ aliquando versaretur, ut *Campanam* assecutus est, cum *Misenensi* classi in *Campaniâ* præesset, & *Pisanum*, dum loca illa aliquando classe prætervectus lustraret. at quod sequitur longè clarius testimonium est. *Lacus est*, [m] inquit, *Italiæ Benacus in Veronensi agro, Mincium amnem transmittens, ad cujus emersus annuo tempore, Octobri ferè mense, autumnali sidere, ut palam est, hyemato Lacu fluctibus glomeratæ volvuntur* (de anguillis loquitur) *in tantum mirabili multitudine, ut in*
C *excipulis ejus fluminis ob hoc ipsum fabricatis singulorum millium globi reperiantur. &c.* Quo in loco *Plinius* de re sibi valde notâ usu magis, & experientiâ, quam famâ, loquitur, ita enim vis ipsa anguillarum quæ capiuntur, innuit, ita locus earum excipulis aptandis accommodatus, ita annuum tempus, October mensis, sidus autumnale, & hiematus lacus ostendunt, unde illum *Româ*, 84
ubi à puero educatus est, ad suos *Veronenses* aliquando divertisse, & amœnitates *Benacenses* frequentasse credendum est. *Larii* verò nullas commemorat delicias: utpote sibi ignotas, & ideo sui calami perpetuo silentio damnatas, apertèque idcircò se *Comensem* non fuisse testatur. Neque ve-
D rò mihi objiciatur inter naturæ miracula fontem ab eo [n] describi in agro *Comensi* juxta *Larium* singulis horis intumescentem, residentemque, unde arguunt adversarii *Comensem* illum fuisse; ego enim ex illo *Plinii* loco, cum altero tamen minoris *Plinii* collato, illum *Comensem* non fuisse apertissimo argumento comprobabo; contumacis animi illos etiam reos acturus, si qui fortè mecum idem non senserint. Etenim ter in die [o] *Plinius* nepos ipsum fontem intumescere, & residere scribit, non singulis horis, ut inquit avunculus; ne-
E que id ab aliis edoctus scribit, sed experientiâ, & re ipsâ optimè exploratâ, annulo quippe in sicco posito, qui illius auctu alluebatur, & recessu in sicco remanens detegebatur, memoratâ insuper etiàm cœnatiunculâ manufactâ, in quam fons excipitur: malè ergo de hoc fonte *Plinius* noster sensit; non ergo planè gnarus tanti apud *Comenses* miraculi, non ergo *Comensis*, nec inter *Comenses* versatus. Omitto, quòd vinis *Rhœticis* [p] Plinius agrum *Veronensem* nobilitavit, quæ *Falernis* tantummodo à *Vergilio* fuerunt posthabita; quod adhuc esset incertum, ni tanti viri testimonium hoc nobis demonstraret; cum præser-
F tim uvas *Veronenses* Rhœticis affines, & proximas alibi [q] appellet. Omitto mala penè peregrina in uno *Italiæ* agro *Veronensi* nascentia, quæ *Lanata* appellantur, ab eodem [r] celebrata, ut pote sibi longè nota, non ab aliis indicata. Verùm ubi de pictura [s] loquitur, etsi *Veronensem* apertè se non fatetur, at saltem se rerum *Veronensium* nec ignarum ostendit, nec *Veronensem* civem omnino dis- 85
simulat. *Posteà*, inquit, *non est spectata honestis manibus, nisi fortè quis Turpilium Equitem Romanum*

[g] in comment. Dioscorid. lib. 3. c. 38.
[h] lib. 1. cap. 5.
[i] lib. de clar. orat.
[k] Quinctil. ibid.
[l] lib. 18. c. 11.
[m] lib. 9. c. 22.
[n] lib. 2. c. 103.
[o] epist. ult. lib. 4.
[p] lib. 14. c. 6.
[q] lib. 14. c. 1.
[r] lib. 15. c. 14.
[s] lib. 35. c. 4.

num é Venetiâ nostræ ætatis velit referre, hodieque pulchris ejus operibus Veronæ exstantibus; Lævâ is manu pingebat, quod de nullo ante memoratur. Quid igitur est aliud *Catullum* conterraneum suum vocare, *Veronæ* frequentem, ac honestam mentionem habere, alicam *Veronensem* inter optimas connumerare, anguillarum *Veronensium* copiam, & captum docere, amœnitatesque *Benacenses* frequentare, vina *Rhœtica*, & poma lanata *Veronensia* celebrare, picturasque nobiles suo tempore *Veronæ* exstantes memorare, nosse pictorem, & illius pingendi rationem, quàm se *Veronensem* civem apertissimis indiciis declarare, & Patriæ dulcissima recordatione sæpius refici, & recreari?

At nec minoris *Plinii* minora sunt de avunculi Patriâ testimonia, vel potius de suâ, quam ab avunculo adoptatus fuerat adeptus; sic enim ad [a] *Maximum* scribit: *Rectè fecisti, quòd Veronensibus NOSTRIS gladiatorium munus promisisti. &c.* NOSTRIS, inquam, idest utrique communibus, non affectu, non benevolentiâ tantùm, sed etiam civitate: multa id suadent. Quid enim interessat *Plinii*, ederetur, nec ne, *Veronensibus* à *Maximo* gladiatorium munus in vxoris jam elatæ memoriam, ut tantoperè illorum causâ laboraret, si *Veronenses* aliquo jure non contigisset? cur *Maximi* facilitatem in annuendo *Veronensium* precibus, & liberalitatem in edendo laudavit? cur tantâ *Africanarum* ferarum curâ sollicitatus, quia
86 tempestate detentæ ad præfinitum diem non occurrissent, indoluit, nisi quia & ipse *Veronensis?* NOSTRIS denique, quia facilè cum uno ex civibus *Veronensibus*, & cum multis amicitia contrahi potest, ut singuli NOSTRI vocentur, at cum omnibus, ita ut omnes NOSTROS dicere possimus, non ita facilè, nisi tum demum cum in communem civitatem sumus recepti, vel aliter de illa benemeriti. Hic etiàm nobis armati occurrunt *Comenses*, ut hanc arcem validissimam expugnent, solitâque invidiâ æstuantes, caliginem clarissimo testimonio, sepiarum more, offundunt, dictitantes verbum illud, NOSTRIS, familiaritatis esse notam, & benevolentiæ, non patriam indicare, quo enim pacto ad [b] Sabinum scribens *Firmanos* nostros *Plinius* appellavit, & [c] *Catullus Transpadanos* suos vocavit, ita etiam nostros *Veronenses* ab eo dictos contendunt; sed quò magis rem adeo claram *Comenses* obscurare conantur, eò magis de causâ desperare dignoscuntur; neque enim prius *Firmanos* nostros in epistola ad *Sabinum* Plinius dixit, quàm publicam illorum causam patrocinio suo delatam suscepisset; Verùm ubi illum patronum *Veronensibus* adfuisse unquam legimus? ubi hoc de se testatur? credibile ne est [d] *Tifernatum Tiberinorum* patrocinium, [e] *Firmanorum*, [f] *Bæticorumque* ex *Hispania*, [g] *Afrorum*, & [h] *Asiaticorum* provincialium fuisse ab eo commemoratum, ne posterorum memoriam, suamque gloriam nulla tantorum officiorum recordatione fraudaret, *Veronensium* tantùm fuisse prætermissum? At non me fugit, ex illo NOSTRA Italiâ *Minucium Acilianum* Brixiensem ab ipso *Plinio* fuisse vocatum in epistola ad [i] *Junium Mauricum*, ex illa scilicet *Italiæ* parte, quæ suis *Comensibus* proxima esset, vel affe-
87 ctum quendam in *Brixienses* eximium exprimens, non patriam, ut credit *Cigalinus*, cujus sententiæ ipse quoque assentior: verùm aliter quod ad *Junium Mauricum*, (fortasse *Comensem*) scribit, est intelligendum, aliter quod ad *Maximum Veronensem*; amoris ibi nota: Patriæ hic profectò est; quamquàm verò *Maximi* cognomen multarum *Veronensium* familiarum proprium fuerit, ut infrà ostendam, hic tamen proculdubiò *C. Gavius* Veronensis fuit, *Strabonis* cognomento, cu-

a epist. ult. lib. 6.
b ep. 18. lib. 8.
c in epigr. in Ignatium.
d epist. 1. lib. 4.
e. ep. 18. lib. 6.
f ep. 4. lib. 3.
g ep. 11 lib. 2.
h ep. 3. lib. 10.
i ep. 24. lib. 1.

A jus memini [k] marmorea inscriptio *Veronæ* ad castrum vetus in reliquiis arcus dictæ gentis his literis,

C. GAVIO C. F. STRABONI

& *Maximus* agnomine, qui consul fuit sub *Antonino Pio* anno Urb. C. DCCCXCVII, cujus seriorem, & pleniorem inscriptionem refert [k] *Panvinius* hujusmodi,

C. GAVIVS C. F. STRABO MAXIMVS COS.

Hic est ille *C. Gavius Maximus* Prætorii Præfectus *Antonini*, cujus mentio est apud *Capitolinum* in ipso *Antonino Pio*, (ita etiam opinante [l] *Jo. Maria Cataneo*, & [m] *Isaaco Casaubono*,) cujus

B pariter meminit [n] *Martialis* ejusdem *Plinii* amicus, & familiaris, virtutumque summus observator, & laudator egregius, à quo etiam *Veronensis* apertissimè declaratur, in epigrammate ad eundem *Maximum* de *Columba Stellæ* superius relato, quod rursus non pigebit adscribere.

Stellæ delicium mei Columba,
VERONA licet audiente dicam,
Vicit, MAXIME, passerem Catulli,
Tantò Stella meus TUO Catullo,
Quantò passere major est Columba.

Ita enim profectò TUUM *Catullum* ad *Maximum* scribens dixit: id est *Veronensem* utrumque, 88

C ut *Veronenses* NOSTROS ad eundem scribens *Plinius* vocavit; quo genere argumenti etiàm [o] Scardæonius *Asconium Pædianum* Patavinum fuisse ostendit, ita etiam [p] *Martialis* ad *Licianum* scribens *Bilbilim* nostram dixit, id est utriusque Patriam, his versibus:

Te Liciane gloriabitur NOSTRA,
Nec me tacebit Bilbilis.

Et *Claudianus* in epigrammate ad *Gennadium* Proconsulem se palàm *Alexandrinum* testatus est, ut etiam *Crinitus* notavit, cum *Nilum* nostrum vocavit eo versu:

Grajorum populis, & NOSTRO cognite Nilo.

D Hinc illa formula recipiendi transfugas [q] apud Vergilium, *Noster eris*, ut observat [r] *Servius*, & [q] post eum *Jacobus* [s] *Pontanus*, & [t] *Brissonius*; Nec verò nobis objiciant *Comenses*, temerè à me *Maximum* & *Veronensem* vocatum, & *C. Gavium Maximum* Consulem, & Præfectum Prætorio fuisse existimatum, siquidem in comperto est *Maximum* illum, ad quem scribit *Plinius*, non *Strabonem*, sed *Africanum* [v] à *Panvinio*, & [x] *à Lipsio* appellari, diversumque prorsus fuisse ab ipso *Gavio Maximo*, qui nunquam *Africani* agnomine usus est; non dubio enim errore uterque deceptus est, (ignoscant viri doctissimi) verbum enim

E illud (*Africanæ*) in epistola *Plinii* ad *Maximum*, à quo utrique fuit impositum; non stat in quinto casu singularis numeri, ut illi crediderunt, sed in recto pluralis, & cum *æ* diphthongo scribendum est, feras *Africanas* innuens, spectaculis edendis destinatas. Hìc etiam rursus objicient, quòd si *Veronensis* ex isto *Martialis* epigrammate censendus esset *Maximus*, ipse quoque *Martialis* ex *Bilbili* Hispanus *Patavinus* fieret, illis verbis (*Stella meus*) qui *Patavinus* fuit: ac demùm illud etiam adjicient, quòd si *Sentio Augurino* Catulli tantùm imitatori *Catullum* suum dixisse licuit, ut supra vidimus, æquum non est, ut *Martiali* denegetur, 89

F quin & ipse ad *Maximum* scribens, *Catulli* forsan imitatorem, TUUM *Catullum* vocare potuerit; sed omnia facillimè dissolvuntur. Etenim uxor *Veronensis* pro *Maximo Veronensi* argumento est; editio itidem spectaculorum *Maximi* Veronæ; item alia multa, quæ ex epistolâ *Plinii* resultant; sin autem hæc omnia minus rem probant, at *Maximorum* saltem cognomen multis *Veronensibus* familiis commune, & potissimùm *Avidiæ* genti, *Cassiæ*, *Domitiæ*, *Flaviæ*, *Læliæ*, & *Valeriæ*, (ut ex inscriptionibus fœdissimè editis à *Saraina* col-

k in Fast. anni 897. ab U. C.
l in comment. ep. 14. lib. 7.
m in arg. epist. 2. lib. 3.
n ep. 8. lib. 1.
o Scard. lib. 1. class 3.
p Martial. ep. 29. lib. 1. & in epigr. 104. lib. 10.
q lib. 2. Æn.
r ibid.
s ibid.
t Brisson. lib. 4.
v in fast. ann. 853. ab U. C.
x lib. de amphith. quæ extra R. cap. 2

colligimus,) non difficulter *Maximum* inter *Veronenses* recipiet; quòd si & hoc ipsum parum est, illud sanè verbum (TUO *Catullo*) in epigrammate Martialis *Maximum Veronensem* arguit, quamquam enim (MEUM *Stellam*) Poëtam lepidissimum, & viventem blandè, & per adulationem *Martialis* dixit, ad quem exstat & a *Papinii Statii* epithalamium, & alia b *Martialis* epigrammata, quod tamen sequitur non est hujusmodi, *Catullo* præsertim jam ultra annos centum defuncto: At nec illum *Martialis* totum *Maximo* tribuisset, quatenus ratione Patriæ totus ad eum *Catullus* non spectasset, quoniam si propter commune studium id fecisset, non tuum, sed nostrum *Catullum* rectius 90 dixisset, quod vel cæci vident, c *Martiale* præsertim unum sibi *Catullum* præponente.

a lib. 1. Silvarum
b epigr. 101. lib. 1. 6. lib. 4. 11. lib 5. & 21. lib. 6. & 35. lib 7. 9. lib. 9. epig. 3. lib. 12.
c epigr. 78. lib. 10.

CAPUT V.

SED jàm tempus est ut etiàm nostris lapidibus, hoc est *Veronensibus* inscriptionibus, res peragatur. Exstat apud me lapis ille pervetustus, & semifractus, jàm annos CXXX *Veronæ* offossus in Ædiculâ Divi *Blasii*, teste *Pantheo*, (ea sita est inter ædes amplissimas *Æmiliorum* Comitum, & *Salernorum* civium clariss.) ille inquam lapis in hac nostrâ *Plinianâ* scænâ sæpius, quàm olim *Orestes* in tragicis antiquorum agitatus, in quo *C. Plinii Secundi* mentio est; atque is non solùm valdè celebris ipsius *Panthei* testimonio habitus est, cujus tempore in lucem ex imâ terrâ prodiit, verùm etiam *Ludovici Nogarolæ* Comitis longè clarissimi, & omnium sui temporis doctissimi judicio, qui illum, quoad vixit, in deliciis uti præstantissimum habuit, usque adeo ut suarum ædium exteriorem partem illius adstructione cohonestaverit, idem superioribus annis *Caroli Tonsi* V. nobilis, & amici optimi, *Philarmonicæ*que Academiæ mecum consortis liberalitate, ad quem ipsæ ædes nunc spectant, ad me delatus est. literæ, quæ in eo sculptæ nunc supersunt, istæ sunt, (namque ignis vapore rimis diductis reliquum lapidis dissiluisse palàm est:) eo tamen ordine, ut paulatim à supremo usque ad imum versum decrescant, reliquis amissis.

91 ....INIV..
NDV..
... AVG.
... RCIVIAE..
... CELLAE
...RI
....ERI PATRI
... MAE MATRI
MARCELLAE

.. T. F. I.

Hanc etiàm inscriptionem nobis *Comenses* invident, eamque mordaci calamo, ut cætera nostra argumenta, liberè discerpunt, & convellunt, utque omnium in eam criminationum auctor est *Jovius*, ita illam etiàm aperto odio *Cigalinus* insectatur, assentatorem lapidem hunc nostrum appellans, & fictam inscriptionem, tam nullam illi fidem adhibendam esse contendit. Sed nihil adeò mihi molestum est, quàm quòd scriptores nostri hujusmodi sugillationis ansam adversariis præbuerint. Nàm de lapidis inventione, ubi scilicet primò repertus fuerit, non sine causâ *Comenses* dubitant, quippe inventum d *Pantheus* in Ædicula Divi *Blasii* scriptum reliquit, at e *Panvinius* in agro *Veronensi* inter rudera effossum prodidit; sed major sit apud nos *Panthei* fides, ut pote antiquioris, & eo tempore florentis, quo lapis ipse inventus est, siquidem annos octuaginta post illum inventum mentionem de eo *Panvinius* fecit;

d in lib. de balneis Calderii.
e in comment. Fast. in consul. Plinii nepotis.

A Verùm nec ipsa illius restitutio, in quâ multum majores nostri, sed frustra omnes insudarunt, cùm simplicem inscriptionem, & ita truncatam, ut erat, referre prius debuissent, ac deinde suum de illa judicium, minorem dubitationis causam in animos *Comensium* injecit, tanta est enim illorum inconstantia in eâ restituendâ, ut de fide ipsius lapidis ingentem suspicionem excitaverint; sed malè, ut ostendam, sic enim illam restituit *Pantheus* extenso tractu, nec ipsarum literarum lapidis ordine servato, 92

PLINIVS SECVNDVS AVGVR PATRI MATRI MARCELLAE
TESTAMENTO FIERI IVSSIT.

B tribus mediis versibus, & aliis literis omissis: eandem eodem ordine, & eisdem verbis *Rufus* itidem retulit; quatuor tantùm literis additis ante illam dictionem (PATRI) prout in veteri inscriptione legebantur, illarum primâ nunc penè exesê (LERI) opportune protestatus sibi de illarum sensu non liquere. *Torellus* verò *Saraina* Veronensium antiquitatum supinus magis, & stupidus depravator, quam solers investigator, cujus ingenii præstantiam salsè aliquando, & per jocum risit f *Lipsius*, inscriptionem nostram ita integram efficit, ut contaminatissimam, barbaram, & prorsus ineptam reddiderit, hoc modo:

f lib. de amphith. quæ extra Romam cap. 2.

C PLINIVS SECVNDVS AVGVR MARCIVIAE MARCELLAE
MATRI POSTERI PATRIAE MATRI MARCELLAE T. F. I.

Non defuit demùm, qui aliter etiam illam sarciret quatuor illas literas *Rufo* obscuras (OPITERI PATRI) interpretatus, quam magnus *Oedipus*. truncata verò ab *Alexandro Benedicto* refertur, sed lapidis fide prorsus in omnibus non servatâ. adeò ne difficile erat inscriptionem mutilam cum suis literis exscribere, & legendam posteris exhibere. injustè autem lapidem nostrum *Comenses* criminantur, quia siquid in tantâ hujus nostræ inscriptionis inconstantiâ fuit commissum, nulla culpa est innoxii lapidis easdem notas semper referentis, 93 D sed ingeniorum *Veronensium*, à quibus prout singulorum ferebat arbitrium, variè fuit refartus, & ideo *Comensium* criminationes longè æquiore ratione in varios, & inconstantes illius restitutores erant dirigendæ, non lapis insons conviciis, & maledictis incessendus, ac novis quodammodo injuriis conficiendus, & fœdandus. Illud verò me summâ admiratione in primis afficit, quod animadverto *Comenses* multa huic nostræ inscriptioni objicere, licet illam nunquam viderint, (namque illam à se unquam visam nemo fatetur, quod sciam,) oculis scilicet clausis, ut arbitror, Andabatarum more, decertantes: E quo fit, ut & suas objectiones acutas quidem, sed inanes esse ostendant, quippe ab ingenio, non ab ipso sensu, ut par erat, petitas, & mihi facillimum futurum sit argumenta in nostrum lapidem ab eis contorta non solùm retundere, sed etiam certissimâ responsione prorsus hebetare. Primi igitur versus in lapide notati literas non minus ad *Asiniam* gentem, *Caniniam*, *Cominiam*, & *Liciniam*, quàm ad *Pliniam* referri posse dictitant, addant, si lubet, etiam *Gabiniam*, *Sanquiniam*, *Siciniam*, *Tarquiniam*, & *Titiniam*, & alias hujusmodi, & ideo malè actum à nostris exclamant, F qui literas ad gentem *Pliniam* retulere. Secundi verò versiculi literas æquè *Jocundum*, & *Verecundum*, ac *Secundum* denotare posse contendit *Cigalinus*, cognomen *Veronensibus* lapidibus, (*Verecundum*que in primis) non ignotum, cujus rei unicum citat exemplum ex *Saraina*, ego verò etiam alterum à me observatum subjicio, quod est hujusmodi:

94 *Veronæ in turri Pontis novi.*

V. F.
..CASSIVS M. F.
..ERECVNDVS SIBI ET
. IASONIAE L. F.
..AXIMAE VXORI.

Auguratus porrò notam, quæ in tertio lapidis versiculo exstare videtur, tanti non esse inquiunt, ut summi viri, qui amplissimis honoribus functus, & Principibus *Vespasianis* carissimus fuisset, merita impleret, illiusque dignitatem, & gloriam solus æquaret, objicientes luculentissimam illam *Mediolanensem* posterioris *Plinii* inscriptionem, quâ singuli magistratus, & illius res gestæ apposité, & diserte recensentur.

Hic nos in primis non negamus literas illas superstites in primo versiculo nostri lapidis ad aliquam ex familiis, quarum à *Benedicto Jovio*, & à *Cigalino*, ac denique à nobis supra mentio facta est, spectare posse, omnes enim in INIVS æquè desinunt; nec minus negamus alterius versiculi truncatum cognomen ad *Verecundum* etiam eadem ratione aptari posse, ut arguit *Cigalinus*, quis enim sanæ mentis hæc audeat negare? Verùm nulla æquitatis ratio suadet, ut hoc tempore de nostrâ istâ inscriptione judicium habeamus, deficientibus nunc multis literis, quæ prius in ea legebantur, quæ sive temporis jujuria, seu potius lapide ignis vehementiâ soluto, & in rimas diducto abscissæ desiderantur; & ideo recurrendum est ad exemplum vetustum ipsius truncatæ inscriptionis,
95 & adjudicium antiquorum de illâ. Ipsum igitur exemplum tale fuit, quale à *Panvinio* refertur, viro doctissimo, & rei antiquariæ studiosissimo, at in primis antiquarum inscriptionum religiosissimo exscriptore. C.P. INIVS &c. prout etiàm à *Benedicto Jovio*, & à *Cigalino* refertur; altera enim, quàm *Alexander Benedictus* vulgavit, rejicienda est, ut pote & accessione, & defectu multarum literarum mendosa, prout unusquisque facillimè cognoscet, qui illam cum nostrâ, & alterâ illâ *Panviniana* conferre voluerit. Si igitur duæ illæ priores literæ C. P. ante illas quæ nunc supersunt, INIV, exstabant in antiquâ nostrâ inscriptione, ut testatur *Panvinius*, unâ tantum literâ post ipsum P. & ante illas quæ sequuntur, deficiente, doceant *Comenses*, si possunt, quomodo ad alteram magis, quem ad *Pliniam* gentem omnes simul junctæ pertinere possint; Unus verò, atque idem mirus majorum nostrorum consensus, qui nullâ prorsus hæsitatione suspensi hanc nostram inscriptionem ad *C. Plinium Secundum* semper retulêrunt, eandem ita se antiquitus habuisse, ut à *Panvinio* memoratur, apertè ostendit; ut enim varia, & diversa inter se, dùm illam sartam esse volunt, in posterioribus illius versiculis prodidere, ita in hoc omnes conveniunt, ut superior illius versus *C. Plinium* tantùm, non alium præ se ferat, quod minimè fecissent, nisi apertè ex superstitibus ipsius literis hoc sibi constitisset. Huc etiàm accedat, quod inter *Veronenses* familias (quatenus ex nostris antiquis inscriptionibus colligimus) nulla unquam illarum recensetur, quas nobis *Comenses* objecere, nec earum quarum superius memini, *Tarquiniâ* exceptâ, cujus tale *Veronæ* exstat monumentum:

96 *Ad Divi Laurentii in angulo muri viridarii V. præclariss. Leonardi Nogarolæ Comitis.*

TARQVINIA L. L.
FAVSTA V. S. L. M.

Ad quam tamen lapis noster non est referendus, *Panvinianâ* inscriptione, antiquorum judicio, ac ipsâ demum ratione, & lapidis formâ resistente. In primo namque illius versiculo, (quantum ex i-
A psso lapide solerti cura à me dimenso, & ex lacunâ in ejus medio supernè cavatâ conjicere potui,) nullas plusquam octo literas capi posse animadverto, ex quibus quatuor integræ adhuc exstant, postrema deficit, & quod ab ea parte superest lapidis, nullas post eam admittit, quare tribus prioribus literis tantùm deficientibus lapis ipse suppleri debet, omnibusque æqua ratione inter se compositis illius medium statuendum est in spatio quod est inter quartam literam, & sequentem, videlicet inter I, & N, unde nulli dubium est, quòd *Tarquinii* nominis reliquum spatii, quod deest dextrorsùm, non erit capax, nam sex literæ loco tri-
B um deficientium in eo essent reponendæ, prima prænominis notam indicans, ut C. M. P. scilicet *Cajus*, *Marcus*, *Publius*, vel similes, reliquæ quinque ex ipso nomine *Tarquinii*, antequam cùm aliis literis INIV in lapide notatis conjungi possent. Ex quibus patet, nec illam acutissimi *Cigalini* commentitiam restitutionem admittendam esse, qui & si non ausus *Panvinii* fidem impugnare, & illius auctoritati contraire, primas tamen inscriptionis nostræ literas æquè ad C. *Pleminium* aliquem, atque ad *C. Plinium* referri posse censebat, duabus literis superfluentibus, quæ totum ordinem ipsius inscriptionis perverterent. Hâc 97
C eâdem ratione dubium, quod ex secundo versu *Cigalinus* excitabat, in parte facillimè tollitur, non enim plures, quàm octo literæ & ipsum secundum versum constituebant, quarum tres ex postremis adhuc supersunt, cum fragmento ultimæ, reliquæ quatuor priores desiderantur; & ideo *Secundi* non *Verecundi* nota per illas, & cognomen repræsentatur, quod etiam eò magis dicendum est, quia æqualibus ferè literis secundus versus constat, ac primus, & æqualiter ferè cum primo desinit, & terminatur, quo fit ut meo quidem judicio expungendæ sint illæ duæ literæ C. F. quas *Panvinius* superaddidit, ut infra mox o-
D stendam, cum secundum versum compleret, veterum epitaphiorum potius rationem secutus, quam nostri lapidis latitudinem; fuisset enim superfluum ut *C. Plinius* C. F. in principio inscriptionis diceretur, ac deinde in eadem de *C. Plinio Celere* illius patre mentio repeteretur; sicubi verò accommodari duæ illæ literæ C. F. potuissent, priorem potius lineam terminare, quam secundam inchoare debuissent, veteribus inscriptionibus ita suadentibus. Quanquam verò æquè *Jocundum*, ac *Secundum* istæ literæ significare possunt, ut arguit *Cigalinus*, (nam to idem utrumque cognomen constituunt,) illas tamen potius ad *Secundum*,
E quam ad *Jocundum* referendas esse censeo, quia nullum *Jocundorum* cognomen inter *Veronenses* inscriptiones reperitur, *Secundorum* verò adeo frequens, ut nullibi frequentius, ita ut majores nostros aliquando ad tantum errorem deduxerit, ut hoc cognomen, quod erat multis familiis commune, unius tantùm *Secundæ* familiæ proprium nomen fuisse existimaverint.

Quod attinet ad illas literas in tertio loco inscriptionis nostræ notatas hoc modo AVG. primò 98
nobis videndum est quid significent, antequam de ipso Auguratu videamus, & an *Plinii* nostri titulis conveniat, nec ne, ut objiciunt *Comenses*,
F erit enim facile ut hujusmodi disputationi vel nullus sit locus, vel ut leviter hæc attingere sufficiat: siquidem cum illas non videam in medio lapidis sitas, sed aliquantum in sinistram illius partem vergentes, ita ut dextrorsùm ante illas nonnullæ literæ deesse videantur, facile adducor ut credam minimè Auguratus notam esse, prout *Veronenses* nostri falsâ conjecturâ ducti aliquando credidere, sed alterius dignitatis; itaque *Panvinius* noster maximus totius antiquitatis, & studiosissimus reparator, cum totam ipsam inscriptionem sarciret

ciret, sic illas restauravit, ut etiam apud *Janum* a *Gruterum* legimus.

C. PLINIVS
C.F. SECVNDVS
VIVIR AVG.
SIBI ET ORCIVIAE
MARCELLAE
VXORI
C. CELERI PATRI
ET OPTIMAE MATRI
MARCELLAE
V. T. F. I.

Verum hic altera, nec mediocris difficultas oritur; ad quem scilicet spectet ista inscriptio, ad *Plinium* ne nostrum, de quo scribimus, an ad alium; ad *Plinium* enim nostrum illam spectare *Pantheus*, & *Rufus*, & alii ejus classis homines
99 prodidere, eo fortasse argumento, quia duos tantum Plinios *Secundi* cognomento in *Italiâ* floruisse animadverterant, hunc scilicet nostrum, & *C. Cæcilium* illius ex *Pliniâ* sorore nepotem ab avunculo adoptatum, quàmquàm enim & alterius senioris *Plinii* extlet mentio apud b *Appianum*, qui cum *Sex. Pompejo* in *Sicilia* militavit, & cum octo legionibus, quibus præerat, ab eo *Messinam* ex *Lilybæo* vocatus est, illius tamen cognomen ignoratur, alterius verò cognomento *Secundi*, & *Sophistæ*, cujus meminit c *Suidas*, nulla ratio habenda est, quia fuit *Atheniensis*, cum igitur vidissent multa marmorea monumenta junioris *Plinii* memoriæ ab antiquis dicata, quæ apud *Comenses*, & *Mediolanenses* leguntur, hanc alteram *Veronæ* repertam nesciebant ad quem magis referrent, quam ad ipsum superiorem *Plinium Veronensem*; Ego autem, si liberè expromere licet, quod sentio, *C. Plinium* nostrum hac inscriptione notari minimè arbitror; non quia illa nimis nuda, & jejuna sit, atque omni pumice aridior, ut objiciunt *Comenses*, (quo enim fuco, quibusve inscriptionum pigmentis summus ille vir, & suis scriptis gloriosissimus indigebat, ut memoriam suam posteritati commendaret?) fuit præterea jussu testatoris ab hærede cum tumulo erecta, cujus supremum judicium eludere nefas erat, ut docet d *Papinianus*, & ex rescripto e *Alexandri Severi* colligitur, & latius *Joannes* f *Kirchmanus* ostendit in suo libro nuper edito *de Funeribus Romanorum*, nec etiàm quia credam Auguratum (quatenus quisquam in opinione pertinaciter persistat, ut illæ literæ AVG. Auguratus sint notæ) minus convenire, & parùm fuisse meritis, & dignitati tanti viri; qui sciam Augurum Collegium Reip.
100 *Romanæ* tempore, ac post illam usque, ad *Constantinum*, amplissimum g semper fuisse, & legerim *Q. Fabium Maximum*, ita h *Plinio* nostro prodente, annis LXIII. Augurem fuisse, licet XXII. dicat i *Obsequens*: Auguralis disciplinæ, & dignitatis k *Cicero*, & l *Clemens Alexandrinus* meminêre, de eadem libros editos ab *Appio Claudio Pulcro*, & de Auguribus à *M. Porcio Catone* orationem inscriptam, auctor est m *Pompejus Festus*: multa de eadem exstant apud n *Valerium Maximum*, o *Lactantium*, p *Alexandrum ab Alexandro*, q *Polydorum Vergilium*, r *Aymarum Rivallium*, & s *Joannem Rosinum*, & de ejus formulis, & solemnibus verbis apud t *Brissonium*: illius etiam dignitas passim ex *Livio* colligitur, atque ex numis antiquis, quorum multi ærei, & argentei apud me sunt, & præsertim *C. Julii Cæsaris* Dictatoris, *M. Antonii* Triumviri R. P. C. *Augusti*, *Vitellii*, *Vespasiani*, *Nervæ*, *M. Aurelii Philosophi*, *Antonini Elagabali*, & aliis quamplurimis, qui referuntur, & declarantur à v *Fulvio Ursino*, x *Sebastiano Ericio*, y *Ænea Vico*, & z *Gulielmo Choulio* Gallo rei antiquariæ, numa-

a lib. antiquarum inscript.
b lib. 5. bell civil.
c in verbo Secundus.
d l. 53. ff. de petit. hæred.
e l. 5. C. de relig. & sump. fun.
f lib. 3. cap. 12. de Funer. Roman.
g Liv. lib. 1. Flocc. Flor. lib. 1. c. 4. Dionys. Halicarn. lib 2. Plutarch. in parallel. Val. Max.
h lib. 7. c. 48.
i cap 45. de prodig.
k lib. de divin. in princ.
l lib. 1. Stromat.
m in verbo Sollistimum, & in verbo [probrum]
n lib. 1. cap. 1
o lib. 2. cap. 8. divin. inst.
p lib. 5. cap. 19. gen. dier.
q lib. 1. c. 24. de inv. rer.
r lib. 2. hist. jur. civ.
s lib. 3. c. 8. & 9.
t lib. 1.
v lib. de Fam. Rom.
x lib. de vet. numism.
y lib. numism. XII. Cæsar.
z lib. de antiq. relig. Rom.

A riæque in primis studiosissimis: illius porrò vanitas ab a *Arnobio* damnatur, ac demum nescio quomodo impar *Plinii* majoris meritis Auguratus esse potuisset, quem posterior b *Plinius* ceu summum amplissimæ dignitatis fastigium à *Trajano* deprecatus est, & se illum adeptum ingenti lætitiâ effusus ad c *Arrianum* scribit, nec inter illius titulos, qui fusissimè in ejus inscriptionibus recensentur, postremum posteriores hunc habuerunt: sed ideò in hanc sententiam pronior fui, quia cum viderem hunc *C. Plinium* in nostrâ inscriptione notatum Sexvirum Augustalem fuisse, (qua dignitate multos libertini ordinis homines ornatos *Ve-* 101
B *ronenses* inscriptiones ostendunt,) adduci non potui ut crederem hujusmodi Sexviratum ab eo unquam gestum, vel si gestus aliquando fuisset, (quod illi dedecori minimè cessisset, & præsertim in patriâ, ut de aliis summis viris vel talia, vel similia legimus) hunc solum omnium minimum in ejus inscriptione fuisse descriptum, reliquos verò illius titulos, & res gestas, quæ maximæ fuerunt, silentio fuisse præteritas, id enim summæ injuriæ expressa fuisset nota, non gloriæ; cum præsertim ipsum *Plinium* nobili genere ortum, vel ex eo liquet, quòd summâ cum libertate d *C. Mario*
C triumphatori, & septies Consuli ignobilitatem exprobrat, dum illum aratorem *Arpinatem*, & manipularem Imperatorem vocat, & post *Cimbricam* victoriam cantharis illum potasse Liberi patris exemplo apertè indignatur. Alterâ verò etiam ratione ad hoc credendum moveor, quia ille *C. Plinius*, cui nostra inscriptio ab hærede erecta est, uxorem habuit, at uxore nostrum semper caruisse video, (neque enim unquam ab se ductam testatur, nec *Plinius* junior scribit;) quamquam verò sororem pro uxore in sexto versu nostræ inscriptionis e *Panvinius* primò restituerat, hoc tamen minimè probavit, sed sententiâ mutatâ sororem
D postea in uxorem, & rectius, convertit, ut ex ipsâ integrâ inscriptione per eum restitutâ constat, quam ego vidi in quodam ejus breviario historiæ *Veronensis* manuscripto, quod in Bibliothecâ *Cæsaris Nichesolæ* V. clariss. & doctiss. servatur; nec plures quàm unam sororem illamque *Pliniam*, *C. Plinii* junioris matrem, habuit, quod sciamus. *Marcellorum* verò cognomen, (quod *Romæ* proprium *Claudiæ* gentis fuit,) *Pliniæ* familiæ fœminis minimè convenit; verùm nec illo sæculo 102
nomina filiabus pro parentum arbitrio imponebantur, sed ab ipsâ tantùm familia deducta, ut supra
E ostendi: itaque ORCIVIAE nomen (nam familiam hujus nominis nunquam vidi) aliquanto posterius est *Plinii* sæculo, ni fallor, prout etiàm ex sequenti inscriptione conjicere licet, quam refert f *Panvinius*, in quâ præmissis quibusdam carminibus de morte *T. Statii Apri* satis rudibus, & multa barbarie horrentibus, quæ brevitatis causa non recenseo, sic habetur.

F
T. STATIO T. F. VOLT.
APRO
MENSORI AEDIFICIOR.
VIXIT ANN. XXII. M. VIII.
D. XV.
T. STATIVS VOLT.
PROCVLVS
ACCENSVS VELATVS
ET ARGENTARIA EVTYCHIA
PARENTES
FILIO OPTVMO, ET
ORCIVIAE ANTHIDI
VXORI EIVS SIBIQ.
ET SVIS LIBERTIS
LIBERTABVS POSTE-
RISQ. EORVM.

Neque verò ideo minus ad rem nostram facere hunc nostrum lapidem, & hanc *Veronensem* inscri-

a lib. 8. advers. gent.
b epist. 13. lib. 10.
c ep. 8. lib. 4.
d lib. 33. c. 11.
e in comment. in fast. conf. loco citato.
f in lib. cui tit. Civitas Romana.

ſcriptionem exiſtimandum eſt, ex quo ad *Plinium* noſtrum judicio meo non pertinet, quoniam mihi ſatis eſt ut illius teſtimonio doceam gentem *Plinian*, quæ *Secundorum* cognomine antiquitus utebatur, *Veronenſem* exſtitiſſe, reliqua ipſi viderint. Alteram verò antiquam inſcriptionem ego illis adhuc ſubjicio, quâ vel *Harpocrates* poſthac
103 efficiantur, vel illius obtutu, ſi oculos non averterint, ceu capite *Meduſæ* inſpecto, dirigeſcant: ea eſt hujuſmodi:

C. PLINII . . . . VERONENSIS
. . . . HISTORIARVM
H. L. . . . OMNIVM
. . . MEMORIAM DEDIT
. . NECNON . . T. . . C.
. . XXXV. . . CONS. . . MACER.

Rem novam *Comenſes*, & aliis *Veronenſibus*, qui ante me ſcripſerunt, intactam, nunc à me ſibi objici mirabuntur: multaque adverſus illius fidem de more molientur. Ego verò rem non novam, ſed veterem inſcriptionem illis affero, non à me conflatam, nec inventam, ſed jam annos CXX. & ultra à *Felice Feliciano* obſervatam in lapide rubro antiquo ſemilacero, & igne abſumpto ad litus *Benaci* prope *Sirmionem*, cujus liber manuſcriptus à me viſus, & diverſis antiquis inſcriptionibus exaratus, quas paſſim per totam *Italiam* vir antiquitatis ſtudioſus collegit, & *Andreæ Mantegnæ* eximio pictori *Patavino* dicavit, exſtat *Veronæ* in eadem bibliothecâ *Nicheſoliâ*. Ejuſdem ſanè inſcriptionis meminit etiam *Paulus Suardus* in ſuis caſtigationibus in *Becichemi* collectanea, & prælectiones in *Plinium*, cum hac inſcriptione. *Sirmioni in ripâ Benaci quod præ vetuſtate aliqua ex parte mutilatum exſtat:* qui liber impreſſus eſt *Venetiis* anno Domini MDVI: nec eandem ſibi ignotam fuiſſe oſtendit *Petrus Appianus* vir inſignis, & omni eruditione ornatiſſimus, quique publicè *Ingolſtadii* mathematicen de ſuggeſtu profeſſus eſt, ab
104 illo enim refertur in ſuo veterum inſcriptionum libro, quem *Raimundo Fuggero* V. Illuſtriſſimo, & literatorum omnium ſuæ tempeſtatis Mecœnati beneficentiſſimo, dicavit, impreſſo Ingolſtadii anno Domini MDXXXVI, hac illi præfatiunculâ præpoſitâ: *In ripâ Benaci propè caſtellum Sirmioni in lapide rubro fracto.* Quanquam verò lapis iſte nunc non exſtet, nec à *Pantheo*, aut ab aliis, qui poſt ipſum ſcripſere, viſus ſit, nihil tamen de illius fide eſt ambigendum, probatiſſimis ſcriptoribus illum nobis referentibus, vel enim à *Pantheo*, ſive ab aliis nunquam fuit obſervatus, quia in loco à civitate longinquo, & invio expoſitus jacuit, vel etiam quia forte, (ut aliis pleriſque marmoreis monumentis evenit,) vel murorum *Sirmionis*, vel ædium fundamentis ſuppoſitus inglorius deliteſcit.

CAPUT VI.

HIS omnibus argumentis *Veronenſium* animi incitantur ad juſtam pugnam pro ſuo *Plinio* ſuſcipiendam contra *Comenſes*, (at quota pars eorum ſufficit) & ad eum ſibi civem tuendum, & ſervandum, quem natura dederat; ad eandem verò non minore etiam ſtudio accenduntur doctiſſimorum virorum judicio, qui ſcriptis ſuis illum *Veronenſem* fuiſſe apertè teſtantes illos de veritate dubitare minimè patiuntur: quorum numerus adeo magnus eſt, ut juſtum ferè exercitum æquare poſſit, & ideo non tumultuario, & confuſo agmine ſingulos recenſere ſtatui, ſed ut ſuo ordine ſigna educerentur, atque aliquem ceu caſtrorum
105 ducem ſequerentur, effeci; Horum igitur ille mihi Princeps ſit, qui verè inter omnes quotquot unquam in omni liberali eruditione inſignes fuerunt, primas tulit, *Franciſcus* ſcilicet *Petrarcha*
A vir doctiſſimus, & literatorum omnium ſui ſæculi facile Princeps; Is enim tam in ſuis famæ triumphis *Etruſco* carmine concinnatis, quos nemo non novit, quàm in ſuo libro [a] Rerum memorandarum, qui unà cum aliis quos latinè ſcripſit, paucorum manibus teritur, *Plinium* hunc noſtrum palam, & apertiſſimâ nominatione *Veronenſem* appellat. illum itidem *Veronenſem* alii quam plurimi qui poſt *Petrarcham* doctrina, & ingenii gloria floruerunt ſuis ſcriptis teſtati ſunt; [b] *Raphaël* ſcilicet *Volaterranus*, *Æneas* [c] *Silvius Picolhomineus*, qui poſtea *Pius II.* Pontif. Max. dictus eſt, [d] *Laurentius Valla*, [e] *Nicolaus Perotus*,
B [f] *Flavius Blondus*, [g] *Angelus Decembrius* Mediolanenſis, [h] *Marinus Becichemus* Scodrenſis, [i] *Bernardinus Barducius* Florentinus, [k] *Ambroſius Calepinus*, [l] *Auctores Theſauri linguæ Latinæ*, [m] *Albertus Burerus*, [n] *Quinctius Æmilianus*, [o] *Georgius Jodocus*, *Carolus Stephanus*, ſive auctor [p] Dictionarii hiſtorici, *Lilius* [q] *Gyraldus*, [r] *Joannes Raviſius Textor*, [s] *Jacobus Philippus Bergomas*, [t] *Bernardinus Corius* Mediolanenſis, [v] *Hieronymus Ruſcellius*, [x] *Joannes Maria Cataneus* Novarienſis, [y] *Arnoldus Pontacus* Gallus Epiſcopus Vaſatenſis, & omnium poſtremus, at juxta clariſſimus, & doctiſſimus [z] *Joſeph Scaliger*, à quibus [a] *Cælius Rhodiginus*, [b] *Joannes Cuſpinianus*, & [c] *Gaſpar Bu-*
C *gatus* Mediolanenſis minimè videntur diſſentire, quorum omnium teſtimonia ſeorſum in fine operis recitabo. Idem præterea ſaltem tacitè ſtatue- 106
runt *Angelus Politianus*, & alii omnes ſupra citati, qui *Pliniano* vocabulo (*Conterraneus*) in ſuo recto ſenſu, ipſiuſque *Plinii* ſententiæ inprimis congruente, ſuis ſcriptis uſi ſunt, atque hi omnes externi. Ex noſtratibus verò *Plinium* Veronenſibus ſuis civem aſſerunt, & acerrimè tuentur, [d] *Joannes Antonius Pantheus*, *Matthæus* [e] *Rufus*, [f] *Petrus Donatus Avogarius*, *Alexander* [g] *Benedictus Medicus*, [h] *Torellus Saraina*, *Onufrius* [i] *Panvinius*, [k] *Joannes Franciſcus Tinctus*, [l] *Hieronymus à Curte*, [m] *Bartholomæus Vitalis* J. C. & Eques,
D [n] & *Franciſcus Pola* J. C.

Hic eſt noſtrorum ſcriptorum, (vel potius commilitonum globus,) hic ille armatorum cuneus, in quem *Comenſes*, tamquam in certam victoriæ ſpem erecti, atque ideo nimiâ ſecuritate paſſim incauto agmine palantes, veluti cum paucis dimicaturi, (nam paucos ex noſtris noverant) inermes inciderunt, à quibus ſe prius obſeſſos, & circumcluſos vident, quàm hoſtem adeſſe ſenſerint: nunc quid agant ut his ſe anguſtiis expediant, atque ut domeſticas inſidias evitent, (multos enim domeſticos hoſtes experiuntur, quos ſuis partibus favere falsò autumant,) diſpiciamus.

E
CAPUT VII.

ERRORE lapſum *Petrarcham* inquit *Jovius*, & in hanc ſententiam præcipiti ſtudio cucurriſſe, nullis rationibus ſuadentibus, ſed ſolâ tantum conjecturâ, quæ ex ipſo *Pliniano* vocabulo derivabat, ſatis apertâ increpatione objectat, perinde ac ſi viro doctiſſ. alia defuiſſent argumenta in 107
re tam facili; ſed urbanè *Jovius*, comiterque, durè nimis, & inclementer *Paravicinus*, qui libellum integrum ab eo mutuatus, illius tantùm lenitatis oblitus eſt, tanta enim calami libertate,
F (ne dicam procacitate,) in *Franciſci Petrarchæ* mores, & doctrinam invehitur, ut non obſcuram illi adulationis, & ignorantiæ notam pertinaciter inuſtam eſſe velit; Illum quippe cum extra Patriam exularet, familiarem fuiſſe inquit *Carrarienſium*

e in ep. ad Juſtum Juſtum. f in libello de VV. Illuſt. Veron. g ſua præf. in Plinium. h in lib de VV. illuſt. Veron. i in lib. de nomin. Rom. in hiſt. Veron. nrs. k lib. 5. c 13. l lib. 1. hiſt. Veron. m in lib. de Patria Plin. noſtri. n in elog. VV. Ill. Veron.

a lib. r. c. 2. b lib. comment. urb. 4, & 18. c in lib. deſcr. Aſiæ ſæpiſſ. d lib. 4 c. 83. e legant. e in Cornuc. f in lib. Ital. ill. g lib. 3. par. 27. lib. 6. par. 68. lib. 7. par. 81. in verbo cyncrhodos. de polit. h in coll. lect. in Plin. i in epiſt. ad Joan. Nenum. k in verbo [conterran.] l in d. verbo. m in d. verbo n in ode d'Plin. noſtrum. o in ſuo Benaco lib. 2. p in ver. Plin. q de poët. hiſt. dialog. 8. r lib. 2. offic. tit. Viri celebres mortui in alien. terra s lib. 6 ſuppl. t in vita Domi. v in ind. Virorum ill. x in frontiſpicio epiſtol. Plinii ab ſe cum ſuo comm. editarum. y in comment. in Euſeb. z ibidem. a lib. 14. c. 5. ant. lect. b in comment. in Chronic Caſſiod. c lib. hiſt. univerſ. d in Bitneis Ca... derivat...

ensium, & *Scaligerorum* Principum, quorum hi *Patavinis*, postremi *Veronensibus* nostris imperabant; quorsum hæc? credibile hinc esse subjicit, hanc ab eo sententiam tunc temporis fuisse promulgatam, ut eorum gratiam iniret, & auræ popularis susurro allectus publicum favorem captaret: parùm verò consultè, imo leviter, ab eis actum esse dicit, qui illius sententiam secuti sunt, sicuti enim plurimum valuit *Etrusco* carmine, ita in his, quæ latinè scripsit, minimè probatur, neque enim talis est, qui antiquis scriptoribus sit æquandus, nec recentioribus anteponendus; jamque etiam illius memoria apud mortales exstincta esset, ni maternâ magis linguâ, quàm Latinâ, æternitati suæ consuluisset; ab se visum etiam, inquit, in *Vaticanâ* bibliothecâ *Columellam* cum notis in margine *Francisci Petrarchæ* manu exaratis, quæ summam illius ingenii levitatem facilè ostendebant; alia etiam complura illius scripta sibi à *Ludovico Valdezucco* Patavino aliquando ostensa fuisse dicit, nihilò meliora notis ad *Columellam* adscriptis. Pudet ulterius pergere tam fœdas contumelias recensendo, ne doctissimi viri manes, me etiam invito, dum narrationi tam injuriosæ insisto, lædan-
108 tur, ac simul etiam quia vereor, ne quæ à *Paravicino* tantarum injuriarum pœnæ ab universâ doctorum Rep. meritò exiguntur, à me itidem, qui talia refero, expetantur. Hariolatur itaque *Paravicinus*, & historiæ planè adversatur, dum credit famæ triumphum conscriptum, & editum à *Francisco Petrarcha* fuisse *Veronæ*, quo tempore aulam *Scaligerorum* Principum, vel Patavii *Carrariensium* frequentabat, quando in comperto est hujusmodi poëmata unà cum secundâ parte suorum lyricorum absoluta ab eo fuisse in amœnissimo illo Vallis clausæ secessu in *Galliâ Narbonensi*, quò se post mortem *Lauræ* suæ, & *Jacobi Carrariensis* liberalissimi sui Mecœnatis ociatum receperat, ut testatur *Bernardinus Ilicinus* in ejus vitâ; quinimò omnia ferè illius opera inibi ab eo vel scripta, vel cœpta, vel concepta sunt, ita ipso prodente in epistola ad posteritatem his verbis: *Hæc summa est*, inquit, *quòd quidquid ferè opusculorum mibi excidit*, *ibi*, (de Valle clausa loquitur) *vel actum*, *vel cœptum*, *vel conceptum est*. Neque verò à nobis negatur *Veronæ* illum aliquando fuisse *Scaligeris* Principibus imperantibus, quò se tamquam in tutissimum Asylum, extorres omnes *Florentini*, cæterique *Hetrusci* suis sedibus adversâ factione expulsi recipiebant, quorum multæ adhuc *Veronæ* insignes supersunt familiæ, deletæ multæ: ex quibus *Alexander Lisca* J. C. Comes, & Eques, & *Augustinus del Bene* J. C. & Eques, vir uterque amplissimus, & doctissimus, maximumque Oratorum par, dignitate, & gloria in primis florent; quorum iste splendidissimâ legatione cum *Hieronymo Veritate* Comite V. clarissimo ad *Leonardum Donatum* Serenissimum Reip. *Venetæ* Principem nuper functus, tantam sui no-
109 minis opinionem excitavit, ut Equestri dignitate primò ornatus, mox etiam, licet absens, ab universo Senatu *Veneto* inter consiliarios juris ejusdem Reip. summâ cum laude relatus sit. Ipsius tamen *Petrarchæ* tanta fuit vitæ castitas, tantusque morum candor, ut omnem aulicæ assentationis suspicionem ab illo semper abfuisse credendum sit, ita etiam *Joanne* [a] *Bocaccio* testante his verbis: *Cui mendacium*, inquit, *lethalis est hostis*, *qui vitiorum omnium execrator est*, *& venerabile veritatis sacramentum*, *virtutum decus*, *& lætitia*, *& catholicæ sanctitatis norma*, *pius*, *mitis*, *atque devotus*, *& adeo verecundus*, *ut inde dicatur Parthenias alter*. castissimos itidem illius mores *Hieronymus Squarciaficus* in ejus vitâ in primis commendat. At quantum in eo fuerit bonarum disciplinarum studium, quantaque doctrina, immensa

[a] citato in præfatione in opera omnia F. Petrarchæ.

volumina ab illo scripta, & edita, quæ adhuc extant, id facilè ostendunt, nunquam fortasse à *Paravicino* visa, neque enim hanc solus in homine præstantissimo desiderasset, quam literati omnes suspiciunt, & admirantur, atque inter cæteros *Joannes* [b] *Herold* Hoechstetensis, [c] *Hieronymus Cardanus*, [d] *Ludovicus Vives*, [e] *Franciscus Floridus*, atque alii, quorum quidam nihilò his inferior speciosa de illo hæc profert: *Itaque*, inquit, *reflorescentis eloquentiæ Princeps apud Italos videtur fuisse Franciscus Petrarcha suâ ætate celebris*, *ac magnus: nunc vix est in manibus*. *ingenium ardens*, *magna rerum cognitio*, *nec mediocris eloquendi vis*. Cardanus verò multa in hoc viro præclaro egregia fuisse testatur, sed potissimum linguarum pluritatem, percalluit enim Latinam linguam juxta ac *Græcam*, suo ævo, superioribusque *Italiæ* peregrinam. At *Vives*, primùm illum bibliothecas 110
diu clausas reserasse, inquit, situmque, & pulverem è monumentis maximorum auctorum excussisse. *Floridus* itidem primum illum Latinam linguam diù sepultam, ex ruderibus, & vetustate in lucem asserere esse adortum scribit. Abbas *Tritemius* illum in divinis scripturis eruditum, & in secularibus literis omnium sui temporis longè doctissimum appellat; philosophum, rhetorem, & poëtam celeberrimum, qui literas humanitatis post longa silentia mortuas, ab inferis revocavit ad superos, nec minus sanctâ conversatione, quam scientiâ clarum. Eundem virum undecumque doctissimum, & Latinæ linguæ multis jam sæculis exstinctæ primum instauratorem vocat *Sixtus Senensis*, Hetruscæ poëseos parentem, & absque ulla controversiâ principem. Virum sui sæculi eruditissimum asserit *Becichemus*; Poëtam, & oratorem sui temporis facundissimum *Tiraquellus*. ita ut verè de illo dicere possimus, quod olim de *Titinio Capitone* minor [f] Plinius pronuntiavit, *literarum illum jam senescentium* (vel potius jam extinctarum,) *reductorem*, *ac reformatorem fuisse*, quæ omnia, quamquàm minus nota fortasse *Paravicino* fuerunt, non ideo tamen illum ab injuriâ tam insigni, & ab iniquâ calumniâ tutum efficiunt, quoniam quæcumque ab ipso *Petrarcha*, vel ab aliis extraneis scriptoribus non acceperat, à suis saltem *Comensibus* agnoscere, & illorum sententiæ acquiescere debuisset, atque ab iis potissimum, quos ille præ cæteris commendat, & summis laudibus in cœlum, propriisque virtutibus extollit; nam [g] *Benedictus Jovius* doctissimum illum appellat, [h] *Paulus* verò *Jovius* florentis ingenii, & 111
styli scriptor, inter præstantiora ingenia, quæ in literis claruerunt, illum enumerat, nec illius effigie suum Musæum præclarissimum, & æternitati virorum doctorum dicatum carere, nec nobilissimo elogio tantum virum à se fraudari passus est, in quo inter cætera glorioso illius calamo hæc verè digna effulgent: *Sed debeamus*, inquit, *plurimum ingenuo sudore semper æstuanti*, *dum literas à multo ævo miserè sepultas è Gothicis sepulcris excitaret*, *modo eum tamquam Italicæ linguæ conditorem*, *& principem ab incomparabili divini ingenii virtute veneremur*. multos præterea libros ab eo non mediocri impensa repertos, qui injuriâ temporum interciderant, sed in primis epistolas *M. Tullii Ciceronis* ad *Atticum*, idem [i] *Ilicinus* scribit, quod & ipse [k] *Petrarcha* modestè innuit. Malè igitur *Paravicinus*, & nimis liberè, procaciterque in mores, & doctrinam optimi, & doctissimi viri invehitur, tot illius scriptis, totque clarissimis auctoribus reclamantibus, male ab eo contra mortuum tam injusta pugna suscepta est, quam contra vivum non invitus detrectasset: quid enim est aliud ita agere, quàm cum larvis luctari? sed & lepores Leonis defuncti barbam convellunt. Ubi verò unquam ipse, qui Philosophus est, *Aristote*-

[b] ibid.
[c] ibid.
[d] ibid.
[e] ibid.
[f] ep. 12. lib. 8.
[g] apud Porcachium libello jam citato
[h] in elogio F. Petrarchæ.
[i] in vita F. Petarchæ.
[k] in de epist. ad posterit.

lem vidit *Platoni* detrahere, quamvis sæpe ab eo
dissentiat, sive *Anaxagoræ*, *Anaximandri*, *Melis-*
si, *Parmenidis*, *Democriti*, aut aliorum pudorem,
& famam conviciis perstringere, quandocùmque
ab eorum opinionibus recedit? ubi à Ptolemæo
Marinum carpi, quàmquàm sæpiùs in his, quæ
ad Geographicen spectant, illius sententiam ex-
plodat? Sed qui Angelus, Dii boni, aut qui po-
tius Dæmon, notas illas tam leves, & ineptas
112 in *Columellæ* margine à *Francisco Petrarcha* fuisse
conscriptas *Paravicino* detulit? quis alia scripta
apud *Ludovicum Valdezuccum*? nàm quis illum
jàm annos ducentum, & quinquaginta scribentem
vidit? quis illius αὐτόγραφον agnovit? qui testes
producti? quæ prolatæ tabulæ, ut pro certo hoc
ille possit affirmare? an forte nos ita dementes,
ita stupidos *Paravicinus* arbitratur, ut illi absque
testibus in hoc judicio, ubi de dignitate, & de
statu, ut ita dicam, summi hominis agitur, cre-
damus, cujus fidei in alio diverso, ita ipsis legi-
bus suadentibus minimè staremus? Unde etiàm
Paravicino constat, Columellam in *Vaticanâ* Bi-
bliotheâ existentem, è *Petrarchæâ* ex *Arquato* in *Eu-*
ganeis montibus, sive *Patavio*, ubi magnus ille
vir ex humanis sublatus est, sive aliunde, *Ro-*
mam migrasse? quo tempore? quâ ratione? qui-
bus auctoribus? doceat ipse, vel saltem honesto
pudore suffusus habenas licentioris calami ab se
nimis liberè, & ultra fines modestiæ effusas pa-
lam, & apertâ declaratione fateatur.

CAPUT VIII.

HUCUSQUE non obscuris detractionibus, &
contumeliis contra *Franciscum Petrarcham*
à *Paravicino* res peracta est; nunc novo obtre-
ctationis genere *Volaterrano* imponens, & speciem
laudationis obtendens conviciatur; multa nimis
illum in suis Urbanis commentariis scribendo am-
plexum esse, inquit, ita ut rectè singula nequeat
discutere, atque inde inconsultò illum in hanc sen-
113 tentiàm fuisse prolapsum; homini nimirum lite-
rato in re literariâ literas objicit, ceu magnum
crimen, quid fecisset indocto, & inerudito? ni-
si fortasse id agat, ut tantò sibi major fides ha-
beatur, quantò pauciora quàm ille volumina evol-
vit, & lectitavit. In opere etiàm tam longo
Volaterrani nullum *Paravicinus* lapsum, præter
hunc, offendit, quàm emunctæ naris homo: de
quo tamen non ita malè [a] *Jovius* sensit, qui il-
lum nec sui Musæi celebritate, nec elogio lucu-
lentissimo indignum esse duxit, Latinamque tan-
tum elocutionem se in ejus scriptis desiderare,
non eruditionem, non doctrinam testatus est: eun-
dem inter celebres historicos recenset *Gilbertus*
Genebrardus, & virum eruditum, perspicacique
ingenio vocat *Papirius Massonus*, quò facilius
credamus nulla ratione, sed naturali quodam a-
nimi morbo tantorum virorum existimationem
ab hoc homine vellicari; cui fortasse illud *San-*
nazarii in *Pogium* non erit inconveniens:

Dum patriam laudat, damnat dum Pogius hostem,
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

Hæc quoque [b] *Vives* de *Volaterrano* scribit: *Ra-*
phaël Volaterranus variæ vir eruditionis, ac latè pa-
tentis inter alios est mihi reddendus. Item lib. 4.
Nec minus contemplationem hanc juvare Raphaël Vo-
laterranus potest tertiâ suorum commentariorum par-
te, quam Philologiam inscripsit, auctor magnam sa-
nè diligentiæ laudem meritus. Eadem argumentan-
di ratione, mordacitate scilicet, & linguæ pro-
cacitate utitur ad *Pii II Picolominei* auctoritatem
minuendam, vel si fieri possit, infringendam;
diuturna nempe studia, & assiduas occupationes
114 præstantiss. viro, & in studiis omnium discipli-
narum versatissimo objectat, longèque leviorem,
(hoc est indoctiorem,) *Volaterrano* illum vocat;

a in elogio Volaterr.

b lib. 3. de tradend. discipl.

A tanta dicendi libertate, ut quod virus in infimæ ple-
bis hominem vix mediocriter literatum spargere
nunquàm debuisset, id in virum nobilissimum,
& doctissimum, summumque Pontificem glorio-
sissimum, & de Rep. Christiana optimè meritum,
liberè evomere non erubescat: in illum nimirum,
qui totius antiquitatis, & in primis superioris
Plinii studiosissimus fuit, quoque nullus vel cer-
tius, vel probatius testimonium de illius patriâ
dicere potuit, qui summorum Pontificum, & a-
liorum Principum à secretis jugiter in aulâ vixit,
qui multas, gravissimasque legationes ad omnes
B supremos totius Europæ Principes obivit, qui-
que demum singulari doctrinâ, & pari pietate ad
summum Pontificatus fastigium sibi gloriosum
iter patefecit, unde ex *Æneâ Silvio Picolomineo*
Pius II. dictus est. Utque multa tanti viri scri-
pta, quæ ingentem illius eruditionem, & sum-
mum ingenium declarant, non sine injuriâ *Pa-*
ravicinus subticuit, ita dum pueriles illius lusus,
Euriali scilicet, & *Lucretiæ* amores, opus *Gal-*
licum per contemptum commemorat, invidiæ
suspicione non caret, est enim iniqua, (ut inquit
orator,) in omni re accusanda prætermissis bonis,
malorum enumeratio, vitiorumque selectio: quan-
C ta etiam ingenii eminentia in illo fulserit, tradi-
dit præter *Platinam*, vel potius ad vivum deli-
neavit, idem [c] *Decembrius*, & [d] *Papirius Massonius*,
quibus adjicio [e] *Sabellicum*. Verùm nec *Lauren-*
tii Vallæ cineribus, qui paucos, quamdiù vixit,
criminationum suarum expertos esse voluit, *Pa-*
ravicinus pepercit, non veritus à Poëtarum cœtu
ab historicorum, & oratorum ordine illum indi-
ctâ causâ excludere, & ablegare, vix illi relicto 115
inter mediocres grammaticos tantùm loco; quo-
niam tamen se judicem selectum hujus quæstionis
non cognoscit, non suo id actum judicio tacitè
innuit, sed illorum qui benè de re literaria meriti
D sunt. male enim apud eos illum audire inquit, &
jàm non mediocrem sui nominis jacturam fecisse
ex quo primùm differentiam inter conterraneum,
& concivem, *Comensium* opinione non admissâ,
statuere voluit. Sed necesse est ut vel *Paravicinus*
doceat, qui nam sint isti viri docti, apud quos *Lau-*
rentius Valla tam male audiat, & quorum judicio il-
lius existimatio, quam ex literis, & multâ eru-
ditione sibi comparavit, lædatur, & diminua-
tur, simulque ut eorum sententiam de illo profe-
rat, ut se non levis injuriæ etiàm in hunc homi-
nem illatæ reum fateatur, neque enim illi in cau-
sâ propriâ fides habenda est, cui fortasse illud an-
E tiquum non convenit (αὐτὸς ἔφα) quod olim Py-
thagoræ discipuli in dubiis dissertationibus profe-
rebant. *Paulus* sanè *Jovius*, civis *Comensis*, sum-
mo vir ingenio, & varia eruditione insignis, qui
parcus alieni operis semper laudator fuit, severæ-
que auris arbitrio superbus, ut illi quispiam ob-
jecit, *Laurentii Vallæ* effigiem à suo Musæo non
rejecit, sed illam inter viros doctos, & præstan-
tes virtute collocavit, *Romanos*que præalto sepul-
tos somno à *Gothicis* temporibus usque ad paren-
tum suorum memoriam ad nobilium literarum stu-
dium ab illo excitatos fuisse prædicavit; *Thucy-*
*didem*que, & *Herodotum*, Græcanicæ historiæ pa-
F rentes, illius liberali labore e *Græcia* in *Latium*
migrasse; præterea perscriptos ab eo falsè, & e-
ruditè testatur libros aliquot invectivarum, &
recriminationum, nec non historiam rerum in 116
Hispaniâ, & *Siciliâ* gestarum ab *Alphonso Arago-*
nio, & alia complura opera, ex quibus illum lon-
gè eruditum hominem, oratoremque, & histori-
cum magni nominis fuisse constat; nec aliter de
illo sensere *Sabellicus*, & *Becichemus*, qui illum
Varronem sui temporis, nobilissimum verò Gram-
maticorum vocat *Alciatus*, eundem ut virum præ-
stantem in literis citat [f] *Budæus*, multæ virum
do-

c lib. 4. parte 3.

d in vita Pii II.

e lib. 6. Ennead. 10.

f l. si necessarius §. si annua ff. de pignor. action.

doctrinæ, & ingenii in primis acuti vocat [a] *Pontanus*, hoc etiam miror à *Paravicino* jam flamine de *Vallâ* proditum, quod melior flamen, quàm grammaticus extiterit, quando inter claros grammaticos illum omnes nec postremo loco statuant, at impietatis, violatæque religionis reum ille se ipsum suis scriptis manifestè prodat, cujus eundem apertè insimulant *Pontanus*, *Jovius*, & *Sigonius*, & doctissimis etiam libris in eum editis *Augustinus Steuchus*. In alios ex scriptoribus â me supra relatis, qui multi sunt, mordacis calami mucronem *Paravicinus* non distringit, ut pote sibi majori ex parte ignotos; *Corium* verò, & *Bugatum* sententiæ suæ, & suorum *Comensium* etiam assertores, & probatores sibi falsò persuadet: nam [b] Corius *Plinium* superiorem *Veronensem* agnoscit, & *Veronensem* apertè nominat, [c] *Bugatus* verò dum unius *Plinii*, ejusdemque *Comensis*, tantùm meminit, alterum tacitè *Comensem* non fuisse testatum esse voluit; negat etiam *Paravicinus* a *Panvinio* nostro, & ab *Hieronymo à Curte* historiæ *Veronensis* scriptore superiorem Plinium *Veronensem* vocari, sed vel neutrius libros, vir alioquin multæ lectionis, legit, & observavit, vel subdolâ ratione calliditatem argumenti velavit; quoniam *Pan-*
117 *vinius* non semel illum *Veronensem* appellat, sed A bis, terque; *in Commentariis* scilicet *in libros Fastorum*, ubi de Consulatu *Plinii* junioris agit, & in libello *de nominibus Romanorum*, ac demum *in breviario Veronensis historiæ* manuscripto à me superius citato, [d] *Hieronymus* verò *à Curte* eundem inter *Veronenses* scriptores adeo palàm, & apertis verbis recenset, ut necesse non sit hoc ipsum clarius à me comprobari. In eo autem calliditas arguentis versatur, quod non omnino à *Panvinio*, aut ab *Hieronymo à Curte* Plinium *Veronensem* agnosci negat, sed solùm cum ab eis citatur, semper *Veronensem* non vocari, levissimo, nec ullâ B responsione digno argumento. Hæc omnia, tot, tantorumque hominum magna consensione confirmata, ut etiam certa, & diuturna *Plinii* apud nos possessio consequatur, necesse est; eam igitur semper tam ante *Franciscum Petrarcham*, quàm post illius excessum *Veronenses* retinuisse glorientur, cujus rei argumento est ipsius *Plinii* statua in summo *Veronensis* Comitii fastigio à majoribus nostris ex S. C. antiquitus erecta, præter *Panvinii* testimonium; sed quoniam eandem apud se esse ipsi quoque *Comenses* jactant, & ideo videndum esset, utra justior, utra antiquior sit, hanc disputationem hic missam facio, de illâ satis acturus, cum de *Comensium* possessione tractabo.

a lib. 6. de sermone.
b in vitâ Domitiani.
c lib. 2. hist. univers.
d lib. 1. hist. Veron.

118

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

AGGREDIOR alteram partem polliciti operis, argumenta scilicet, & jura omnia, quibus *Comenses* utuntur, ut *Plinium* nostrum etiam invitum, *Comensem* efficiant; quæ quidem opera quàmquàm inanis, & superflua esse videbatur, (postquàm satis superque duobus superioribus libris à nobis probatum est, *Veronensem* illum fuisse,) non fuit tamen prætermittenda, ne vel silentio nostro illorum argumenta probare videremur, vel nullâ responsione despicere, & aspernari: quod omninò incivile esset, & à nostro instituto prorsus alienum; simulque quia prævidebam adversarios iis omnibus ad amussim examinatis, & perspectis, cum nostrisque collatis, jàm de victoriâ parùm sollicitos facilius præsenti controversiæ cessuros, atque id quidem sapienter, nullo siquidem magis Patriæ affectu, sicut ego existimo, quàm veritate, præsens negotium, ut cætera sua omnia metiuntur. Hoc igitur illis præmissum esse volo, quod etiàm aliàs attigi, quodque verissimum
119 est, ex adoptione scilicet *Plinii* nepotis, qui per eam è *Cæciliâ* Comensi gente in nostram *Pliniam* migravit, ingentem, & supinum hunc errorem in animos hominum obrepsisse, ut *Plinius* noster *Comensis* aliquando fuerit existimatus, idem quippe nomen, cognomenque Avunculi per illum hac civili actione adquisitum, tantum quandoque tenebrarum ingeniis posteritatis offudit, ut uterque *Plinius* etiàm à nonnullis antiquorum, prout à multis recentiorum, unus tantum fuerit creditus; Itaque nihil de posteriore *Plinio* loquebantur, quod etiàm superiori, hoc ipso errore decepti non adscriberent, & è contra: cujus adoptionis tale nobis testimonium [e] *Plinius* junior reliquit in epistolâ ad Capitonem. *Avunculus meus*, inquit, *idemque per adoptionem pater, historias & quidem religiosissimè scripsit.* Ex hac primùm adoptione *Plinia* familia inter *Comenses* censeri cœpit, illis antea ignota; hinc deinde tractu temporis nonnullæ *Pliniorum* inscriptiones apud eos emanare, quarum ante ipsam nulla mentio, nullum vestigium, at ne umbra qui- C dem fuit, quod & ipsi fatebuntur; ab eâdem adoptione *Paravicinus* multarum fabularum argumentum auspicatus multa prodit, quæ minus vera sunt, exordioque in primis hinc deducto sic statuit, *Cigalino* tamen, præter *Jovium*, in multis duce: quòd filii adoptivi non solùm in jus, potestatemque patris adoptantis transibant, sed etiam illius patriam nanciscebantur, suæ originis jure amisso; & ideò, cum *Plinius* minor semper in *Oufentina* tribu, in qua *Comenses* suffragium ferebant, descriptus videatur, nunquam in *Pobliliâ*, seu *Publiliâ*, in qua *Veronenses*, necesse est D ut etiàm *Plinius* avunculus, à quo fuerat adoptatus, in *Oufentinam*, non in *Pobliliam* fuerit relatus, 120 atque hinc *Comensis*, non *Veronensis* sit censendus. Quo argumento *Cigalinus* adeo erigitur; ut ex eo certissimam sibi victoriæ palmam polliceatur; firmissimum illud, certissimumque argumentum appellans, quo omnis in pósterum dubitandi occasio præcidatur; verùm hæc, & similia etsi legentium animos, ceu larvæ quædam, primo adspectu movere videantur, in his tamen, qui *Romanam* historiam callent, & adoptionum juris non sunt omninò nescii, nihil efficiunt, nulliusque momenti habentur. sicut enim verum est, fi- E lios adoptivos in parentum adoptantium potestatem, familiamque concedere, & omnia illorum jura consequi, ut præsertim docet ipse minor [f] *Plinius* illis verbis, ubi de *Trajani* adoptione loquitur: *Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, & consors Tribuniciæ potestatis, & omnia pariter & statim factus es, quæ proximè parens verus tantum in alterum filium contulit*: ita falsum est, ut per hujusmodi civilem actum jus originis lædatur, immuteturve, ut docet [g] *Paulus* J.C. & [h] *Diocletianus* Aug. cum *Maximiano*, antiquum jus interpretantes, qui in hæc verba ad Atticum rescri- F pserunt: *In adoptionem quidem alienæ civitatis civi rectè dato additur, non mutatur Patria; ac propterea jus originis in honorum, & munerum obsequio per adoptionem non minui perspicis.* quo loci *Baldus Ubaldus* inter recentiores J. C. acutissimus, ita scribit: *Per adoptionem patria additur, non detrahitur, additur civilis, & non detrahitur patria naturalis.*

e ep. 8. lib. 5.
f in Panegyr.
g in l. 15. §. ult. ff. ad municip. & de incol.
h in l. 7. C. de adopt.

turalis. item Bartholomæus Salicetus, *Adoptio*, inquit, *non minuit adoptati domicilium originis, ideo & ibi honores, & onera subire tenetur*; quod etiàm fusius, & luculentiùs quàm cæteri, explicat do-
121 ctiss. *Petrus* [a] *Gregorius*: soluto verò per emancipationem jure patriæ potestatis, & ipsum jus civitatis per adoptionem quæsitum solvebatur, ut post [b] *Hermogenianum* idem [c] *Petrus Gregorius* docet, quæ quidem omnia videntur comprobari etiam ex illâ *P. Scipionis* oratione, quam Censor habuit ad populum, cujus meminit *A.* [d] *Gellius*, à *Cigalino* observatus, licet mihi subobscura sint illius verba; quid igitur refert, quòd *Plinius* nepos, qui per adoptionem jus originis minimè mutaverat, nec *Comensis* esse desierat, *Oufentinâ* semper *Comensium* tribu videatur notatus, (quatenus tamen id factum sit *C. Plinio* avunculo vivente, quod est falsum) quando nihil obstabat, quominus etiam *Veronensis* eodem tempore exstiterit, hoc jure per adoptionem adquisito? Hinc igitur rectius *Cigalinum* sensisse, quàm *Paravicinum*, dicendum est, qui non adimi patriam originis filio adoptato rectè sensit: at in utrâque tribu tàm patris naturalis, quam adoptantis eidem jus suffragii ferendi salvum esse apertè testatur. Verùm ex his altera, nec minor oritur dubitatio, anscilicet filius adoptivus, qui post adoptionem in duabus tribubus jus habebat, utramque etiam in suis inscriptionibus testaretur, quod credidit *Cigalinus*, vir perspicax, & acutus, exemplo *Augusti*, qui à *C. Julio Cæsare* avunculo magno adoptatus, *Fabiam*, & *Scaptiam* æquè titulis suis vivens inseruit, ut ex hac inscriptione patet:

C. IVLIO C. F.
FAB. SCAPT.
CAESARI
AVGVSTO

122 alteram scilicet propriam gentis *Juliæ*, ut ipse inquit, alteram *Octaviæ*; hinc ipse Augustus *Fabianis*, & *Scaptiensibus* tribulibus suis die Comitiorum, ne quid à quoquam desiderarent, singula millia numûm à se dividebat, ut inquit [e] *Suetonius*, à *Cigalino* etiàm observatus, nec illi deest exemplum alterius *Brixiensis* inscriptionis, quæ est hujusmodi, cujus fidem ratam habet *Panvinii*, & *Sigonii* testimonio.

Q. MINICIO Q. F.
FAB. POB.
MACRO.

Ex quibus innuit Cigalinus, *Oufentinam* tribum ad utrumque parentem, naturalem scilicet, & adoptivum minoris *Plinii* spectasse, nam si *Plinius* superior, & illius per adoptionem pater alterius tribus fuisset, illam etiam filius adoptivus in suis elogiis expressam fecisset; Ego verò in contrariam sententiam totus inclino, quoniam quidquid sit de illâ *Augusti* inscriptione, (quæ mihi valde suspecta esset, tamquam nimis jejuna, nimis arida, & tanti viri majestati minimè conveniens, omnibusque illius inscriptionibus longè dissimilis, nullâ ullius dignitatis, sed tribuum tantùm mentione, nisi illam [f] *Panvinius*, & [g] *Hubertus Goltzius* probarent) illud sanè verissimum est, quod longè plures lapides exstant cum inscriptionibus filiorum adoptivorum, in quibus unius tantùm tribus, quàm in quibus duarum mentio est, quas his subjicio, aliis prope innumeris omissis, quæ passim apud *Jacobum Mazzochium*, *Panvinium*, *Lipsium*, & *Gruterum* leguntur; atque inde usu frequentiore receptum credo, ut unâ tantum ab adoptivis, non plures tribus nominarentur.

[a] lib. 10. cap. 6. n. 26. & lib. 18. c. 13. num. 11. Syntagm. jur. univ.
[b] l. 16. ff. ad munic.
[c] in d. locis.
[d] lib. 5. c. 19.
[e] cap. 40. in Aug.
[f] in tribu Scaptia.
[g] in Augusti titulis.

Apud Mazzochium fol. 102. 123

DIS MANIBVS
TI. CLAVDIO TI. F. QVIR.
PROCVLIANO
CLAVDIA PROCVLA SOROR
FECIT
VIXIT ANN. LXXXXV.
MENS. IIII. DIEB XIII.

Ibid. fol. 144.
elegis antiquis satis elegans.

AVLVS PALATINA EGNATIVS
PRISCILIANVS.
ARTE SVPER GEMINA
NOBILIS ET SOPHIA
DVM VIXI DIDICI QVAE
MORS, QVAE VITA HOMINI
ESSET
AETERNA VNDE ANIMAE
GAVDIA PERCIPIO

Ibid fol. 161.

D. M.
Q. AEMILI Q. F. QVIR.
IVLIANI EQ. R.
QVI VIXIT A. XIIII. M. VI
D. XIII. FILI DVLCISSIMI
PARENTES INFELICISSIMI.

Ibid. fol. 171.

C. IVLIVS C. F. PAL.
SVLPICIANVS
ET CAECILIAE EIVS...

Ibid. fol. 175.
Longiss. inscriptio quæ incipit.

T. PLAVTIO M. F. ANI.
SILVANO AELIANO
PONT. SODALI AVG.
III. VIR. A. A. A. F. F. Q. II.
&c.

Ibid. fol. 176.

M. VALERIO M. F. PAL.
AMERIMNIANO
VIXIT ANNIS XII.
MENSIBVS VIII. DIEBVS
DVOB. HOR. X.
M. VALERIVS M. L.
AMERIMNVS
FILIO SANCTISSIMO ET
PIENTISSIMO
FECIT
NATVS EQ. ROM. VICO
IVGARIO.

Apud Panvinium in tribu Horatia. fol 507.

M. SEPTIMIO M. F. HOR.
SEPTIMIANO
EQVO PVBLICO III VIR. I. D.
PRAEF. FABR. ROMAE
DEC. IIII. SCAMILLAR.
OPERAE VETERES
A SCAENA
PATRONO OB MERITA
L. D. D. D.

Ibid. in tribu Sergia fol. 511.

C. RASINIO C. F. SER.
TETTIANO
PRAEF. FABRVM IIII VIR.
PRAEF. COH. PRAETOR.
PATRONO MVNICIPI.

Ibid.

Ibid. in tribu
Veturia fol. 512.

SEX. CALPVRNIVS
SEX. F. VETVRIA
QVINCTIANVS.

---

124 *Ibid. in tribu*
Stellatina fol. 515.

SOLI INVICTO
MITHRAE
T. ANTISTIVS T. F.
STELLATINA
SEVERIANVS DEDICAVIT.

Ibid. in tribu
Tromentina fol. 516.

C. BETVO C. F. TRO.
CILONI MINVCIANO

Item ibid.

C. VIBIO C. F. L. N. TRO.
GALLO PROCVLEIANO
PATRONO PERVSINORVM
PATRONO ET CVRATORI
RP. VETTONENSIVM
&c.

Ibid. in tribu
Pomptina fol. 520.

L. TARQVITIO
L. F. POMP.
ETRVSCO SVLPICIANO
SCRIBAE QVAESTORIO
EX TESTAMENTO
DE HS XX.

Apud me.

. . CASSI.
. F. POB.
. . LVIO IIII VIR.
. . DILIC. POT.

Quem sic restituo.

. CASSIO
. F. POB.
FVLVIO IIII VIRO
AEDILIC. POT.

Apud Ambros. Morales in
lib. de antiquit. Hispan.
fol. 19.

C. VALERIVS C. F. GAL.
VALERIANVS.
&c.

Plures etiam hujusmodi inscriptiones exstant apud *Fulvium Ursinum*, ac præsertim in gente *Flaminina*, *Tarquitia*, & *Varguntеja*, ac demum in incerta *fol.* 290, ubi veterem inscriptionem *Dei Fidii Semonis Sanci* refert; sed dùm aliena sectamur, nostrorum penè obliviscimur, namque ab ipso *Cigalino*, nec sciente, opportunissima nobis adsunt exempla, quibus illum ceu propriis telis conficiamus.

P. MARIO . . VOT.
LVPERCIANO
EQ. R. EQ. PVB. OMN. HONOR
MVNICIP. ADEPT. &c.

A Item
C. CORNELIO C. F. VOT.
MINICIANO
PRAEF. COH. PRIMAE
DAMASC. &c.

si quando verò in antiquis monumentis geminæ tribus mentio reperitur, quod accidit adeò raro, ut vix duo supra relata exempla longo studio *Cigalinus* ex *Panvinio* nostro, & *Huberto Goltzio* collegerit, hinc tamen certa adoptionis nota non præsumitur, ut ille credit; quod etiam patet ex illa *Brixiensi* inscriptione Q. Minicii Macri, in quâ nullum adoptionis vestigium videtur; siquidem alias etiàm ob causas contingere hoc poterat, quarum meminit [a] *Panvinius*, ubi duas illas inscriptiones, *Augusti* scilicet, & *Q. Minicii* recenset, his verbis: *Duas enim tribus Augustus, & plerique alii aliquando obtinebant, alteram quam sibi nascendi sors dedisset, alteram verò vel jure adoptionis, aut in accusationis de repetundis præmium, aut emptam, ut quis majorem in distributionibus partem haberet.* Quo fit, ut valde mirer, *Cigalinum* illas quidem à *Panvinio* desumpsisse, rationem verò duas tribus adquirendi ibidem per eum traditam, præter illam adoptionis, silentio præteriisse, quo scilicet major fides suis dictis quæreretur. Ipsa autem sola tribus, quæ in adoptivorum titulis legitur, non patris adoptantis, ut inquit *Cigalinus*, (meo quidem judicio,) censenda est, sed propria originis, & naturalis patris, tùm quia tale jus nullo civili vinculo tolli, vel lædi poterat, ut supra ostendi, & ideò Senatoris, vel Consulis seu Consularis filius in adoptionem datus plebejo homini, senatorius, vel consularis esse non desinebat, ut tradit [b] *Paulus J. C.*; tum etiam quia maximum absurdum sequeretur, ut fictio adoptionis, quæ naturam imitatur, plus posset efficere, quam ipsa natura; nisi potius diceremus, quòd durante adoptione, nec eâ per emancipationem, vel per mortem solutâ, filii quoque adoptivi patris adoptantis tribum præcipuam haberent, quod videtur innuere illa *C. Cornelii Miniciani* inscriptio; qui cùm tribum *Fabiam*, quæ gentis *Miniciæ* propria fuit, sequeretur, ut pote *Brixiensis*, ut scribit [c] *Plinius* ad *Junium Mauricum*, in *Votiniâ* tamen descriptus est, ut in sæpe memoratâ inscriptione patet, patre scilicet adoptivo adhuc vivente; solutâ vero adoptione, vel per emancipationem, ut, supra videmus, vel per mortem adoptantis, omnia itidem adoptionis jura solvebantur, ut ne vestigium quidem illius superesset, ita nobis [d] *Papiniano* attestante, proindeque jus etiàm ipsum tribuarium exstinguebatur; itaque mirum non est, quòd in inscriptionibus *Plinii* minoris *Oufentinæ* tribus mentio semper habeatur, non alterius; quia factæ sunt non solum annis triginta, & ultra post obitum patris adoptantis, Consulatu scilicet ipsius *Plinii*, Auguratu, & aliis rebus gestis ibidem luculenter descriptis hoc nobis indicantibus: accedente etiàm, quod L. F. id est *Lucii Cæcilii filius*, non C. F. idest *C. Plinii filius*, in eis dicitur; sed etiam post mortem ipsius adoptati; quoniam nec tantos titulos (quæ fuit illius verecundia) viventi sibi inscribi passus esset, quàmquam immensâ gloriæ cupiditate flagraret, nec nisi defuncti supremæ tabulæ aperiuntur, unde tàm profusa liberalitas illius emanavit; cujus ipsæ inscriptiones non dubio grati animi indicio fusissimè meminerunt: quamquam verò in unâ tantùm ex eis C. F., & C. N. dicatur ita *Panvinio* referente, id est *Caji* filius, & C. nepos, quæ notæ patrem adoptantem, & avum respiciunt, suspicione tamen non caret in hac parte, prout etiam *Cigalinus* animadvertit; & in alterâ, ubi Legionis VI. *Gallicæ* mentio est, quæ *Plinii* tem-

[Margin markers: B, C, D, E, F; section numbers 125, 126, 127 in right margin.]

[a] in tribe Scaptia.
[b] in l. 6. ff. de Senat. l. 35. ff. de adopt.
[c] ep. 14. lib. 1.
[d] l. 13. ff. de adoption.

A tempore nondum fuerat instituta, quantùm ex à *Dione* colligi potest, à *Cigalino* citato. [à lib. 55.]

Est etiam altera responsio non spernenda, cujus me auctorem facere nec pudet, nec piget: siquidem, cùm vidissem in majori parte colonicarum inscriptionum, & præsertim nostrarum *Veronensium*, nullam alicujus tribus notam exstare, dubitare primum cœpi, an fortè ad peregrinos spectarent, sed rursus cùm observassem longè majorem esse numerum illorum lapidum, in quibus nulla tribus mentio est, quàm illorum in quibus notata cernitur, existimavi fieri non posse, (quantùm ex hoc conjici potest) ut plus peregrinorum, quàm civium in civitate reperiretur; & ideò arbitratus sum familias illas, quæ suæ tribus nota ab aliis distinguebantur antiquiores, & clariores aliis fuisse illâ notâ carentibus, ut potè ab illis familiis emanatas, quæ post deductam coloniam, & ante Dictaturam *C. Julii Cæsaris* in patriâ primis magistratibus gestis *Romanam* civitatem adquisivissent, atque hinc, cùm multæ per clientelam *Romanis* familiis insertæ essent, *Romanis* etiam nominibus utebantur, ut ex his quas cum suis inscriptionibus hic subjicio facile apparet, partim à *Saraina*, & ab aliis relatis, partim à me observatis.

C

Apud Sarainam.

Q. TVRPILIO

Q. F. POB.

Ibidem.

M. CINTVLLVS L. F. POB.
SEVERVS
MILES COH. V. PR. SIBI ET
128 . . . . . P. F. MAXIMAE
MATRI

D

Apud Sarainam.

C. SEMPRONIVS C. F. POB.

REITA

Ibid.

Ad portam ædium Jo. Bapt. Carterii V. Nob. & uxoris meæ avunculi prope templum Cathedrale.

Q. CAESIO Q. F.
POB. SIGNIF.
M. CAESIO Q. F.
POB. VETERANIS
E
LEG. XIIII. GEMIN.
Q. CAESIVS Q. L.
PRIMVS.

Ibid.

L. OCTAVIO L. F. POB.
SEVERIANO
QVI VIX. ANN. XXI
DIEBVS XXIX:
L. OCTAVIVS SEVERVS
F
ET TRATORIA
PARENTES INFELICISSIMI
FILIO DESIDERATISSIMO

Ibid.

V. F.
M. QVINCTIVS P. F. POB.
MODERATVS
P. QVINCTIO POLLIONI
FRATRI
. . . .

Ibid.

SEX. RVBRIO SEX. F. POB.
FESTO
FLAMIN. ROMAE ET AVG.
D. D.

Ibid.

Ad hospitium Stellæ in foro vinario.

Q. SALASIO Q. F. POB.
LVCILIAE VXSORI
EIVS
PAVLLVS L. FECIT ET SIBI.

Ibid.

L. OCTAVIVS L. F. POB.

MARCELLINVS

BENEFICIARIVS PRAETOR

P. B. L. VOCATVS

T. F. I.

Ibid.

P. GRAECINIO
P. F. POB.
LACONI
ORNAMENTIS
CONSVLARIBVS.

Ibid.

C. ATTO C. F. POB.
C. XILO FILIO SVO

Ibid.

L. TRVTTEDIVS
P. F. PVB.
SIBI ET SECVNDAE
BAEBIAE C. F.
V. F.

Apud Panvinium in tribu Popillâ. 129

M. APICIVS
M. F. PVB.
PVDENS
VERONA
MIL. COH. XII. PR.
MILIT. AN. XVI.
VIX. ANN. XXXIIX.
H. S. E.

Apud Oratorium Divi Zenonis humi fixus lapis à me observatus.

C. STATIVS

C. F. POB.

MANCINVS.

In tabula ænea Cæsaris Nichesolæ.

HONORI
M. GAVI. M. F.
POB. SQVILLIANI
EQ. PVB. IIII. VIR. I. D.
IIII. VIR. AP. VB
CVRATORI VICETINOR
APPARITORES ET
LIMOCINCTI
TRIBVNALIS EIVS.

Apud

Apud me.

. CASSI. .
. F. POB.
. . LVIO IIII VIR.
. . DILIC. POT.

Repertum Pisceriæ ad emersum Benaci in agro Veronensi anno 1594.

C. PETRONI C. F.
POB. MARCELLINI
INTER PRIMOS COLLEGI
ATO IN COLLEGIo NAVICVLA
RIORVm ARDELICENSIVm CVI
COLLEGIO DEDIT LEGAVITQ.
SS. N II AT SOLEMNIA CIBVS
ET ROSARVM SIBI ET CONIVGI
PETRONIA PIA PATRI
PIENTISSIMO.

In templo Corigii in agro Veronensi

Duo capita.

M. CLVTTIVS P. F. POB.
SIBI ET SVIS
PACILIA M. F. VASSILIA VXOR

Tria capita.

P. CLVTTIO VIRIO
PATRI
CAELIAI MAXIMAI
MATRI
CLVTTIAI P. F. TERTIAI
SORORI.

* *Inscriptio, quæ semicirculari forma exstat in atrio ædium clariss. fratrum Gentilis, & Aloysii Comitum Turrianorum:*

L. ANNIVS C. F. POB. SIBI ET
M. ANNIO C. F. FRATRI FIERI
TESTAMENTO IVSSIT PROBAVERE
DIOMEDES ET ANTHVS LIBERTI.

130 Alias verò familias, quæ innominatâ tribu in nostris lapidibus spectantur illas fuisse credo, quæ ante Dictaturam *C. Julii Cæsaris* majores magistratus in patria non gesserant, & ob id nec in civitatem *Romanam*, nec in *Romanas* clientelas fuerant receptæ, sed illius tantùm beneficio civitatis *Romanæ* jus unà cum aliis *Transpadanis* obtinuerant ipso jam Dictatore, ut supra ostendi, in quarum inscriptionibus suæ tribus denominatio uti superflua omissa est, omnibus quippè civitate, & tribu jam communi, non paucis, ut antea. Itaque, cùm *Plinia* gens civitate *Romanâ* hoc posteriore jure uteretur, ut est credendum, (est enim *Pliniorum* nomen *Romanis* familiis penitus externum) nulla tribus nota referebatur; *Cæcilia* verò *Comensis* Romanæ civitatis vetustate, & *Cæciliæ* gentis clientelâ insignis cum suâ tribu nominabatur, atque inde fit, ut *Oufentinæ* tantùm tribus in istis *Plinianis* inscriptionibus, nulla verò *Publiciæ*, seu *Poblitiæ* mentio habeatur.

CAPUT II.

SI tàm facilè quæ firmissima à *Comensibus*, certissimaque habentur argumenta, à nobis resolvuntur, & eorum arces munitissimæ expugnantur, non video quodnam illis tutum deinceps pateat confugium, & ideo non vereor quin ea quæ sequuntur illorum argumenta ipso transitu, ceu arces invalidæ, & parum firmæ, nullis resistentibus à nobis facillimè occupentur. Possidebat, (inquiunt Comenses) *Plinia* majoris *Plinii* soror, & minoris mater, prædia in agro *Comensi* juxta 131 *Larium*, quorum alienationem in *Corelliam*, defunctâ jam matre *Plinius* interdixit, cui cæterorum omnium emendorum, (paternis, maternisque exceptis) potestatem fecerat, ut ad a *Fabatum* prosocerum scribit, ergò & ipsa Plinia *Comensis* erat, (ita enim subdunt,) ergo & *Plinius* frater; sed fatua est ista conclusio, & ab omni rectâ ratiocinandi ratione aliena; quid enim prohibet quominus etiam *Veronensis* in agro *Comensi* fundos habeat, eosque in dotem sororis convertat, nec tamen *Comensis* sit, aut *Veronensis* esse desinat? Legimus *Romanos* cives in Provinciis extra *Italiam* Augusti tempore latifundia, villas, & multa prædia possedisse, cumque ab ipso *Augusto* omnis extra *Italiam* profectio Senatoribus interdicta esset injussu suo, permissam tamen fuisse in *Siciliam* proficiscentibus, in *Galliam*que *Narbonensem*, ut tradit b *Dio*, at non quidem omnibus, sed illis tantùm, qui aliquam ibi locorum possessionem haberent; quid ergo? an ex eo solùm, quòd in his Provinciis, & in longè remotioribus civis *Romanus* fundos, & prædia possideret, amissâ ideò civitate Provincialis *Siculus*, & *Gallus Narbonensis* fiebat? quid magis ridiculum? Eâdem ratione nec *Catullus* noster *Veronensis*, nec M. Cælius *Romanus*, nec Plinius nepos, aut Fabatus *Comenses* fuissent; habuit enim *Catullus* fundum inter *Sabinos*, & *Tibur*, quod docet illo epigrammate ex Scazontibus incipiente, *O funde noster seu Sabine, seu Tiburs*, M. Cælium in *Africâ* paternas possessiones habuisse tradit c *Cicero*, habuit d *Fabatus* villam *Camillianam* in *Campaniâ*, præter e *Amerina* prædia; celebrat f Plinius *Laurentinum* suum, celebrat g *Tusca* prædia *Tifernio Tiberino* vicina, in 132 quibus villam suam amplissimam, & amœnissimam h describit. *Pompeja* quoque *Celerina* Fabati nurus, & junioris *Plinii* socrus in agro *Ocriculano* in *Narniensi*, in *Carseolano*, & *Perusino* rura olim i possedit, nec tamen simul, saltem origine, *Ocriculana*, *Narniensis*, *Carseolana*, & *Perusina* fuit, quàmvis domicilium in omnibus istis locis eodem tempore habere potuerit, non est enim à jure dissonum, ut pluribus in locis quis habeat domicilium, ut tradit k *Paulus* J. C. & l *Ulpianus*, nec tamen ullum juri naturæ, & originis præjudicium inferatur: fuit autem vel *Romana* è gente *Pompeja*, vel *Comensis*, familiæ *Pompejæ* nomine eò per clientelam translato, ut supra memoravi, & ideo nec etiam simul *Alsiensis* esse potuit, saltem origine, nam de illius quoque villâ *Alsiensi* meminit m *Plinius* gener *in epist. ad Albinum.*

a ep. 11. lib. 7.
b lib. 52 in fine.
c in orat. pro M. Cælio.
d Plin. ep. 30. lib. 6.
e idem ep. 20. lib. 8.
f ep. 9. & 22. lib. 1. Item ep. 17. lib. 2. & 6. lib. 4. & 4. lib. 7. & 40. lib. 9.
g ep. 1. lib. 4. It. 6. & 18. lib. 5. It 15. 36. & 40. lib. 9.
h ep. 6. lib 5.
i Plin. ep. 4. lib. 1.
k l. 5. ff. ad municip. & de incolis.
l l. 6. ibid.
m ep. 10. lib. 6.

Ex his planè vident *Comenses* hujusmodi argumenti levitatem, & ideo illud, tamquam arborem succiso trunco omni ex parte nutantem, exemplo majoris *Plinii* nituntur adjuvare, atque inprimis *Paravicinus*; nam, si *Plinius* major, (ut ipse inquit,) aliquid prædiorum in agro *Veronensi* habuisset, illud utique etiam ad filium adoptivum post ejus mortem pervenisset, at nihil ibi minor *Plinius* unquam possedit, multa verò in agro *Comensi*, & ad *Larium*: ergo & *Plinius* superior minimè *Veronensis*, sed *Comensis* habendus est. Sed hoc eodem argumenti genere nos quoque captioni versutæ adversariorum respondebimus, omnemque illius dubitationem tollemus; nàm cum nihil penitus in agro *Comensi* ex *Plinii* avun-

* Hæc in priori editione per errorem omissa, monente Auctore, huc reposita.

avunculi hæreditate ad nepotem perveniſſe conſtet, dubio procul nec ipſum avunculum *Comenſem* fuiſſe cenſendum eſt; nam ſi quidquam bonorum ad ſe inibi ex illius hæreditate eſſet dela-
133 tum, vel illud *Plinius* nepos non ſiluiſſet, vel æquè ac paterna, maternaque prædia, in *Corelliam* alienari prohibuiſſet, ob ſingularem tanti viri memoriam: à quo amari, & educari non multum fuit, (hoc ſibi ſanguinis propinquitate poſtulante;) at verò ſui nominis, & totius aſſis hæredem inſtitui, hoc profectò plurimum, illius etiam judicio accedente: cujus tamdiu manſurum teſtimonium vir veræ gloriæ cupidiſſimus oſtentare poterat, quàmdiù illius bonorum alienationi pepercisset. ſicut enim *Alſienſem* Pompejæ [a] Celerinæ villam clariorem reddiderat *Virginii Rufi* nomen, ex eo ſolùm, quòd illam vir clariſſimus poſſederat, quo pacto & alia littori impoſita inter *Avernum* lacum, & *Puteolos* M. Tullio Cicerone, ac deinde Antiſtio Vetere dominis nobilitata eſt, quam Cicero *Academiam* ſuam appellavit, ſic *Plinio* [b] nobis teſtante, ita ſuos fundos adeo ſui nominis celebritate ipſum majorem *Plinium* illuſtraſſe credendum eſt, ut etiam illo mortuo tamquam prioris domini gloriâ fulgentes pretioſiſſimi, & laudatiſſimi haberentur. Sed in hoc tam *Comenſes* falli poſſunt, dum negant quidquam in agro *Veronenſi* ab illo fuiſſe poſſeſſum, quam nos negantes in agro *Comenſi* ulla prædia eundem habuiſſe; ſi quidem inter ſua *Tranſpadana*, (quorum meminit minor [c] *Plinius*,) tàm ſua *Comenſia Cæciliana*, quam *Veronenſia Pliniana* contineri poſſunt, non enim magis *Tranſpadani* ſunt *Comenſes* procul à *Pado* ſiti, quàm *Veronenſes*, ipſo *Pado* fines noſtros ad *Hoſtiliam* vetuſtiſſimum *Veronenſium* Vicum, & longo ſpatio inferius alluente. Neque vero quiſquam ſit, qui paternorum fundorum appellatione, quorum alienatio-
134 nem in *Corelliam* Plinius nepos ſuis literis vetuit, etiam fundos, qui hæreditario avunculi jure ad eum pervenerant, comprehendi exiſtimet, quoniam illum paſſim avunculum, non patrem nominat; paterno præſertim adoptionis jure per mortem illius jàm longè anteà penitus exſtincto; præterquàm quòd patris nomen in dubio ad naturalem magis, quàm ad civilem referendum eſt.

a Plin. epiſt. 10. lib. 6.
b lib. 31. c. 2.
c epiſt. 6. lib. 4. & ep. 1. lib. 6.

At nec illud *Comenſium* argumentum me movet, ex epiſtolâ nepotis ad [d] *Romatium Firmum*, à *Benedicto Jovio* deductum, quod tantopere *Paravicinus* poſt *Cigalinum* extollit, ubi ad eum ſcribens, ſic inquit, *Municeps tu meus, & condiſcipulus, & ab ineunte ætate contubernalis, pater tuus, & matri, & avunculo meo, mihi etiam, quantùm ætatis diverſitas paſſa eſt, familiaris.* quibus verbis firmiſſimum ſententiæ ſuæ fundamentum *Comenſes* conſtituere videntur; nam ſi *Romatius Firmus* minori *Plinio* municeps, & proinde *Comenſis* fuit, cujus pater itidem *Comenſis* majori *Plinio*, & *Pliniæ* ſorori familiaris exſtiterat, ex iſtâ familiaritate, quæ illi cum utroque eorum intercelſerat, arguere volunt quod etiam ſuperior Plinius *Comenſis* exiſtimandus, & inter *Comenſes* cives referendus ſit: ſed minus rectè meo quidem judicio: quoniam ſola illorum inter ſe familiaritas, (quantùm ex iſtâ *Plinii* epiſtolâ conjectamus,) non ſufficit ad probandum eandem ipſi *Plinio* fuiſſe patriam, quæ & *Romatio* patri; quid enim prohibet, & ſi diverſam patriam uterque nactus, quominus *Comi*, *Romæ*, in *Hiſpaniâ*, in *Campaniâ*, aut alibi, inter ſe mutuâ familiaritate uſi ſint, meliori præſertim ætate à *Plinio* Romæ exactâ, & uſque à primâ pueritiâ, ut ſupra oſtendi, & publicis *Romæ* muneribus ab eo adminiſtratis,
135 præter *Hiſpaniæ* procurationem, & *Miſenenſis* claſſis Præfecturam? omitto diverſa bella, quibus interfuit, quorum cauſâ aliquando *Româ* abfuiſſe coactus eſt. quòd ſi etiam *Comi* hujuſmodi familiaritas *Romatio* cum *Pliniis* fratribus intercesſit, (fratre forte ſororem propinquitatis cauſâ quandoque ut fit inviſente) tanti tamen non eſt, ut idem ex eâ ſolâ *Comenſis* ſit præſumendus; quemadmodum nec illa *Romatii* cum *Pliniâ* ſorore familaritas hoc nobis perſuadet; illa ſiquidem tam *Romæ*, quàm alibi, præterquam *Comi*, accidere potuit; quod eò magis credendum eſt, quia poſt mortem *L. Cæcilii* mariti cum *Plinio* filio puero in domum fratris ſeceſſit, erat enim cum eo *Miſeni* pridie quam inde ad *Veſuvium* ſolveret, ubi vi pulveris, & favillæ oppreſſus interiit, ut in epiſtola ad [e] *Cornelium Tacitum* idem *Plinius* tradit, [f] quo tempore annum duodevigeſimum ætatis ſuæ, agebat, ſequenti verò anno dicere in foro primum cœpit, avunculo jam ex humanis exempto, ut ipſe ad [g] *Capitonem* ſcribit, [h] poſtquam adoleſcentulus in *Syriâ* militaſſet, ut alias præmonui, avunculum ſecutus, (ni fallor,) cum quo ſe *Romæ* fuiſſe aliquando etiam [i] ſignificavit, ubi penè puer patronus à [k] *Tifernatibus* eſt cooptatus, (ob gratiam nimirum avunculi quâ apud Principes, & apud omnes plurimum valebat.)

e ep. 20. lib. 6.
f ibid.
g ep. 8. lib. 5.
h ep. 10. lib. 1. & 4. lib. 7.
i ep. 5. lib. 3.
k ep. 1. lib. 4.

Poſtquàm libello ſuperiore oſtendimus fieri non poſſe, ut *Plinius* noſter *Comenſis* fuerit, ex eo etiam potiſſimum, quòd eorum, quæ apud *Comenſes* olim admiranda viſa ſunt, ut eſt ille fons juxta *Larium* ab utroque *Plinio* celebratus, ſed longè diverſâ ratione deſcriptus, cujus incrementi, & defectus ignarum ſe *Plinius* noſter declaravit, videntes adverſarii ſe in hoc argumento non poſſe 136
amplius tutò perſiſtere, ab ipſo ſtatim loci nomine, non jam amplius ab ipſo fonte, alterum confingunt, *Plinianam*que illum vocari dictitant, ab ipſo ſcilicet *Plinio* nomine loco indito. Hîc *Paravicinus* ampliſſimas olim *Pliniorum* ædes fuiſſe fabulatur, ejuſque rei ipſum loci nomen indicio eſſe: verùm nullum ex ſuis *Comenſibus*, ſed *Leandrum* tantùm *Albertum Bononienſem* hujuſmodi fabulæ auctorem facit, ne laboret, apud literatos ſuorum fides; atque ut prudenter *Comenſes* hoc non audent affirmare, ita perperàm de illo *Leander* ſenſit, vir alioquin non levis auctoritatis, ſed longè in philoſophiæ, & ſacris Theologiæ ſtudiis (ex clariſſ. quippe Prædicatorum inſtituto) quam in hiſtoriâ conſcribendâ ſpectatior. Exſtare ſanè locum juxta *Larium*, qui *Pliniana* dicitur, ubi fortè olim fons ille ab utroque *Plinio* memoratus labebatur, facilè eſt ut credam, ſed hîc *Pliniorum* villam, aut ædes, (atque horum præſertim, de quibus agimus,) aliquando fuiſſe non eſt ut credam, nec ſine ratione; ſiquidem, cum *Plinius* major tàm mirabilis fontis mentionem [l] facit, *In Comenſi*, inquit, *juxta Larium lacum fons largus horis ſingulis ſemper intumeſcit, & reſidet*; hæc ille: nullâque alicujus villæ ſuæ ibidem exſtructæ mentione factâ, ad alia naturæ miracula recitanda protinus tranſit. quam ſilentio, tantâ opportunitate omiſſâ, non diſſimulaſſet, ſi vir clariſſimus, & in omnes vel minimas orbis partes; & naturæ fœtus ſui calami, & laborum ferè prodigus, villam inibi habuiſſet. poſterior verò Plinius *in epiſtola ad* [m] *Licinium Suram*, fontem ipſum deſcribit, ut ſupra vidimus, illiuſque naturam, & cauſas creſcentis, decreſcentiſque liquoris cùm multas afferat, de villâ tamen ſuâ 137
quam juxta illum habuerit, nullum verbum facit: alibi quoque, ubi villas ſuas ad *Larium* ſitas deſcribit, & præſertim in Epiſtola ad [n] *Romanum*, nunquam iſtius meminit; itaque tale nomen aliunde emanaſſe, & ab ipſo potius fonte crediderim, cujus hodie nullum fortaſſe veſtigium ſupereſt, atque ideo cum utriuſque *Plinii* ſcriptis fuiſſet olim illuſtratus *Plinianus* dictus eſt, quod-

l lib. 2. c. 103.
m epiſtol. 30. lib. 4.
n ep. 7. lib. 9.

quodque olim fonti nomen fuit, id postea eo jam suppresso, & exsiccato, loco remansit, atque inde corrupto vocabulo *Pliniana* dicitur, prout etiam *Gaudentius* a *Merula* ante nos videtur observasse.

a lib. 1. c. 9. de antiq. Gall. Cisalpin.

Quoniam verò *Comensium* disputatio de *Plinii* superioris patriâ tutò peragi posse non videbatur, nisi aliquâ etiam ex parte ipsius *Plinii* testimonio juvaretur, ideo totis viribus in hanc curam incumbunt, & toto illius opere de naturali historiâ sæpiùs voluto, & revoluto, id tandem se assecutos gloriantur, dictitantes illum non dubia demonstratione *Comum* patriam suam fuisse testatum, cùm longa verborum narratione in illius origine describenda utitur: at ex adverso *Veronæ* tantum mentionem sobriè, & sicco, ut ajunt, pede pertransit: cujus ingeniosæ, & callidæ observationis *Jovius*, *Cigalinus*, & *Paravicinus* auctores sunt: sed non vident homines isti perspicaces, & lyncei, quòd si in re tam facili cujusquam animus hæsitare unquàm possit, (nam cum ratione suspicari nemo sanus potest) *Plinium*, quem sibi non jure civem asserunt, *Bergomatem* potius, ac *Liciniforensem*, quàm *Comensem* efficiunt: quandoquidem longiùs
138 excurrit *Plinius* in *Bergomatum*, ac *Liciniforensium* origine referendâ, quàm *Comensium*; quod ut apertius etiam pateat, illius verba recitabo: [b] *Orobiorum*, inquit, *stirpis esse Comum*, *atque Bergomum*, *& Liciniforum*, *& aliquos circa populos auctor est Cato*; *sed originem gentis ignorasse se fatetur*; *quam docet Cornelius Alexander ortam à Græciâ*, *interpretatione etiam nominis*, *vitam in montibus degentibus*; *in hoc situ interiit Oppidum Orobiorum Barra*, *unde Bergomates Cato dixit ortos*, *etiam num prodentes se altius*, *quàm fortunatiùs sitos*: hucusque Plinius. quid est autem in tam longâ narratione, quod *Comensium* sententiæ faveat? quod verbum erit index illius animi? quæ vox? quæ syllaba? quis est adeo ingenio hebeti, & mentis acie ita obtusus, & obcæcatus, qui non videat, totam ipsam narrationem ad interpretationem *Orobiorum* vocabuli pertinere; *Catoni*, ignotam, & à *Cornelio Alexandro* traditam, ex ipsâ quippe verbi etymologiâ desumptam? ὄρος enim græcè mons dicitur, βίος vita, atque hinc *Orobii* monticolæ, in montibus vitam degentes optima ratione dici possunt. tantum ne hoc indicium fuit *Plinianæ* mentis, ut Patriam vir doctissimus, & in omnes æquè benignissimus, voluerit his verbis significare? *an qui amant ipsi sibi somnia fingunt*, ut inquit?

b lib. 3. c. 17.

Hoc etiam loco præterire nolui, alteram *Comensium* objectionem, qui in spem erecti,) quànquàm inanem,) quòd veram *Plinii* patriam ex loco præcitato nacti sint, sæpè ipsum in *Veronæ* mentionem incidere ajunt, nec illam tamen patriam suam vocare, vel saltem significare, quod sæpius opportuniore loco facere potuisset, quàm in ipsâ operis præfatione, si *Veronensis* fuisset. quibus e-
139 go respondeo sæpe eundem in *Comi* mentionem incidisse, & ubi de illius, & *Orobiorum* origine [c] differit, ut nuper vidimus, ubi itidem de fonte jam sæpè memorato [d] loquitur, ubi de urbibus ferri temperandi gloriâ illustribus, inter quas post *Bilbilim* in *Hispaniâ*, & *Turiassonem*, [e] *Comum* quoque enumerat, ubi demum de [f] lapide viridi in lebetes ex cavando, & tornando, nunquam tamen *Comum* patriam suam vocasse, vel saltem indicio aliquo vel minimo innuisse; itaque pari jure adhuc inter nos ageretur, nec magis hac ratione *Comenses*, quàm *Veronenses* agnoscere *Plinium* suum possent; Cæterùm, cum *Plinius* Catullum *Veronensem* civem statim in operis exordio conterraneum suum appellet, hoc ipsum illi satis visum fuit ad suam patriam indicandam, ut amplius ejusdem mentionem repetere non curaverit, nullo *Comensium* toto opere conterraneo appellato, quamobrem hoc etiam illius testimonium causæ nostræ accedit, quo illi carent,

c lib. 3. c. 17. d lib. 2. c. 103. e lib. 34. c. 14. f lib. 36. c. 22.

A ut *Veronensis* verè fuerit, non *Comensis* censendus.

CAPUT III.

HUCUSQUE *Comensium* conjecturas, & argumenta vidimus tàm ab ipsâ tribu *Oufentinâ*, in quam minor *Plinius* relatus fuisse videtur, quam ab ejusdem epistolis, & à majore *Plinio* desumpta, quibus *Comum* illius patriam, vano nisu, conantur efficere: nunc de testimoniis à diversis auctoribus, & ab antiquis lapidibus per eos ad idem petitis est nobis tractandum; in quo argumenti genere eò magis studium nostrum calere debet, quò plures scriptores illo decepti, veritateque non bene exploratâ, ad *Comenses* transierunt: 140
B quorum primus [g] *Hermolaus Barbarus*, vir alioquin clarissimus, & doctissimus, illis auctor fuit, ut ipsum *Plinium* inter suos cives referrent, de cujus patriâ nihil antea fortè cogitaverant, nulla ratione ductus, quod ego videam, nisi tantùm *Suetonii Tranquilli*, & *Divi Hieronymi* (a quo *Eusebius* Latinus factus est,) auctoritate, cujus apponam verba, quo magis illius error in aperto fit. *Sed*, *ut præfatus sum*, *inquit*, *nec rejicio*, *nec utique recipio* (congerronem scilicet, loco conterranei) *non quòd Veronensem fuisse Plinium suspicer*, *qui absque dubio Novocomensis fuit*, *Suetonio Tranquillo*, *Hieronymoque testibus*; hinc Jovius in eucharistico illo elo-
C gio, quod *Hermolao* adscripsit, illum his verbis in cælum usque extollit. *Nulla hercle cujusquam defuncti insignis effigies majore merito*, *quàm tua*, *in Musæo spectatur*, *Hermolae*, *eruditorum omnium omnibus numeris longè doctissime*: *Novocomensibus enim C. Plinium Secundum civem suum*, *ab imperitis invidiosè surreptum*, *eruditâ*, *præclarâque sententiâ reddidisti*. Post ipsum verò Hermolaum [h] *Jacobus Mazzonius* tàm *Eusebii* testimonio, (cujus singula de *Plinio* refert verba) quàm ipsorum antiquorum lapidum inscriptionibus, eundem *Comensem* fuisse tradit, *Francisci Petrarchæ* sententiâ commentitiis figmentis circumventâ, & ex-
D plosâ; sed quàm malè uterque, nunc expediam. A *Suetonio Tranquillo* libellum de viris illustribus fuisse conscriptum *Comenses* prædicant, in quo ipsius *Plinii* vita describitur, *Novocomensis*que appellatur; cujus sanè auctoris solâ nominatione maximè commoveor; quia illum adolescentulum fuisse novi *Domitiani* Principis tempore, prout [i] ipse 141
de se testatur, & *Plinii* nostri excidio proximum, minori verò *Plinio* etiam familiarem, cujus ad eum [k] multæ exstant epistolæ; verùm omnibus melius perspectis, ingens me suspicio invasit, an *Plinii* vita quæ circumfertur ab ipso *Suetonio* scripta fuerit, necne, numquàm enim illius de viris illustribus
E librum vidi, quem citant *Comenses*; illum certè ab eo non fuisse scriptum, [l] *Suidas* me monet, qui singulos illius libros recenset, hujus verò nunquam meminit; nec Divi *Hieronymi* auctoritas hîc mihi rectè ab adversariis objicitur, qui ad *Dextrum* Præfectum Prætorio scribens contrarium videtur sentire his verbis: *Hortaris*, *Dexter*, *ut Tranquillum sequens*, *Ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram*, *&*, *quod ille in enumerandis Gentilium literarum viris fecit illustribus*, *id ego in nostris faciam*; nàm loquitur de libro Suetonii *de claris Grammaticis*, qui adhuc exstat, non de alio, prout etiam ante me [m] *Andreas Schottus* vir doctissimus ob-
F servavit, qui verò circumfertur *de viris illustribus* inscriptus, nùnquàm à *Suetonio*, sive à minore *Plinio*, licet illi aliquando adscriptus, sed à *Sex. Aurelio Victore* editus fuit, cui *Schottus* illum, ceu postliminio reversum, tamquam verò, & legitimo parenti post multa sæcula tandem restituit; in quo tamen *Sex. Aurelii* libro elogium illud *Plinii*, quod Comenses *Suetonium* auctorem habere dictitant, non exstet descriptum, sed solum, & sine certo auctore huc illuc vagatur, & veluti naufragum fluitat, quod est hujusmodi:

g in castigat. Plinianis.
h lib. 3. defens. comoed. Dantis fol. 465.
i cap. 12. in Domit.
k ep. 8. lib. 3. & 11. lib. 5. & 34. lib. 9.
l in verbo Τράγκυλλος sive Tranquillus.
m in sua præfat. in Sex. Aur. Victor. de Viris illustr.

Plinius Secundus Novocomensis equestribus militiis industriè functus, procurationes quoque splendidissimas, atque continuas summa integritate administravit; &
142 *tamen liberalibus studiis tantam operam dedit, ut non temere plura quis in otio scripserit; itaque bella omnia, quæ unquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehendit, item naturalis historiæ triginta septem libros absolvit; periit clade Campaniæ, nam cum Misenensi classi præesset, & flagrante Vesebio ad explorandas propius causas Liburnicas prætendisset, neque adversantibus ventis remeare posset, vi pulveris, & favillæ oppressus est, vel ut quidam existimant, à servo occisus, quem deficiens æstu, ut necem sibi maturaret, oravit.*

Hanc sedenim *Plinii* vitam tamquam adulterinam, quæque nec *Tranquilli* eloquentiæ saporem habeat, nec veritatis, rejicit [a] *Becichemus:* eandem etiam perperàm *Suetonio* attribui, cùm sit sequioris ævi, & plusquam quatuor sæculis post illius obitum scripta, & post *Hieronymum*, quo auctore scripta est, qui de duobus unum *Plinium* effecit, monet doctissimus [b] *Scaliger*; eâ nimirum conjecturâ, quia *Novocomensem* hunc *Plinium* dixerit, nam quis illius auctor fuerit, aut unde sibi de hoc compertum sit, non docet. Verùm quia ex adverso non defuerunt scriptores probatissimi, qui jàm annos quadringentos, & sequentibus exinde sæculis hoc *Plinianum* elogium *Suetonio* tribuerunt, in primisque *Vincentius Bellovacensis* antistes, *Franciscus Petrarcha*, & *Antonius Florentinus* Archiepiscopus, quid certi de illius auctore statuam nescio; simulque vereor ne fortè *Suetonius* opere suo fraudatus tam insignis injuriæ à me etiam pœnas expetat, illud sanè constanti animo semper affirmabo, verbum id (*Novocomensis*) quod in ipso statim narrationis exordio se nobis offert, minus legitimum esse, sed nothum, & suppositum,
143 & omnibus antiquis exemplaribus ignotum, quam judicii mei rationem, vel ipsos *Comenses* probaturos spero: siquidem *Vincentius Bellovacensis*, qui universalem mundi historiam usque ad annum Christi M C C X L (quo etiam floruit tempore,) conscripsit, ipsam integram *Plinii* vitam, quam superius retulit, scriptis suis inseruit, licet mendosam, nec tamen in ea verbum illud (*Novocomensis*) agnoscit; eandem integram Divus *Antonius*, (ex *Bellovacensis* tamen *historiali speculo* desumptam) refert, nam aliunde à se acceptam non docet, nullâ prorsus illius verbi (*Novocomensis*) mentione factâ. quid, quòd *Franciscus Petrarcha* eandem & ipse recenset, & *Suetonio* artribuit, totamque ferè in suum de *Plinio* Superiore elogium transtulit, sed eundem semper, palàmque *Veronensem*, non *Novocomensem* appellat? cujus hæc sunt verba, præter ea quæ in suis triumphis de *Plinio* nostro *Veronensi* æternis, & gloriosis notis prodidit.

[c] *Nec te, Plini Secunde Veronensis à Tito Livio disjungam, à quo nec ætate, nec patriâ longinquus es; tu quidem quamvis equestribus militiis industriè functus, procurationes quoque splendidissimas, atque continuas summa integritate administrasse perhiberis, verùmtamen tantam liberalibus studiis dedisti operam, ut non nisi temerè plura quis in ocio, quàm tu inter multas occupationes scripsisse memoretur. &c.* ubi paulò inferius hæc subdit; *Primum nempe Plinii opus, in quo, ut est apud Tranquillum, omnia bella tractaverat, quæ cùm Romanis unquam gesta sunt, ex oculis nostris evanuit, nec usquam superest. &c.* Quis igitur sanæ mentis credat, alienum exemplum à *Bellovacensi* antistite, & à *Florentino* Ar-
144 chiepiscopo suis scriptis fuisse insertum non servatâ in omnibus fide? quis credat, quòd verbum illud (*Novocomensis*) in quo multum inest momenti, æquè ab utroque historiam scribente fuisset prætermissum, si in antiquis exemplaribus manu-

[a] in suis in Plin. prælection.

[b] in comment. in Euseb.

[c] lib. 1. c. 2. rerum memorand.

A scriptis illorum tempore extitisset? quis credat *Antonium* ipsum virum religiosissimum, & historiæ conditorem accuratissimum in dubio posuisse *Plinii* patriam, (ignorare enim se profitetur utrum *Comensis*, an *Veronensis* fuerit) si *Novocomensem* illum apud *Suetonium* legisset? illa enim summi viri dubitatio re verâ hinc oritur, quia verbo illo (*Novocomensis*) antiqua exemplaria, quæ suo tempore legebantur, carebant, simulque, quia errorem *Bellovacensis* ex duobus unum tantùm *Plinium* efficientis nonnihil odorabatur. Quis verò tàm stupidus est, tàm ingenio tardus, qui sibi persuadeat, *Franciscum Petrarcham* tàm amentem, (at quid
B inquam amentem?) oris tàm improbi, & animo tàm inverecundo, & impudenti fuisse, ut ipsum *Plinium* tam apertis verbis *Veronensem* nominasset, si illum *Novocomensem* à *Suetonio* in suis scriptis vocatum vidisset? Huc acies *Comensium* argumentorum dirigenda est, in hac arenâ est decertandum, non inanibus ambagibus, & fallacibus commentis res peragenda. Præcavit longè ante me nescio quâ prædivinatione, hanc meam responsionem *Benedictus Jovius*, ingenium vehemens, & acutissimum, (eandem tamen *Rufo* nostro etiam subindicante, & illi forsan præmonstrante:
C sed utrique *Petrarchæ* auctoritate ex æquo ignotâ) brevitatisque causâ à *Bellovacensi*, & à *Florentino* Archiepiscopo ipsam vocem (*Novocomensis*) in referendâ *Tranquilli* de *Plinio* inscriptione fuis- 145
se omissam dicit, sufficereque *Novocomensem* illum ab utroque antea vocatum, hanc illorum esse sententiam; verùm non videt *Jovius*, aliud esse suam sententiam dicere, & aliud longè diversum aliorum scripta recensere, ut enim summâ cum libertate internos animi motus interprete linguâ efferimus, ita summa fides in alienis referendis exigitur: propteareque cùm in ipsa *Plinii* vitâ sive a *Suetonio*, sive ab aliis descriptâ, nullus antiquo-
D rum verbum hoc de quo agimus, agnoverit, idem ab antiquis etiam exemplaribus semper abfuisse credendum est, at quæ brevitas in unius vocabuli prætermissione consistit? doceat *Jovius*, doceant *Comenses*. sicut autem magnopere summum *Vincentii Bellovacensis* ingenium admiror, qui amplissimis voluminibus, quæcumque ad Philosophicam, Theologicamque facultatem, quæque ad historiam, & ad omnem eruditionem spectant, complexus est, sæculo illo bonarum disciplinarum planè rudi, & prorsus barbaro, ut vix crebibile videatur tot libros, imo tot ingentia volumina ab
E uno homine scribi, & edi potuisse, ita vehementer indignor, quòd *Plinius* major eo tempore à minore non dignosceretur, sed unum eundemque fuisse avunculum, & nepotem, tàm ipse *Bellovacensis*, quàm alii ante illum crediderint, etenim cum majoris *Plinii* epistolas quasdem legisset, quarum circiter centum ad manus suas pervenisse testatur, integro earum volumine luci nondum restituto, ipsumque ex eis *Comensem* agnovisset, illico *Plinio* nostro illas attribuit, eundemque etiam *Comensem* manifesto errore deceptus prædicavit, sed nullâ omninò veniâ indignus est, quo-
F niam cùm posterioris *Plinii* mentionem ab *Eu-* 146
sebio fieri observasset, eundemque ab eo *Novocomensem* appellari, (nunquàm superioris *Plinii*, & longè præstantioris nomine memorato,) non fuit difficile, ut vir alioquin clarissimus, quique unum tantùm *Plinium* ab ipso *Eusebio* agnovisset, in hunc errorem laberetur. *Bellovacensis* porrò verba, quæ hic subjicio, hoc planè probant, idemque ex verbis ipsius *Eusebii*, quæ mox adscribam, si cum illis *Bellovacensis* conferentur, magis, ac magis comprobabitur.

Igitur anno Trajani XIII, (inquit Bellovacensis) *Plinius Secundus Novocomensis Orator, & historicus insignis habitus est, secundum chronicas, cujus plu-*

plurima ingenii exstant opera. (*Eusebium* innuit; cujus sententiam de *Plinio* ad verbum hucusque retulit) deinde sequitur *Bellovacensis. Hic scripsit de historiâ naturali libros triginta septem, quos Vespasiano cum Epistolâ præmissâ direxit, de quo ingenti ejus volumine excerpta in speculo naturali locis congruis inserui: ejusdem epistolas ad diversos circiter centum reperi; Tranquillus in catalogo virorum illustrium. Plinius Secundus equestribus militiis industrie functus. &c.* usque in finem, & paulo inferius inter *Plinianas* epistolas à se repertas multas citat, quæ adhuc in libros epistolarum *Plinii* nepotis leguntur: ex quibus manifestè deprehenditur tanti viri hallucinatio; etenim quæcumque de *Plinio* minore ab *Eusebio* scripta sunt, eadem ad majorem spectare existimavit, & ideo triginta septem libros naturalis historiæ opus majoris *Plinii* ab ipso minore scriptos fuisse credidit, epistolas verò quæ sunt minoris *Plinii*, Superiori adscripsit, atque ita dum unum tantùm *Plinium* agnoscit, utrumque confundit.

147 In eundem etiàm errorem Divum *Antoninum* Bellovacensis impegit, qui illius ductu ex duobus *Pliniis* unum & ipse facit, illumque *Novocomensem*, verùm ita tamen, ut aliquantum dubius hoc apertè non audeat affirmare, cujus verba hic appono, quia difficile est ut etiam illius ingentia volumina ad omnium manus pervenire possint:

Plinius Secundus Novocomensis, (quem alii Veronensem fuisse dicunt,) orator, & historiographus insignis habetur, cujus plurima ingenii exstant opera, inquit Vincentius in speculo lib. X. cap. LXVII. hic scripsit de historia naturali libros triginta septem, quos Vespasiano cum epistolâ præmissâ direxit, de quo ingenti volumine excerpta. &c. refert enim singula *Bellovacensis* verba usque in finem, sed erroris illum arguit, quia ex duobus *Pliniis* unum conflavit, *Petrus Maturus* è Societate Jesu *in* suis *ad Antonini chronicon notis.* Est igitur dicendum, vel auctorem vitæ *Plinii* non fuisse *Suetonium Tranquillum*, ut multi credidere, sed multo tempore post illius mortem ab alio fuisse scriptam, qui eodem, quo *Bellovacensis*, & alii, deceptus est, ut credidit Scaliger, vel verbum illud (*Novocomensis*) tamquam spurium, quodque antiquitus in exemplaribus manuscriptis *Bellovacensis* ævo, & *Francisci Petrarchæ*, & *Antonini* non legebatur, esse rejiciendum, & proinde Comenses *Suetonio* suo nullo jure hucusque citato carere in posterum æquo animo assuescant.

148 CAPUT IV.

PARI ratione *Eusebius*, quo duce *Bellovacensis*, & *Antoninus*, *Barbarus*, & *Mazzonius* decepti perperàm de *Plinio* nostro senserunt, tàmquàm erroris manifesti convictus, vel potius depravatus, reprobatur: is enim in eo libro, quem Chronicon vocat, quemque Divus *Hieronymus* latinum fecit, & multis superadditis locupletavit, his verbis *Plinii* mentionem videtur fecisse, de quibus varia diversi tradidere.

Plinius Secundus Novocomensis orator, & historicus insignis habetur, cujus plurima ingenii opera exstant, periit dùm invisit Vesuvium.

Ad *Plinium* superiorem ea verba *Comenses* referunt, ad eundem illa spectare credidit etiam *Hermolaus Barbarus*, *Joannes Nauclerus*, & omnium novissimus *Jacobus Mazzonius*, Comensibus adhùc ignoti: de posteriore verò *Plinio* Eusebium scripsisse multi prodidêre; ita enim *Cassiodorus* videtur sensisse, ita *Bedas*, & *Marianus Scotus*; apertè verò id ipsum testantur *Jacobus Antonius Pantheus*, *Matthæus Rufus*, *Arnoldus Pontacus* Gallus Episcopus Vasatensis, *Joseph Scaliger*, multique alii, quare videndum nobis est utri ex his

A rectius sentiant, sed illud in primis animadvertendum est, quod in ipso *Eusebii* Græco codice, qui nuper in lucem emissus est studio, & opera doctissimi *Scaligeri*, non exstant ista verba; unde & à *Hieronymo* superaddita fuisse non est ambigendum; & ideo illorum auctorem *Hieronymum* semper & 149 ipse vocat. Tria igitur sunt, ni fallor, quibus persuasum esse potuit *Comensibus*, & aliis qui illorum partes sequuntur, ut ad majorem *Plinium* ista *Hieronymi* verba referrentur; quia scilicet orator fuerit, (nam causas illum in foro aliquando actitasse a *Plinius* nepos testatur) quia etiam histo- a ep. 5. lib. 3.
B ricus, nàm bellorum omnium b historiam, quæ olim à Populo *Romano* cum *Germanis* gesta sunt, b ibid.
viginti libris absolvit; item à fine c *Aufidii Bassi* c ibid.
triginta uno: præter libros triginta septem Naturæ historiarum, qui adhuc supersunt; ac demùm quia ad *Vesuvium* exanimatus concidit, ut supra vidimus. Cæterùm si tempus utriusque *Plinii* vitæ inspicimus, si rationem studiorum utriusque etiàm consideremus, omniaque cum istis *Hieronymi* verbis conferantur, ad nepotem: non autem ad *Plinium* avunculum, *Eusebium*, sive *Hieronymum* respexisse plane videbimus; atque ut ab avun-
C culi ætate incipiam, jàm certi sumus illum *Tiberio* imperante natum esse, (hoc enim tantarum nebularum memor de industriâ in ipso operis limine præmonui,) eundemque multa sub *Caligulâ*, & sub *Claudio* vidisse, & observasse, multa sub *Nerone* scripsisse, reliquum temporis *Vespasianorum* Principum amicitiam nactum, studiis, calamo, publicis muneribus, privatisque officiis concessisse: defunctum demùm anno ætatis suæ sexto supra quinquagesimum, Urbis verò conditæ DCCXXXII, vel illi proximò, *Vespasiano* patre IX, & Tito filio VII Coss., & à Virginis
D partu LXXX; Quapropter amentis, vel potius furentis animi fuerit, illius mortem in annum XII imperii *Trajani* conferre: (in hunc enim, sive etiàm in posteriores, ut legitur, apud Bellovacen- 150 sem, *Eusebii*, seu potius *Hieronymi* de *Plinio* verba rejiciuntur) qui primo imperii *Titi Vespasiani*, anno scilicet XXXI ante ipsum annum XII *Trajani* extinctus est. Si verò etiam *Plinii* nepotis ætatem intueamur, de illo *Hieronymum* sensisse, non de avunculo, nisi planè cæci esse volumus, perspicuè videbimus; nàm cum avunculum ad *Vesuvium* exspirasse doceat, quo tempore ipse an-
E num duodevigesimum agebat, natum se his verbis ostendit anno VIII imperii *Neronis*, & U. conditæ DCCCXIIII *C. Cæsonio Pæto*, & *C. Petronio Turpiliano* Consulibus; post mortem verò avunculi beneficio *Trajani* bimestrem consulatum cum *Cornuto Tertullo* gessit anno Urbis conditæ DCCCLIII, & imperii *Trajani* tertio, ipso *Trajano* III, & *M. Cornelio Frontone* Coss., ut ex divino illius panegyrico ad *Trajanum* patet, (ita enim mihi illum cum *Josepho Scaligero* libet appellare) utque omnes fasti consulares consentiunt: à cujus consulatu usque ad annum XII imperii *Trajani* novem tantùm anni intercessere. Si
F igitur istam *Hieronymi* de *Plinio* memoriam ad *Plinium* avunculum referimus, necesse est ut in multa absurda incidamus, & rectam temporum seriem præposterè confusam subvertamus. Ut igitur *Cigalinus*, (hunc autem præ cæteris nomino, quia cæteris animosior in hac re tractandâ mihi videtur) hunc scopulum evitaret, & causam *Comensium* ab imminenti naufragio servaret, statim *Hieronymum* corruptum, & mendosum pronuntiavit, hancque illius de *Plinio* mentionem suâ sede transpositam, & in aliâ fuisse locatam conquestus est, nulla tamen ratione, nullo auctore, & omnibus, qui ante illum, quique post illum 151 de hac re scripserunt, vel, aliquam hujus loci mentionem habuerunt, resistentibus, quos lon-

gum esset memorare, videant *Comenses*: *Cassiodorum* intelligo, *Bedam*, *Marianum Scotum*, *Hermolaum Barbarum*, *Joannem Nauclerum*, *Jacobum Mazzonium*, *Arnoldum Pontacum*, & *Josephum Scaligerum*. Quoniam verò ille *Plinius* ab *Hieronymo* celebratus, & historicus insignis fuisse perhibetur, videndum etiàm nobis est, an talis minor *Plinius* fuerit, qualis ab eo refertur, & an rectiùs illi *Hieronymi* inscriptio, quàm avunculo conveniat. si quis igitur in dubio sit, an ipse *Plinius* nepos non solùm orator clarissimus, sed etiàm avunculo longè præstantior in ea facultate fuerit, is solem micare nescit; is *Plinianas* epistolas, & Panegyricum ab eo *Trajano* dictum turpiter ignorat; sæpissimè enim in suis epistolis se oratorem, & patronum in diversis judiciis adstitisse docet, & apud imperatorem, apud centumviros, & apud alios judices pro diversis dixisse. ex ipso verò panegyrico oratoris præstantissimi partes, & ipsam orandi artem in eo genere, tamquam in tabulâ ad vivum expressam, opere omnibus numeris absolutissimo planè agnoscimus, & contemplamur; cum intereà avunculum *Plinium* aliquando causas quidem actitasse tantùm videamus, sed nihil quod ad oratorem pertineat, scripsisse. Cæterùm quia ab illo historiarum ingentia volumina scripta sunt, ut supra vidimus, à nepote verò non itidem; hinc doctissimus [a] *Scaliger* credidit verbum illud (historicus) *Hieronymo* perperam excidisse, dùm simul duos *Plinios* non obscurâ hallucinatione confundit; cujus opinio ex eo facilè videtur suaderi, quia etiàm ante *Hieronymum* simili errore *Sam-*
152 *monicus Serenus* deceptus est, qui, ut apud [b] *Macrobium* legitur, *Plinium* avunculum citat in eo loco, ubi de *Acipensere* loquitur, illumque usque ad *Trajani* ætatem pervenisse scribit his verbis: *Plinius, ut scitis, adusque Trajani imperatoris venit ætatem, nec dubium est quod ait, nullo in honore hunc piscem* (de Acipensere intelligit) *temporibus suis fuisse. &c.* Plinii porrò verba de ipso pisce, ad quæ respexit Sammonicus, hæc sunt: [c] *Apud antiquos piscium nobilissimus habitus Acipenser, unus omnium squamis ad os versis contra aquam nando meat, nullo nunc in honore est, quod quidem miror, cum sit rarus inventu*: quo in loco *Sammonicus* manifesti erroris arguitur, siquidem in comperto est, *Plinii* avunculi vitam metas imperii *Titi Vespasiani* non excessisse, nepotis verò etiam *Trajani*, & *Hadriani*: quamobrem *Comenses*, ut tantas *Sammonici* tenebras discutiant, multa de more confingunt, fabulis, quàm veritati propiora, nihil inausum, nihil intentatum relinquentes, ut quantùm ingenii vires valent, *Sammonicum* ab errore, quem vel ipsi negare non audent, tueantur, Gigantes illos terrigenas imitati, qui, ut ait [d] Poëta:

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atque Ossæ frondosum involvere olympum.

Etenim [e] *Jovius* totis viribus pugnat, ut persuadeat Plinii epistolas *Sammonici* præsertim, & *Hieronymi* ævo aliquandiu delituisse, & nullam earum copiam extitisse: quod etiam ex nostris nonnulli, nec bene, opinati sunt: inter quos [f] *Matthæus Rufus*; [g] *Cigalinus* verò alia etiàm multa his adjicit, quibus se philosophum, & acutissimum po-
153 tiùs dialecticum, quam historicum arguit, dùm causas tanti lapsus *Sammonici* sciscitatur, sed frustra diu capite ad parietem impacto, illum tandem fateri cogitur, velatis tamen verbis, ne in se illa à nobis, ceu tot spicula, retorqueantur; Verùm scriptores omnes *Comenses*, & *Rufus* noster, nullâ sibi ratione persuadent hanc *Plinianarum* epistolarum occultationem: quandoquidem verisimile est ipsum *Plinium* gloriæ studio, suæque immortalitatis mirè incensum illas in unum volumen collegisse, & viventem edidisse; is autem floruit sub

[a] in suis animadversion. ad Eufeb. Chronic.
[b] lib. 2. c. 12. Saturn.
[c] lib. 9. c. 11.
[d] lib. 1. Georg.
[e] apud Porcachium lib. 1. Nobilit. Com.
[f] in epist. ad Justum.
[g] fol. 41.

A *Trajano*, à cujus imperii initio usque ad *Septimium Severum*, ad quem scripsit *Sammonicus*, intersunt anni XCV, & anni CCLXX, usque ad obitum *Eusebii*, Baronio auctore, quo tempore *Hieronymus* itidem florebat, nec ullum inter utrumque tempus tam atrox in *Italiâ* bellum gestum est, nulla tàm fœda depopulatio ipsam *Italiam* vastavit, ut in suspicionem adduci possimus, (nam pro certo habere fatuum esset) vel hoc epistolarum volumen prorsus interiisse, vel in occulto aliquandò delituisse, ita ut liberè à *Hieronymo*, liberiùs à *Sammonico* videri non potuerit, cujus tempore nihil hostile post *Trajanum* Roma metuerat, præter conjurationem in *Commodum*, & militares mo-
B tus in *Pertinacem*, post ipsum verò *Septimium* usque ad *Valentinianum*, & *Valentem*, quorum anno VI imperii *Eusebius* obiit, & si variis bellorum incendiis *Italia* exarsit, de hoc etiàm non licet suspicari; quòd secus accidit sæculis posterioribus à *Constantino* usque ad primum *Fridericum*, sub quo *Marianus Scotus*, & inde usque ad *Secundum Fridericum*, sub quo *Bellovacensis* floruit; universa enim *Italia* intereà sæpius à Barbaris fœdè dilaniata fuit, & direpta, hostiliumque armorum incursationibus (omitto intestina omnium ferè civita- 154
tum bella) miserè exhausta, & funditùs eversa; usque adeo, ut ipsi lapides, ipsa marmora, & æ-
C quatæ cœlo machinæ funesta *Romanæ* majestatis, & majorum nostrorum monumenta sævissimam illorum violentiam non sustinuerint; atque hinc barbarie invectâ ipsi etiàm libri, clarissimæ priscorum ingeniorum reliquiæ, tantis cladibus superesse non potuerint. hinc *M. Tullius Cicero*, *Sallustius*, *T. Livius*, *Vellejus*, *Pompejus Trogus*, uterque *Plinius*, *Dio*, & alii propè innumeri scriptores, vel prorsus interierunt, vel melioribus suis membris mutili, & detruncati seram posteritatem frustra deplorati videre. hinc est etiam, quod ipsius minoris *Plinii* epistolæ *Bellovacensis* tempore circiter centum convulso volumine legebantur,
D ut supra vidimus; quarum justum, & integrum volumen manuscriptum in membranis primus omnium in *Italiam* jam annos C. è *Gallia* reportavit *Aloysius Mocenicus*, Vir clarissimus, & doctissimus, & apud *Gallorum* Regem *Venetæ* Reip. Orator, [h] *Aldo*que *Manucio* seniori typis excudendum tradidit: quapropter justâ excusatione dignum existimo *Bellovacensem*, siquid de *Plinio* minus rectè sensit, & utrumque commiscuit, prout nullâ *Barbarum*, *Nauclerum*, & *Mazzonium*, quibus nullâ ex parte ipsæ *Plinii* epistolæ ignotæ sunt, ex iis enim videre potuerunt *Hieronymi*, non *Eu-*
E *sebii* de *Plinio* testimonium minimè superiori *Plinio*, sed minori tantum convenire. Cæterùm an & ipse *Hieronymus* utrumque *Plinium* unum tantum fuisse existimaverit, ut objicit *Scaliger*, valde dubito; tùm quia vix mihi persuadere possum, ut error tam supinus tantum virum, historiæque 155
gloriâ insignem fefellerit: reliquorum quæ ab eo scribuntur, fide in periculo expositâ, quem *Sammonico* obrepere non fuit difficile, historiæ quippe naturalis gnaro magis, quam chronisticæ; tùm etiàm quia minorem *Plinium* historicum fuisse ex multis illius epistolis constat, cujus historiæ, quæ nunc desiderantur, *Hieronymi* tempore fortasse
F exstabant, ita enim ad [i] *Capitonem* scribit:

Suades ut historiam scribam, & suades non solus: multi hoc me sæpe monuerunt, & ego volo, non quia commodè facturum esse confido, (id enim temere credas, nisi expertus) sed quia mihi pulchrum in primis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debeatur, aliorumque famam cum suâ extendere; me autem nihil æquè, ac diuturnitatis amor, & cupido sollicitat, res eo homine dignissima, qui nullius conscius culpæ, posteritatis memoriam non reformidat. Hinc [k] *Caninium* docet, quomodo belli *Dacici* historia

[h] Ald. in epist. dedicat.
[i] ep. 8. lib. 5.
[k] ep. 4. lib. 8.

storia ab eo sit scribenda; hinc librum à se scriptum, & à *Sparso* probatum a gratulatur, libellosque suos à Geniali cum patre lectos b probat: alibi plura volumina se ad Juniorem misisse c scribit, & suos libellos *Lugduni* venditari libenter ex *Geminii* literis d cognovit; librorum porrò à se conditorum de *Helvidii* ultione, illius exstat epistola e ad *Quadratum*. libellorum denique suorum f alibi etiam meminit, quid ergo tot voluminibus, quæ libellos verecundè vocat, scriptum ab illo fuisse credemus, nisi historias? quid enim aliud se scripturum *Capitonis* hortatu apertè testatus est, præter historiam? quid aliud sunt libri, non unus, sed plures de g *Helvidii* ultione ab eo scripti, nisi historia? quò semper tetendit illius animus gloriæ, & immortalitatis cupidissimus, nisi ad
159 historiam, ut suam cum aliorum famâ, ut ipse inquit, extenderet? jàm igitur in aperto est minorem *Plinium* historicum fuisse, & rectè ad illum etiam in hac parte *Eusebianam* inscriptionem referri, hoc idem Senatus, Populusque *Comensis* in elogio, quod sub ejus statua *Comi* cernitur, non dubiâ attestatione significavit, cujus infra exemplum subjiciam, hoc idem demum etiam h *Martinus Polonus* in suâ temporum supputatione testatus est.

Verùm hic rursus dubium faciunt illa postrema *Eusebii* verba (*periit dum invisit Vesuvium*): quatenus enim priora *Plinium* tantùm minorem respiciunt, ista sanè postrema ad majoris tantùm mortem spectant, quoniam nepotem nullo *Vesuvii* incendio periisse legimus, à quo illum semper cavisse, tàmquàm suis fatali, & in suorum exitium sævienti, quæ summa in eo prudentia fuit, nobis facillimè persuadet. Hæc ita mihi cogitanti venit ad manum *Matthæi Rufi* epistola ad *Justum* J. C. & Equitem *Lælii Justi* J. C. & Equitis filium, in quâ verba illa postrema tamquàm notha, & superaddita legitimorum *Eusebii* numero eximit, & prorsus rejicit, eadem in antiquis *Eusebii* (Latinis nimirum) codicibus minimè exstare affirmans, atque ita paulatim non solum *Rufi* epistola me in hanc opinionem deflexit, viri profectò longè eruditi, & ex illâ *Bessarionæa* familiâ in primis clari, sed longè magis *Justi* viri clarissimi, & in literis spectatissimi, ad quem scribit, judicium, cujus doctrinæ fuco aliquo imponere nunquàm voluisset *Rufus*, nec si voluisset, potuisset: nolui tamen illius sen-
157 tentiæ statim acquiescere, & subscribere, quin prius totam rem melius perspicerem, & explorarem: ea propter *Eusebii* in primis aliquod exemplar Græcum, *Latinum*ve, quod antiquum, & manuscriptum esset, longo sed inani studio *Veronæ*, *Venetiis*que perquisivi: hac spe frustratus ad alios auctores tàm veteres, quam recentiores me deinde contuli, ut hanc veritatem investigarem, demumque suâ *Rufum* opinione non falli, vel manifestis indiciis compertum mihi est, vel ego fallor. etenim i *Cassiodorus* vir inlustris, & *Theodorici* Regis à secretis, qui *Odoacre* exstincto *Italiæ* regnum solus occupavit anno Domini CCCCLXXXXIII, ubi *Celsi*, sive *Soleni*, & *Crispini* meminit, quorum Consulatus in annum XII *Trajani* rejicitur, & U. conditæ DCCCLXIII, ipsa omnia *Eusebii* verba de *Plinio* refert, postremis, de quibus agitur, exceptis, quorum nullum prorsus apud eum legitur, sic enim inquit:

His Consulibus Plinius Secundus Novocomensis Orator, & historicus insignis habetur, cujus ingenii plurima opera exstant.

k *Bedas* quoque Presbyter *Anglosaxo* vir eruditissimus, qui proximis post *Cassiodorum* temporibus floruit, in eo libro, quem de temporum ratione inscripsit, ubi *Trajani* vitam, & res gestas brevissima oratione perstringit, eadem singula *Eusebii* verba de *Plinio* recenset, quæ etiàm *Cassio-*

a ep. 3. lib. 8. b ep. 13. lib. 8. c ep. 15. lib. 8. d ep. 11. lib. 9. e ep. 13. lib. 9. f ep. 18. & 20. lib. 9. g videndus Tacit. lib. 4. hist. & Suet. in Vesp. c. 15. & in Domit. cap. 10. h fol. 42. i in Chronic. k cap. 65.

A *dorus*, nec postrema illa, de quibus agimus, agnoscit, quæ omnia hic lubens appono, quia *Bedæ* liber, inventu difficilis, paucorum manibus teritur.

Trajanus (inquit Bedas) *annos XIX, menses VI,* 158 *dies XV, Joannes Apostolus sexagesimo octavo anno post passionem Domini, ætatis autem suæ nonagesimo octavo, Ephesi placida morte quievit. Trajano adversum Christianos persecutionem movente, Simeon, qui & Simon, filius Cleophæ, Hierosolymorum Episcopus, Romam perductus, bestiis traditur; Alexander quoque Romanæ Urbis Episcopus martyrio coronatur, & septimo ab Urbe milliario via Nomen-*
B *tana, ubi decollatus est, sepelitur. PLINIUS SECUNDUS NOVOCOMENSIS ORATOR, ET HISTORICUS INSIGNIS HABETUR, CUJUS PLURIMA INGENII OPERA EXTANT. Pantheum Romæ, quod Domitianus fecerat, fulmine concrematum, cui nomen inde datum est, quod omnium Deorum sit ipsa domus habitaculum; Judæi per diversas terrarum partes seditionem moventes, justâ cæde sternuntur. Trajanus Romam imperii, quod post Augustum defensum magis fuerat, quàm nobiliter ampliatum, fines longè, latèque diffudit.* hæc ille.

C His accessit *Marianus Scotus* historicus sui temporis non ignobilis, qui ubi ejusdem *Celsi*, sive *Soleni*, & *Crispini* Consulatum commemorat sub annum XII *Trajani*, ipsa eadem *Eusebii* verba, eodemque refert ordine, prout antea à *Cassiodoro*, & *Beda* fuerunt relata. Idem pariter fecere *Bellovacensis*, & *Antonius*, suspectis illis, de quibus agimus, nunquàm memoratis.

Hic autem injustam *Cigalini* de *Cassiodoro* querimoniam præterire non possum, à quo *Eusebium* depravatum fuisse exclamat, & illis posterioribus verbis truncatum; nam nec vetusta *Eusebii* exemplaria hanc accusationem admittunt, nec ipsa ra- 159
D tio, ut supra vidimus, nec illa *Eusebii* verba aliter atque à *Cassiodoro*, ab ullo ex posterioribus, sive etiam illi anterioribus scriptoribus referuntur; verùm quæ causa fuerat *Cassiodoro* tantæ in *Eusebium* injuriæ, tanti odii, ut eum illis verbis tantum decurtaret? seque simul *Comensibus* infensum, *Veronensibus* verò propensum declararet? quomodo verò tuto id effici potuit, tot *Eusebii* voluminibus passim per totum terrarum orbem jam publicatis? quàm insignis vanitas, quàm vera somnia!

His perspectis *Arnoldus Pontacus* Episcopus *Vasatensis*, à quo nuper doctissimæ *in Eusebii Chro-*
E *nicon* notæ editæ sunt, cùm omnes prius insigniores bibliothecas, in primisque *Vaticanam Romæ*, & alias in *Galliâ*, & alibi consuluisset, & à XIIII manuscriptis *Eusebii* codicibus ista verba abesse animadvertisset, nec illi *Plinio*, qui ad *Vesuvium* exstinctus est, ullo modo congruere, illa post *Becichemum*, & *Joannem Cuspinianum* tamquam spuria, & illegitima expunxit, prout eadem & doctissimus *Scaliger* rejecit, & reprobavit: subjiciam tantorum virorum sententiam, quò facilius *Hermolai Barbari*, & *Mazzonii* lapsus (ignoscant obsecro) in hoc *Eusebii* loco explorando deprehendatur. acceptas verò in primis *Marco Velsero* viro
F clarissimo, & doctissimo, *Pontaci*, & *Scaligeri* notas refero, qui studiorum meorum rationem ab amicis edoctus, penuriâque istorum librorum, & aliorum multorum nos laborare non ignorans, illarum exemplum superioribus diebus *Augustâ* ad nos in *Italiam* transmisit: sed prius *Cuspiniani* de illis judicium referamus, qui in suis commentariis in *Cassiodori* Consules sic inquit, *His Coss. C. Plinius Secundus Novocomensis &c. Hæc eadem* 160 *Eusebius in libro temporum, sed in præmisso codice Eusebii error intolerabilis est, quia subdititia clausula illic ponitur* (*PERIIT dum invisit incendium Vesuvii,*)

vii,) quod neque in scripto manu reperitur, neque in Cassiodori hoc libro, neque in Honorii Chronicis, qui tamen ambo Eusebium imitati sunt: nam hoc de seniore Plinio avunculo suo junior Plinius scribit libro epistolarum sexto, qui Vesuvii montis conflagratione periit, quæ sub Tito fuit, ut ex Dione superius annotavimus, adeo ut frustra quidam ex hoc Plinium majorem Novocomensem fore comprobant.

Arnoldi porrò verba sunt hæc:

Plinius Secundus Novocomensis. &c.) Parum refert, inquit Arnoldus, *quo anno hæc assignentur, utrum anno XIIII Trajani, ut in VI. PI. O. an. XI. ut in Mar. & Contract. vel anno XII ut in Peta. Fux. Lo. Fa. & impressis, agitur enim de tempore, non de anno;*

Periit dum invisit Vesuvium) Desideratur in A. M. P. Fa. Peta. Fux. quinque Vatic. & tribus MSS. Fab. Cassiodoro, Beda, Fre. & Mariano, qui cætera ad verbum referunt. nec dubium est, quin sit densissimus error, vel librarii, cum forsan olim legeretur (nepos illius, qui periit, dum invisit Vesuvium) vel alicujus scioli, qui confundens nepotem cum avunculo, (sicut etiam facit Vincent. tom. 4.) retulit ad hunc C. Plinium Secundum juniorem, & Novocomensem, id quod est proprium Plinii Secundi senioris, & Veronensis, qui scripsit 37 libros naturalis historiæ, quique obiit anno primo Titi in monte Vesuvio, sicut hic ipse junior (qui est alterius nepos ex sorore) & qui vixit usque ad tempora Antonini Pii, de quo hic fit mentio, testatur oculatus testis lib. 6. epist. 16. dum
161 *scribit avunculum cum incendii Vesuvii causas propius investigaret, crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho statim concidisse. Unde hæc penitus exploderam; sed nescio quo fato in eundem veteris errorem editionis hæc nostra recens impegerit, reclamante me:* hucusque Arnoldus: quæ verò sequuntur Josephum [a] Scaligerum habent auctorem.

[a] in notis ad Euseb.

Plinius Secundus Novocomensis Orator) Hactenus verum est, inquit Scaliger, *nam Plinius Cæcilianus, cujus exstant epistolæ, & divinus Panegyricus, fuit Novocomensis, quod sequitur (& historicus insignis) manifesta hallucinatio est Hieronymi, duos Plinios unum facientis, quod & fecit auctor vitæ Plinii, quæ Suetonio perperam attribuitur, cum sit sequioris ævi, plusquàm quatuor sæculis post Suetonii obitum scripta; is infimi subsellii scriptor ex duobus Pliniis unum conflavit, & illi patriam attribuit Novum Comum. Onufrius Panvinius Plinium majorem asserit Veronæ nostræ, rectè: sed quod ex veteri inscriptione, parum prudenter; nam multorum multæ inscriptiones in his urbibus exstant hodie, quæ ipsorum patriæ non erant. Præterea C. Plinii multi fuerunt, quorum inscriptiones exstant in aliis urbibus, præterquam Veronæ. Sed qui Plinium ignorat Veronensem fuisse, is castrense verbum (CONTERRANEUS) quid sit, ignorat. Conterranei dicuntur qui eidem matrici urbi attribuuntur, ut Sirmio priscorum Scaligerorum secessus, unde domo Catullus erat, accensebatur Veronæ, propterea Plinius Veronensis, & Catullus Sirmionensis conterranei sunt. Non fuit ergo Novocomensis Plinius major, ut ille futilis scriptor retulit, qui, ut dixi, non secus ac Hieronymus, Plinium seniorem cum juniore confundit, & ut Hieronymo posterior est, ita auctore Hieronymo ea scripsit; Non solus autem Hieronymus utrumque Plinium u-*
162 *num facit, Serenus quoque Sammonicus idem hallucinatus est.* & paulo interius:

Periit dum invisit Vesuvium) Hæc exstant in omnibus P R. sed absunt à POST. & sanè delenda videntur: & sanè nisi deleantur, pugnantia scriberet Hieronymus, qui cum utrumque Plinium unum faciat, fieri non potest ut crediderit incendio Vesuvii periisse sub Trajano, cum is ipse scripserit sub Tito illud incendium contigisse.

Quis est igitur qui credat, postrema ista verba genuina, & germana esse cum aliis ab *Eusebio* de

A *Plinio* traditis, tot antiquissimis exemplaribus, omnibusque veteribus, & recentioribus scriptoribus resistentibus? quis credat ab *Eusebio* ominosum hoc, & prodigiosum emanasse, temporum serie transpositâ, quâ plurimum excelluit, læsâque, & confusâ tanto temporis intervallo historiæ fide? quis est qui non videat, nec *Plinio* nostro *Eusebii* sententiam convenire, nec *Comensium Eusebio?*

Altera etiàm dubitatio hic nobis exoritur, quàm [b] *Cigalinus* excitavit, existimans utriusque *Plinii* mentionem ab *Eusebio* factam fuisse, minoris scilicet in illis verbis, quæ ante illa jam sæpius à

[b] pag. 47. & 48.

B nobis relata leguntur; majoris verò in eis, de quibus agimus, quæ tamen congruo loco reponenda sunt: verisimile non esse, inquiens, ut *Eusebius* minoris tantùm *Plinii* meminerit, neglectâ superioris memoriâ, viri longè clarissimi, quique gloriâ, & rebus gestis, dempto consulatu, longè nepotem antecesserit; sed fallitur adhuc, ut sæpe, *Cigalinus*, ut jam ex his, quæ hucusque vidimus, luce meridianâ clarius patet; neque *Eusebius* alterius, quàm minoris *Plinii*, meminisse instituit, nec majore præterito institutæ historiæ seriem pervertit, & violavit; quoniam sibi non 163 proposuit continuam historiam texere, vel res

C gestas omnium temporum, & omnes qui vel doctrina, vel militari gloriâ floruerunt, in ea describere, & celebrare, sed tempora tantùm regnorum antiquorum distinguere, & pro sui libito, quos malit, & quæcumque malit, suo tamen congruo tempore, memorare; itaque liber ille *Eusebii* (*Chronicon*) hoc est *temporum Breviarium*, ut vertit *Hieronymus*, inscriptus est, & proinde dum temporum seriem appositè distinctam nobis ostendat, citra omnem reprehensionem officio suo fungitur. Hinc est quòd non omnia quæcumque olim in toto terrarum orbe gesta sunt; ab eo describuntur, sed vix pauca attinguntur. Certum est enim, ut alia multa omit-

D tamus, nullam ab illo prorsus factam fuisse mentionem secundi belli *Punici*, duce *Hannibale* in *Hispania* primum, mox in *Italiâ* gesti, nullam *Saguntinorum* excidii, nullam duorum *Scipionum* cladis, nullam inter *Padum*, & *Ticinum* ad *Trebiam*, ad *Trasimenum*, & ad *Cannas* infaustæ *Romanorum* pugnæ, toto penè exercitu cum ipsis aliquando Consulibus deleto, nullam *Hasdrubalis* ad *Metaurum* à duobus Consulibus *Nerone Claudio*, & *Livio Salinatore* junctis copiis interempti, nullam denique *Fabii Maximi Cunctatoris* prudentissimi consilii, cujus operâ rapidissimus ille procurrentium victoriarum *Hannibalis* cursus paula-

E tim suppressus est, animi indomiti vigor ocio *Campaniæ*, & mollissimi tractus amœnitate elanguit, illius tantùm morte apud *Prusiam* Bithyniæ regem vix indicatâ. Certùm est etiam, nusquàm illum *Syllanarum*, aut *Marianarum* partium, & factionum meminisse, nusquam proscriptionum, bel- 164 lorumve civilium ab utroque imperatore, sive à Triumviris post eos excitatorum, licet *M. Tullii Ciceronis* cædis nequissimæ non sit oblitus; Ubi verò bella civilia inter *Cæsarem*, & *Pompejum* Eusebius reliquit, quorum initium vix quinque verbis attingit? ubi exstat apud eum *Cæsaris* è *Galliâ* in *Italiam* adventus? Senatus, & Urbis trepidatio? *Pompeji* fuga, & turpiter in *Epirum* na-

F vi semilacerâ trajectus? in *Thessaliâ* Romanorum legionum inter se conflictatio? Ortum etiam *P. Ovidii Nasonis* è *Pelignis* commemorat, *Tibulli* verò natalem rarissimi, & cultissimi Poëtæ, & in mediâ *Româ* nati à tergo relinquit: quodque majus est, cum illorum uterque eodem anno se ortum dicat, quo duo Consules *Hircius*, & *Pansa* ad *Matutinam* interfecti sunt, unico versu ab utroque eorum condito id testante,

Cum

Cum cecidit fato consul uterque pari.

nihil tamen de ipsis Consulibus prodit *Eusebius*, nihil de eorum morte, nihil de bellis civilibus tunc ad *Mutinam*, nihil de *Philippicis* campis *Romano* sanguine bis inundatis. Actum esset nobiscum, & cum toto orbe terrarum, si quæcumque olim à *Chaldæis* post prima mundi exordia, à *Medis*, *Hebræis*, *Persis*, *Græcis*, *Macedonibus*, & *Romanis* gesta sunt, ex ipso tantum *Eusebio* petenda nobis essent, è densissimis scilicet tenebris levissimum, & tenuissimum lucis vestigium, quota enim pars eorum, quæ in ipsis historiæ sacræ libris narrantur, quæque à *Sallustio*, *Livio*, *Cornelio Tacito*, *Suetonio*, *Justino*, *Plutarcho*, *Appiano*, & *Dione*, aliisque innumeris *Græcis*, & *Latinis* auctoribus ce-
165 lebrantur, apud *Eusebium* legitur? quot agmina, ne dicam nomina, clarissimorum virorum omni tempore imperio, militari gloriâ, & eloquentiâ, & omni virtutum genere præstantium, quæ sunt omissa ab *Eusebio*, aliorum scriptis nobis conservantur, & in hominum memoriâ perennant? longum esset nimis, si vellem singula percensere, nec modico fortasse pudore *Eusebium* afficerem, quatenus de his omnibus agere instituisset: sed hæc pro indicio sint, ut si quis plura desideret, *Eusebium* cum aliis scriptoribus conferat: sed heu quàm facilè optimi auctoris diligentiam iniquâ negligentiæ notâ sugillamus, cujus libros integros non habemus, sed laceros, & ab *Hieronymo* nescio an auctiores, & ditatos, an potius truncatos redditos, nam quod *Græcum* illius exemplar doctiss. *Scaliger* nuper in lucem edidit *Lugduni Batavorum* impressum hujusmodi titulo notatur:

ΤΩΝ ΧΡΟΝΙΚΩΝ ΚΑΝΟΝΩΝ ΠΑΝΤΟΔΑΠΗΣ ΙΣΤΟΡΙΑΣ ΕΥΣΕΒΙΟΥ ΤΟΥ ΠΑΜΦΙΛΟΥ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

id est *Chronicorum Canonum universalis historiæ Eusebii Pamphili quæ supersunt fragmenta:* indicans illius operis, non ipsum opus integrum nobis superfuisse, in quo tamen multorum consulum distincta mentio est, præter alia multa, quæ in vulgatâ *Hieronymi* editione desiderantur.

CAPUT V.

POSTREMA ancora quam jactant *Comenses*, ut se ab imminenti naufragio eximant, quâque multum videntur niti, ac simul etiam gloriari, ab antiquis inscriptionibus *Pliniæ* gentis pendet, quarum multas apud se exstare prædicant, utque ex iis illam *Comenses*, ita majorem *Plinium* ex eisdem 166
agnosci volunt: quo argumento ductus post *Hermolaum Barbarum*, ac *Bonaventuram Castillionium* Mediolanensem, etiàm *Jacobus Mazzonius*, tàm supinus, & oscitans hujusce rei investigator, quàm solers *Dantis Aligeri* Poëtæ præstantissimi dignitatis, & doctrinæ assertor, & comprobator, ipsis vel insciis sponte sed incautus accedit. quapropter primò videndum est, an exstent istæ inscriptiones, deinde quid juris. Nonnullas quas hîc refero, recenset *Jovius* (truncas tamen, & corruptas) easdem verò aliquâ ex parte restitutas refert *Gruterus*.

I.

C. PLINIO L. F. OVF.
CAECILIO SECVNDO
COS. AVG. CVRATORI
TIBER. ET RIPAR.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

I I.

C. PLINIO L. F. OVF.
CAECILIO SECVNDO
COS. AVG. CVR. ALV.
TIB. ET CLOAC. VRB.
PRAEF. AER. SAT.
PRAEF. AER. MIL.
Q. IMP. EQ. R. TR. MIL.
LEG. III. GALL.
XVIRO STL. IVD.
FL. DIVIT. AVG.
. . . RCELLENS.

I I I.

C. PLINIVS L. F. OVF. CAECILIVS AVGVR. LEGAT.
PROC. PR. PROVINCIAE PONT. CONSVLARI POTESTAT.
ET IMP. CAESAR. NERVA TRAIANO AVG. GERMAN
CVRAT. ALVEI TIBERIS ET RIPAR. ET PRAEF. AERARI
SATVRNI IMP. SEVIR. TRIB. MILIT. LEG. . . . GALLICAE
. . . . . . TIB. IVDICAND. ADIECTIS IN ORNATVM
HS CCC. . . LIVS IN TVTEL. HS. XVIIII. LXXI. DCLVI.
REI CREMENT. POSTEA AD ERVLVM PLEB. VRBAN.
VOLVIT PERTIN. . . . S DEDIT IN ALIMENT.
PVEROR. ET PVELLAR. PLEB. VRBAN. HS IN TVTELAM
167 BIBLIOTHECAE HS C.

De primâ nulla mentio est apud *Gruterum*, quia fortè principium est secundæ, ipsam verò secundam integram restituit quo ad potuit, tertiam pro parte, ex a *Appiano*, & b *Panvinio*.

a pag. 454. b pag. 1028.

Fegii villa Canturiensis agri Comensis,

C. PLINIO L. F. OVF.
CAECILLIO SECVNDO
COS. AVG. CVR. ALV.
TIB. ET CLOAC. VRB.
PRAEF. AER. SAT.
PRAEF. AER. MIL. Q. IMP.
SEVIR EQ. ROM. LEG. III
GALL. X VIRO STLIT. IVD.
ET DIVI T. AVG. . . RCELIENS.

Mediolani in Ambrosii templo in tabula ad tumulum quem vulgò vocant Reginæ.

C. PLINIVS C. F. C. N.
CAECILIVS SECVNDVS
COS. AVG. LEGAT. PRO. PRAET.
PROVINCIAE PONTI CONSVLARI
POTESTATE IN EAM PROVINCIAM AB
IMP. CAESARE NERVA TRAIANO
AVG. GERMANICO MISSVS
CVRAT. ALVEI TIBERIS ET RIPAR.
PRAEF. AERARI SATVRNI PRAEF.
AERARI MILIT. LEG. VI. GALLIC.
XVIR. STLIT. IVDICANDIS. &c.
cum reliquis usque in finem.

Altera etiam inscriptio refertur à *Benedicto Jovio* cu-

cujusdam *C. Plinii Valeriani* medici, quæ est hujusmodi, cujus etiàm [a] *Gruterus* meminit, A

[a pag. 635. num. 1.]

D. M.
C. PLINII VALERIANI
MEDICI
QVI VIXIT ANN. XXII
M. VI. D. V.
PARENTES.

Alteram quoque me vidisse memini apud *Petrum Appianum* cujusdam *C. Plinii Philocali* mutilam, quæ integra refertur à *Grutero* hoc modo:

C. COESIDIO
EVZELO B
VIVIRO
C. PLINIVS
PHILOCALVS
AMICO OPTIM.
IN CVIVS TVTEL.
COESIDIVS
EVZELVS
COLLEG. FABR.
DEDIT HS...
L. D. D. COLLEG.

168 Alios porrò *Plinios* ab *Jovio* & à [b] *Cigalino* citari etiam video, quorum in lapidibus *Comensibus*, ut ipsi perhibent, habetur mentio. hucusque igitur C *Plinianas* inscriptiones, quæ apud illos exstant, vidimus, nunc quid in rem *Comensium* conferant, est videndum. Quod igitur ad tres priores spectat, & ad alias ex eis conflatas, quas refert *Gruterus*, illas ad *C. Plinium Cæcilianum* majoris *Plinii* nepotem, & per adoptionem filium, referendas esse nemo non videt, quem *L. Cæcilio Novocomensi* genitum jàm satis diximus; sed hæc nihil ad rhombum: reliquæ verò inscriptiones, quotcumque sint, nihil & ipsæ ad rhombum; ut enim *Pliniam* gentem, (quantum ex hoc conjici potest,) *Comensem* ex eis licet agnoscere, ita cum illas ante majorem *Plinium* factas fuisse non constet, nec alicujus *Plinii*, cui *Secundo* cognomen fuerit, notam præ se ferant, illum etiam ex eis emanasse non D probant: quæ omnia à *Comensibus* præstanda erant, si *Plinium* nostrum hoc argumento inter cives suos referre volebant; est enim certo certius, inscriptiones istas, (quantum ex sepulchralis latinitatis elegantiâ assequi possumus) non superioris *Plinii* sæculum, sed longè posterioris redolere, quo difficile non fuit, ut *Plinia* gens à principio *Veronâ Comum* translata, ibidem vel natura, vel civili jure propagata floresceret. Incertus enim sum, ullamne *Plinius* nepos ex se posteritatem reliquerit: quoniam cùm duas illum uxores habuisse videam, E quarum altera *L. Vectii Proculi* privigna fuit, ut ipse in epistolâ ad [c] *Quadratum* scribit, altera *Calpurnia* Fabati neptis ex *Calpurnio* filio, de cujus abortu, dùm se prægnantem esse puellariter nescit, cum ipso *Fabato* prosocero [d] conqueritur,
169 nullam tamen prolem ex alterutrâ à se susceptam docet, & liberos se nondum habuisse ad [e] *Tacitum* scribit. præterea dubium facit, quia ab Imp. *Trajano* jus trium liberorum non [f] sibi solùm *Julii Serviani* precibus, sed etiam [g] *Suetonio Tranquillo* suâ intercessione impetravit; *Tranquillo* nempe, quia matrimonium parum felix fuerat expertus, F (uxoris sterilitatem indicans, vel minorem filiorum jam susceptorum justo, ni fallor, numerum) unde & sibi tale jus eâdem de causa videtur impetrasse; sed illius verba adscribam tàm de *Suetonio*, quàm de se ipso, ut aliorum hoc sit judicium.

[b fol. 80 & 81.] [c ep. 13. lib. 9.] [d ep. 10. lib. 8.] [e ep. 13. lib. 4.] [f ep. 2. lib. 10.] [g ep. 98. & 99. lib. 10.]

Huic jus trium liberorum, (de Suetonio loquitur) *necessarium faciunt duæ causæ; nàm & judicia amicorum promeretur, & parùm felix matrimonium expertus est, impetrandumque à bonitate tua per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegavit.* hucusque de Suetonio, nunc de se ipso.

Videor, inquit, *summam voti mei consecutus, cùm inter initia felicissimi principatus tui probaveris me ad perculiaream indulgentiam tuam pertinere; eoque magis liberos concupisco, quos habere etiam illo tristissimo sæculo volui, sicut potes duobus matrimoniis meis credere; sed* DI *melius, qui omnia integra bonitati tuæ reservarunt, malui hoc potius tempore me patrem fieri, quo futurus essem & securus, & felix.*

[h] *Martialis* quoque hac eadem de causa, ut videtur, tale jus à *Domitiano* precibus adeptus, illi gratias agit. Verùm hoc minimè per se sufficit ad ostendendum quemquam naturali prole fuisse omnino destitutum; fuit enim solitum concedi nedum his quos prole prorsus natura fraudaverat, sed etiam habentibus liberos, tribus tamen pauciores, & ideo *Suetonio* non naturæ, sed fortunæ malignitate hujusmodi jus comparatum esse dicit: quamquàm enim veteri jure cautum esset, ut qui, quæve tres liberos ex justo matrimonio suscepissent, iis plurima præcipuo quodam, & singulari jure præ- 170
ter cæteros concederentur; ut scilicet mulieres vivo patre testamentum condere, & rem suam sine curatorum auctoritate administrare possent, *Plutarcho* [i] auctore, ut viri excusarentur ab omnibus civilibus muneribus, quæ patrimonii non essent, (si vivos tamen haberent,) ut inquit [k] *Ulpianus*: ut qui *Romæ* tres liberos itidem vivos haberet, in *Italiâ* quatuor, in provinciis quinque, à tutelis, & curatoribus excusarentur, ut ait [l] *Justinianus*; usus tamen postea obtinuit, ut quod naturæ, vel fortunæ malignitas denegaret, id Principis benignitas indulgeret; taleque jus ex rescripto Principis tàm nullos habentibus libros, quàm habentibus, sed infra legitimum numerum concederetur. Hinc est, quòd cum olim lex XII tabularum in successionibus masculorum progeniem præponeret, fœminas verò, vel quoscunque ab eis descendentes, qui per fœminini sexus necessitudinem defuncto jungerentur, adeo expelleret, ut ne quidem inter matrem, & filium, filiamve ultro, citròque hæreditatis jus esset, Senatus consultum *Tertyllianum* factum est Divi *Hadriani* temporibus, quo cavebatur, (ita referente [m] *Justiniano*,) ut ingenua trium librorum jus habens; libertina quatuor, ad bona filiorum, filiarumve intestato mortuorum admitterentur, licet in potestate parentis essent, cujus tamen jussu hæreditatem adirent: quod Senatus consultum tamquam impium [n] *Justinianus* correxit, omnibus matribus ad successionem filiorum vocatis, etiam si unum tantùm peperissent. Quemadmodum igitur dubium est ex his, quæ superiùs dicta sunt, atque ex epist. in primis ejusdem [o] *Plinii* ad *Servianum*, an ulla proles minori *Plinio* superstes exstiterit, quando tam illâ penitus carens, quàm aliquâ etiam, sed citra legitimum numerum susceptâ, jus trium liberorum à *Trajano* deprecari po- 171
tuerit, ita certissimum est, quòd saltem aliquâ civili jure sibi adsita vel per adoptionem, avunculi exemplo, vel per manumissionem servorum potuit *Pliniorum* nomen latè in posteros effundere, & propagare, à quibus illi *Plinii* posteriores emanaverint, quorum nomina in *Comensibus* inscriptionibus à *Jovio* citatis, & à *Cigalino* relatis, leguntur. vel igitur *Plinios* suos à nostris *Veronensibus Comenses* agnoscere non dedignentur, & illos ab eis prodiisse civili saltem nomine fateantur, vel suos *Plinianos* lapides cum multis aliarum civitatum sibi communes esse æquo animo patiantur; ita enim videbunt, nihil esse *Plinios* apud se olim floruisse, cum & iidem eodem tempore apud nos, & vero *Secundorum* cognomine notati,) & in aliis urbibus diversis cognominibus exstitisse eisdem lapidibus arguantur, *Romæ* scilicet, at *Genevæ* dubio procul, *Brixiæ*, apud *Scodram* in *Illyrio*, & *Dyrrachii* in *Macedoniâ* ad litus *Hadriaticum*.

[h epig. 91. lib. 2.] [i in Numa.] [k l. 1. in fin. & l. 2. ff. de vacat. mun.] [l §. 1. Inst. de excus. tut.] [m Inst. de Sen. cons. Tertyll. in princ.] [n ibid.] [o ep. 2. lib. 6.]

Romæ

Romæ in ruinis templi Elagabali, seu domus Corneliorum.

D. M.
C. PLINII
ABASCANTI
C. PLINIVS
POSPHORVS.

exstat inscriptio jam relata apud *Mazzochium*, & *Appianum*, quæ vero sequitur *Genevensis*, refertur à *Grutero*, *Josepho Scaligero*, & *Comelino* auctoribus.

Genevæ ad portam ripariam.

ANNORVM XII.
L. PLINIO
FAVSTI FIL.
SABINO.

C. PLINIO M. F. C...
FAVSTO
AEDILI II VIRO
IVL. EQ. FLAMIN.
C. PLINIVS ∽ FAV.
VIVOS
C.

172 quæ itidem sequitur *Brixiensis* apud *Gruterum* legitur.

Brixiæ apud ædem D. Augustini.

D. M.
PLINIAE HERMIONI
HELVIA ATILIANA
MATRI KRISS.

apud *Scodram* ad ædem Divorum *Sergii*, & *Bacchi* in ripis *Buenæ Marino Becichemo* auctore, talis exstat:

C. SALVIA P. PLINIO F.
INFELIX MATER
SALVE AETERNVM F. MI
ΔIXIT ANN. XX. MEN. IX
DIES XVI

Item *Dyrrachii* eodem auctore:

DIS MANIB. SACRVM
D. PLINIA L. FLAMI.
V. K.
VALE MI V. VALE.

Pliniana etiam cerasa in *Campaniâ* suâ tempestate in celebritate fuisse testatur [a] *Plinius*, ab eâdem fortasse familiâ, quæ aliquando in *Campania* fuit, indito cerasis nomine, prout aliis cerasis ab aliis familiis quas idem commemorat; quamobrem non video quonam majore jure *Comenses*, quàm *Romani*, quàm *Genevenses*, quàm *Brixienses*, (omitto *Campanos*) Plinium hunc nostrum ex hujusmodi epitaphiis æquè ad multas civitates spectantibus, in suum jus asserere, & revocare possint: quo verò minore, quàm *Veronenses*, ipsi vident, si volunt. Restabat in imo, (ceu spes in pyxide *Pandoræ*) ficta illa, & imaginaria possessio, quam *Comenses* de *Plinio* nostro jactabant, quæ duplici fundamento niti videbatur; altero, quod ex quâdam inani spe, quam ex prænarratis conceperant, pendebat, & ideo statuam illi cùm elogio ad dexteram frontispicii majoris templi, nimiâ rerum suarum fiduciâ jàm
173 erexerant: altero, quod ex *Plinii* nostri de naturali historiâ codicibus tam manuscriptis, quàm impressis hauriebant, in quibus sæpe illum *Novocomensem*, rarò *Veronensem* vocari observarant; sed ut omnia eorum argumenta jam funditus à solo quassata, & eversa à nobis sunt, ita istam eorum possessionem, ceu molem solido fundamento carentem, corruere necesse est; Nihil etiam diuturnitate temporis à dicatâ *Plinio* à majoribus suis statuâ, juvantur, siquidem non annos jam ducentos id fieri contigit, ut latenter innuit *Paravicinus*, quò longius tàm injustam tem-

[a] lib. 15. c. 25.

A poris præscriptionem extendat, sed anno Domini MCCCCLXXXXVIII Kal. Maji, ut me [b] auctor *Dictionarii Historici* monuit, qui *Comenses* istas utriusque *Plinii* inscriptiones in hunc modum refert.

[b] in verbo Plinius.

A dextrâ valvarum templi.

ORDO POPVLVSQ. COMENSIS C. PLINIVM SECVNDVM MACTVM INGENIO VIRVM, DIGNATIONE CLARVM, DOCTRINA ADMIRABILEM, VT QVI OLIM IMPP. CAESS. VESPASIANORVM AMICITIAM MERVERIT, OFFICIA MAXIMA GESSERIT, AC SCRIPTORES VNIVERSOS COPIA, ET VARIE-
B TATE SVPERAVERIT, MVNICIPEM SVVM INCOMPARABILEM STATVA, ET ELOGIO ORNAVERE.

TANTVS HONOS, DVLCISQVE IVVAT
ME FAMA SECVNDVM,
AT MAGE CONCIVES HAEC POSVISSE MEOS.

A sinistrâ ipsarum valvarum.

C. PLINIO SECVNDO QVI CONSVLATV, AVGVRATV, MILITIA GESTIS, AC ORANDIS CAVSIS, POEMATIBVS, ET HISTORIIS CONFICIENDIS, CAESARE TRAIANO AVGVSTO LVCVLENTIS-
C SIME LAVDANDO, ADFICIENDAQVE IMMENSA LIBERALITATE PATRIA SVA, EIDEM IMMORTALE CONTVLIT ORNAMENTVM; ORDO COMENSIS CONCIVI SVO DESIDERABILI HONORE ACCEPTO MONVMENTVM POSVIT M CCCC LXXXXVIII KAL. MAII.

Hoc verò tempore, & multos antè annos, statua in summo comitii fastigio a majoribus nostris eidem *Plinio* ex S. C. erecta publicum *Veronæ* 174
forum spectabat, *Justo* Lælii Justi filio, J. C. & Eq. clariss. auctore. is enim auditor fuit *Alexandri Tartagni* Imolensis, illique, cùm primùm
D *Patavii* jus civile è primo suggestu interpretari cœpisset circa annum Domini MCCCCLX luculentissimam orationem dixit, cujus mihi copiam in membranis humanissimè fecit *Augustinus Justus* Gadii Comes, & Eques præstantissimus. is etiam *Justus* elati jam patris idea dicitur in epitaphio eidem à filiis instituto anno MCCCCLXXXII, quod cernitur in sacello vestiario templi *D. Anastasiæ* Veronæ, id est J. C. & Eques, ut pater. si tempus igitur utriusque statuæ dedicationis conspicimus, antiquior erit *Veronensis*, quàm *Comensis* dedicatio; si jus utriusque civitatis, potior adhuc erit *Veronensium*, quàm *Comensium* ra-
E tio, ut jam affatim tribus integris voluminibus probavimus. Illud porrò argumentum futile est, quod ex codicibus manuscriptis, & impressis *Comenses* petunt, in quibus illum sæpiùs *Novocomensem*, qvam *Veronensem* inscribi objiciunt, ex librariorum enim arbitrio, (qui plerumque servi, ac fortasse etiam *Comenses* esse potuerunt) vel posteriorum bibliopolarum testimonio tantæ rei judicium non est à nobis expectandum; deceptos olim viros alioquin doctissimos, qui duos *Plinios* in unum contraxerunt, eundemque *Novocomensem* vocarunt, supra docuimus; tradidit *Pontacus*: cum indignatione etiam conquestus est *Sca-*
F *liger*; & ideò non fuerit difficile, servos imperitos, seu bibliopolas idem aliquando temerè scripsisse; illorum judicium est nobis sequendum, qui cum ratione toto negotio examinato aliter statuerunt, quorum ingentem numerum, & longè *Comensibus* scriptoribus ampliorem, supra adduximus. sed hic quoque nonnihil hæsitare mihi 175
necesse est, & de fide hujus rei valde dubitare; nàm visa à se inquit *Paravicinus* diversa *Plinii* nostri de naturali historiâ exemplaria in *Vaticana* biblio-

bibliothecâ, & in alterâ *D. Laurentii* Florentiæ, in quarum postremâ quatuor exstant, in quibus C. Plinius Secundus *Novocomensis* nominatur, unum tantùm, in quo *Veronensis*. quid *Vaticana* præ se ferant, non docet, an verò *Laurentiana* manuscripta sint, an impressa, in medio relinquit. Ego autem vel nulla, vel saltem paucissima *Plinii* nostri exemplaria manuscripta exstare existimo, in quibus illius Patriæ mentio habeatur: indicio nobis erit ipse *Plinius* de Naturali historia, qui apud me est, *Petri Santandreani* typis excusus, innominato loco, anno Domini MDLXXXII, in cujus castigatione decem septem clariss. viri, non minus de ipso *Plinio*, quam de literis in universum optimè meriti non inanem operam navarunt, in quo illius Patriæ nomen non exstat. Idem ostendit omnium castigatissimus, qui post illum *Jacobi Dalecampi* medici *Cadumensis* auspiciis in lucem prodiit anno MDIC, à quibus vetusta penè omnia exemplaria quotcumque in totâ *Europâ* servantur, lustrata sunt, nullo tamen inter ipsa invento, in quo *Veronensis* magis, quam *Novocomensis* dicatur, namque si aliter se res haberet, ut illis non fuisset inobservatum, nec illorum diligentiam fugisset, ita ab eis summâ fide etiam relatum haberemus, & præsertim a *Sigismundo Gelenio*, qui in ipsum *Plinium* etiam annotationes, & copiosissimas, nec minus doctas edidit. In his porrò, qui ultrà annos LXX impressi circumferuntur, æquè *Veronensis*, ac *Comensis* dicitur, pro arbitrio impressorum, quàmquàm in castigatioribus, & in eo præsertim, quem prælo suo *Aldus Manutius*
176 senior, vir longè eruditus, commisit, *Veronensis* semper nominatur; in posterioribus verò nullâ de illius patriâ mentio est: unde hinc etiàm magis, ac magis *Veronensium* Plinii sui possessio firmatur.

Hæc sunt, quæcumque ad hanc veritatem ostendendam undique ex ipsâ vetustate eruere potui, longiore fortasse tempore, & volumine, quàm studio, multis nimirùm occupationibus districtus: at tanto tamen, quantum ad rem nostram sufficit, ni fallor; huc diuturnæ cunctationis meæ causam *Comenses* referant, quâ forsan illorum expectationum diutius, quàm par erat, sum frustratus, mihique justam excusationem dent: quantùm enim temporis in hanc rem *Jovius* contulerit, quantùm post eum *Cigalinus*, vel *Paravicinus*, nec percontor, nec scire sollicitus sum; at minore sanè rei familiaris curâ, nullisque litigatorum querelis æquè omnes distentos fuisse juvat credere. siquid erit in toto opere, quod parùm illorùm auribus sonet, humaniter accipiant; ignoscant; nihilque à me profectum sciant injuriosè, malignève; sed omnia nullo felle, candore multo, atque utinam aliquo etiam sale: quidquid aliter ipsi duxerint, resecent, amputent ut libet, comiter in re literariâ, non jurgiis cum omnibus agendum esse censeo, cum illis verò in primis. siquid parum constans sive in temporum ratione, sive aliter invenient, id etiam eorum humanitati acceptum referam, si solum monuerint, ut enim omnia nisi horis succisivis raptim, atque turbatè (animo nimirum ad alia plerumque converso) scribere, & recensere non licuit, ita doceri ab eis numquam erit pudori.

FINIS.

INDEX NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

INDEX NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

E M E N D A N D U M.

Pag. 71. lin. 6. lege, celebratus orator.

F I N I S.

JOANNIS NICOLAI DOGLIONI,

Bellunensis,

DISSERTATIO

DE ORIGINE ET ANTIQUITATE CIVITATIS BELLUNI

EJUSQUE VARIIS FATIS

MAXIMEQUE MEMORABILIBUS.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS

Latine vertit, Præfationem & Indices adjecit.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

L. S. D.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.


Ræsens hoc Opusculum, impressum quondam *Italice Venetiis* Anno MDLXXXVIII. penes *Jo. Anton. Rampazettum*, ediderat ipse Auctor, vir probus & diligens, atque patriæ inprimis amans, magis ut alios excitaret, qui ex professo, majoribus instructi copiis, hanc susciperent provinciam, quam ut ipse laureolam in Mustaceo quæreret; quod abunde ex ipsius Præfatione liquere potest. Sed tamen (de successu enim bonæ ejus voluntatis nobis non constat) meruit & ipse nostram bonorumque omnium approbationem, qui paucis hisce pagellis notitiam omnibus eruditis subministravit rerum non valde passim cognitarum; eique inprimis magnæ gratiæ sunt habendæ, quod plures Inscriptiones Antiquas, cum ipsa Vetustate alias sepultas & sepeliendas, in lucem protraxerit, atque ita pro virili rem Literariam adjuverit; de reliquis ipse Lector facile judicium feret, paucis horis percurrens libellum, quem (nisi in hac Editione) multos ubique annos frustra alias esset quæsiturus.

DEDICATIO AUCTORIS

AD

CLARISSIMUM DOMINUM

FRANCISCUM SORANTIUM

POTESTATEM MERITISSIMUM & CAPITANEUM CIVITATIS BELLUNI.


Ignus quidem levi haud essem reprehensione, parumque viderer sapere, si Ego hocce meum (exiguum licet) Opusculum, quo Originem atque Antiquitatem Civitatis Belluni *sum complexus, prodire in lucem paterer, non munitum in prima fronte (quod illi pro clypeo & armis contra omnes malevelos erit) Nomine Tuo nunquam satis laudando; quum sane existas Civitatis hujus meritissimus Potestas atque Capitaneus, civium vere miserorum Protector atque Servator unicus. Et tales profecto sunt favores, atque a tanta profecti magnanimitate erga omnes, ut ego equidem nesciam (variam incolarum speciem respiciens) utrum ipsa Civitas Nobilioresque in illa atque Ditiores magis gaudeant sancto tuo justoque regimine; an vero humiliores miserandique, facultatum suarum respectu, in tanta annonæ caritate, atque ut nunc est temporum miseria; majus quotidie in Palatio tuo inveniant solamen afflictis suis rebus. Verumtamen ego sicuti scio, pariter omnes, generositatis & gratitudinis lege, decere insculptam animo habere semper memoriam tam justi Præsidis & munifici Benefactoris, & (quandoquidem nihil illis aliud restat) precibus enixe penes Deum exposcere Salutem Felicitatemque tuam tuæque opti-*

optimæ honoratissimæque Familiæ; ita quoque ego, jam dudum, extraneus licet ob fixum alibi Domicilium, hujus Civitatis membrum, præsenti hoc Opusculo initium meæ obligationis dare volui.

Accipiat itaque S. V. Clarissima hoc qualecunque, non pro humili sua dictione, atque ipsa brevitate narrationis, verum ardore animi mei atque mentis paratissimæ ad S. V. Servitium, digneturque me numerare inter illos, qui præsentibus Tuis rebus læti majora atque digniora Tibi apprecantur.

Manus tuas exosculans
sum
V. S. Clarissimæ
devotus Servus
Joannes Nicolaus Doglionus.

Venetiis
1. Martii MDLXXXVIII.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Magnificentissimis Dominis

DOM. CONSULIBUS NOBILIBUSQUE RELIQUIS CIVITATIS BELLUNI

S. D.

JO. NICOLAUS DOGLIONUS.



QUum viderem jam inde a tot centenis, imo vel millenis, (meo quidem judicio) ab Urbe hac condita annis, neminem esse inventum hactenus, neque ex civibus ejusdem, neque extraneis, qui peculiari scripto illam illustraverit, eo ipso motus fui, me quoque ejus partem, exiguam licet, agnoscens, ut pauca hæc, quæ videtis, scripto consignarem, vobisque ILL. DOM. offerrem. Negare equidem nolo plura afferri potuisse ab illis qui assidue in rebus ejusdem versati aditum habent quotidianum ad Civitatis archiva, atque ideo haud multa esse quæ adferam; verumtamen talia, ut nec plura nec meliora a me exigi debeant. Movit me (eamque præcipuam fateor scribendi fuisse ansam) exoriturum forsan aliquem, qui hæc premens vestigia, luculentiorem longe inventurus sit viam; unum videlicet ex Nobilissimo Vestro Cœtu, cujus felix ingenium & accurata Patriæ rerum cognitio, uberiorem nobis ejusdem sit præbiturus Historiam; sive ampliare hoc meum scriptum dignetur, sive ex ingenio suo novum fœtum elucubrare optaverit, quo laudes gloriamque Civitatis hujus persequatur. Quod quidem ipsum recte facturos vos *Excell. Domini*, si curetis fieri, quivis intelliget, qui sibi inducit in animum nos omnes duci amore patriæ, atque obligatos esse ad gloriam ejusdem augendam, quam vel sæpius patri matrique prælatam exempla docent. Exhortari itaque ipse quemvis atque exstimulare non desisto, hoc in se opus ut suscipiat, vel alios ad id faciendum inducat; imo memet ipse offero, si Vos EXC. DOM. MEI mihi velitis suppeditare, quæ sufficiant, ut omnem meam in iis collocem industriam, quo ad umbilicum perfecte hoc deducam desideratissimum opus laudatissimumque institutum. Ut vero quivis sciat, quid observandum habeat, quidve describere debeat, dico illum, si recte agere velit, & bonos imitari scriptores, illum, inquam præter generalem Historiam Urbis ejusque casus, etiam debere in ordinem redigere peculiarem ejusdem situm, commoditates, agrum seu territorium, loca illi subdita, ad quæ Præsides seu Capitaneos atque Gubernatores mittit; alia item varia Civitatis Munera atque Magistratus, villarum numerum & qualitatem, fluminum item, lacuum, quæ mere ad *Bellunensem* agrum pertinent, criteria, Inscriptiones, tam antiquas (quales sunt in hoc Libello meo adductæ) quam recentiores, quæ

notatu dignum aliquid continent, ut Portarum Fontium &c. numerum præterea & qualitatem Ecclesiarum, Montium Sanctorum, Hospitalium; aliorumque locorum Piorum ut & nomina fundatorum orundem; originem denique familiarum nobilium, omnesque viros pariter & mulieres, Sanctitate atque doctrina admirabiles; illos quoque qui celebre nomen sunt adepti in studiis Theologicis, sive Literis, explicatione Legum, scientia Medica, Philosophiæ studio, Grammaticæ Rhetoricæque doctrina; quique Historias scripserunt, Poëmata concinnarunt, etiam in Patria sibi Lingua, qui Musices fuerunt periti, bello clari vel pace, pingendi floruerunt arte, atque sculptura fuerunt admirabiles; quicumque denique aliqua ratione nomen Urbis hujus nobilitare possint.

Omne illud, sive maxima ejus pars, si scripto consignetur, atque singillatim tractetur, plane Civitatem reddet clariorem penes plurimos, qui ne fando quidem aliquid de illa inaudientes, existimant viles quasdam esse casas montium asperitatibus inclusas, civesque ejusdem parvi pretii homines.

Atque hæc quidem erant, quæ credebam oportere, ut proferrem in hac materia coram D. V. atque ideo verbum amplius haud addam, verum memet eo vertens, quo decet, ad Cœlum videlicet, Deum supplex precor, velit ab aliquo satisfieri huic meo pio & justo desiderio; multum ipse enim sum existimaturus profecisse, & in magno positurus lucro, id si evenire conspiciam.

Manus exosculans
D. V.
Servus humillimus
Jo. Nicolaus Doglionus

Venetiis. Kalendis
Martiis MDLXXXVIII.

INDEX AUCTORUM,
qui in hoc Opusculo in testimonium advocantur.



JOAN.



1 JOANNIS NICOLAI DOGLIONI,

DISSERTATIO DE ORIGINE ET ANTIQUITATE CIVITATIS BELLUNI,

NUNC *CIVIDAL* DICTI,

UT ET RERUM MEMORABILIUM QUAE IPSI CONTIGERUNT.



Ggressus explicationem
natalium & vetustatis
populosissimi & floren-
tissimi oppidi *Belluni*,
quam hactenus spartam
nemo suscepit sigillatim
enarrare; novi satis per-
spectumque habeo, plu-
rimos fore, qui dicent,
mirabunturque, me in-
dole impolita, nec doctrinæ gnara, hoc opus ag-
gressum fuisse, quod tot tamque excellentes ho-
mines, iique præstantissimi virtute & scientiâ,
ceu rem haud factu facilem prætermiserunt. Ve-
rùm tantummodo effatum hocce reponam; auda-
2 ces juvare fortunam; & quod cuique negotio opus
sit initio quodam; hoc autem, quanquam ut plu-
rimum parvæ molis est, tamen mox calcar sti-
mulumque ipsis subdet, qui magis possunt, plus-
que norunt labores perferre, & ad finem rudem-
que deducere opus. Itaque cuivis judicium inte-
grum permitto, incipioque, quam proposui,
Dissertationem, dicendo: Oppidum *Bellu-
num*, hodie *Cividal* vocitatum, jacere inter
montana Septentrionalia *Venetiis* citima, sed in
valle adeo pulchra & grata, ut præter vim fru-
mentorum, vinorum fructuumque omnium in suo
præstantissimorum genere, gaudeat tam spatiosis
virentibusque pratis, tam excultis amœnisque
monticulis, tam limpidis & suavibus fontibus (ut
taceam nemora excellentia, omni venatione re-
ferta, abundantiaque universo avium genere) ut
quicunque heic locorum sit (præsertim Autu-
mnali tempore) nesciat imaginari sibi situ melio-
rem ullum. Vallis spatiosissima est, planitieque
donata satis exculta, quam fluvius *Plavis* dividit
prope oppidum, ubi ad portam australem Pons
artificiosus factus est maximo opere & ingenioso,
tanto plane, quantum exigat fluvius impetuosis-
3 simus & celerrimus. In Oppido cernes Palatia
splendidissima, quæ (respectu ad situm habito)
facile diceres miracula; habitat autem populus
optimus, quippe qui aëre gaudet purissimo, at-
que saluberrimo; Templa occurrunt optima stru-
ctura & ordine; præcipue Ædes primaria, ubi
in sacrarium tantummodo aræ maximæ, quod jam
reædificatum est, expenderunt maximam vim
A pecuniarum. Hic loci habitat plurimum Reveren-
dus Episcopus, qui Canonicos suos alit aliosque
symmystas: ita ut hæc nulla aliarum vicinarum
Ædium tangatur invidia (quod religiosam ad de-
votionem attinet, & ad sustentationem, piumque
cultum) utpote ditioris reditus & sortis. Ambitus
sane circiter milliaria duo occupat; sed ita incolis
frequens, ut alios plurimos superet, etsi duplo ma-
jores locos. Nobilis quidam Patritius *Venetus*, qui
nomine fruitur Potestatis & Gubernatores perpe-
tui, illi præest; adhæc senatus oppidi seligere so-
let duos Cives Nobiles, qui nomine Consulum
B assidue ipsum tuentur, comitanturque Missam
frequentantem, vel alios festos congressus. Præ-
terea Consilium memoratum mittit varios Patri-
cios nomine Gubernatorum instructos, ad vicos
circumjectos regendos & gubernandos, nimirum
Agort, *Zolto*, *Casamattam*, *Cardonam*, & cæte- 4
ros; præterea alia exercent incolæ munera utilis-
sima, unde Cives, quibus contingunt, commodum
hauriunt, nec parvum emolumentum. Tandem
heic invenies omnia, quæ in Oppido commodis-
sime administrato, optimeque instructo expetere
licebit. Natales autem oppidi, auctoremque &
fundatorem indicant Historici antiqui *Romanorum*:
C videlicet, Tempestate *Tarquinii Prisci Romano-
rum* Regis, electum fuisse in *Gallia Celtica* (quæ
hujus provinciæ tertia pars est) *Ambigatum* Re-
gem, hominem validum, virtute præstantem
opibusque; eo quippe tempore *Gallia* feracissima
erat non modo frumentorum, & fructuum, ve-
rum etiam gentium: ita quidem, ut videretur
omnino locus sufficiens sustentationi tantæ tam-
que largæ multitudinis copiæque populorum. Ipse
autem quum ad senectutem pervenisset tandem,
voluit simul Regimen deponere, prospicereque
Belloveso & *Sigoveso* nepotibus, filiis nimirum
D sororis suæ, locum quendam habitandum; ipsis 5
itaque advocatis mandavit, secum sibi tot milites
legerent quot vellent, tenderentque ad occupan-
dam terram, quo Dii (intercedentibus Auguriis)
ipsos mitterent. Mandato ejus parentibus Nepo-
tibus, accidit, ut forte fortuna *Sigovesus* tractum
obtineret, qui respicit Sylvam *Hercyniam*, *Bel-
lovesus* autem quadam bona sua fortunâ *Italiam*
teneret. Quocum è *Gallia* exiere *Bituriges*, *Ar-
verni*, *Senones*, *Hædui*, *Ambarui*, *Carnuti* atque



Aulerchi non pauci; quos eduxit *Bellovesus*, & multis rebus gestis circa *Danubium*, quæ non inserviunt nostro instituto, Montanis superatis, ab hac parte descendit per tractum *Taurunensem*, atque per dumeta *Alpium Juliarum*. Itaque *Bellovesum* hunc (qui nonnullis Auctoribus etiam *Bellovensis* audit) narrant descensu in *Italiæ* hunc tractum facto, cum non reperiret (ut nec omnino datur) locum aptiorem extruendæ civitati, quam hunc, ipsum, quod à veritate minime abhorret, (ad mores horum temporum, nimirum ubi Viri præstantes primum vestigium facerent, ibi ut statuerent monimentum sui,) heic domos quasdam extruxisse, quamvis exiguas ligneasque, ibidemque fundamenta oppidi novi jecisse, quod nomine suo donavit, unde etiam tractus mox dictus est; nomen vero *Bellovense* postea in *Bellunense* versum esse, & fortasse sponte ipsius auctoris, quippe qui appellationem vellet alludere ad suum nomen, ut & Deæ *Bellonæ*, præsagiens ita se in potestatem redacturum esse terram istam, firmamque habitationem inventurum ad voluntatem sibi suisque militibus. Immo sane
6 *Guicciardinius*, quoties oppidi meminit, non appellat *Bellunum*, sed *Bellonam*. Hic vero cum aliquot dies stativa tenuisset *Bellovesus*, collectis vasis, mox perrexit penitius in *Italiam*, victisque una impressione *Tuscis* prope fluvium *Ticinum*, terraque ipsi cognita esse *Insubrum*, appellatione tracta a vico *Hæduorum*, omine stativorum non irrito, ibidem excitavit civitatem *Mediolanum*. In tractu autem *Bellunensi* reliquit milites qui agros colerent, ista forte ætate nondum excultos; hi autem posteris aucti fuere, usquedum in universo hoc tractu, & præcipue in hac valle quasi pernicialis morbus & pestilens, qui plurimos utcunque annos continuavit, sustulit occiditque omnes hos habitatores; nec superfuere, nisi excellentiores atque ditiores; qui in vicos citeriores cum familia confugerant, ut procul a caterva plebejorum hominum viverent. Pestilitatis nec oblitus est *Virgilius* in Georgicis, post multa etenim, quæ præcedunt, ita cecinit Lib. III. vers. 474.

Tunc sciat aërias Alpes, & Norica si quis
Castella in tumulis, & Iapidis arva Timavi,
Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna
7 *Pastorum, & longe saltus, lateque vacantes.*
Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas: totoque Autumni incanduit æstu:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum:
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

Mox tot molestiis exhaustis pauci divites & beati, qui substiterant in scaberrimis hospitiis, verum sine ministris, qui ipsis famulitio essent, agrosque colerent, ipsisque suppeditarent sustentationi hominum propria, redacti in arctum, cum agros colere nescirent, idque ipsum illis nimis videretur servile, (ut solent hominum plurimi sæpius deflectere potius ad vitia, quam ad bona) viatores spoliare & omni modo latrocinari inceperunt: hisce autem lucris mox à vicinis (quibus ideo pepercere) emerunt panem & vinum. Tam vero fecêre periculosum hoc iter, ut Vallis appellaretur *Vallis serpentina*, ut etiamnum vocatur; quod & indicant arma oppidi, quæ referunt serpentes binos in arvo cæruleo: mansit hæc illis vita, usquedum *Romæ* audiretur tantum sceleris,
8 atque hac ducerent *Cl. Tiberius Nero*, fraterque *Drusus* copias, hosque malitiosos Latrones dissiparent; inde pax loco restituta fuit, qui ab hoc tempore teste *Strabone* censum *Romanis* solvit. Verum quod latrones permulti essent, spatiosumque territorium, oportuit, ut hic per plurimos menses tur-

A mæ quædam militares remanerent, quo omnino dissipatis latronibus, in hos tractus secure novi coloni deduci possent. Hæc vero contigisse imperante *Tiberio Nerone*, indicat inscriptio ejus tempestatis, quæ jam quidem latet sub ara Templi pagi *Cavacci*:

IN HONOREM . . . .

hîc marmor erosum est; verum creditur nomen Neronis inscriptum fuisse, propter ea quæ sequuntur.

CLAVDII CÆSARIS AVGVST. GERMANICI SEX. PAETICVS Q. F. TERTIUS, ET C. PAETICVS SEX. FIRMVS HORILOGIVM CVM SEDIBVS PAGANIS LÆBACTIBVS DEDERVNT.

B *Romanos* itaque aliquamdiu ibi remansisse, utque facilius terram retinerent, passim vagatos satis confirmant Epitaphia atque Inscriptiones, quæ ubique prostant in oppido, & extraneis in pagis; quandoquidem intra oppidum in muro ædis Ca- 9
thedralis forum versus inscriptum invenies:

IMP. CAESARI M. AVRELIO ANTONINO AVG. ARMENIACO MEDICO PARTHICO MARC. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XX. IMP. II. COS. III. PP. DIVI ANTONINI FIL. DIVI ADRIANI NEPOTI, DIVI TRAIANI PARTHICI PRONEPOTI, DIVI NERVAE ABNEPOTI D. D.

C In foro, penes lapidem sepulcralem, quem inferius descriptum dabimus:

T. SERTORIO PROCULO II. VIR I. D.
PRAEFECTO III. Q. FLAMINI.
VIX ANN. XXX. MES. VI.
OPTIMO FILIO PARENTES FECERUNT H. M.

In porticu S. *Petri* extra Templum:

D. M. QVINCTIA MAXIMA SIBI ET
COIVGI SUO CVSONIO SEVERINO
V. F.

In pago *Bribano*:

D D. M. CAPERTIÆ VALENTINÆ
C. M. VALERIANI COIVGI.

In Templo S. *Cyriaci*, in pago parochiæ *Lavacci*: 10

IOVI O. M. HOSTILIVS SERTORIANVS
V. S. L. M.

In vico *Ongarone*:

ASCLEP. IO. PXELIVS POLIO
MONITVS POSVIT.

In pago *Cavaccano*:

TI. VSPIDI. TI. FIL. GEMINI SIBI
ET SVIS.

In Colle S. *Martini Cordevoli*:

P. TVRIANO P. ANISIO IIII.
E VIR TVRIAE ARINÆ P. TVRANIAE
P. ARINI. T. B. OPTI. ANISI.
TVRIANVS SECONDVS V. F.

In pago *Summi Pontis*, seu *Capo di Ponte*:

FILI POSVERVNT MEMORIA
PATRI SATVRNIANO POTIO OBITO
CVM COMPARE SVA VALENTINIANA
VOLVSIA.

In vico *Chori*:

T. TVRRANIVS SEVERINVS COIVGI
SVAE CARISS. BLICIAE CONSTANTINAE VIVVS F.

F In pago *Tecliana*, nimirum in Templo S. *Teclæ*:

C. DVREIO SECVNDO DORIFERO 11
OMNI. HONORIBVS M. F. PRECILIA
PROCVLA MARITO OPTIMO.

In vico *Mel*:

M. PRAECELLIVS Q. F. PAP. VITVLVS
SIBI ET DVRENIAE L. F. SECVNDAE
VXORI, ET SVIS V. F.

In pago *Caneto*:

M. IVNI. PAPI. MAXIMI. LIVI. D.
PRECELLIA MAXIMINA CONIVGI
CARISSIMO V. F.

In

In Vico *Blancha:*

I. O. M. STAT. C. VALERIVS
VALERIANVS EX VISV P.

In Vico *Salce:*

FLAVIAE C.F: SEVERAE ANNORVM III.
MENS. XI. D.V. FIL. CARISSIMAE C. FL.
HOSTILIAN. ET PRACTORIA I. F.
LAEONICA PARENT. FEC.

In Vico *Lastreghe:*

T. VOLVSIO, C.F. VOLVSIAE ADEA....

ibi marmor est erosum, nec ulterius quid habet.

In Templo S. *Mariæ* di *Sedego:*

IOVI O. M.

In eodem Templo, in gradibus aræ:

12 P. IVRRANIO PAPLISIO IIII. VIR
APPIAI MILIAI PI OLILAE PAREN-
TIBVS OPTIMIS IVRRANIVS
PLACIDVS V. F.

In pago *Aseio:*

P. CVMINIVS C. F. SILVII RV.
V. S. L. M.

Tractus autem hi tam diu desolati maximam partem in nemora, montesque horridissimos conversi sunt, quamobrem aluerunt, attraxeruntque vim bestiarum maximam; verum in illis omnium ferocissima fera fuit Aper immanis, ita ferox ut intrepide inceperit aggredi & disjicere homines & bruta, omniaque quæ ipsi occurrerint; quare nec a turmis militum huc venientibus, unquam excitari potuit: quin passim illorum aliquem vel interemerit, vel vulneraverit.

Verum quod tot simul effectum dare non potuere, tandem ab unico factum est: quippe tantæ audaciæ atque roboris quidam exstitit, ut sine timore Aprum adortus, non solum percusserit, verum etiam occiderit; humerisque impositum abstulerit æquipondio: res erat, quam incolæ maxime admirarentur, ita ut admiratione animi atque stupore correpti, manus Cœlum versus attollerent, inciperentque exclamare lingua hujus gen-
13 tis vernacula: *Vir unus*, *Vir unus*, Unde sunt, qui autumant oppidum hoc nactum fuisse nomen suum, qua de re jam dicendum venit: Hæc enim altera sententia de natalibus est, nec ratione carens: adeo ut relinquamus Lectori arbitrium eligendi quam putaverit optimam: cum certum nihil habeatur: quippe in Archivis oppidi nihil antiquitatis reperitur, quod tot & tam variis dominis fuerit subjectum: quare opus est in reliquis ad conjecturas ex Historicis antiquis novitiisque confugere eductas. Hanc vero sententiam firmat *Suidas* in suo Lexico seu *Dictionario*, scribens ita:

Βηρούνιον ὄνομα πόλεως. Νωρικοὶ γὰρ ἔθνος ἔνθα συὸς χρῆμα θεόπεμπτον ταῖς χώραν ἐλυμαίνετο. καὶ αὐτῷ πάντες ἐπιχειροῦντος οὐδὲν ἤνυον. μέχρί τις ἀνὴρ τὴν σῦν περιτρέψας ἐπὶ τοὺς ὤμους ἀνέθετο, οἱόν τι καὶ περὶ Καλυδόνος μυθεύεται. οἱ δὲ Νωρικοὶ ἐπεβόησαν. εἷς ἀνὴρ τῇ ἰδίᾳ φωνῇ τουτέστι βηροῦνους. ὅθεν ἡ πόλις Βηρούνιον ἐκλήθη.

Latine hæc ita exposueris:

Virunium nomen urbis. Apud Noricos Aper divinitus immissus agros vastabat; quem cum multi invaderent, nihil proficiebant, donec quidam eum pro-
14 *stratum, in humeros sustulit; cujusmodi fabula & de Calydone refertur. Cum autem Norici sua voce exclamassent, Vir unus: urbs Virunium est appellata.*

Hic locus perspicue vindicat, quæ de Apro relata fuere. Oppidum jam inter *Norica* numeratum fuisse, ut narrat *Suidas*, indicatque *Virgilius* loco ante citato, plurimi auctores declarant, nam maximam partem, loca omnia, quæ ab *Alpibus* inter montana ab hac parte *Italiam* terminant, modo appellant *Tauriscorum*, modo *Carnensium*, modo *Noricorum*, etiam *Rhætiorum*: immo Histo-
A riæ scriptores aperte tradunt, à *Rhætiis* extructum fuisse oppidum *Feltre*, quod nostro longius distat. Insuper *Ovidius* alicubi canere non veretur:

Durior & ferro, quod Noricus excoquit ignis.

Adhæc Horatius:

Quos neque Noricus deterret ensis.

Etenim cum non detur oppidum in his tractibus, ubi enses formentur, aliaque armatura necessaria, nisi heic loci, omnino statuendum est, ipsos hæc loca demonstrare. Verum in testem admodum verum, nec ulla ratione impugnandum, affero Inscriptionem sepulcralem, quæ hodie impo-
B sita columnæ legitur in Foro prope descensum, qui tendit in Prætorium, reperta anno MCCCC-
XCIII. subtus terram, cum Templum *S. Stephani* 15
extrueretur, ubi ad latus inscriptum est:

C. FL. HOSTILIVS PAP. SERTORIANVS
LAVR. LAV. P. E. Q. R. M. SIBI, ET
DOMITIAE T. FILIÆ SEVERAE
COIVGI INCOMPARABILI, V. F.
ΓΡΗΓΟΡΙ ΧΑΙΡΕ ΟΡΕCΙ ΑΕΙ ΜΝΗΜΩΝ.

Ab aversa parte etiam prostat Juvenis equo vectus, adsculptis plurimis qui ipsum sequuntur, ipse elevatis digitis manuum Cœlum versus, ali-
C quid mirum demonstrare videtur. Hos alii comitantur, qui Aprum casibus captum irretitumque ferunt. Ab alia sepulcreti parte Juvenis cernitur, qui Cervum exsilientem cornibus tenet; ab alia vero Juvenis equo insidens, qui sagittam tenens, Apro superstat. Itaque omnino argumentamur, hoc *Suidæ* testimonium idem plane esse, quod indicant Inscriptiones insculptæ Marmori nostro, adeoque non aliam ac hanc esse Civitatem, cujus loco citato meminit. Quod autem appellatio *Virunus* in *Bellunum* sit mutata, novum non est, 16
quippe plurima oppida, immo fere omnia, quæ nomen à structoribus mutuata sunt, parumper
D postea variarunt, quod pronunciationem facillimam gratissimamque auditui quærant ut plurimum homines; etenim melius sonat *Bellunum*, quam *Virunum*; ne dicam posse constare è duobus nominibus, nimirum primas syllabas traxisse ab fundatore, ultimasque ab altero servatore, ut superius explicui. [Heic non transiliendum venit, quod de hac re legi apud Auctorem quendam, qui inscripserat Opusculum suum: *Chronica Marcæ Tarvisiæ*; ubi de hoc oppido agens scribit: *oppidulum Bellunum excitatum est in ruderibus antiqui Belluni alterius, Coloniæ Rhætiorum*; *Bellunum autem vocitatum est, ex amœnissimo situ, atque fortissimis militibus;*
E *suis structoribus: Mox solo adæquavit Rotharis Rex Longobardorum, post autem transitum Caroli Magni auxiliis Tarvisiorum restauratum est: vocitatumque Cividale, quod dicit locum Civilem atque hospitium Nobilium.*] Quicquid sit, & hoc ne vel illo, vel ex utroque dicatur; habeatque natales, quocunque demum tempore, oppidum tamen hac tempestate subjectum, atque vectigale *Romanis* fuit, usque annum LXXX. a Nato *Christo* Domino nostro, cum incolæ conversi essent ad Christianismum concionantibus Discipulis *S. Marci* Evangelistæ & mox S. *Hermagora* & *Fortunato*. qui ex *Aquilegiâ* sede sua Episcopali hos undiquaque
F miserunt ad prædicandam *Christianam* religionem; 17
incepit itaque Episcopum accipere, Dominum, inquam, rebus dominantem temporalibus & ecclesiasticis, nomineque gaudentem Episcopi & Comitis *Bellunensis*; insignibus vero publicis addita fuit Crux rubra præter binos (ut dixi) serpentes. Oppidum in quatuor regiones seu insulas, ut ita dicam, est distributum; & hoc modô Magistratus necessarii distributi sunt, atque munera secundum regiones, ut Consules cæterique, qui gubernant quatuor parentelas (sic enim voca-

 ban-

bantur) oppidi, quos quævis harum quatuor regionum eligebat, ad voluntatem, & prout necessarium erat, mutabat. Equidem nego, me pro certo asseverare posse, utrum initium habuerint cum Episcopis, regionesque indicatæ inceperint tantam exercere potentiam, verum satis perspectum habeo, (idemque desumsi ex instrumentis publicis, autographisque) usque ad annum MCC ita in usu fuisse, harumque regionum primam vocitatam *Tassinoniorum*, alteram *Nassadanorum de Rudo*, tertiam *Doglionorum* & *Castiglionorum*, & quartam *Bernhardonorum*; quin legi, anno MCCII. *Vicentinis* à *Patavinis* superatis, atque aliquot ipsorum captis, societatem iniisse *Vicentinos*, *Mantuanos*, *Ferrarienses*, *Bellunenses*, atque *Feltrenses*, armaque pro *Vicentinis* sumpsisse contra *Patavinos*, prope pontem *Brentæ*, coëgisseque *Patavinos* ad ineundam pacem reddendosque *Vicen-*
18 *tinis* omnes captivos, quos ex illis haberent. Hoc fœdere ita coaluëre *Bellunenses* cum *Patavinis* (cum ipsorum potentiam cognoscerent) ut invicem societatem iniverint, quo urgente necessitate se invicem protegerent, quemadmodum etiam præstiterunt: postea vero *Eccelinus de Romania* adscitus in civitatem *Tarvisiam*, rebus cum *Patavinis* compositis, expetiit quodammodo clam ipsis obesse, & ita ostendere malignitatem ingenii, quare intercedentibus plurimis clientibus Rempublicam *Tarvisianam* eo redegit, ut *Feltre* & *Bellunum* subigeret; obtulitque sui quoque præsentis, si res posceret, auxilium. Ubi vero consilium datum acciperent *Tarvisiani*, omnibus viribus, ut eum adjuvarent, collectis, maximis copiis una egressi sunt cum *Eccelino* ad impetum in hostiles terras faciendum, nec, cum à *Patavinis* multæ adhiberentur preces, passi fuere dimoveri a proposito & avocari, quin verbis tempus terentes usquequo occuparent hoc oppidum, mox responderunt, se non relicturos illud esse, usquedum starent mœnia *Tarvisii*. Hoc cum *Patavini* perciperent, copias eduxêre in hostem Duce & Imperatore *Stephano Badoero* illorum Potestate, conjunctis sibi Marchione *Azzi Ferrariensi*, nec non turmis Patriarchæ *Aquilegiæ*, perrexeruntque in agrum hostilem, omnia vastantes & corrumpentes; quin usque autumnum, quo anni tempore opus erat reverti *Patavium*, plurima damna intulêre, occuparunt combusse-
19 runtque plurima castella, tenderuntque & pervenerunt usque mœnia *Tarvisiana*; quinimo adeo obfirmati animo fuerunt in hanc impressionem, ut in Consilio status *Patavino* proponeretur & consultaretur, bis quotannis Gubernatorem *Patavinum* eo mitti ad vastandum agrum & regionem *Tarvisii*, & *Eccelini de Romania*, quousque oppida *Bellunum* & *Feltre* redderentur Episcopis suis, & Reipublicæ *Patavinæ*. Verum nil inde evenit, intervenenitibus Legato Pontificis, Rectoribusque *Lombardiæ*, nisi quod res fuerint compositæ, redditaque *Feltre*, & oppidum *Bellunum* suis Episcopis, summis *Eccelini* ingratiis, qui inde immane quantum offensus fuit. Ipse autem nondum regimen *Patavinum* adeptus erat, itaque odium secretum retinuit, ita ut magis magisque assidue flagraret desiderio summo vindictæ; ut vero primum auxilio Cæsaris obtinuit regimen, etiam statim aut paulo post incepit iram exercere, atque tantam immanitatem in *Patavinos* patrare quanta omnibus satis nota est; auctoritateque & potentia acquisita, copias numerosissimas ad *Feltre* adduxit, quam statim occupavit. Postea obsedit *Bellunum*, verum anno eodem, nimirum MCCCCXXVIII. efficere nihil valuit, quoniam *Bellunenses* fortissime re-
20 stitêre; tamen anno insequenti, reversus ad obsidionem, omnino ipsis necesse fuit sese ei dedere. Ita mansit oppidum subjectum *Eccelino*, dum

A vixit, mox Imperio, cujus nomine occupatum fuerat. Permansit in hoc statu, usque annum MCCXCII. quô *Mastinus Scala*, Dominus *Veronæ*, idem cepit, ut & oppidum *Feltre*, atque *Vicentiam*; quare simul dominatus est *Veronæ*, *Vicentiæ*, *Patavio*, *Tarvisio*, *Belluno*, *Feltre*, *Cenedæ*, *Bergamo*, *Brixiæ*, *Parmæ* & *Lucæ*; sed anno MCCCXXXIX *Carolus* filius Regis *Bohemorum*, veniens è *Carinthia*, ipsi eripuit, & occupavit, una cum *Feltre* & *Ceneda*; ipsi vero *Belluno* in locum Gubernatoris à *Scala* impositi, datus fuit *Hendrighettus*, seu *Henricus Mongai*. Post *Carolum*, oppidum subjectum est *Carrarien-*
B *sibus*, Dominis *Patavii*, qui postmodum, (ut docent pacta quædam conventa inter ipsos & *Leopoldum* Ducem *Austriæ*, quem vocarant ad se defendendos à potentia *Venetorum*) hoc oppidum atque *Feltre*, cum universa Valle *Sugana*, omnibusque eo pertinentibus, Duci huic sese permiserunt; hac conditione, ut rebus compositis Dux loca eadem cum confiniis restitueret memoratis Dominis *Patavinis*, vicissim ipsi Duci solverent sexaginta millia Imperialium. Itaque hinc ortum est horrendum bellum inter *Venetos* & Ducem *Austriæ*; 21
verum tandem pace facta, memorata oppida reddita fuere *Carrario*, solutis quæ restaurata erant,
C promissis sexagies mille uncialibus. Postea anno MCCCXCI. fervente bello inter *Franciscum Carrarium* & *Antonium Scalam* Dominum *Veronæ*; *Joan. Galeacius Vicecomes*, Dominus *Mediolanensis*, cujus potentia satis ubivis cognita, & perspecta fuit, bellum intulit *Scaligeris* incitante *Carrario*, his victis abstulit *Veronam* & *Vicentiam*; postea, ut homines solent semper plura desiderare, nullis fortunis impleti, vel opibus, non minori bello, quam quod contra *Scaligeros* gesserat, petiit *Patavinos*. Sunt, qui narrant, *Carrarium* aggressum id bellum fuisse ad eximendum *Barnabam* conso-
D brinum carcere; quem cum *Galeacius* gener nepósque è fatre perceperat, mediante *Catharina* uxore quærere, ut ipsum interficeret, captum Arce tenebat, *Vicecomes* ideo ipsi intulit bellum. Itaque ut potentiam *Carrarii* subigeret, fœdus pepigit cum *Venetis*, qui expeditis quadringentis & pluribus triremibus, Duce & Capitaneo *Jacobo Delphino*, subita impressione ceperunt fere omnia munimenta, armaturas locaque, quæ possidebat *Carrarius* ad ostium fluviorum. Interim *Galeacius* etiam, non modo territorium, & Castella oppido citima occupavit, verum etiam 22
E *Patavium*, post obsidionem paucorum mensium. Adhæc captivum *Franciscum* senem conjecit in carcerem; filius vero nominatus junior, ereptus mediis periculis, aufugit *Lamagnam*. Nec *Galeacius* rebus tam prosperis substitit, verum obsequentem fortunam secutus, itidem manu armata occupavit *Tarvisium*. Bellum hoc admodum fuit infestum, & cruentum; sed potentia *Carrariorum* omnino fracta, *Galeacius* conditione pacis retinuit *Patavium*, *Bellunum* atque *Feltre*; *Veneti* autem *Tarvisium*. Mansit oppidum *Bellunum* ita subjectum *Vicecomiti*, usquedum ipse superstes fuit: nam anno MCCCCIV. ipso mortuo, *Veneti* bel-
F ligerantes non solum subegere *Carrarios*, verum etiam, captivos morti adjudicarunt, & exultantibus gestientibusque cunctis *Venetis*, (ut etiam quivis cujuscunque status aperte ostendebat) ita subjecere *Vicentiam*, *Veronam*, *Coloniam*, *Bellunum*, *Feltre*, & tandem *Patavium* suæ ditioni. Hac tempestate Dux erat *Michaël Steno*, qui ut inter cætera gratiam præstaret *Bellunensibus*, qui sponte sese dederant, permisit, concedente Senatu, immunitatem, qua omnes Cives oppidi *Belluni*, intelligerentur haberenturque Cives *Venetiarum*, quin & fruerentur privilegiis, immunitatibus

bus exceptionibusque, quibus gauderent ipsi cives *Veneti* in hac civitate, Inde assidue *Cividal* subditum fuit potentiæ & defensioni tam sacræ, tamque optime institutæ Reipublicæ, quod quamquam anno MDIX. tempore illius memorandi & summi fœderis, facti *Camberii* contra *Venetos*, à Papa, Cæsare, Rege *Galliæ*, & fere omnibus Principibus *Italiæ*, fuit occupatum nomine Cæsaris à duce *Brunsvicensi*; nihilominus elapsis paucis diebus, & quasi extemplo, nomine *Venetorum* receptum fuit à *Ludovico Mocenigo*, in præsenti Gubernatore *Tarvisii*. Ita fruitur profunda quiete, spesque est, eam sempiternam fore, gloriæ Domini Dei, splendorique Serenissimi Regiminis *Veneti*, quod Deus dignetur perpetua protectione, & defensione ab omni infortunio & miserabili casu.

F I N I S.

I N D E X
Nominum & Rerum Notabiliorum.

F I N I S.



LAURENTII MARUCINI
BASSANUM,
Sive
DISSERTATIO
DE
URBIS ANTIQUITATE
ET DE
VIRIS EJUSDEM ILLUSTRIBUS.

Latine vertit Præfationem & Indicem adjecit

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS
L. S. D.

PAtriæ ſuæ Antiquitates, Monumenta, Viroſque domi militiæque claros, neque viris cedentem muliebrem gloriam, Civitati ſuæ propriam, brevi hoc ſcripto complexus eſt *Laurentius Marucinus.* Opuſculum illud imprimi curaverat *Venetiis* penes *Gratioſum Perchacinum* Anno MDLXXVII. Id ne inter viles chartas periret, nomine ſuo jam vix notum, revocare in lucem una cum ſimilibus Opuſculis, non ingratum curioſo Lectori credebamus. Scimus omnes homines Patriæ ſuæ amore duci, in quo ſi quid per affectum peccent, facile citoque veniam mereri. Tamen, ſi non ob aliam rem, certe ob *Lazari Bonamici* Merita & Famam ſuſpici Gloria *Baſſanenſis* merito ab omnibus debet Eruditis. Imo quum alias artes, tum & picturam ſibi devinxit plurimum, edito *Jacobo Pontio*, pictore *Baſſanenſi*, cujus laudes non modo noſter celebrat, ſed & multum extollit, qui Pictorum diſcripſit vitas, *Carolus a Mander*, qui pag. 105. & 106. picturas ejus artificioſas in nigricantibus lapidibus *Veronenſibus* commemorat, atque perfectam in bucero atque pecuino grege pingendo artem; filioſque ejuſdem paternæ laudis æmulos ibidem deſcribit, quorum alter immaturo fato raptus eſt, alter (qui idem eſt ille *Franciſcus*, quem noſter etiam laudat) Equeſtrem adeptus dignitatem, ſuo adhuc tempore *Venetiis*, arte conſpicuus, florebat.



SERENISSIMO DOMINO
SEBASTIANO VENERIO,
VENETIARUM PRINCIPI
DOMINO SUO PLURIMUM COLENDO,

S. D.

LAURENTIUS MARUCINUS.



Uum mente perceperim quanta lætitia affecta fuerit Baſſanum *noſtrum, perlata illuc fama devolutum noſtrum eſſe Imperi-um ad* VESTRAM *ſemper celebrandam* SERENITATEM; *ipſe vero hujuſce noſtræ Civitatis quædam collegiſſem monu-menta ad ejus Antiquitatem ſpectantia, illa qualiacunque ſint, dedicare volui* SUBLIMITATI VESTRÆ, *ut ita ipſa Urbs noſtra æ-ternum ſimul Nomen atque felicem Tuam Tutelam nanciſceretur, quam qui-dem illa cunctis aliis ſuis præfert deſideriis.*

Ego vero porro memet bonæ VESTRÆ GRATIÆ *commendo humil-limè, Deum orans, ut longe Felicitati Veſtræ ſit propitius, ut Optimo Prin-cipi, & Patri Patriæ noſtræ veriſſimo, meo vero peculiariter Domino ſem-per colendo.* Baſſani I. *Aug.* MDLXXVII.



LAU-

LAURENTII MARUCINI BASSANUM

Sive

DISSERTATIO

DE URBIS ANTIQUITATE ET DE VIRIS EJUSDEM ILLUSTRIBUS.



MOENISSIMUS Regionis vestræ florentissimæ tractus, aëris cœlique salubritas, locuples ille penus, *Bassanenses* honoratissimi, æternumque dilectissimi, menti tantum inspiravit amorem loci, ut post Patriæ in usum diutissime toleratos mari labores præsumserim animo in officia vestra universum studiorum laborem insumere: & instituerim vitam simul & artem disponere ad bene placitum vestrum, a quibus, ceu radio solis naturalis longe splendidissimo relucet amplitudo Majorum vestrorum; qui, ut Historiæ Celeberrimi Domini *Dominici Bollani*, nec non fragmenta monumentorum vestrorum amplissimorum & antiquissimorum me docuere, a *Trojanis* originem duxerunt, cum in Bibliotheca Excellentissimi Domini *Hieronymi Campesani*, chorographia satis antiqua *Bassani* reperiatur, unde liceat colligere, quantopere situs hicce placuerit *Antenori*, cæterisque ipsius successoribus, quippe quem basin fundamentumque Imperii dixerint, ut monet Inscriptio multo antiquissima in marmore hodieque *Patavii* extans in domo, quæ olim Dominum agnovit *Titum Livium Patavinum*, Historicum eloquentissimum, nunc vero Dominum *Alexandrum Bassanum*, Patricium *Patavinum*, ita sese habens:

BASANUM A BASE DICTUM, ET AB ANTENORE CONSTRUCTUM.

Enimvero quod majus testimonium valemus expetere de antiquitate vestra, quam prisci hujus marmoris, superstitis restantisque in ædibus Coryphæi Historicorum *Titi Livii*? qui, ut tradit *Patavium* extructum fuisse ab *Antenore Trojano*, sic insuper *Basanum* innuit locum fuisse, quem primum munivit, condidit, maximaque cum cura defendit; quod ita obstructum assidue teneret iter *Euganeis* & *Henetis*, quos ejecerant finibus suis *Trojani*, ne repeterent valles Montis *Athus* ad ripam fluvii *Brentæ* easque habitarent, ubi hodieque dantur variæ Respublicæ populosissimæ: quarum una etiamnum retinet appellationem detortam, nimirum *Vallis Suganæ*, cum olim *Vallis Euganea* dicta fuerit: quinimo supersunt præterea rudera spatiosissimæ Civitatis ab iisdem ædificatæ in Monte, quæ nomen traxit à Barat Duce ipsorum, *Barentia* vocata. hæc vero continua suburbiis quæ ab inferiori parte sunt, appellationem fluvio nomenque imposuit, quod etiamnum, quamvis detortum retinet, quippe qui pro flumine *Barentiæ*, vocetur fluvius *Brentæ*, quod & hodie nomen solum fluvio huic vindicatur. Itaque, ut à veritate minime abhorret, splendori Vestro & Magnificentiæ tribuendum omnino est, *Antenorem* conditorem auctoremque vestrum claruisse, Oppidumque vestrum jucundissimum atque amœnissimum extitisse, & Urbem vestram ipsius primum munimentum, quo invasionem hostium quorumcunque arceret, ut tute ac tranquille cresceret *Patavium* cum territorio circumjecto, quæ quidem urbs a base Imperii vere *Basianum* vocata fuerit, & mox appellatione detorta *Basanum*, tandem autem *Bassanum*; aut ut quibusdam placet, sicuti Domino Celeberrimo *Dominico Bollanio* in Historiis suis, nomen traxit à *Bassa* vocabulo honoris penes *Trojanos*, B atque inde fuit appellatum *Bassanum*: quia in Arce habitaverit Bassa, seu is qui fuerit illis a Consiliis, atque primus Regni minister quemadmodum *Turcæ* hodieque tales solent vocare; quos ortos a *Trojanis*, asseverat idem Auctor; vel denique Territorum ita appellatum a Græco βασὰν quod *solum fertile* innuit, quippe quod exuberet omni genere frugum, non in ejus agris modo, sed etiam in circumjectis campis, qui undiquaque commeatum adferunt lætis proventibus, inter quos numeratur præcipue *Vicentinus*, cum quo, ponte longe pulcherrimo & omnium, qui hodie sunt C in *Italia*, maxime admirando, plurimisque aliis Regionibus, jungitur: hic pons est ligneus, lapidibus coctis maximo sumptu contectus, impendetque fluvio *Brentæ* non sine stupore contemplantis, ita ut scriptori, me multo facundiori, amplum det campum laudum suarum. Insuper summam antiquitatem vestram vobis vindicat sigillum *Patavinum*, quod ex argento datur in Archivis Nobilissimæ Reipublicæ; sigillum vero dictum adhibitum fuit *Patavio* libertate sua popularique statu gaudente; cum insculptus ibidem occurrat typus Civitatis, hisce circumpositis literis:

D MUSON, MONS ATHOS, MARE, CERTOS DAT MIHI FINES.

Nec alii dantur Montes, qui planitiem includunt, excepto, qui hodie eminet *Basanensis* ille *Athos* appellationis suæ pristinæ hæres.

Quod autem ita re vera sese res habeat demonstrare licet e proportione Legum & indictorum, librarum, mensuræque, quas retinet oppidum Vestrum *Basanum*, sunt etenim omnes mensuræ libræque *Patavinæ*. Si vero hoc non sufficit, satis publico erit, si dixerim oriundam heic loci esse familiam Nobilissimam Dominorum *Carrariensium*, E ut inter reliquos *Leander Alberti* testatur, libro de *Marca Tarvisana*; qui Viri, ut ex nobilissimis prosapiis prognati, ita postea *Patavio*, *Veronæ*, plurimisque munimentis & ditionibus etiam dominati fuere.

A *Eccelinum* præterea *de Romano*, sævissimum Tyrannum, qui excitavit Turrim *de la Fossa* medio in *Basano*, pro firmiori sui præsidio, cum habitaret in munimento, ubi jam reperitur Ædes sacra primaria, quæ olim *Sancta Maria in Colle* appellabatur, & in Arce, quæ jam quoque versa est in Palatium Nobilissimi Domini *Cattarini Zeno*; illum (inquam) dixisse ferunt, cæteros homines esse mulieres respectu suorum *Pedemontanorum*; ita enim ab ipso appellabantur *Basanenses*, omnesque ejus Tractus incolæ, septenarumque ibidem Communium seu Rerumpublicarum, quod viribus & potentia illorum ipse dominari posset *Patavio* cæterisque locis & oppidis; quæ nunc quidem commodo bonoque suo Nobilissimæ omnes Reipublicæ *Venetæ* parent.

B Non omittam, oppidum hocce nostrum ob virtutem incolarum, priscique dominii, assidue gavisum fuisse *mero & mixto Imperio*, sub Eminentissimis Ducibus *Mediolanensibus*, qui tantopere illud dilexerunt, ut Nobilissima Dux *Mediolanensis*, Vidua Ducis *Galeatii Vicecomitis*, vocati *Ducis virtuosi*, temporibus *Michaelis Stenii*, Ducis *Venetiarum*, cum ipsa oppugnaretur ab audacissimis *Carrariensibus*, ne iidem *Vicentiam* & *Basanum* occupando libertatem dominiumque priscum Oppidis illis adimerent, utrique summum præstiterit documentum benevolentiæ suæ, atque cum non valeret defendere oppida hæcce, commendaverit, dederitque Regimini Nobilissimo *Venetiarum*, etiam atque etiam rogans ut in Dominium suum & tutelam reciperet: quod Dominium postea, iisdem *Carrariensibus*, coactum fuit *Patavium* atque *Veronam* propter eorundem pervicaciam adimere.

C Oppidum hocce exceptum fuit a *Venetis*, summo favore, atque benignitate anno MCCCCIV. ipsique concessus Præses & Gubernator fuit: omniaque statuta confirmata; additumque ut omnes Cives nostri oppidi regerentur à Consulibus & Judicibus more pristino, ut fit etiamnum. Insuper oppido nostro celeberrimo, dilectionis honorisque ergo, immunitates plurimæ concessæ fuêre ab ipso eminentissimo Dominio, quas hactenus sanctissimas inviolatasque conservavit: exempli gratiâ, ut liberrimum iter transitusque per omnia oppida Regimini excellentissimo subjecta permitteretur incolis, item illi ipsi exciperentur à vectigalibus; aliisque privilegiis à Serenissima Republica ornarentur. Omnia hæc satis superque elucent e largissimæ immunitatis Instrumento concesso a *Michaële Stenio* Duce *Venetiarum* clementissimo.

D Huic plurima instrumenta Regionis celeberrimæ adjungantur, disposita rite in Actis publicis nobilissimæ vestræ Reipublicæ, quæ omnia favorem dilectionemque præ se ferunt, quemadmodum illud Serenissimi Ducis *Thomæ Mocenigi*, ut & aliud Serenissimi *Antonii Veneri*, plurimaque id genus alia, quæ continuationem gratiæ nunquam interruptam atque quotidie a clementissima ejus cura præstitam ostendunt. Præterea solum *Basanum*, ex omnibus oppidis in continente Regimini excellentissimo Reip. subditis, exemptum est jurisdictioni civitatis ullius alius, nisi quod in Ecclesiasticis Episcopo *Vicentino* subjectum sit.

E Immo quis unquam potest negare, Majores vestros e prosapia *Trojanorum* oriundos fuisse. Quum quatuor olim Cives vestri suffecerint omnibus copiis *Maximiliani Cæsaris* per horas sex, strage vastissima edita; quique nequaquam reprimi potuerunt, antequam ab ingenti equitatu, qui fluvium trajecerat, superarentur; & ne tunc quidem capti fuissent, montana etenim ascendentes, in tutam fugam sese conjecerant, nisi a Canibus quibusdam *Corsicis*, quos ad similem eventum hostes alebant, disjecti fuissent, atque ab Equitatu necati; qui rediens ad *Cæsarem*, rem ab Exercitu suo gestam narravit, quatuor tantummodo homines ejus iter retardasse; *Cæsar* ipse vero interrogavit, utrum captos haberent? cum identidem responsum acciperet, & captos & occisos fuisse, mœrorem cepit acerbissimum; quin nisi Ductor Equitatus adduxisset excusationem canum, qui ipsos disjecerant atque dilacerarant, pœnas insuper ipse maximas luisset. Ad hæc anno MCCCCXII. *Germanis* statum regionemque Nobilissimæ Reipublicæ invadentibus, & *Basanensibus* resistentibus iisdem in confiniis suis, legitur in hanc rem in Diplomate *Michaëlis Stenii* Serenissimi *Venetiarum* Ducis, quod exstat in libro, qui *Rubeus* vocatur in honorem vestrum hoc encomium: *Deposita omnium personarum vestrarum formidine, ac periculo, restitistis; ac hostes ex confinibus repulistis; unde Vestra Fidelitas venit merito, non solum apud nos, verum etiam apud extraneos commendanda; & apud Dominium Nostrum de caris carissimi facti estis, & nostra gratia digniores.* nec viri modo, verum etiam fœminæ, faustissimam hanc Remp. defendendo, aperte indicarunt, sese *Trojano* sanguine prognatas: quandoquidem anno MDXIII. die xx. Februarii, Diplomate *Leonardi Loredani* summi Venetiarum Ducis, dato ad Gubernatores & Moderatores *Patavinos*, ostendente, præceptum injunctumque fuit Rectori supremo oppidi tum temporis, ut *Basanenses* oneribus plurimis levaret, idque propter fidelitatem & fortitudinem ostensam atque præstitam; his verbis: *In hac recenti Teutonicorum strage, in qua non solum viri, sed multæ etiam mulieres dicti loci, ex hostibus plures suis manibus viriliter interfecerunt.* Diploma vero hocce monumento sempiterno in Archivis vestris custoditur. Præterea longe plurima alia gesta incolis vestris Civibusque dignissima recitare potui, quæ invenio tradita in monumentis nonnullis idoneis, reliquiis nimirum superstitibus post vastationem & spoliationem sæpius tempestate belli nunc ab his nunc ab illis factam; sed ut contraham sermonem & vicissim præripiam æmulis occasionem calumniandi paucas antiquæ vestræ originis hasce reliquias, a me perquisitas & dispositas; nolui quicquam in hoc compendioso scripto meo allegare, quod non publicum haberet testimonium, quod videlicet non esset aut excerptum ex Historico idoneo, aut Marmore prisco, aut probari posset Sigillo Urbis adhucdum exstante, libris præterea, mensuris, Legibus vestris atque statutis, plane convenientibus cum *Patavinis*: nec non Annalibus gestorum vestrorum laudatissimorum atque fortissimorum conservatis in publicis Instrumentis, approbatis & dispositis inter acta Archivorum vestrorum. Nec heic subsisto, quanquam propositum illud brevitatis res multas me transilire cogit; Foret enim nimis injustum non aliquod laudis vestræ singulare exemplum allegare; qualia plura proxime elapsa tempestate vidimus exstitisse: inter celebriores certe viros numerare licet *Christophorum Palmerinam*, Civem vestrum, qui anno MCCCCXXXIX. ævo videlicet *Nicolai Pizzini*, quum is prima vice trajecisset *Ladicum*, atque Clarissimus *Carolus Gonzaga*, filius Marchionis *Mantuani*, aliquem ex *Venetis* ad singularem pugnam provocasset, *Verona* exiit, & juxta portas manus contulit; pugna autem acrius longiusque durante, *Nicolaus Pizzinus* Ductor Exercitus Ducis *Mediolanensis Philippi Mariæ*, receptui cecinit vociferatus: *sufficit, Domini, utrumque vestrum, ut estis, fortissimos declaro Equites.* Nec omittam egregium Heroa, infelicis licet exitus, neque enim (documento prosapiæ *Trojanæ* certissimo) virtuti respondit eventus, vitæque exitus dignus evenit anno MCCCCXL. *Piardo*

F

do, Civi vestro, Militi temporis sui fortissimo, atque rebus gestis clarissimo, quinimo fidelissimo Reip. *Venetæ*: hic peditum *Venetorum* Dux, tempore belli secundi *Brixiani*, & Nobilissimo Domino *Georgio Cornaro in Voltolina* Provisore Exercitus summo, fortissime semper dimicavit; tandem autem cum omnibus suis militibus fortissimis & Reip. fidissimis occisus fuit: ex quibus quidem *Cornaro* capto, membra *Piardi* concisa hostes in sacco condita, apportarunt obtuleruntque dicentes: *En Ductorem tuum*; Provisor autem fortissimus, & prudentissimus, memor observantiæ debitæ in ipsa etiam captivitate, impium hoc hostium factum tali responso ultus est: *Neque tamen illos vel tantilllum quidem minuisse neque fortitudinem occisi, nec fidem ejusdem in Remp.* Dantur insuper exempla inter recentiora tempora Virorum longe fortissimorum belli militiæque, ut *Laurentii Apollonii* Præfecti Equitatus; hic collocatus fuit in præsidiis *Polesenis* anno MDXII. uti testatur Diploma *Leonardi Loredani* Ducis *Venetiarum* Serenissimi; adhæc eodem regnante veluti indicant Literæ anni MDXIV. ipse datus fuit in præsidium finium *Feltrensium*; denique à Duce *Guidone Ubaldo Urbinati* præsidiariæ, quæ *Brixiæ* erant copiæ, commissæ ei fuere; Vir fuit fortissimus, suoque tempore Miles rebus belli gestis celeberrimus.

Præterea Miles fortissimus fuit Ductor ille *Alexander Apollonius*, germanus frater *Apollonii* memorati; verum, quod in juventutis flore obierit, tantummodo exerere virtutem suam potuit Legatus existens Domini Equitis *Averoldi*, qui obitum ipsius maxime deflevit, utpote Militis spei optimæ & sibi fidissimi.

Vixit etiam tempore nominati Ducis *Laurentii*, *Aloysius Comus*; qui Clementissimo Duci *Ferrariæ* plurimos annos sese addixerat, assidue illi, atque maxime dilectus; creatusque ab Patrono Comes *Palatinus*; ex ipsius itidem filiabus, soror *Gabriëla* hoc tempore Abbatissa *S. Sebastiani* est, fœmina vitæ probatissimæ, & prudentissima in regimine commissi Cœnobii. Nec modo bellis, verum etiam pietate, doctrina, picturis (ut ego quidem opinor) Patria vestra & civitas ita excelluit, ut ad aliud quodvis oppidum accedere possit: quippe quæ multis frequens est Cœnobiis Monachorum Virginumque sacrarum, duobus xenodochiis, variisque ptochotrophiis pulcherrimis, ubi auxilium fertur pauperibus sanis & ægrotis non uno modo, viris cum dote in matrimonium collocantur puellæ, aliaque plura exercentur opera pia, atque summe decora.

Quin inveniuntur Templa structa & Cœnobia spatiosissima in oppido, & opere sumptuosissimo: inter quæ laudare licet Ædem vestram primariam in Castello seu Arce, appellatam olim *S. Mariæ Collinæ*: cui *Marcus Antonius Sapa*, Antecessor, anno MCCCCLXXVI. die 26. Maji, & *Benedictus Novelli* Pastor ejusdem Templi impetrarunt à Pontificibus summis variisque Cardinalibus plurimas Indulgentias idoneas & pretiosas; quas sempiternas retinebit, ut è Bullis suis constat, conservatis in Sacello Templi ejusdem. Prope hoc est Cœnobium & Templum *S. Francisci*, ubi eminet vester plurimum Reverendus Pater, Frater ille *Joannes Petrus* vita exemplari inter æquales. Nec non illud Patrum *S. Catharinæ*, ordinis *Centuronum*, quorum nonnulli fuere magni Theologi & Ecclesiastæ, videlicet Reverendus *Joannes Augustinus*, Pater, Domus *Dedorum*, per excellentiam vocatus Frater Prædicator *Basanensis*; Monachus ille *Frater Anzolus*; item Monachus *Anselmus Cressinius*; Monachus *Ambrosius Navis*, pergratus Duci *Mautuano* ob virtutes suas; *Robertius* summus Theologus, honoratissimus propter varias Abba-

A tias integerrime administratas, vir in omnibus vitæ partibus honestus. item illud Virginum Sacrarum *S. Joannis*, Templum & Cœnobium piissimarum *S. Sebastiani*, ut & illarum *S. Hieronymi*; aliaque loca Xenodochiorum Hospitiorumque publicorum affabre ædificatorum, quæ sufficere possent cuicunque oppido populosissimo: (indicia certissime magnæ in Deum pietatis, cultusque Divini penes majores vestros) quorum brevitatis gratia, pauci quidam etiamnum allegandi veniunt & laudandi propter Vitam integerrimam & honestissimam, velut Reverendus Hieronymus *Dotellus Jesuita*, magnus Theologus & Concionator elo-
B quentissimus: nec non & *Ludovicus Eremita*, quem vos omnes suspiciebatis, quod optimus hic Monachus soleret quotidie Missam canere in Sacrario *S. Mariæ Gratiosæ*, loco scilicet pietatis veteris, mox è stipe quotidiana, post Missam administratam collecta ab auditoribus aliisque gentibus hic excitavit Templum prope mœnia, ibidemque incepit struere Cœnobium contiguum, quod hodie habent Monachi *Servitæ*; præterea fecit excitavitque Cœnobium Templumque Virginum Sacrarum *S. Hieronymi*, Dei honori, vestræque gloriæ. Heic recensendum quoque est, quomo-
C do Reverendus Monachus *Antonius Basanensis*, Eremita vester, condita in oppido vestro Societate Sæcularium ad celebrandum festum, ædificaverit Cœnobium eleemosynarum impensis, quod appellatur *Le Salbeghe*: ubi ipso mortuo, degit temporis deinde tractu Reverendus Ecclesiastes *Casparus* Discipulus fundatoris, in præsenti Pastor *S. Zenonis*: & mox exceperunt Reverend. Monochi *Capucini*, quibus concessum fuit a Pontifice, atque in præsenti adeo adauctum invenies stipe collatitia ab ipsis donata, ut plurimi hujus ordinis Clerici hic vivant, tam amœnus vero locus factus est redditusque, ut inter jucundissima or-
D bis numerare liceat. Adhæc hujus sacri hominis Discipulus fuit Reverendus Pastor *Andreas*, Ecclesiastes *Carminiani*, qui parœcia relicta, Eremita factus est, obiitque in Monte *Sorato*, ubi Eremus est, distans *Roma* milliaribus viginti. Vir hic eruditissimus erat, sculptorque lignorum similisque materiei artificiosus; sculptura picturaque sese multum oblectans: imo & organa construxit aliaque ejus generis curiosiora: Musica præstitit, ususque familiarissime *Chieti*, qui postea Summus Pontifex electus est, dictusque fuit *Paulus Quartus*: quo mortuo se sistit præsentem; & mox revertit ad Eremum suam ante memora-
E tam, ubi anno mortem Pontificis insequenti, e vita decessit, reliquitque plurimos Discipulos vitæ integerrimæ, qui hodieque institutorum ipsius fruuntur commodis. Inter alia encomia laudisque Oppidi vestri multa exstant, quæ illud excellens & celebre reddunt, quemadmodum festum & solemnia, quæ aguntur *S. Basano*, cujus meminit Catalogus Sanctorum ut in numerum Sanctorum relati, sicuti & hodie in loco *Longobardiæ*, *Lodi* vocato, corpus ejus adservatur, habeturque ibi in summo honore, anniversariique & solennes dies ipsi celebrantur die XIX. Februarii. Præterea quavis die Saturni Pompa agitur in vestro Oppido,
F cui interesse solent præter Reverendos Pastores Ædis principis, Celeberrimi Gubernatores omnesque Magnates, huic cœliti addicti, quod gravi peste anno MDIX. liberati fuere, atque *S. Clementi*, nam cum *Germani* proposuissent oppidum comburere, ejus ope die ipso XIX. Decembris anni MDXIII. servati sunt. Immo verissime, laus Deo, turbulentis illis temporibus, quibus a Diabolo irretitum varie erat genus humanum atque fascinatum; admiranda erat Civium vestrorum bonitas, universalisque & vera unio in *Christo*: ita

quidem ut dicere liceat, oblectamento animi verissimo, vos non degere & vivere in oppido, verum in Cœnobio quodam Catholico vereque religioso. Nec defuere oppido nostro, subinde, Viri doctrina literisque præstantissimi, ut me docuerunt monumenta vestratium fide dignissima: inter quos numerandus venit *Abundius Broconus*, Præses & Gubernator seu Potestas Castellorum utrorumque plurimum Venerandi Patriarchæ *Aquilegiensis*, ut literæ ipsius Præsulis anno MCCCCXLIX. datæ ostendunt, quas, ut dictatæ sunt, possidet hodie Dominus *Raphaël Campesanus*: præterea nostra tempestate etiam viguit ejusdem familiæ celeberrimus ille, Eminentissimus Dom. *Carolus Broconus*, Nobilissimus & Doctissimus: nec non anno MDXIX. hic loci excelluit Clarissimus Dominus *Hieronymus Brunaccinus* Antecessor, quem primum fecit *Hercules Estensis* Gubernatorem seu Potestatem *Camporum Gajanorum*, & mox anno MDXXII. Præsidem seu Commissarium *S. Martini* ejusque territorii, in quo munere fuit usque annum MDXXV. quo *Angeliola Sforcia Estensis* ipsum sibi elegit a consiliis privatis fecitque Auditorem Generalem. Nec tantummodo monumenta id vestra manu exarata declarant, verum etiam variæ Inscriptiones in tumulis etiamnum superstites, mentionemque faciunt Virorum illustrium; uti in Templo *S. Joannis* bustum honorarium lapideum exsculptum ab *Sansovino*, sublimeque evectum maximis impensis. Fuit autem Excellentissimo Domino *Petro Campesano* Medico sui tempore celeberrimo, exstructum: ne dicam monumentum marmoreum exsculptum pariter in eodem Templo, Nobilissimi Domini *Alexandri* filii ipsius, Doctoris Juris, Philosophi, Oratoris & Poëtæ admirabilis: orationes enim ipsius & carmina, ut curiosissima, sic optima, dignissima sunt, quæ in lucem edantur: Verum, quod jussisset Testamento, ut Dominus *Raphaël Campesanus*, amantissimus Nepos & hæres alia combureret, alia autem carmina vernacula conservaret, gratiam mihi hanc præstitit vir Nobilissimus ipse ea omnia cum judicio ut legerem, atque seligerem, qui etiam ipse ob insitum optimarum literarum amorem, quanti momenti æstimandæ veniunt Odæ Rhytmicæ, Cantilenæ, carminaque sonora Patrui; me suadente sæpiusque incitante, amicus integerrimus & Patricius limati judicii voluit tandem petitioni meæ assentiri, atque ad memoriam Nobilissimi Patrui, cui multum debet, conservandam, desiderium meum explere; unde me illi plurimum debere confiteor. Itaque ut tam excellentes Rhytmos, digne satis in lucem proveherem, non modo ipsis adjunxi paucos à me compositos, verum etiam undique conquisitos popularis & æstimatissimi cujusque ingenii hic terrarum, cunctos ad unum prælo subjeci, inscripto nomine Rhytmorum *Basanensium*, idque in monumentum gratiæ præstitæ, signumque animi gratissimi, quo erga excellentissimum vestrum oppidum affectus sum, cui ut spontaneum præsto officium, sic sponte celebro atque deprædico. Insuper in eo Templo *S. Joannis* cenotaphium sublime marmoreum Nobilissimi Domini *Pauli Novelli* est, ut & Domini *Casparis* fratris, præstantissimorum & optimorum Patriciorum: item in Templo *S. Catharinæ* Bustum elatum distinctumque cernitur sculpturis Domini laudatissimi *Joannis Mariæ Guadanii*, Juris utriusque Doctoris, qui obiit abhinc duodequadraginta annos, virtute prorsus egregii; quippe qui obtinuit quatuor præfecturas, *Vicentiæ*, *Pergami*, *Cremonæ* & *Veronæ*, admirandus toti orbi, ipsius autem obitum deplorat plangitque totum Oppidum. Præterea in Templo *S. Francisci* tumulus reperitur Nobi-

A lissimi *Jacobi Testæ*, qui in juventute obiit, functus optime duabus Præfecturis summis *Brixiæ* & *Veronæ*. Verum quid ulterius quæram marmora, aliave monumenta signaque perspicua honorum vestrorum; nunquam oblivioni dabitur vel ipse Illustrissimus Dominus *Lazarus Bonamicus*, quippe qui computatur in Viris notissimis ætatis suæ ab omnibus fide dignissimis nunc Historicis; inter quos nomino *Petrum Messiam*, qui in Vitis *Cæsarum* ipsum extollere non dedignatus est, tanquam linguam *Græcam* & *Latinam* optime callentem, tempore *Caroli Quinti* Imperatoris summi; adhæc excellens ille Dominus *Tryphon Gabriëlis*, in nobilissima Poësi *Bernardini Danielis*
B honore summo *Bassani* non dubitavit eum eximie laudare: quin imo Oppidum vestrum inter loca amœnissimi situs numeratur, aëre donatum saluberrimo, cunctis delectationibus præditum, ut habitaculum à Natura dedicatum hominibus, studiis & cultui divino deditis. Obtinuit etiam primas partes humaniorum studiorum in Universitate *Patavina*, donatum stipendio ditissimo, super omnes alios, ab Dominio *Veneto* Illustrissimo, pergratusque fuit Cardinalibus, Pontificibus, summeque æstimatus ab Imperatore *Carolo Quinto*; præterea admodum acceptus Re-
C gi *Galliæ* Invictissimo *Francisco*; qui sæpenumero ditare illum voluit stipendiis largissimis; verum quod natale solum amaret, ipsi omnino addictus, imo vita umbratili admodum gaudens; ideo inhærens delicatæ in literis vitæ, circumscripsit fortunam ad suum desiderium, quod ut plurimum explevit edendo carmine aliquo *Latino*; hoc enim modo contrivit deinde vitam in studiis. Ipse autem præ omnibus honoratus fuit, & universis acceptus; præter notitiam autem consummatam studiorum *Græcorum* atque *Latinorum* honestissimam egit vitam, utpote amantissimus Dei & scientiarum: provectam a-
D deptus senectutem, nec tota vita morbo afflictus fuit; quinimo fortunatum diceres quippe qui fama perenni obiit, relinquens plurimos discipulos, quos studiis suis imbuerat, inter quos, ut sol inter stellas minores fulget Nobilissimus & summe Reverendus Dominus *Augustinus Valierus*, Episcopus celeberrimus *Veronæ*, Philosophus nunc admirabilis, atque Theologus talis, ut ejus candor scribendi, impetusque eloquentiæ facile præ se ferant doctrinam magni Præceptoris sui; etenim ipse Nobilissimus Episcopus, cum studiosus esset *Patavii* me ibidem degente, communiter Patrem illum appellabat,
E quem & ipsum felicem ego prædico inter defunctos, relicto post se tantæ pietatis doctrinæque filio, cujus & *Verona* regimine gaudet & *Venetiæ* sunt plenæ, fama ejus perenni & nomine splendidissimo etiamnum multum beatæ. Insuper e familia *Campesana*, ut taceam monumenta inscriptionum, Nobilissimus est studiis *Græcis* & *Latinis*, ipse Excellentissimus Dominus *Hieronymus* pater Domini *Raphaëlis* modo laudati; qui Jurisconsultissimus suis temporibus, plurimas reliquit allegationes, consiliaque non contemnenda, atque suprema ætate sese præstitit Poëtam maxime decantandum; quippe qui carmine He-
F roico multa prosequutus est Veteris Testamenti, quæ stili elegantia, Historiæque copulatione Poëtico more depicta possunt cuicunque Carmini comparari: quin spero gratiam eam inire à Domino *Raphaële*, ut eadem edere mihi liceat in nova collectione, quam Poëmatum *Latinorum Bassanensium* meditor; quibus ipse etiam statui non pauca addere propria varii generis carmina. Immo Nobilissimus Dominus *Antonius Amicus*, Vir optimus suæ tempestatis cumulatusque a Magistra-

stratu nostro plurimis muneribus, quibus semper optime est functus. Hic genuit Dominum *Faustinum*, mortuum anno vicesimo secundo, famamque optimam Poëtæ *Latini* & vernaculi consecutum; quod quidem ex editis, collectisque à me ipso satis quivis dignoscere potest. Præter hos mortuos, etiam recensere plurimos possum, qui supersunt honori vestro, homines, ornamenta nimirum literarum humanissimarum, Antecessoresque gravissimos, quales sunt Nobilissimus Dominus *Matthæus Forcadura*, muneribus optime administratis celeberrimus, Patricius magni splendoris & dignitatis, Judex adhæc & a Consiliis nostro quidem ævo integerrimus. Præterea Dominus Nobilissimus *Lazarus* Comes *de Cormo*, utriusque Linguæ scientissimus, Orator maximi oris, Poëta felicissimus, Judex accuratissimus, muneribusque integerrime gestis admodum dilectus & honoratus.

Quinimo Nobilis ille Dominus *Hieronymus Dolzanus*, Vir perfectæ vitæ, limati politique judicii, qui quum Vicarii munere sæpius cum laude sit functus, utilissimus Reip. habetur. Nec omittendus venit Dominus *Joannes Bona* Medicus expertissimus & felicissimus, Patricius admodum vobis dilectus & honoratus.

Nobilissimus & est Dominus *Sebastianus Gardelinus*, qui vita purissimus, Jurumque scientissimus, Vicariatu sæpius honoratus, Paterque Domini *Antonii*, utramque Linguam scriptis suis egregie promovit.

Excellentissimus Dominus *Victor Gardelinus*, qui hodie fungitur Vicariatu *Tarvisii*, Vir sinceri certique judicii, qui procreavit Dominum *Marcum*, inter nostros Rhytmicos Poëtas haud infelicem.

Adde, quod Nobilissimus Dominus *Zerbinus Ronzonus* sit integerrimæ vitæ, scelerisque purissimus, respectuque Jurisprudentiæ, Judex perspicax & politus, dilectus honoratusque a toto vestro Oppido celeberrimo propter optimas suas virtutes, cujus fratres fuere Dominus *Andreas Ronzoni* Antecessor, & Eques Papalis Ordinis *S. Pauli*, Patricius maximæ virtutis; ut & Dominus *Andreas Ronzonus*, qui bello præses *Mirandulano*, nomen sibi inde acquisivit militis optimi.

Nec omittendus est Dominus *Valerius Salius*, Juris utriusque scientissimus, Poëta celeberrimus, summusque imitator Reverendi *Casæ*.

Ut nec Nobilissimus, Dominus *Jacobus Apollonius* optimus Doctor, & dignissimus.

Neque Clarissimus Dominus *Bonaventura Calvi*, ingenii eximii & præstantis, rebus Communis vestri deditissimus. Sunt præterea

Celeberrimus Dominus *Joannes Lugus*, Juris utriusque callentissimus, Juvenis maximæ spei, atque utriusque Linguæ propagator non contemnendus.

Dominus Nobilissimus *Matthæus Michaëlius*, adolescens maximæ spei, humanissimus & omnibus acceptus.

Dominus *Marcus Stechinus* Rector vester publicus, maximo a vobis donatus stipendio, ob illustres virtutes, Poëta utriusque Linguæ non infelix, scelerisque purus.

Denique quod Pictura Literas humaniores jure meritoque sequatur: heic addendus mihi venit novitius noster *Apelles*, Dominus *Jacobus Pontanus*, Pictor accuratissimus, quo pictore in præsenti summe excellit superatque *Basanum* quodvis aliud oppidum, quin sæcula superiora etiam egreditur gloria; accidit enim, ut ad arbitrium tam homines, quam bruta decipiat, depingendo accuratissime, quæ ipsis maxime arrideant, modo viventia, modo vita destituta, ita rebus apprime similia, ut undique confluant homines ad res depictas spectandas;

A quæ ubi invenerint, ut conatus mirabiles artis Pictoriæ suspiciunt; clarissimus omnino, non racemo formato a *Zeuxi*, qui olim semel decepit volucres, nec velo quasi picturam cooperiente, quo *Parrhasius* ipsum pictorem decepit in arte rivalem; verum quod plurimis oppido hominibus sapientissimis, Pictoribus artificiosissimis, brutisque cujuscunque speciei imposuerit. Ipse autem excelluit imaginum picturis, atque regionum; invenitque accurate depingere noctes in panno, ut & in nigris *Veronensibus* lapidibus: reperitur autem heic filius ab ipso edoctus, nomine Dominus *Franciscus*, qui non tantum solertissime Patrem imitatur, verum etiam incipit non modo ipsum

B æquare, sed etiam, si ulterius vivat, superare.

Præterea datur etiam penes vos *Franciscus Zamberlanus* qui auctor est poliendi specula crystallina *Veneta*, estque insuper Architectus celeberrimus. Musicis autem præstat Reverendus pastor *Janettus Bornacinus*, tibicen ingeniosissimus, Phonascus celeberrimus Sacelli Ducis *Mantuani*. Dominus *Hieronymus*, vocatus *Pira*, auctor novi instrumenti organi pneumatici gravioris depressiorisque soni, tubicen decantatissimus, atque ab Illustrissimis Dominis *Venetis* stipendio decoratus; qui tres filios Musicos habuit, ab se ipso instru-

C ctos, qui una cum Patre postea avecti fuere a Serenissima *Angliæ* Regina, ornati mercede largissima, honoreque excellentissimo; horum autem ars eminuit etiam tibiis ab ipsis constructis, quæ signo ipsorum notatæ, maxime a Musicis æstimantur, atque ubicunque habentur, carissime venduntur. Adhæc pandurarum artifex *Jacobus*, cognomine *Scatola*, summe æstimatus est cum duobus filiis, qui peregrinantes ubique, in omnibus Aulis oppidisque nobilissimis, assidue inter optimos numerati sunt, retuleruntque famam, lucraque splendidissima domum; hæc admiratio, hæc gloria vestro competit Oppido. Præterea alii plurimi,

D digni hic nostra recensione sunt, verum obsecro, contenti sitis, quod paucissimos hosce, orationis vela contrahens, in Dissertatione hac de Oppido vestro recensuerim; quippe qui res alias plurimas egregiasque brevitati studens omisi, utpote descriptionem Celeberrimi vestri Senatûs, modosque administrandi Syndicatum, Collegium *Nodarorum* excellens, ditissimum & frequentissimum, modum vivendi, concordiam amicitiamque mutuam inter vosmet ipsos, *Montem Sanctum*, *Fonticum*, utraque ptochotrophia, quæ publicis expensis sustentantur in usum pauperum oppidi vestri; opera quæ laudem satis superque merentur. Insuper

E brevitatis ergo præterii, fora spatiosissima, plateas lapidibus stratas, rectas, spatiosas, visuque amœnissimas, Palatia Oppidi vestri, amplissima suburbia, atque inferiores vicos, una cum porticibus amplissimis, omni deliciarum genere repletis, Territorium ejusque pagos. Nec ideo accusandus ero, quod hæc collegerim potius, ut aliis scribendi suppeditarem materiam, quam traderem ipse & exponerem, nec nisi paucissima exordia darem rerum vestrarum eaque dissipata; Ne autem Matronarum ratio non habeatur, illæque de me querantur, cogi me confiteor omnibus notum facere, paucissimas alibi terra-

F rum inveniri, prudentia majori præditas & temperantia, quippe quæ res domesticas curent diligentissime, vita frugales, vestitu honestissimæ, moribusque integerrimæ, alienæ a luxu & lascivia, pietati deditæ & devotissimæ, serico artificio addictissimæ, quæ nec palmam sibi præripi patiuntur ab aliis quibusvis fœminis arte telas ejusdem bene texendi instructæ, quamobrem undiquaque quæritur sericum *Basanense*, atque a Mercatoribus carius emitur, quam aliud quodvis.

vis. Ut autem sigillatim quandam harum nominem, exemplo erunt Sorores duæ familiæ *Campesanæ*, natæ quondam Nobilissimi Domini *Hieronymi Campesani*, hodie vero Virgines devotæ Monasterii *S. Pauli Tarvisensis*; hæ vero admodum celebrantur, altera quod libros Ordinis sui celebratissimi in seriem redegerit, quare ob celeberrimam hanc rem subordinata est in Prioratus titulum summo suo adhuc tum vivente Episcopo; altera vero admodum in Cœnobio suo, & foris celebrata habetur; quod librum Regulæ suæ composuerit, eundemque exaraverit literis pulcherrimis, propriaque manu minio illustrarit ita, ut vere admirationi sit cuivis & stupori. Verum nota est vobis Historia, atque mulier illa admiratione dignissima, quæ post se longissime relinquit *Lucretiam Romanam*, aliamve vel ex antiquis vel recentibus: quippe si *Lucretia* quæ summe admiranda fuit inter fœminas *Romanas*, pectusque suum transfixit, ut ostenderet Viro suo dilectissimo, quod non assensa esset *Tarquinio* in vi sibi illata, potest a Marito suo & Conjuge, a *Romanis*, quin ab universo Orbe haberi castissima, existimarique superasse alias omnes fœminas præteritorum temporum: quis inficias ibit, *Basanenses* optimi, heic locorum *Blancam Rubeam* filiam *Antonii Rubei*, quam adducit eruditissimus *Betussius* in additamento *Boccacii*, inter fœminas horum temporum nobilissimas, primas tenere partes? Quandoquidem quum pedibus advolveretur *Eccelini* crudelissimi Tyranni, ne Maritum occideret, qui fortitudine summa Patriam terram defenderat, loco pietatis & misericordiæ accelerandi marito suo interitus ansam dedit. Tyrannus etenim, qui justis lacrymis precibusque fidæ uxoris flecti non potuit, ut ullam marito ejus misericordiam præstaret, subita vi fœmineæ pulchritudinis fuit captus; atque Tyrannico putans animo, post mortem eam mariti facile jam libidini suæ cessuram, plane invenit contrarium; Neque enim erga mortuum quidquam remittens *Blanca* conjugialis amoris, mille mortes pati maluit, quam aures ullis Tyranni præbere blandimentis; quum itaque nihil agere omnibus viis sentiret inhumanus *Eccelinus*, reversus ad mores suos, mox ipsam super asserem strictis-

A sime deligari curavit, quod nullo alio modo pudicitiam ejus expugnari posse videret. Cum autem ipsa ad satietatem usque abusus esset, solvi jussit atque dimitti; ut ita melius ostendere posset incontaminatam perstantemque fidem in mortuum, animique magnitudinem, idque honori vestro; ipsa enim nulla interposita temporis mora, quo omni porro sese liberaret turpitudine, sibique ipsi famam adipisceretur immortalem, omnique tempore duraturam inter universas Matronas, quæ fuere, sunt, atque erunt, cucurrit ad lapidem maximum sepulti Conjugis, huncque pro viribus, sola ipsa in

B tantum elevavit, ut inserere caput honestissimum posset; quod vix inseruerat, quin statim amoto manu tigillo, cui istum in usum imminere lapidem fecerat, corruente simul mole, tamquam inferias dans marito, animose sibi mortem conscivit; animi constantia fortitudine singulari & vera castitate longe exsuperans celebratissimam illam *Romanam* mulierem *Lucretiam*, imo aliam quamcunque & antiquiorem & recentiorem, honori vestro & summo Urbis decori cedente hoc exemplo. Equidem novi, fore multos, qui putabunt me nimia laude vos, *Basanenses*, extulisse, quin & videbor multis turpiter vobis adulari; Ego ve-

C ro quod plurima, brevitati studens, excluserim, veniam a vobis peto, cum hocce scriptum minime Vestræ Historiæ fundum exhauriat, verum summatim & compendiose laudium vestrarum initium faciat, ut nitidiores Scriptores incitarentur, qui plenius, quam ego in laudes vestras excurrerent. Quia autem satis perspectum habeo, me hisce paucis lineis vera retulisse, quæ, pauca licet, exstant tamen, ut fragmenta rerum vestrarum & reliquiæ, plane non hæreo pronunciare, nunquam posse honorem vestrum contaminari ab invidis, nec meum minui honorem, cum ubique adduxerim proba-

D tiones clarissimas, testimonia fidelissima & verissima, rationes optimas, quæ ex nuda veritate profectæ sunt, utpote quam solam in hac scriptione mea secutus fuerim, quæque ipsa facile me poterit adversus invidiosos & malevolos tueri atque difendere.

FINIS.



INDEX NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

Musi-

FINIS.



HIERONYMI BARUFFALDI,

Ferrarienſis, Intrepidorum Ferrariæ, ac Incitatorum Faventiæ Academiæ Collegæ,

DE

POETIS FERRARIENSIBUS

DISSERTATIO,

In tres Claſſes partita:

Ut &

JOSEPHI LANZONI,

Medici Ferrarienſis, & Academiæ Curioſorum Germaniæ, Recuperatorum Patavii, Incitatorum Faventiæ, &c. Collegæ,

DE

IATROPHYSICIS FERRARIENSIBUS

DISSERTATIO.

Editio Noviſſima, prioribus nitidior & accuratior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS
PRÆFATIO
AD LECTOREM ÆQUISSIMUM.



Erte profecto verum est, quod optime de lyrica meritus cecinit vates:

Dignum laude virum Musa vetat mori
Cœlo Musa beat.

Quid enim temporum edacitas potest in eam virtutem, quæ a Poësi commendata sit æternitati. Nam hæc non solum illustrium virorum ab interitu vindicat virtutem, nec patitur lividis oblivionibus sepeliri; sed etiam cultoribus suis splendorem & vitam immortalem impertit. Assertum hoc ut probemus, sufficiet noster Hieronymus Baruffaldus, *Intrepidorum* Ferrariæ, *ac Incitatorum* Faventiæ *Academiæ Collega, qui superiorum facultate, typis* Bernardini Pomatelli Ferrariæ *Anno M D C. XCVIII.* Dissertationem de Poëtis Ferrariensibus *evulgavit, in qua non tantum præcipuorum Poetarum, sed & illorum, quorum opera, vel deperdita sunt, vel diffusa apparent, exactissima datur notitia, una cum eorum operum distincta enucleatione; qua non solum Poetarum illorum, urbisque* Ferrariæ, *sed & nominis sui memoriam æternam facit. Huic accedit* Josephi Lanzoni, *Medici* Ferrariensis *de* Iatrophysicis Ferrariensibus, *qui Medicinam scriptis suis exornarunt,* Dissertatio, Bononiæ *M D C XCI. superiorum permissu, typis* Josephi de Longhis, *impressoris Archiepiscopalis descripta. In qua non copiose, sed succincte pro rei propositæ ratione memorat,* Ferrariæ *omnium disciplinarum cultores floruisse, ac in primis semper Medicis & Physicis, ita* Ferrariam *excelluisse, ut facultas medica in ea domicilium suum posuisse videatur. De cujus laude auctor pluribus in proœmio*

mio agit, ad quod lectorem ablego. Cæterum me, licet his duobus tractatibus, typis de novo datis, nihil sit additum, nisi quod addenda suis locis sint immixta, paginarum numeri prædictarum Editionum huic novæ in extremitatibus additi, & Index utriusque libri in unum conglutinatus in fine adjecti sint, non minimam tamen laudem apud viros doctrina & ingenio præditos consecuturum spero, non quod ipse sapientia, doctrina & virtute emineam, sed solummodo quia circa res versor laudabiles. Quod si sensero, audacius posthac edendis ejusmodi opusculis incumbam. Vale saveque.

Ad Illustrissimum Dominum

ANTONIUM ESTENSEM MUSTIUM

Nobilem Ferrariensem, ac Meldulæ, Rancidorii, &c. Comitem.

HIERONYMUS BARUFFALDUS

perpetuam felicitatem.

Dum sæpenumerò tuorum erga me meritorum, mearumquè erga te obligationum cumulum animo revolverem, Illustrissime Domine, dubitaveram tibi adeò pronum animum meum, quem tot beneficiis devinxisti, demonstrare posse, ut me tibi gratum, tum beneficiorum causa, tum meriti tui amplitudine, dignosceres. Deo tamen maximo laudes impertior, qui mihi viam, qua id peragerem, indicavit. En igitur tuis adapertum oculis opusculum meum de Poetis nostris præbeo. Qualecumque sit, sibi maximi honoris erit tua perlectione dignari; nulli enim magis, quàm tibi hujus Dissertationis argumentum aptius, accommodatiusquè judicavi; Tu enim Musarum persæpe immixtus commercio, Musis es dilectissimus. Non hìc Majorum tuorum recensere laudes conabor, ac *Augustini Mustii* in Poetica facultate celebris encomia contexere; tuis enim radiis, non alieno splendore coruscas. Audaciam meam non rejecturum te scio, æquè enim à maximis, ac minimis obsequia toleras. Infortunatissimum tandem exordiar diem, si tuo adscriptum specioso nomini opusculum, alicujus, vel invidi, vel maledici canino dente dilaniabitur. Tuis eum foveas sub alis exorat, sibi ipsi enim tutamen esse non potest opus in quo de veteri, & caliginosa hominum memoria incertò pertractatur. Tu interim, quod humillimè exopto, benignè approba, mihi autem inter eos, qui publicè privatimquè tuis obstricti Virtutibus profitentur, locum aliquem tribue, atquè huic obsequii mei testimonio veniam distribue. Vale diu, Patriæ nostræ Decus.

Ferrariæ die sexta Martii. 1698.

AUCTORIS PRÆFATIO.



Usarum Diversorium, Poetarum Matrem Nutricemquè Ferrariam *inclytam Urbem, Patriam meam dilectissimam, sapientum omnium linguis celebratam fuisse, nemo non sine mendacis incuria denegare poterit:* & Estensium Principum Aulam, quæ Ferrariæ olim gloriosè vigebat, sacris Musarum conventibus illustrem, *in hujus meæ præmissionis testimonium confirmat J. Imperial.* in Museo Historico f. 132. *In hac enim non tantùm armis erudita, sed etiam litteris armata emicuit* Pallas, *quæ Nominis sui memoriam per universi terrarum Orbis vastitatem diffudit, ità ut de hac plerique unà cum* Mario Molza *cecinerint Vates:*

In medio Eridani surgit Ferraria ad undas,
  Aureaquè invictum tollit ad astra caput,
Qualis septa ardet bacca Gangetide gemma,
  Atque puellares vectit honore comas;
Talis culta inter vicinas enitet Urbes;
  Clara hominum ingenio, Semideumque Domus, &c.

Et nupèr italico metro suavissimus hujus ætatis Cycnus, Franciscus *Abbas à* Balneo *Nobilis* Fanensis *in ejus Poeticis impressis laboribus sic inquit f.* 85.

„ O pure all' amenissima Ferrara,
„ Dove il grido de Cigni ogn'altro oscura,
„ E dove fan spesso cantando à gara
„ Per radolcir col canto ogni mia cura.

Clarum est enim ex hac urbe, clarissimos omni genere ortos esse Viros, sed Præcipuè in Poeticis facultatibus eminentissimos, qui carminum concentu, non Beluas, & saxa, ut de fabulosis illis decantatur, sed hominum animos harmonica vi trahere valuerunt; Regnat enim hìc Virtus admiranda, in Terras à Cœlo delapsa, *ut facundè notat F.* Lucas Macchiavellus Bonon. *in Orat. de Laude Ferrariæ.*

Cumquè jurgium, & æmulatio sint Musarum alimenta suaviora, Elevatorum *olìm, nunc autem* Intrepidorum *Cætum, & Academiam omnibus Scientiarum Alumnis apertam exhibet* Ferraria, *quæ Prælo quo exarantur codices adjunxit speciosum lemma illud:* Premat, dum Imprimat, *quasi Academicorum linguà loquens diceret, ut promptè exponit* Silvester Petrasancta *in Emblematibus lib.* IX. *f.* 419. quantumvis premamur litterariis exercitationibus, imprimimur interim veræ sapientiæ typis ad nominis famam æternam. *In hac potiores Italicæ linguæ Vates Poesis pabula emunxerunt, hujusquè ætatis primæ Musæ, eam, tamquàm maximi nominis filiorum Matrem, propè venerantur.*

Sed ut ad Nostrorum Poetarum notitiam perveniam, cum plurimi nostrorum Civium clarissimi scientiis omnibus, variis hinc indè encomiis celebrentur, de quibus consule Libanorium, Superbum, Marestam *& nuper de Iatrophysicis Ferrariensibus Dominum meum semper colendum* Josephum Lanzonum *Medicinæ, & politioris Eruditionis columen, in ejus dissertatione, huic addita; Soliquè Poetæ meritis defraudentur laudibus, compluresquè, adeò sub silentii caligine dormiant, ut eos nunquam vitales exspirasse auras aliquibus videatur; Istorum revocare deperdita nomina, & eorum studia patefacere excogitavi.*

Qualecumquè tamen futurum sit opus, non adeò spernendum reputo, nè Patriæ affectio, ratione valentior omni *aliquantispèr me tueatur.*

Triplici Classe processurus ero; In prima scilicet singulatim recensebo eos, quorum poetica opera tum voluminibus, tùm sublimitate præstantia, Autorem sublimioris notæ testantur; in altera verò eos exponam, quorum varia, sed nec in unum collecta, nec maximi ponderis, poetica scripta per litteratorum manus diffusè evolant, vel ab aliquo, & quidem fide digno Scriptore, Poetæ nomine honorantur, licet nulla vel temporis vel hæredum Avaritia eorum opera appareant. Tertio tandem loco enumerationem facere decrevi, viventium hujus Urbis Poetarum, qui suis studiis, Patriam nostram Musarum sedem testantur, & veterum exemplo conformati, viam ab iis gloriosè profectam studioso gressu prosequuntur.

Hæc habe candide lector, brevi Hebdomadarum spatio collecta, ut cujusdam increduli aures contunderem; non ut gloriæ minimum quidem lumen adipiscerer. Plura enim habeo, & meditor, quorum utiliori, nobilioriquè editione eruditorum Reipublicæ adscribi, Deo adjuvante, conabor.

Jussu Rev. Pat. Mag. Inq. Ferrariæ, vidi ego infrascript. Opusculum hoc inscriptum *Hieronymi Baruffaldi Ferrariensis, Intrepidorum Ferrariæ, ac Incitatorum Faventiæ Academiæ Collegæ. Dissertatio de Poetis Ferrariensibus &c.* Quod ad majora debitæ laudis incrementa tot illustrium Virorum, Autorisque, imprimi posse censeo.

Dat. ex Ædib. S. Dom. Ferr. hac Die 1. Febr. Ann. 1698.

Ita est. F. Pius de Sylvestris S. T. L. Primus, ac S. Offic. Consult.

Die 8. Februarii 1698.

Supra exarata attestatione inspecta

Imprimatur.

F. Carolus Franciscus Corradus Vic. G. S. Offic. Ferr.

J. B. Eleosarius Præp. Vic. Gen.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS HIERONYMI BARUFFALDI





HIERONYMI BARUFFALDI
DE
9 # POETIS FERRARIENSIBUS
DISSERTATIO.

CLASSIS PRIMA
POETARUM FERRARIENSIUM PRIMI NOMINIS

Excellentissimo, ac Doctissimo Domino,

FRANCISCO MARIÆ NIGRISOLIO

Medicinæ Doctori celeberrimo, ac in Patrio Ferrariæ Gymnasio Lectori primario, &c.

NE discrimen inter se sortiantur Poetæ nostri, locique dignitas, nominis splendori dissentiat, eos secundum Alphabeticum ordinem disponere statui, cum vel de eorum temporis eminentia, vel meriti sublimitate meum non sit differere. Et ideo primu in lucem proveniat.



ANTONIUS BECCARIUS, qui de illustri, ac nostra concive familia natus, Iatrophysicus Illustris, nec non Poeta celebris, præter nonnulla Philosophica opuscula, (teste *Libanorio* t. 3. p. 40.) edidit etiam flebilem epistolam Italico metro, in supposito, sed mendaci Occasu, nunquam satis laudati Poetæ *Francisci Petrarchæ*, quæ notante nostro *M. Ant. Guarino* in Comp. hist. f. 118., sic inchoat

Io hogià letto il pianto de Trojani, &c.

hæc igitur cum de urbe in Urbem transmigraretur, & ad *Petrarchæ* manus pervenerit, meruit ut ille lyricorum Poetarum Lucifer responsioni incumberet, quæ responsio judicatur apud *Petrarchæ* interpretes, scilicet *Giesualdum*, *Vellutel-*
10 *lum*, *Daniellum*, *Faustum*, &c. ac etiam per adnotatum *Guarinum*, illam esse, cujus initia sic sonant.

Quelle Pietose Rime, in ch'io m'accorsi
Di vostro ingegno, e del cortese affetto, &c.

Hunc *Gaspar Sardus* noster diligentissimus Historicus folio 116. & supracitatus *Guarinus*, primum *Ferrariensem* fuisse asserunt, qui italica suavitate carmina pangeret, ideoque primus in hac dissertatione ei debetur locus, Mathematicis etiam disciplinis claruit, ut notat *Sansuinus* in famil. Ital. f. 167. plura idiomate latino edidisse referens, extra tractatum de Terræmotu. Vivebat circa annos 1370. cujus cineres *Ferrariæ* in Divi *Dominici* Templo reconditi sunt.

ANTONIUS THEBALDEUS, referente *Fornario*, in expositione Furiosi f. 690., & *Jovio* in Elogiis litteratorum, ferè primus fuit, qui post *Franciscum Petrarcham* Italicæ linguæ de-

A cus restitueret, *Romæ* vixit, & adeò suaviter cecinit, ut ejus carmina à Fæminis Romanis Cythara celebrarentur. Encomiis tollitur à duobus suæ ætatis Vatibus, *Ludovico* scilicet *Ariosto*, qui cum *Lino* & *Orpheo* comparat, & *Hercule Strozza* in Elegia sic incipiente

Sæpè ego te memini nos Thebaldee monente, &c.

Cumquè insurgerent *Bembus*, & *Sannazzarus* selectiores Poetæ, latinum suscepit Plectrum & varia texuit opera tandem octuagenarius *Romæ* in Via lata denatus est, & in ejus Parochiali Ecclesia S. Mariæ de Vialata tumulatus. Rectæ fuit valetudinis; tantummodo propè ætatis finem iracundia oppressus, fores clausit Domi
B suæ tunc cum *Carolus* V. invictissimus Imperator, Africanorum Victor, ovans, ibi petransiret, cujus causam notavit, se molestè ferre eum Imperatorem triumphantem cernere, qui Romanæ depopulationis strage nihil ulciscebatur. Hujus Poetæ extant Opera, quæ sic inscribuntur italicè. *Opere d'Amore*, & latinè, *Carmina varia* collecta una cum Carminibus aliorum Poetarum, ac etiam referta à doctissimo L. Greg. *Gyraldo* in Dialogis de Poetis sui temporis. In illis maximè elucet Epitaphium illud ad tumu- 11
C lum *Sannazzari* Neapoli appositum. Vixit circa annos 1530.

ANTONIUS CORNAZZANUS, licet Placentinus ab aliquibus appelletur, ex ejus tamen operibus satis constat *Ferrariensem* fuisse. Vir cum lepidissimus, tum doctissimus referente *J. Baptista Giraldo* in Commentariis f. 48. Oratoria facundia insignis, & Poetica inventione excellens. Leguntur hujus Viri Italicè scripta hæc opera. *De re militari*, *Vita*, & *Passione di Christo*, *Vita della Nostra Donna*, & latino metro legun-

tur, *Elegia quædam*, *Poemata Varia*; evolantquè manuscripta, plurima ejus Italica *Carmina in Oculorum laudem*, poeticis imbuta amœnitatibus, quod refertur in Bibliotheca *Antonii Francisci Doni* Hetrusci f. 177. Præcipuum tamen ejus opus fuit illud de Rè militari, a quo exercituum Duces, plurima de benè regendis armis carpunt documenta. Vivebat circa annum 1500. ejus ossa extabant in Veteri PP. Servorum Templo Ferrariæ, ut legitur in Guarino. f. 52.

Multa scripsit AUGUSTINUS BECCARIUS, sed tantorum operum penè nulla apparent, ut tamen ejus nomen immortale vivat, extat opus Poëticum cui titulus *Il Sacrifizio Favola Pastorale*, poëtico modo refertum. Hunc ait *Superbus* in apparatu f. 103. & *Libanorius* t. 3. f. 4. Primum fuisse, qui Pastores, & Nymphas in Scenam introduceret, cujus exemplo successores Poëtæ inventum hoc ad summum auxerunt; vivebat circà annum 1555. Extat ejus cadaver in Ecclesia Sancti *Dominici Ferrariæ* ibi positum die 2. Augusti 1590.

Sequitur ALEXANDER SALICINUS, qui sacro Carmelli habitu indutus, *Alexandri* in *Horatii* Nomen commutavit. In Juventutis flore varios Poësis fructus edidit, sed hodiè tantum legitur liber inscriptus *Soggetti Poetici*, cum alios Adolescentiæ flores igni tradiderit, eò quòd essent vano, & lascivo acumine immixti. Scribente *Libanorio*, & *Superbo*. Edidit opus suum Italicè, *Florentiæ* anno Christi 1566. dum adhuc Juveniles numerabat annos.

12 ANTONIUS MARIUS NIGRISOLIUS fuit qui Rempublicam Poëticam ditavit libro quodam inscriptò, *Rime, & la Georgica di Virgilio tradotta:* omnia suavissimo Musarum mele condita, & à Poësis amatoribus laudata. Hujus Viri leguntur etiam varia lepida Carmina in Collecta Italica diversorum carminum hujus generis p. 3. f. 46. & etiam in libro cui titulus, *Templo alla Sign. Donno Giovanna d'Aragona.* Scribebat annis 1550. quo tempore ejus opus edidit Reginæ *Bonæ Polonæ* dicatum. Ipsius tamen opera ego possideo aucta, & moderata, manu propria ejusdem Autoris.

Illustrissimus ANTONIUS BEVILAQUA *Macasturnæ* Comes, Musarum non parùm amicus librum edidit carminum latino metro, inscriptum, *Carmina Antonii &c.* præter multa alia, nec in unum collecta, nec inventu facilia eo quod rapta fuerint, & diffusa, inter quæ leguntur varia in laudem Podagræ. Obiit anno 1592. ætatis suæ anno septuagesimo sexto die 17. Maji, cujus ossa in Avorum suorum Sarcophago condita fuerunt apud P. P. Sancti *Dominici.*

ASCANII PII genium hipocrenneo fonte lactatum fuisse ejus contemporanei fatebantur, ideoque in drammaticis præcipuè texendis carminibus excellentem fuisse ob ordinis, & Phantasiæ plenitudinem ejus opera testantur, & quamplurima, scilicet *L'Andromeda. La discordia superata. Le Pretensioni del Tebro, e del Pò. L'Amore trionfante dello sdegno. Il Campo aperto. Ferrara trionfante. Intermedi.* Et alia quæ hic recensere non memini. Decessit post functos primiores gradus & dignitates Patriæ suæ anno 1649. die 7. Octobris, & in Sacrarum Stigmatum Templo repositus, postremis fuit precibus salutatus.

ALEXANDER II. GUARINUS, ita à *Superbo* appellatus, è tam clara ortus familia, quæ antonomasticè Musarum Domus vocabatur; verum musarum Alumnum sè ostendidit publicando *La Bradamante gelosa. Et Rime varie*, præter alia soluta Oratione publicata Obdormivit in Domino circà annum 1630., & in *Guarinorum* tumulo collocatus fuit in Ecclesia divi *Pauli.* 13

De ALMERICI PASSARELLI I. V., & S. Th. D. poëtica facundia ejus opera exemplum præbent. Multis Vir iste scientiis ornatus fuit, & non minus legalibus, & Eruditis, quàm Poëticis facultatibus claruit, simulquè, & Astreæ, & Apollini placuit. Poetarum oculis exposuit præter oratoria, & Legalia opera, Poëticos flores, id est *Carnevale effigliato. Il furto di Paride. Oritia. Ercole effeminato. Calisto ingannata. Endimione, & alia Drammata*, quorum memoria nusquam delebitur. Periit Patavii dum ibi Lectoris munere fungeretur anno 1682.

BAPTISTA I. GUARINUS, à Musarum sequela minimè devians, fuit Jurisperitus excellens ac Lector in almo *Ferrariæ* Lyceo, Discipulum habuit, ut scribit *Libanorius* p. 3. f. 59. *Joannem Picum Mirandulanum* Ingeniorum Phænicem; *Neapoli* Gubernator per plurimum temporis extitit ibi designatus a *Carolo* Rege *Angioino.* Hujus tanti Viri legimus *Poema latinum Herculi Duci secundo dicatum, & Bucolicum carmen.* Connumerabatur inter vivos circa annos 1560. de quo consule *M. Antonium Guarinum* in comp. f. 179.

Alterius BAPTISTÆ (ab aliis JOANNIS BAPTISTÆ nomine vocati) Viri scientiarum omnium acceptatoris, quinam satis poterit nomen encomiis collaudare? Ni compendiosæ descriptionis legem assumpsissem, longè mea verba diffunderem, satis tamen sit plures de eo diffuse scripsisse, & ultimò Præstantissimum Dominum *Apostolum Zenum Venetum* in hujus Poëtæ Vita doctissimè publicasse in primo tomo Musei Minervæ anni 1696. Plura cecinit quæ videntur collecta nomine *Rimarum* sed Tragicomicum illud opus adnotatum *Il Pastor Fido* cætera excellit meruitquè exteris linguis everti, ut vel alienigenæ tanti operis dulcedine fruerentur. Ultimos clausit dies *Venetiis* anno 1613. ætatis suæ septuagesimo quinto, ejusque mortales exuviæ in Templo divi *Mauritii* inhonoratæ obdormiunt.

BARTOLOMEUS PENDAGLIA, cu- 14
jus Numisma videmus Pegaseo equo distinctum, poetico exardescens fervore propriisque gloriam exoptans, scripsit poeticè, Poematis adinstar, opus adnotatum *La Geneologia di Casa Pendaglia*, in quo hujus Pendagliæ nominis originem demonstrat ortum habuisse à quodam hujus Familiæ (tunc de Cinquentis cognominatæ) qui (solutis ex improviso sibi femoralibus) viriles inconsideratò partes detegit, pendentesquè Braccas demonstravit, undè nomen Pendagliæ à pendendo sortitus fuit, & sic cantu primo legimus

La mudanda si ruppe, e da i Pendenti
Cangiò in Pendaia il nome de Cinquenti.

Inter vivos connumerabatur circa annos 1570. & in Templo divi *Francisci* corpore requievit.

CÆSARIS GALLUZZI Nomen, hucusquè nostris scriptoribus incognitum ad auras revocare fas est, cum varii, & quidem plurimi ejus Poetici legantur labores, sed eò dispersi, ut difficile quidem eos colligere reputem. Perlegi tamen valdè antiquum ejus Poema sic inscriptum. *Il Valoroso Ruggiero primo Marchese della Città d'Ateste.* Reservatur hoc apud Excellentissimum Dominum Doctorem *Josephum Lanzonum* Amicum meum suavissimum. Ex hoc opere colligo eum vixisse circa annòs 1550. cum alibi nullam de eo mentionem factam reperiam.

CHE-

CHERUBINUS THOLOMEUS Can. Reg. Later. quamvis de eo à nostris scriptoribus reticeatur, Poeta tamen non obscurus fuit; cujus opus Poeticum inscriptum *Fascicolo della Mirata Redentione &c.* 1538. in 4. apud me servatur. In carminibus quoquè *Alexandri Salicini* insunt varia ejusdem Cherubini Carmina Italica una cum *Salicini* Responsionibus. Scribebat circa annos 1540. obiit *Neapoli.*

CONSTANTINUS PROSPER in Academiis magnum assequutus applausum. Musis consecravit volumen inscriptum *Rime*, ac sejunctè edidit *Cantum* in obitu *Horatii Ariosti* præclarissi-
15 mi Poetæ; extabat circa annos 1600.

CÆLIUS CALCAGNINUS Canonicus, maximum illud litterarum lumen, poeticis etiam amœnitatibus animum inclinavit, ideoquè ejus multa *Carmina* leguntur in collecta Poetarum Italicorum: mihiquè insunt plurimæ ejus elegiæ manuscriptæ, quibus tamquam pretiosa gemma maximè gaudeo. E quibus omnibus colligi potest ejus in omnibus studiis proclivè & prægrande desiderium totius mundi oculis notissimum. In Bibliotheca PP. S. *Dominici Ferrariæ* ab eo ditata tum Græcis, tum Latinis voluminibus, & huic Monasterio (causa mortis) donata ejus tumulum videmus in quo repositus fuit *Cælius* anno 1546. procurante *Jo: Hieronymo Monferrato* gratissimo ejus Alumno, ut ex epigraphe constat.

Non hic silentio prætermittendum reputo id quod de DANTHE ALIGERIO tanti nominis Vate notat celeberrimus ac omni fide meritissimus scriptor *Lilius Greg. Giraldus* in fine Dial. 5. Hist. Poetarum ubi legimus. *Sed numquid vobis mittam Florentinum Danthem Aligerium, quòd vernacula Hetruscorum lingua carmen suum condidit? neutiquàm, eòque minus, quod eum ex Ferrariensi nostra Familia originem traxisse, testis eorum temporum interpres Benvenutus Imolensis.* Ab his verbis latissimè constat eum *Ferrariensis* nomine apellari posse; quod etiam ipse *Danthes* in ejus Comædia confirmat. cant. 15. Paradisi, dum ait per *Cacciaguidam* ejus Tritavum

„ *Mia Donnà venne à me di Val di Pado*,
„ *E quindi il sopranome tuo si feo.*

Quæ verba ab Interpretibus illius Comædiæ, extra *Imolensem* supra adnotatum explicantur sic. *Cacciaguidam* de *Eliseis*, *Dantis* Tritavum in Uxorem duxisse Puellam Ferrariensem de Nobili, ac antiqua Stirpe *Aligeria* de qua loquitur *Maresta* Th. Gen. t. p. f. 21., & ab hujus Cognomine ejus successores, *Elisei* in *Aligerii* cognomen permutasse. Hæc habeo à *Landino*, *Daniello*, *Vellutello* & *M. Ant. Guarino* in Comp. f. 71. Inter Ferrarienses nostros igitur aliquomodò numerari potest *Danthes*, de cujus Virtute, & operibus parùm dici superest, cum tot, innumeriquè Scriptores tam diffusè scripserint. Edidit opus suum maximum Philosophicis, ac Theologicis cumulatum arcanis, inscriptumquè *Comedia* præter *Il Convivio Amoroso*, *Vita nuova*, *Rime*, & alia latino Parisinoquè stylo, ut notat *Giraldus* loco superenuntiato. Occubuit *Ravennæ* anno 1321. ejus Ævi 56. Ibiquè ejus Tumulus extat, ad quem exteri illuc pervenientes, tanti Viri nomine attracti, cunctanter, accurrunt.

Plurima, & quidem considerabilia edidit opera soluta oratione P. DANIEL BARTOLUS Soc. Jesu, quæ nunquam ejus nominis memoriam celare poterunt. Juveniles etiam poeticos evulgavit lusus *Joannis Baptistæ* nomine, quos sic notatos legimus, *Saggio delle Poesie morali*, morbo correptus fuit anno 1684. *Romæ* die 13. Januarii.

EGNATIUS TROTTUS, Cycni nomine appellatus à *Libanorio* t. 2. f. 180., Astreæ non tantum. sed & Apollinis alumnus, litterarum omnium amantissimus, præter alia, publici juris fecit liberculum cujus nomen est *Poesie Liriche.* Apud Regem Christianissimum amatissimus: obiit *Parisiis* circa annum 1650. alii è contrà tamen asserunt decessisse *Ferrariæ.*

De FRANCISCO CÆCO hic silendum non reputo; ab isto enim publicatum fuit priscum Poema illud, sed rara inventione, floridum, cui nomen *Mambriano*, *Hippolito* Card *Estensi* dicatum, à quo ait *Guarinus* f. 54. *Torquatum Tassum* recentiorum Poetarum lumen, inventum aliquod rapuisse, ac in proprium usum redegisse in Hierusalem liberata, ut ait *Furfurarius* Academicus *Florentinus.* Hujus laudatissimi Cycni extabant carmina latina, sed eorum memoria deperdita est, excessit è vivis, ac humatus fuit 16
Ferrariæ in *Veteri* Servorum Ecclesia circà annos 1550.

Rapuit elapsis nuper annis improba Mors, Comitis FRANCISCI BERNII interitu, ab hac urbe musarum columen. Tantus enim Viradeò poeticis versabatur elucubrationibus ut nequè diem sine linea nequè, penè dicam, horam sine musarum colloquio transmitteret. Jurisprudentiæ juvenilibus annis incubuit, profectusque ætate Nostræ Academiæ Intrepidorum Principatum obtinuit, à *Clemente Nono* Pontifice maximo cui carissimus erat honoribus fuit cumulatus, tandem in Patria migravit è vivis anno Christi 1673. sexagenarius, & in divi *Francisci* Ecclesia nobili funerum apparatu Hæredes, & Filii ejus ossa collocarunt. Extant tamen ad ejus nominis famam divulgandam hæc Opera Poetica præterea soluta Oratione evulgata, tomus unus inscriptus *Drammi*, in quò duodecim ni fallor includuntur Drammata. Nuper veruntamen per ejus Natos publicata fuere duo Drammata postuma scilicet *Il Telefo*, *& l'Atalanta.* Leguntur etiam il *Tebro epitalamio*, *le pretensioni del Tebro*, *e del Pò*, *é sei Gigli*, præter varia diffusa carmina variis in libris.

Dicant alii FULVIUM TESTIUM lyrici metri splendorem, alienæ urbis quam *Ferrariæ* filium; Ego tamen inter *Ferrarienses* Poetas eum connumerare audeo, cum extrà obitum, omnes Vitæ suæ vices *Ferrariæ* duxerit, in hoc natalia traxit, ut notat *Majolinus* Eques Bisaccionus in quadam Apologetica *Epistola* ad supranotatum *Fulvium*, in qua lepido modo ejus exigua aperit natalia, ita scribens, *chi non sà*, *che il Sig. Giulio vostro Padre in Ferrara tenea ricontro à S. Domenico la Speciaria della Cerua*; *e che in quella casa siete nato?* Ex quò colligi evidenter possumus *Ferrariæ* ortum habuisse, quod tamen *Fulvius* diù in Estensium illustri Aula vixerit, si ignores, videsis plures hujus Poetæ Vitæ scriptores, & præcipuè *Crassum* in Elogiis, ac memorias Academicorum gelidorum *Bononiæ.* Extant hujus *Poesie liriche* tomi 3. Infeliciter occubuit *Mutinæ* anno . . . .

GALEATIO GUALENGUO Nobili Fer- 17
rariensi, & Academico Intrepido celebratissimo, locum hic assignare non desisto; fuit enim Vir iste Poeticis operibus celebris tum Italicè, tum latinè editis, & sunt *Sonetti Sacri* liber unus *Sacra Epigrammata* liber alter. Urgenti febre, interioriquè morbo exanimatus interiit anno Christi 1623. die nona Octobris, ac reconditus fuit in Ecclesia Soc. Jesu. Primum Patriæ suæ locum obtinuit cum Judicis Sapientum dignitate fungeretur anno 1612. Philosophicis quoquè scientiis sedulò incubuit, & Jurisprudentiæ extitit maximum ornamentum, si credimus P. *Superbo* f. 108.

GALEATIUS de prisca, & nobili stirpe ADELARDA referente *Libanorio* t. 3. f. 107. librum typis dedit inscriptum *Sonetti, e Madriali* in Deiparæ laudem; extabat circà annum 1650.

HERCULES STROZZA *Titi* filius non devius à Patris exemplo, immò Patris Musam suavitate antecellens, *Epigrammatibus*, *Elegiis*, & *Amoribus*, sibi in Estensium aula, & tota in Italia splendorem auxit. Infortunati tamen ejus amores eum ad exitium duxerunt, ut affert *Jovius* in Elog: nam dum *Taurellæ* Fæminæ venustissimæ, ac nobilissimæ amore exardesceret à tyranno Rivali Noctu miserrimè occisus fuit, anno Redemptionis 1508. dum Patriæ suæ Sapientum Judicis honore, & onere frueretur. Hujus excidii autor latuit ut notant historici, Prætoris voluntaria incuria; ejus funus tamen solemniter in Divæ Mariæ à Vado nobilissimo Templo celebratum fuit, ad quod, funebrem habuit Orationem *Cælius* noster celebratissimus.

HERCULES BENTIVOLUS, omnes temporis captavit articulos, ut Poetæ nomine, & quidem meritò celebraretur; lusit enim comicis carminibus, Satyricis, Lyricis, ac Pastoralibus avenis quandoquè usus est, generis Nobilitati verum virtutis splendorem affectatus est scribendo *Il Geloso. Il Romito. Fabula. Il sogno Amoroso.*
18 *Egloghe. Stanze poetiche Ariana Tragædia. Satire. Madrigali. Sonetti*, & alia diffusa à quibus omnibus ejus mira in carminibus facundia deduci potest. Ævo gravis vitam cum morte commutavit in inclyta *Venetiarum* Urbe anno 1572. sexagesimo septimo ejus vitæ anno.

HIPPOLYTUS quoqué de eadem inclyta, ac multorum Heroum gestis celeberrima Familia, mediis in Politicæ, & eruditionis studiis, Musarum delectabatur consortio, ideoquè publicis tradidit Academiis Drammata *L'Annibale in Capua*, *la Filli di Tracia*, *L'Achille in Sciro*, & alia quamplurima. Ævo gravis correptus fuit in ejus Patria anno 1685. die prima Februarii, ac in PP. Capuccinorum Templo depositus; sic Ferrariensi populo ingens decessit columen, eò utilitatis publicæ curavit commodum dum pluries Patris Patriæ officio fungebatur.

HERCULES BONACOSSA sæpissimè Chelin suam socco, & cothurno indutam in scenas introduxit; ideoque præter diffusas poeticas memorias habemus poeticè il *Massinissa*, & *la Semiramide* Drammata. Cessit morti anno 1691. die duodecimo Decembris.

HIERONYMUM PORTUM hic addo nè ejus memoriam imprudenter sileam, Jurisprudentia excellens fuit, ac Musis amicus. Locum ideò acquirit inter nostros primi gradus Poetas, cum valdè insudaverit his operibus Poeticis *Poesie liriche. Poesie sacre, e morali. Oda per il Terremoto. Caprici Poetici*, & alia variorum autorum libris diffusa. Hujus Poetæ varia Poetica opera postuma manuscripta apud mè locum habent, quæ aliquando ab oblivionis injuria vindicare meditor. Fatis perfunctum habemus virum hunc in divi *Stephani* templo anno reparatæ humanitatis 1660. die 4. Junii.

Ducatus etiam Ferrariensis Coloni, tanquam membra nostræ Urbis ad corpus suum sunt redigendi. Extat Opidum cui Nomen Italicè *Bagnacavallo*. in Ferrariensi ditione, in hoc varii egregiiquè Virtutis amatores nati sunt, inter
19 quos celebris *Thomas Garzonius*, & alii. Seculis tamen elapsis, & præcipuè circa annum 1580. enitebat HIERONYMUS SORBOLUS J. V. D. qui non modici splendoris radios diffudit. Principum Estensium amatissimus ob eximiam ejus in causis pertractandis eloquentiam, varia poetica edidit opera scilicet *Rime*
A *Spirituali*, *Comedia*, & *Versi faceti*.

HIERONYMUS TISIUS GARIOPHILUS *Benvenuti* celeberrimi Pictoris filius, vir summæ integritatis, ac multæ lectionis, ut in ejus Supulcrali Elogio, quod in Templo Divæ Mariæ in Vado legitur videre est. Quadragesimo quinto ejus ævi anno decessit, ac pub. Sal. 1581. post editionem opusculorum variorum, videlicet *Vita di Lodovico Ariosto*, & *Stanze in lode d' una Gentildonna Ferrarese per Nome Diana*, &c.

Fuit & IOHANNES BAPTISTA PINEA non tantùm historicus noster diligentissimus, sed
B & Poeta egregius, extant ejus *Carminum libri quatuor* in Collecta Poetarum *Ranucii Gheri*. Italicè quoquè lusit, videmusquè cantum unum inscriptum l' *Eroico*, aliaquè varios per libros diffusa. Medicina excellens quoquè inter nostros Iatrophysicos numeratur, Principibusquè Estensibus, & præcipuè *Alphonso Secundo* amantissimus, cui erat à secretis, maximis in Reipublicæ negociis mediator. Fatali falce exitialem excepit ictum raptusquè fuit anno 1575. ejus vitæ 72. & in Divi *Francisci* Templo tumulatus. adhuc sui memoriam, suis in scriptis reliquit, & in numismate ejus effigie insignito, indelebilem habe-
C mus monumentum.

JOANNES MARIUS CRISPIUS Comes, Poesim scriptis illustravit exponendo hæc *Ode in Obitu Serenissimi Mutinæ Ducis*, *ac in Obitu Alphonsi Estensis ejus Filii*, & alia carmina March. *Mario Calcagnino* directa, è quibus omnibus Poesim sedulò amasse deducimus. mortuus est *Ferrariæ* anno 1676. die Martii secunda.

JACOBUS LABETIUS Can. Reg. præter Oratorios libros, etiam edidit, *libros quattuor Carminum*, *septem Pœnitentiales Psalmos metricè*, 20
Hymnum unum idiomate græco, in qua lingua perfectissimus nuncupabatur. Religionis suæ primas occupavit sedes, tandem dies clausit sexagenarius
D circa annum 1540.

JOSEPH PANINUS Comes, licet *Centensis* origine, à Nostro *Libanorio* inter Ferrarienses inseritur. Poeticé scripsit & publicavit *l'ester*, & *l'Artemisia* drammata, & *Poesie varie*, morte correptus fuit anno 1692.

JOANNEM BAPTISTAM RECALCUM testantur Poetam fuisse ejus varia *lyrica carmina* & Dramma illud cui titulus *Nozze di Proserpina*. Juvenem fortasse decessisse putamus eò quia nullam de eo memoriam habeamus majorem, quo anno occubuerit ignoramus.

E JOANNES BAPTISTA CINTHIUS GIRALDUS, non Musarum Alumnus, sed filius, quem consiliis, & prudentia præstantissimum variis, urgentibusquè negotiis periclitata est *Ferraria*. Præter soluta oratione edita, in lucem edidit etiam *Tragœdiarum tom. 1. Egle Satyra*, *l'Ercole Poema*, & *Rime varie*, & latino metro, *Carminum libri duo* extant, *de Victoria contra Turcas*, & alia notissima opera. Animam Deo reddidisse hunc virum habemus, anno 1573. ætatis suæ sexagesimo nono. Philosophiæ, & Medicinæ quoquè studuit laureamqué tot meritis debitam obtinuit; *Giraldorum* familia sic, à
F *Jacobo Gaddi* in libro de Scriptoribus laudatur. *Giraldos plures Ferraria tulit Poetas litteraria Fama insignes*, variisque encomiis ab aliis autoribus extollitur.

JOANNES BAPTISTA ESTENSIS TASSONUS, Nobilitatis generi litterarum splendorem addidit; ideoque *Italiæ* in Academiis maxime eluxit, exponens, *La Contesa d'Amore Drama*, *Intermezi varii*; & alia quam plurima. E' vivis abiit circa annum 1634. cum diu fuerit Cathed. nostræ Archipresbyter.

JOAN-

JOANNES BAPTISTA MORONUS quem Incognitorum Academia permultò celebrat, Poetico epoto lacte plures produxit fru-
21 ctus, Volumen unum Poeticum præ manibus habuit, cui nomen fecit. *Genii Poetici.* Plura de hoc viro habemus in Scena Litteraria Bergomensium Patris *Donati Calvi.* Vitæ tamen cursum peregit dum majora meditabatur, adhuc ferventis vitæ suæ ævo, anno salutis 1645.

LUDOVICUS PICTORIUS, cognomento BIGHUS, Vir pietate, & doctrina insignis, varias dum Sacerdotii munere fungeretur elucubravit litteras spirituales. Lusit etiam poeticis studiis, & legendos præstitit *Epigrammatum libros sex, Goriciæ libros tres, Candidorum libros 5. In cœlestes Archangelos centurias hymnicas, opusculorum Christianorum libros 3. Candidorum libros 5. Epitaphiorum librum singularem, satyram sacram*, & alia; quorum operum sæpe utimur suavitate, recondita enim est in illis, rara, & excellens doctrina. Junctus fuit Amicitiæ vinculis, tam celeberrimo *Joanni Pico Mirandulano* cujus ingenii perspicacitatem meum non est hîc recensere. Floruisse hunc Poetam habemus anno 1520. deque ejus operibus variis ab Auctoribus fit mentio, circa quos consule *Libanorium* p. 3. f. 189.

Si omnes hic enumerare auderem laudes, quibus Noster inclytus Vates, & Poetarum Princeps LUDOVICUS AREOSTUS cumulatur, volumen texerem, pluresquè superessent. Hoc unum tantum affero, eum Illius Poematis inscripti *L'Orlando Furioso* auctorem fuisse; sique nullos præter *Ludovicum Ferraria* nostra peperisset Poetas, Istius solummodò nomen sufficeret ad hanc nostram Poetarum matrem Civitatem super alias illustrandam. Ut exteri quoquè tanto Poemate fruerentur variis innumerisque linguis eversum fuit, nec adhuc suæ gloriæ apex imminutus est. Ex ejus Numismate malum pro bono recepisse deducitur, de hoc enim in *satyris* sæpe queritur. *Comœdias* quoquè quinque edidit, ac *Poesium variarum librum unum:* variis itidem *latinis* carminibus insudasse colligimus. Laurea Poesis insignitus fuit *Mantuæ* per Potentissimum *Carolum* V. anno 1532. Humanos tandem com-
22 plevit labores die 6. Junii anno 1533. ætatis suæ sexagesimo nono, ejusquè cineres in divi Benedicti Templo, procurante, prius piissimo concive nostro *Augustino Mustio*, ac indè pronepote *Ludovico Areosto*, reconditi fuerunt ac nobili tantoquè viro debito Mausoleo ejus cum naturali effigie honorati, ad quod sæpè Exteri omnes *Ferrariam* petentes sedulò currunt, meritasquè pænè cum lacrymis effundunt laudes, hoc notantes Epitaphium incerti Auctoris.

Notus & Esperiis jacet hic Areostus, & Indis,
Cui Musa æternum nomen Etrusca dedit.
Seu Satyram in vitia exacuit, seu Comica lusit
Seu cecinit grandi Bella Ducesquè Tuba.
Ter summus Vates, cui docti in Vertice Pindi
Ter gemina licuit cingere fronde comas.

De LILIO GREGORIO GIRALDO, Eruditionis splendore pauca dicam, cum ex ejus Operibus, Poeticum genium dignoscamus. Fuit enim latinis, græcis, hebraicis litteris insignis, Philosophus, Orator, & Poeta, nec non Cathedralis nostræ Canonicus. Præter centies impressa ejus erudita opera scripsit etiam *Poemata quædam, & Epithalamia, Hymnos, Elegias, & Epigrammata.* Memoria feliciffimus fuit, ideoquè omnia audita, currente eloquentia mirabiliter enarrabat. Tumulum sibi erexit septuagenarius anno 1550. in Ecclesia Cathedrali, in quò paucis post annis, longo oppressus Podagræ, Chiragræque morbo repositus fuit.

Ingeniorum ferax Opidum *Cotignolæ* in lucem

A edidit MARCUM PETRUCINUM, quem multum insudasse videmus ab omnibus ejus Poeticis operibus, quæ sunt *Poesie libri 4. Ode sacre, e morali; La costante Celinda, Rime varie*, & alia. Extra seriem quoque ejus carminum legitur *Epithalamicum carmen* in Nuptiis *Juliæ Farnesiæ.* Enitebat circa annos 1650.

MATTEUS MARIA BOJARDUS, Comes, Poesi instructus, & sagax inventor, Poema illud præter alia evulgavit, quod legimus inscriptum *l'Orlando Innamorato.* Laudibus refertum variis ab Auctoribus, & præcipuè *Guido Pancirolus* hoc de nostro Poeta notat; hunc scilicet, emphatico æstro Poema suum recitasse, & 23
B animos auscultantium mirificè commovisse. Adeò hujus Poematis intentio placuit *Ludovico* nostro, ut eadem historia novum perfecerit Poema. Philosophicis quoquè, ac legalibus enituit studiis, & ob miram ejus suavitatem Cubicularius electus fuit *Herculis Estensis Ferrariæ* Ducis secundi, pro quo *Neapolim* profectus *Eleonoram* de *Aragonia Herculis* sponsam, *Ferrariam* duxit. Ætas ipsi supra sexagenaria, indoles perspicacissima, animus gravitate spectabilis, corpus tamen, licet bene compactum, & vegetum demissæ fuit altitudinis. Pluribus Scriptoribus com-
C mendatur, de quibus consule *Libanorium.* Ossa ejus dormiunt in Ecclesia Cathedrali, teste *Guarino* ibi collocata circa annum 1500.

PIUS ÆNEAS OBIZZO Marchio, veræ nobilitatis specimen, Natalium splendorem litteris auxit. Publici Juris fecit multa Poetica monumenta scilicet *L' Atestio Poema, L' Erminia Dramma: La Dafne, Il Ratto di Proserpina, Poesie Liriche libri 5. Il Philoteuco, le Hierophonie, l' Amor Riformato, Le gare Marine, &c* ob styli nobilitatem celeberrima. Exitiali correptus falce efflavit animam *Patavii* anno 1674. ejusquè cineres in Divi *Antonii* Templo tumulantur.

D TORQUATUS TASSUS Heroicorum Poetarum Decus, licet *Bergomas* origine, a *Superbo*, & *Libanorio* inter nostros Poetas inseritur; & ut dicam quod circa hoc sentio. Potiores habet rationes Civitas nostra eum concivem suum adscribendi, annos enim supra viginti *Ferrariæ* commoratus est, & in hac urbe suæ fortunæ vices sustulit, ibi fere per novennium in Hospitali Sanctæ *Annæ*, velut insanus, custoditus fuit, licet parùm, & raro hac lue, ei alta ab origine derivata, vexaretur. In hac edidit præter *Poesium tomos sex*, quorum inclusa varia non recensebo, opus maximum illud, quod
E summis usque ad cælum laudibus extollitur, *Il Goffredo, ò sia Gierusalemme liberata. Diameron* quoquè soluto carmine *Romæ* edidit singulari eloquentia, & doctrina refertum, ut petitionibus satis 24
faceret Uxoris Equitis *Jo. Baptistæ Mansii*, qui postmodum, ex professo, ejus exactissimam Vitam conscripsit. Legitur etiam hujus Viri Poema la *Gerusalemme conquistata.* Canere desiit *Romæ* priusquam laurea in Capitolio decoraretur anno 1595. VI. Kal. Aprilis. Si Ejus cupis vitam omnibus particularitatibus distinctam, vide supranotatum *Mansum*, & *Guidum Casonum*, aliosquè pænè infinitos.

E TITUS VESPASIANUS STROZZA, *Herculis* Pater, Nobilitatis genere præclarissimus. Typis dedit multos *carminum* libros una cum ejus Filii Operibus impressos. Extat etiam *Borseis* Poema M. S. ut notat *Giraldus* in Dialogo de Poetis sui temporis f. 31. canebat circa annos 1470. maximus fuit sapientum Mæcenas, *Leonelli*que Marchionis Estensis Præceptor.

VINCENTII BRUSANTINI COMITIS, jam ab omnibus legitur Poema illud adnotatum *l' Angelica Innamorata*, a quò ejus Poetica fa-

cundia, quamvis aliquantùm rudi, & prisca interrupta rubigine, dignoscitur. Notat *Anton. Franciscus Donus* in ejus Bibliotheca vidisse hujus viri manuscriptum, ni fallor, opus, cui titulus *Le cento novelle del Boccaccio in Versi.* Repentino morbo dira lues eum abstulit circà annum 1570. & in divi *Francisci* Templo ad expectandam magni Judicii tubam collocatus fuit.

Et jam hujus primæ Classis finis insequitur. Tù

A verò, præstantissime Domine, hæc prono, benignoquè Urbanitatis tuæ oculo conspice. Plurimi enim, scio, non deerunt, qui opus hoc tanquam incomptum, & invenustum rejicient, sed satis hoc mihi unum erit, ut, tu animi mei, tenui hac in dissertatione, desiderium dignoscere velis, & Primitias has qualcumquè ingenioli mei, non venustatis suæ, sed humanitatis tuæ gratia, lubens respicias, legas, & approbes.

CLASSIS PRIMÆ FINIS.

25

CLASSIS SECUNDA

DE POETIS FERRARIENSIBUS,

Quorum Scripta tenuia sparsim leguntur.

ERUDITISSIMO VIRO, DOMINO

JOSEPHO LANZONO,

Philosophiæ, & Medicinæ Doctori præclarissimo, in Patrio Gymnasio Lectori, ac in Leopoldino-Imperiali Academia Associato, Amicoquè meo præstantissimo.



E pereant omninò, pænè deperdita aliquorum *Ferrariensium* nostrorum Nomina, qui aliquo modo Poesis ornamento emicuere, hanc secundam Classem exordior, ut manifestò pateat, frequentem, immò continuam floruisse *Ferrariæ* Poesis amœnitatem, & ultrà eos quorum fama toto orbe evulgata est, alios etiam enituisse, qui hujus studii nobilitate gavisi sunt, nec eos Poetas non fuisse (ob eorum operum oblivionem) asserere fas est; ab iis enim scriptis quæ aliquò modo, licet raró videmus, eorum studia dignoscimus.

ALEXANDRUM de AGLIS multa poeticè scripsisse, & *Leonelli* Marchionis *Estensis* Rhetoricæ Præceptorem fuisse, *Titi Strozzæ* loco & ob ejus Virtutem *Estensibus* dilectissimum, notat Eques *Alphonsus Maresta* accuratissimus Rerum nostrarum scriptor in ejus Theatro Genealogico t. 1. f. 13. extabat circa annos 1440.

ALPHONSI PANCII, Medicinæ Docto-
26 ris, nomen subscriptum legisse memini, aliquibus græcis carminibus in præcedentibus Prolegomenis cuidam libro *Joannis Baptistæ Bonacossæ* de Laudibus *Herculis Secundi Ferr.* Ducis. Ex quo illum græcis, latinisque litteris versatum credere fas est, nec non in carminibus pangendis felicitate ditatum, meminit hujus Viri *Libanorius* t. 3. f. 151. Eum floruisse tradimus circa annos 1555.

AUGUSTINUS, de antiqua, & illustri domo ARIENTA legendam præstitit Comædiam adnotatam *Lo Sfortunato*, à qua discere abundè possumus fortunæ vices imperturbata fronte tolerare. De *Augustino* tractat *Libanorius* t. 3. f. 7. & *Guarinus* f. 294. & circa annum 1570. decessisse traditur. Hunc etiam, notat Eq. *Maresti* in Theat. Gen. t. 1. f. 63. descripsisse, ac typis publicasse librum inscriptum, *Cavallerie di Ferrara*, in quò publicos festus ac solemnes pompas, in Estensium Aula celebratas mirificè narratas habemus.

ANNIBALEM POCATERRAM Virum Poesi versatum fuisse poetica ejus scripta ostentant, referente *Libanorio* adnotato f. 36. & *Guarino* f. 27, sed cum, nec mihi, nec alicui amico-

B rum meorum manibus occurrerint, eorum titulum asserere nequeo. Fuisse tamen doctum Poetam constat, ab ejus singulari cum *Torquato Tasso* amicitia à quo sæpè variis laudatur carminibus, & ei inscribitur Dialogus de Ludo, cui titulus *il Romeo.* Extinctus est circa annum 1590. maximo *Torquati* mærore. Ejus ossa in Cathedrali nostra reservantur.

ANNIBALIS ROSSELLI extat *Epithalamium* in nuptiis *Federici Pici*, & *Hippolytæ* Estensis in Collecta epithalamica *Sancti* de *Pastis* Poetæ Ferrariensis, anno 1594. typis tradita.

C De ANTONIO BEVILAQUA notat *Liban.* t. 3. f. 38. Poetam non insuavem fuisse, & legi poetica ejus opera una cum carminibus Hieronymi *Falletti* impressa. Ego verò, Pace nostri *Libanorii*, eum errasse assero; in Carminibus enim *Phaletti* nullius *Antonii Bevilacquæ* fit mentio, sed tantùm leguntur *Alphonsi Bevilaquæ* varia epigrammata. Æquivoco ideò eum laborasse credere possumus. Mortem subivit circa annum 1580.

ALPHONSUM FIORNOVELLUM, Virum non tantùm Astreæ, sed & Apollini Sa- 27
D crum fatentur ejus heroica Carmina Italica, litterario orbi sacra in nobili quodam Libello inscripto *Academia Eroica.* Vir fuit admirandæ, ac vegetæ senectutis, consilio, ac pietate pollens magnaquè in existimatione *Banifacio* Cardin. *Bevilaquæ*, cui à secretis extitit. Vivebat circa annos 1520. ætate profectus.

ALEXANDER GUARINUS I. *Herculis* Secundi, *Ferrariæ* Ducis IV. à Secretis, ut meminit *Superbus* f. 107. & *Guarinus* f. 178. variarum legationum munere missus, se tandem Musis dedit. Multa ejus poetica manuscripta extant, ac illustre illud *Ænigma*, adhuc insolutum,
E in obitu præclarissimæ fæminæ *Philippæ Varanæ* de *Camerino*, quod in Sanctæ Mariæ in Vado, ab uno latere Sacelli, & Tumuli Familiæ *Varanæ* perlegitur.

De ALPHONSO GUARINO ait *Libanor.* p. 23. inveniri quædam carmina ante librum *Baptistæ Bonacossæ* de Laudibus *Herculis* secundi Ducis, in quorum carminum titulo, appellatur ipse *Alphonsus* Vir magnificus, & doctissimus. E-

go verò, ejus argutam possideo *Comœdiam* typis quidem publicatam, inscriptamquè *Lo sponsalitio*, dulcisonis redundantem numeris in cujus titulo *Alphonsus*, *Baptistæ* filius dicitur. Musis loquebatur circà annos 1560.

AUGUSTINUS MARTINELLUS, Litteratorum oculis præter Juris allegationes, & Orationes exhibuit varios hinc indè effusos Poeticos flores, qui in fronte quorundam voluminum leguntur, nuper decessit, & ob præclaras ipsius dotes collacrymatus fuit.

ALBERTUS LOLLIUS Vir doctissimus, qui orationum Volumen edidit; mirabili fuit eloquentia præclarissimus, & Oratoriæ Italicæ facundiæ splendor. Poeticis etiam amœnitatibus, & quidem cunctanter incubuit, & tanquam ejus estri specimen publici Juris fecit *L'Aretusa Comedia*. Leguntur etiam hujus cycni varia poetica in Volumine inscripto *il Tempio della Signo-*
28 *ra Giovanna d'Aragona*: *Alberti* non tacuit *Salicinus* Noster, immò eum Poetæ nomine honorat in ejus Subjectis poeticis. Lepidis etiam carminibus lusit, videmusquè ejus invectivam in vituperationem ludi Italiee del *Tarocco*, in Collecta carminum hujus generis edita *Venetiis* 1592. *Benedicto Mamarello* procurante. Usquè ad ultimam senectutem pervenit, ut ex ejus Effigie in numismate sculpta videmus, & ut ante oculos habeo meo, quod *Nicolaus Baruffaldus* pater meus inter alia reservat. Vivere desiit 1569. septimo Kal. Decembris, & in Ecclesia Sancti *Pauli* tumulatus fuit.

ALPHONSINI TROTTI legimus varia Italica carmina in laudem *Francisci Patricii*, inserta in libro attitulato *Scena d'Huomini letterati del Grasso*. Occubuit septuagesimo octavo ejus vitæ anno 1554. ejusquè Cineres conditi fuerunt in B. M. V. in Vado nobilissimo templo, ut affert *Guarinus* f. 317.

ALPHONSUS PANDULFUS Episcopus *Comaclensis* Ecclesiæ, seriò tantum sustinens gradum, aliquando tamen Poeticis elucubrationibus animum relaxavit. Legimus ejus *Satyram in Comaclenses*, quæ tanquàm acutissimis referta salibus per litteratorum manus evolat manuscripta. Obiit fessus ævo anno 1648. *Ferrariæ* ac translatus fuit ad ejus Episcopatum, & in majori Ecclesia humatus.

Ex ALPHONSI PAIOLI scriptis, colligere decet eum excellentis fuisse ingenii, præter Historicas Narrationes Dramma unicum habemus, scilicet *Davide Pentito*, mortuus est annis nuper elapsis.

ALOYSIUS TOMBESIUS opus publicavit inscriptum, *Genetliacon Mercurii*, *& Apollinis Pæan* in Lustralibus March. *Aloysii*, & *Cornelii Bentivoli* anno, ni fallor 1670.

ALBERTUS GALVANUS licet *Centensis* origine, Domicilio tamèn Ferrariensis, edidit *Tragicomœdiam* Spiritualem, juxtà id quod legitur in *Libanorio* f. 200.

ANDREAM TRISTANUM Poetam Ferrariensem indicant varia, & quidem suavia ejus
29 poetica fragmenta inserta in Libro edito in Nuptiis *Marci Pii* de *Sabaud.* & *Cleliæ Farnesiæ* anno 1587. & varia alibi diffusa. Laudatur etiam diffusè à *Torquato Tasso* in ejus operibus.

ALBERTI LAVEZOLII observationes legimus in furentem *Orlandum* in quibus ejus Poeticum studium maximè elucet, licet nihil adhuc hujus viri poetico metro compactum per manus habuerim; vitali spiritu fruebatur circà annos 1580.

Habet & suas sequaces musarum Chorus, nec Viris tantum gaudet consociari quam Fæminis. ANTONIA de antiqua & clara stirpe NASEL-
A LA una cum duabus sororibus *Ferrariensibus*, de quibus suo loco dicam, celebrantur in antiquo marmore, Poetica arte instructæ, ut de illis tractat *Guarinus* f. 191. De his adhuc nihil poeticum perlegere potui non despero tamen temporis tractu aliquid harum Poetridum, mè fore visurum.

AUGUSTINUS FAUSTINUS animam Deo reddidit circa annum 1658. pluraquè posthuma reliquit. J. V. D. non incelebris, Historicusquè noster notissimus fuit, edidit etiam poetice Tragædiam spiritualem nuncupatam *Theodora Vergine Alexandrina*.

B ALPHONSUM GIOIAM J. V. D. perspicacissimi Judicii Virum, Philosophum, & Mathematicum fuisse insignem. Illi dicant quibus tanto viro frui datum fuit. In poetica disciplina non parum elucens etiam habebatur, nullus tamen laborum suorum, ejus nomine honoratur. Pro certo tamen habeo plura Poetico metro edidisse quæ per Eruditorum mensulas evolant. Itemquè scio doctissimis commentariis, *Dantis* comædiam illustrasse. Opus tamen imperfectum reliquit, ætate enim valdè profectus, morbo oppressus raptus fuit anno 1687. Kal. Novembris, & in Divi *Martini* Oratorio tumula-
C tus. Ejus scripta servantur in Archivio Serenissimorum *Mutinæ*, quibus erat Charissimus, ab eo (mortis causa) donata.

Anno 1600. enitebat ALOYSIUS ZERBINATUS eruditissimus Vir, variis operibus clarus, Principibusquè vinctissimus; subsecundarias Horas Poesis studio impendidit in quibus multa edidit, & nunc leguntur varia carmina in 30
præcedentibus encomiis cuidam Orationi *Guidobaldi* Comitis *Bonarelli*.

ALBERTUS CISTARELLUS ut mentio est apud L. G. *Giraldum* in Dial. de Poetis sui temporis, mihi f. 107. doctrina, & pietate cla-
D rus, qui morte ex improvisò invasus, se & scripta sua deperdidit, præter *Poema* Heroicum non spernendum, quod in D. *Annam Gorriciam* elucubravit, quod & *Romæ*, ubi *Albertus* decessit, excussum fuit. Hunc curiæ Romanæ ambitio *Romam* transtulit, ideoquè pauca, immò nulla ejus opera hic visentur. Admiror tamen contemporaneum nostrum alioquin industrium Historicum Equ. *Alphonsum Marestam* scriptorem solertissimum, ac amicum meum Dominumquè amplissimum, in Theat. Geneal. loquentem de Familia *Cistarella*, hunc *Albertum* vel neglexisse, vel spontè reticuisse, cum virtutibus suis, dignis-
E simus celebrari fuisset.

ALBERTUS REGIENSIS, à citato *Giraldo* f. 99. collaudatur, & *Epigrammata Etrusca* suprà ferè credi possit pulcherrima, & argutissimis rithmis fecisse asseritur.

Ibidem etiam f. 54. connumeratur inter Poetas ANTONIUS MARIUS VISDOMINUS, inquit enim ipse, *carmina multa scripsit, & in dies scribere non cessat, humili stylo utitur, & plerumquè serpit:* In alia Epistola ejusdem *Lilii* his carminibus laudatur Visdominus. *Hic nequè Visdominus mistis qui sæpè Cumænis, demere Mercurio talaria, ne vagus erret, &c.* *Commentaria* habuit
E etiam *in sex Senecæ Tragœdias*, quæ manuscripta apud me reservantur. Hunc virum extasse habemus circa annos 1540.

Diem clausit extremum pia morte elapso nuper anno 1697. die 15. Novembris Ill. Comes ANTONIUS PIPPUS CRISPUS *Joannis M.* Filius, qui in primo Juventutis flore seculari plectro secularia stromata canens, lyram postmodum retractavit, eamquè Christi Crucifixi Imagini, quæ in Divi Lucæ Suburbana Ecclesia servatur, consecravit. Multa extant poetica

ca edita opera diffuse, sed præcipuè leguntur
31 Ode duæ, & sunt, *La Nave Sagra Vittoria*, *& Rauvivamento Poetico della venuta di Christo*, *&c.*

ANTONII TASSINI nihil adhuc mihi oculis sors attulit, Poetæ tamen Nomine collaudatur a *Ludovico Pictorio* in ejus operibus.

AUGUSTINUM etiam MUSTIUM in eodem Dialogo habemus non insuavem fuisse Poetam. Vidit *Lilius* ejus quædam *Epigrammata* arguta, quæ amatores suos habuerunt, pro quo sic cecinit.

Sed neque cui parvo est virtus in corpore, major
Mustius obsequiis intentus, Principis usquè, &c.

Fidelissima habuit cum *Torquato Tasso* commercia dum iste in Hosp. S. Annæ (cui præfectus tunc erat *Augustinus*) degebat, legimusquè in laudem *Mustii* varia carmina in operibus *Torquati*, Cineres quoque celeberrimi Nostri *Ludovici Areosti* ab oblivionis injuria primò traxit 1573. nobiliquè tumulo ac Eulogio decoravit in Delubro Divi Benedicti, non alieno ære quam proprio. Ex quo in eo enituisse plurimum tanti Civis amorem dignoscerè facillimè possumus.

Eximius fuit utraque lyra Poeta BERNARDINUS BARUFFALDUS J.V.D. quem in publicis Edictis, ac Sanctionibus Serenissimi *Alphonsi Secundi* Ducis *Ferrariæ* Cancellarii Ducalis nomine adscriptum videmus. Ejus *Musæ* partum legimus *Il Pastor Amoroso Ferrariæ* excussum anno 1565. Præter hanc Cantionem varia carmina latina extant in Oppido *Centi*, a quo, ut notat *Joseph Maria Panninus* in hujus Opidi compendio hist. f. 38. Hæc familia originem duxit, litteris, armisquè celebris floruit.

BAPTISTA PANETIUS, Carmelita, non minus Theologia, quàm Poesi præclarissimus. Varia variis temporibus opera poetica evulgavit, inter quæ, vidisse varia *Epigrammata* memini. Quod etiam affert *Superbus* f. 43. Sepultus est *Ferrariæ* in Ecclesia Divi *Pauli* anno 1510. septuagesimo sexto ejus ævi anno.

32 In Vita *Ludovici Cati* celebris J. C. a *Bonaventura* Angelo conscripta, & edita *Ferrariæ* anno 1554. leguntur varia carmina BARTHOLOMEI MARTINELLI Ferrariensis arguta, & poetica amœnitate referta, quæ eorum auctorem Poetam fuisse testantur.

BAPTISTA SARACCUS Poetica studia palam fecit in aliquibus carminibus junctis in Præludio, liberculi cujusdam *Joannis Baptistæ Bonacossæ*, in quorum carminum titulo vocatur ipse *Saraccus* Doctissimus Dominus Ducalis à Secretis; quod etiam in ejus Numismate æreo confirmatur. Leguntur insuper ejus varia carmina in operibus *Hieronymi Falletti*, circa 1570. diem suum obiit, honestoquè funere in Ecclesia PP. Sanctæ Mariæ de Rosa sepultus est.

BARBARAM CABALLETTAM *Ursinæ*, seu *Ursulinæ* Filiam, aliasque nostras *Ferrarienses* Musas laudant *Areostus*, *Bojardus*, *Guarinus*, *Moronus*, *Tassus*, & alii apud *Libanorium* t. 3. f. 52. Unde cum aliis hic adnotare istam statui. Varia scripsit sed quæ typis consignata legimus diffuse, sunt *Madrigali*, *Canzoni*, *& Sonetti varii*. Quiescunt ejus Cineres in Ecclesia PP. Theatinorum *Ferrariæ*, ut notat *Andreas Borsettus* in supplemento ad *Guarinum* f. 133.

BONUS Poeta quidam lyricus *Borsio* Duci nostro familiaris Ferrariensis nomine honoratur à F. *Leandro Alberti* in descript. *Italiæ* f. mihi 285. Hujus *Boni* nihil usquam perlegi, nullumquè alium de eo scribentem præ manibus habui. Sed Illius Historici celeberrimi incorrupta fides, urget, ut eum hîc libenter adscribam.

BARTOLOMEUS FERRINUS, à *Lilio* commendatus ob politos ac tersos versiculos, tum latinos, tum italicos quos pangebat. Ipse quoque legi varia ejus carmina, *Etrusca* edita in Collecta carminum variorum Poetarum à *Ludovico Dominico* publicata. Fuit ab epistolis duorum Principum *Alphonsi* & *Herculis* Esten. qui, ut supranotatus *Lilius* notat, ob ejus fidem, integritatem, prudentiam, ac taciturnitatem & in negotiis gerendis dexteritatem 33
multò majora erga eum animo conceperant, morte præreptus fuit anno 1545. agens trigesimum octavum annum, ut ex funebri oratione constat.

BONAVENTURA PISTOPHILUS inter mediocres Poetas à *Lilio* reponitur, utpotè versatus cum *Tito*, ac *Hercule Strozza*, duo illa Poesis latinæ sidera, sed potior *Bonaventuræ* gloria fuit in conficiendis epistolis, legitur tamen hujus viri *la Passione di Christo in terza Rima*. Senex septuagenarius lumina clausit.

BARTOLOMEUS RICCIUS, poetica monumenta posteris reliquit, quæ in tomo 2. Card. *Bembi* numerantur. Naturæ legibus satisfecit anno 1569. alia opera quoque elaboravit quæ à *Libanorio* t. 3. enumerantur.

BERNARDINUS de COSTABILIBUS sæpè laudatur in operibus *Ludovici Pictorii* Poetæ Ferrarien., & Poetæ nomine appellatur, nullum tamen aliud habeo hujus Viri testimonium.

BARTOLOMEI PROSPERI fæcundissimus stylus multa peperit, propè tamen nulla leguntur, Poetæ tamen nomine vocatur à *Cinthio Giraldo* in Hercule salutato canente

. . . . . *i* . . . *Prosper*
„ *Scandit ovans Biugi qui celsa cacumina montis.*
„ *Dignaquè musæo meditatur carmina Vate.*

Vivebat circa annos quos de *Cinthio* diximus.

CHRISTOPHORUM CONSTANTINUM Ferrariensem subscriptum lego in aliquibus carminibus in *Ludovici Catti* vita appositis, in quibus frasis dulcedo per maximè elucescit.

CAROLI MAPHEI, nostri Concivis perlegi librum ad Serenissimum invictissimumquè Imperatorem, Romanorumquè Regem, de *Captura classis Venetæ missa in Ferrariam.*

CÆSAR CREMONINUS è *Cento*, opido Ferrariensi, non Mutinensi, ut *Imperialis* in Museo scribit natus, floruit, ubiquè nominis majestate præfulgens, *Patavii* Lector celebris, & Philosophus insignis. Poeticis etiam delectationibus scatuit, & legimus, *Chlorindo, e Valliero Poema. Aminta, e Clori Fav. Past.* anno funestissimo pestis 1630. eum dira mors surripuit octuagenarium in Urbe Patavina, ut loquitur *Imperial.* in Mus. 34

CLAUDIUS quoque FINUS in funere *Hippolitæ Estensis* flebile carmen edidit vario Versuum rithmo, & modulatione.

CLAUDIUS SIMON J. V. D. *Concordiensis* origine à *Libanorio* Poetæ nomine insignitur, cujus innixus fidei hunc inter alios adscribo, circa annum 1670. vita functus est.

CAROLI quoquè STROZZÆ Comitis in Præfatione Orationis cujusdam *Guidubaldi Bonarelli* leguntur carmina Etrusca, & facili facundia confecta. Vixisse hunc scimus annos circa 1600.

CAROLUS MAGNANINUS Sæpe Musarum Lymphas potus plures edidit Poeticos fructus,

ctus, in Eulogiorum miscella P. *Ludovico Antinorio* efformata anno 1640.

CÆSAREM MORUM notat *Lilius* in toties recitato opusculo, tùm prosa, tùm Versu gratum adeò fuisse, ut Juvenis publicè, vel orando, vel perlegendo libenter audiretur.

Non incelebris Poeta fuit CURIUS LANCILLOTTUS PASIUS Rhetor, & Grammaticus insignis qui *Patavii* Lector longo tempore extitit circà annos 1510. Leguntur hujus viri varia carmina latina Heroico plectro efformata.

Fuit & DANIEL FINUS non insulsus omninò Poeta, qui complurima scripsit, sed extant pauca. *Libanorius* t. 3. fol. 94. scribens de *Fino Fini Danielis* patre asserit legi *Danielis* hujus, Elegias varias, nescio an impressas in quorum altera est quædam recondita de *Fino* ejus Patre notitia 1500.

Non mediocris excellentiæ fuit DIONISII SCUTELLARII M.D. Musa, quæ sæpè plectrum sumpsit ac saviter cecinit, sed ætate cantuquè fessus defecit anno 1679.

Extat apud me quædam Tragœdia Sacra soluto carmine Italicè inscripta, *Abramo che sacrifica Isaco* 1611. cujus autor fuit P. DOMINICUS DE VECCHIS Ordinis Prædicatorum, cujus autoris aliud perlustrasse non recordor.

ENTII BENTIVOLI Junioris, varia manu-
35 scripta in Amici mei manibus recondita perlegere potui, quæ, ejus autorem suavissima dulcedine refertum fuisse ostentant. Florebat circa 1620.

In Oratione quadam de divi *Caroli* laudibus, per Canonicum *Gaspar.* de *Levaloriis* texta anno 1610. legi, & perlegi sonulos aliquos FRANCISCI ANGUSCIOLI Ferrariensis nostri Virtute, & generis splendore clarissimi, ibiquè extant alia carmina Reverendi Domini FRANCISCI VENERII, pietate, & doctrina notissimi, qui etiam tractatum de monialibus edidit anno 1656. Itemquè legi possunt eodem libro versus varii FRANCISCI MARTINELLI I.V.D. præstantissimi.

FREDERICUS MIROGLIUS Comes Musis placuit, & ejus Poetici fructus, ejus facundiæ specimen, apparent in Encomiis P. *Ludovici Antinorii* celebris concionatoris olim *Ferrariæ* anno 1648.

FRANCISCUM GUITIUM Poetam non minoris notæ fatentur ejus varia carmina, quorum siqua leguntur in Præfatione libri de Peste editi a celeberrimo nostro *Parolino* Medico anno 1630.

Multa scripsit FRANCISCUS ALUMNUS, verè Musarum Alumnus, & Poetico, & Oratorio stylo, quorum prima diffusa, & dispersa legimus, ejusquè artis fundamentum deduci potest, cum de plurimis, & quidem primoribus Poetis, ejus verè doctum extet Judicium, apud varios hujus autoris fit mentio, inter quos enitent, *Libanorius*, *Superbus*, *Gaddus*, *Guarinus*, & *Ghellinus*. Septuagesimo ejus vitæ anno obiit 1560. anno circiter, & ejus cineres *Ferrariæ* in Ecclesia Sanctæ *Mariæ de Rosa* conduntur, sed ejus monumentum non visitur.

FLORIUS TORUS Laurea insignitus, poetici studii professor, multa lyricè cecinit, & impressit, scilicèt *Le grida di Cerere*, *Ode in laudibus Alexandri VII.* sonulumque unum viventi *Leopoldo* augustissimo Imperatori missum, à quò ut ait *Libanorius*, aureum monile pro grati animi argumento reportavit. Moriens tandem *Mantuæ*
36 Virtutibus quas coluerat desiderium reliquit, sepultus fuit in Templo PP. Theatinorum in eadem *Mantuæ* Civitate.

FABRICII SARACENI nonnulla carmi-
A na Etrusca leguntur in libro *Tempio della D. Gioanna d' Aragona* excussum anno 1555. pagina 224.

Varia Poetica scripta reliquit typis publicanda post ejus obitum quod accidit 1638. FRANCISCUS LIBANORIUS, ut meminit Abbas *Libanorius* t. 3. f. 100. nihil tamen hujus Viri excussum adhuc videre potuimus.

FRANCISCI BOVII, Græca lingua maxime celebris extant apud me varia antiqua manuscripta carmina græca, & latina, à quibus ejus magis proclivè Græcis quam latinis versibus genium apertissimè patet.

B FLAVIUM ANTONIUM GIRALDUM totiès à *Lilio* in dialogo de Poetis recordatum permaximè in soluta Oratione, & carminibus potuisse asserit *Paulus Sacratus* in Epistolarum Vol. primo f. 367., & in ejusdem voluminis præliminaribus legitur Ode ejusdem *Flavii* non insuavis, sic initiata.

„ *Quis hoc Beatum ter quaterquè sæculum &c.* è vita migravit circa annum 1585.

FRANCISCI TASSONI Marchionis in publici *Tornei* Procemio adesse varia ejus carmina testatus fuit mihi cordialissimus, & fide dignus Amicus, quo tamen tempore floruerit non quæ-
C sivi.

Maximè in Poesi versatus FRANCISCUS SEVERIUS Argentanus adducitur a *Lilio* ibidem f. 108.

Legi olim in præviis encomiis cujusdam libri de Laudibus *Herculis* II. per *Jo. Baptistam Bonacossum* elucubrati varia carmina GABRIELIS AREOSTI *Ludovici* fratris, de quo notat præfatus *Lilius* f. 107. suaptè natura ac ingenio ad poeticam latum fuisse, cujus varia carmina varii generis, & poemata nonnulla leguntur m. m. s. s. Illi ingenium disponendi & inveniendi non defuisse asserebant coætanei ejus. *Jo. Baptista*
D *Pigna* quoquè in libro inscripto Romanzi, hunc *Gabrielem Statii* Imitatorem acerrimum celebrat. f. 72. *Scholasticam*, Lud. Comædiam suis versibus quoque complevit.

GALLEATIUS ESTENSIS TASSONUS, 37
in *Cinthii Giraldi* Hercule salutato, cognominatus fuit *Aonidum*que Decus, ex quo erui potest Poetam, & quidem alicujus Famæ fuisse.

GABRIEL BARTOLUS Eremitanus Divi Augustini piis incumbens carminibus, & altiores deferens tubas, Opus pium edidit carminibus compactum, Inscriptumque *Armonia Spirituale.* Verùm enim verò dùm alia typis exponenda pa-
E rabat *Ferrariæ* occubuit anno 1673.

HIERONYMI BOVII Sacræ Theol. D. & Canonici extant carmina in Collecta Nuptiali prò *Marco Pio*, &c. alibi etiam legi ejus varia latina carmina in cujusdam Magnatis Obitu, quæ omnia eum non infimi gradus Poetam fuisse demonstrant. Scribebat circà annos 1590. Hujus viri meminit *Superbus* in Apparatu Illustrium Virorum f. 20. Obiit 1596.

HONUPHRIUS ZARABINUS, subsecundarias impendens horas Poeticis exercitiis litterariæ Reipublicæ exhibuit *Rimarum tomos duos* 1578.

F HIPPOLYTHI DE ROBERTIS sacra italica carmina apparent in Oratione de Divo *Carolo* exarata per Canonicum *Gasparum Levalorium* anno 1610.

HERCULIS alterius BONACOSSÆ antiquioris illo de qua in prima Classe tractavimus librum *Carminum*, *variorum* italicè prælio mandavit anno Christi 1545.

Carmina nonnulla Equitis HERCULIS CATI leguntur in præcedentibus cuidam Orationi *Guidubaldi Bonarelli* in hujus Sæculi exordiis e-

dita pro Intrepidorum Academiæ erectione.

Poesi aliquando deditus fuit notissimus *Ferrariensis* noster F. HIERONYMUS SAVONAROLLA Ord. Præd., & hujus delectationis indicium desumo à Poeticis opusculis ejus, quæ variè diffusa leguntur, & præcipuè in libello meditationum inest ejus *Cantio* italica, solita ipsius invehendi arte referta, sic inchoans,

Quando il soave, e mio fido conforto
Per la pietà de la mia stanca vita, &c.

38 & alibi alia sic notata: *Omnipotente Dio,*
Tu sai quel che bisogna al mio lavoro, &c.

Circa hunc virum lege *Libanorium* qui plurimos t. 3. f. 162. hujus Viri vitæ scriptores adnotat, & indicat. Animam Conditori suo reddidit anno salutis 1498. quarantesimo sexto ejus vitæ anno *Florentiæ*. Ejus obitus Historia centum libris enarratur, ideoquè opportunè silentii sub tenebris, transeo ad

HIERONYMUM LIBANORIUM litterarum amantissimum, & in Poesi versatum, unde à *Joanne Baptista Cato* vocatur Musis benemeritus. Hujus tamen Concivis nostri, qui circà annum 1530. vivere desiit, nihil adhuc perlegi.

HERCULEM VARANUM DE CAMERINO Poetico, & faceto modo potuisse videmus in Collecta Poetarum hujus generis scilicet *Bernii Caporalis*, &c. & aliorum f. 198. ubi leguntur ejus Sonuli referente *Libanario* p. 3. f. 48. Verùm enim verò ipse unum vel alterum legi, & eos heroicos non facetos inveni.

HERCULIS CABALLETTI leguntur varia in libello prò Nuptiis *Marci Pii*, & *Cleliæ Farnesiæ*, in quarto tomo etiam operum *Torquati Tassi* leguntur varia hujus *Herculis*, quem vixisse temporibus *Torquati* scilicet 1580. fateri convenit.

Musa Jucundissima HIPPOLYTHI GILIOLI hic est enumeranda, plures enim ejus Poetici fructus apparent ante Orationem *Guidubaldi Bonarelli* pro Intrepidorum Academia. Obiit ætate gravis anno 1610.

HORATIUS DE AREOSTIS, celeberrimus *Ludovici* Nepos, & facultatum non minus quàm virtutis hæres. Musarum in Lyceo nutritus, meruit *Ludovici* Echum appellari. Extant hujus viri *Madrigali*, *Sonetti*, *Canzoni*, *Octave*, *Epigrammata*, &c. & ultimò *Argumenta* ad *Orlandum Furentem Ludovici* Avi, ac ad Hierosolymam liberatam *Torquati Tassi*, quæ omnia ejus suavitatem ostentant. In scenis quoquè lusit comædiis variis, quæ jocis, & facetiis scatent, quarum una est. *La Strega*. Meruit, in ejus occasu, harmonica Echo laudari a *Constantino Pro-*
39 *spero* Poeta celebri. Senio non confectus, functus est vita anno 1597. immaturo vitæ ejus anno 38. & in Ecclesia S. *Georgii* extra Urbem tumulatus est.

In Vita *Ludovici Cati* per *Bonaventuram* de *Angelis* conscriptam inter alios Poetas, suam ostentat suavitatem HIPPOLYTUS ORIUS nescio quot carminibus. In miscellanea quoquè Italica insunt alia diffusa.

HIPPOLYTHI VISDOMINI plura apparent Poetica Opera, & præcipuè in præludio ad librum inscriptum *Torneo à Piedi*, &c. Hunc unum ex optimis ejus ætatis, quæ fuit circà 1660. Academicis fuisse coætanci ejus testabantur.

De Illustri NASELLORUM Familia præter supra adnotatam *Antoniam*, floruere Poeticis in facultatibus ejus sorores HIPPOLYTHA, & HIERONYMA, quorum scripta desiderantur, Heredum enim incuria deperdita sunt. In Divi *Leonardi* Ecclesia conditæ fuere, ac longo

A earum virtutum Eulogio condecorantur, referente *Guarino* f. 190. in cujus calce hæc leguntur carmina.

Viderat alma Venus ternas cecidisse Sorores
Numquid, ait, Charites tres cecidere meæ?
Cui Pallas, major jactura est in tribus istis,
Musas & Charites tres cecidisse puta.

Sæpius Musis oblectatus est Junior Marchio HERCULES TROTTUS. Plurima ideoquè publici juris fecit Poetica scripta, quæ aut apud solertissimos ejus Natos, aut litteratorum per eruditas manus transferuntur.

Non minus maxima in dominando prudentia,
B & solertissima vigilantia populis in regendis, præclarus fuit, quàm scientiis amœnioribus nunquam reticendus HERCULES ESTENSIS *Ferrariæ* Dux Quartus; cujus Aula, Musarum Diversorium fuisse notant illius ævi scriptores. *Lilius* quoque *Giraldus* in Dialog. de Poet. S. T. Hunc virum, ait, ab ipsa pænè infantia carmina scripsisse, sed cura dominandi deflexum aliquandiù fuisse, nonnunquam tamen privato otio Musarum dulcedine attractum fuisse constat. Cujus Viri splendidissimo nomine hanc meam dis- 40
sertationem exornare magnoperè gaudeo. Ætate gravis anno à redempto orbe 1559. vivere desiit
C maximo Civium luctu.

Græcis, latinisquè litteris, & Poesi instructum fuisse HERCULEM TROTTUM *Alphonsi* Filium refert quoque *Lilius* ibidem, unà cum HIERONYMO CASTELLO, cui (ut scribentis *Giraldi* præcisis utar verbis) tam acris censura fuit, ut moriens testamento caverit, nè Filii Posteriquè, sua ederent, ejus tamen furtim sublata Opera legisse, *Giraldus* ait, quæ non sinè Venere condita esse videbantur. In carminibus quoquè *Ludovici Pictorii* permaximè *Hieronymus* iste Poetæ nomine honoratur.

Reverendus SANCTES PASTIUS Collecta Poesium plusquàm semel edita ab eo in diver-
D sorum nuptiis, semper condecoravit carminibus JOANNIS MARIÆ GUICCIARDI de *Bagnacavallo*; tantùm abest, ut hujus Poetæ stylus serperet & mediocris saltem plausus honore non elucesceret.

JOHANNES MARIA DRAPERIUS I. V. D. in Episcopatu *Ferrariæ* Vicarius Generalis, Epigrammata multa composuit, quorum unum, ni fallor, vel alterum legi potest in toties notato Opusculo *Johannis Baptistæ Bonacossæ*, non prætermittens varia alia carmi na inibi prælo exarata JACOBI CAGNACINI I. V. D. ac JACOBI NOVARRII Ducalis Can-
E cellarii.

JOANNIS VILLÆ Marchionis legi olim varias Poeticas elucubrationes, pro P. *Ludovico Antinorio* celebri Concionatore, ac in calce cujusdam Opusculi *Francisci Bernii* Comitis, undè colligi potest hujus viri litteraria nobilitas sanguinis splendori consociata. Morbo tandem affectus ac senectute sui desiderium reliquit anno 1686.

JOANNES BAPTISTA ROSSELLUS Comes typis publicavit piis carminibus Oratorium unum inscriptum *La Tromba della Divina*
F *Misericordia* 1676. & alia mm. SS. reliquit.

JACOBUS VITALIUS quamquam rudi, & 41
impolito carmine tradidit tamen varia, inter quæ elucet, *la Caduta d' Ario*, & *Intramezzi Spirituali*. Vivebat anno 1655.

JOANNES BAPTISTA GENNARUS *Centensis* evulgavit in ingressu in hanc nostram Urbem à felicis Recor. PP. *Clemente Octavo* anno 1598. facto; in ejusquè transitu per Opidum *Centi*, varias octavas, non omninò spernendas.

JO-

JOSEPHI MARIÆ MUZZARELLI Ord. Capuccin. habentur carmina italica in ejus oratione edita anno 1644. in Obitu *Cæsaris Estensis Mutinæ* Ducis.

JOANNIS JACOBI VISDOMINI, ac JULII RECALCHI legendà extant multa Poetica encomia *Guidubaldo Bonarello* efformata. Obiit alter 1645.

In Tomo Secundo Operum eximii Cardinalis *Petri Bembi Veneti* f. 205. Civis Ferrariensis nomine apellatur JACOBUS SADOLETTUS, Vir in Juris prudentia, ac Poesi celeberrimus, ibiquè f. 530. leguntur ejus varia, & quidem heroica carmina latino metro exarata.

JOANNIS MUZZARELLI varii versus italici locum habent in collecta carminum à *Lud. Dominico* efformata, in qua ut potè omni arte repleti maximè elucent.

JOANNES BAPTISTA SARACCUS Junior multa inseruit carmina in nuptialibus Encomiis *Caroli Giesvaldi*, ac *Eleonoræ Estensis* 1544. In Scenam trahitur à *Libanorio* t. 3. f. 162.

JO. BAPTISTA CATUS, qui, eo referente, plurimum Poetica arte calluit, & præter alia legitur Epigramma in laudem cujusdam *Libanorii* insertum in processu quodam, ab eo ibidem adnotato.

JULIUS PIGANTUS Canonicus Ferrariensis legenda exhibuit multa, & varia Epigrammata inclusa in quodam Opusculo *Bonaventuræ* de *Angelis Ferrariensis*, ex quibus satis ejus styli specimen habetur.

Varia leguntur publicis oculis exhibita Epigrammata, & Poemata JACOBI EMILIANI
42 celebris J. Consulti, si credimus *Libanorio* t. 3. f. 112. E vita decessit anno 1540. ac plura legalia edidit.

Satis Poeticæ facundiæ specimen habeo JOANNIS BASCARINI M. D., cum ejus suavia Poetica scripta legerim, quorum nonnulla typis elucent in *Ferraria* triumphante D. *Ascanii Pii* de *Sabaudia*.

JULII SIGNI publicata fuere olim carmina, & plurima in Vol. 3. Epistolarum *Pauli Sacrati* Canonici *Ferr.* & alibi circa annum 1580.

Poesim hoc seculo sæpè illustravit JULIUS CÆSAR BLANCUS *Centensis*, sed tunc Opus coronavit quando Remp. Poeticam Pastorali illa fabula ditavit, quæ appellatur *Trionfo d' Arcadia*.

JOANNES MARCHESINUS, varios, & quidem oblectantes versus in Corona Epitalamica in Nuptiis *Marci Pii*, & cujusdam *Farnesiæ* publicavit.

JOANNEM AURISPAM licet *Siculum* origine, tamen eo quia ab infantia *Ferrariæ* sedem habuerit, hìc insero. Hunc Poesi sacrum fuisse ac Duci *Borsio* familiarem narrat *Leander Albertus* in Italiæ descript. f. mihi 285. & (quod magis reconditum est) *Lilius G. Giraldus* in ejus Dialogo de Poetis sui temporis f. 23. refert, ab hoc *Aurispa* originem traxisse Ferrariensem Stirpem *Cistarellam*, de qua varii autores tractant, & quæ multas ob causas claruit, nunc verò extincta est. Hoc tamen, nescio quo titulo, siletur, immò in contrarium adducitur, à *Maresta* nostro celebri Historico, qui de hac familia scribens in Theat. Gen. t. 33. f. 106. aliam assignat antiquiorem originem sed minus credibilem.

JOANNIS BAPTISTÆ ESTENSIS TASSONI carmina Italica extant in Encomiis P. *Ludovici Antinorii* anno 1646.

JACOBUS ACTIOLUS *Petri Antonii* Filius Poeticæ artis sequax vocatur à *Lilio* locis citatis, ubi apellatur parcus, & maximè tenax suorum carminum. Ibidem etiam JOANNES RONCHEGALLUS celeberrimus Juris peritus, ac hujus nominis postremus Poesi excellens 43
apparet, & vixisse scimus circa annos 1550.

LEONELLUS ESTENSIS *Ferrariæ* Marchio, mirabili prudentia insignis, cujus dominio mirificè floruit hæc nostra Respublica. Scribente *Superbo* f. 94 valdè Musarum amicus fuit, & non solum Poetas dulci hospitalitate fovebat, sed ipse Poetico spiritu fervens carmina emisit, ac publicavit, quorum memoria obsoleta est temporis antiquitate. Improba ac intempestiva ægritudo tantum virum abstulit anno 1451. in Belriguardi Pallatio augustissimo, in quo tot connumerantur cellulæ quot dies annum integrum constituunt. Ejus tamen cadaver celebri pompa in Angelorum tumulum obtinuit

LUDOVICUS SARDUS admonente *Guarino* f. 264 Poeta fuit non rejiciendus. Ejus Epitaphium in Divi *Francisci* Ecclesia de eo testatur Musarum decus fuisse. Ejus *varia Carmina Emblemataquè* manuscripta extabant apud dictum *Guarinum*, ut lego in Manuscriptis hujus Viri, quæ apud Amicum meum honorificè servantur. Excessit è vita 3. Idus Julii anni 1445.

LUDOVICUS GIRALDUS annorum 20. adolescens Syrenorum olim Academiæ Princeps, Domi Eruditissimi *Jacobi Emiliani*, de quo supra tractavimus, sibi ipsi morienti (tanquam Cycnus morte imminente) Epitaphium conscripsit, quod à Superbo f. 99. hoc fuisse adducitur.

Ludovicus erat nomen, Giralda propago
Lustra quaterna ætas, mors violenta fuit.
Stirps mea degenerem non me tulit, alta parabam
Edere, & in medio, Parca recidit opus.
Mandavi extrema in tumulo mea Carmina figi
Parva mei hæc extent ut monumenta, Vale.

Orationem quoquè elegantissimam edidit, ac lumina clausit circà annos 1580.

Plurima poetica scripta LUDOVICI II. AREOSTI rapuit temporis edacitas. Hæc perlegere impedimur, scimus tamen satis celebrem fuisse Poetam, ut habemus à Familiis Illustri- 44
bus, *Andreæ Borsetti* f. 24. & apud alios testimonium non deest.

LUDOVICUS BONACCIOLUS Medicus Egregius, de quo tu Excellentissime *Lanzone* tuis Iatrophysicis Ferr. tam politè loqueris. Sæpè Musas familiares habuit, & præcipuè calluit in Carminum improvisa textura, unde tantam meruit ab Estensibus Laudem, ob elevatum illud Distichon, in Jurgiis inter *Ferragutum*, & *Herculem* Principem *Estensem* compactum, quod est

Vicerat ille alios, hunc vincunt Herculis arma
Præmia victus habet, victor uterquè fuit.

Affertur hoc à *Cinthio Giraldo* in Libro *Discorso intorno à quello, che si conviene à Giovine Nobile, &c.* f. 64. Laurea condecoravit eundem *Cinthium*, & sexagenarius migravit ad Superos, veram Virtutis nobilitatem adeptus.

LUDOVICUS ANDREOLUS multa conscripsit ac edidit per impressiones publicas, variis functis dignitatibus, ut *Libanorius* ait t. 3. f. 198. Legitur Oratorium *Il Trionfo di Fede.*

LUDOVICUS CARBO de quo loquitur *Giraldus* suprà citato Opusculo f. 106. insignem gloriam suo tempore adeptum fuisse. Floruit enim *Leonello*, & *Borsio* Principibus *Ferrariæ*, eum protegentibus. Evulgavitquè Opera, & soluta, & ligata Oratione, quæ dispersa leguntur, florida tamen sunt, & tanta quæ si collecta fuissent maximæ molis volumen efformarent, ut *Libanorius* f. 190. asserit. Senex animam cælo reddidit circa annum 1460.

De LANFRANCO GYPSIO *Lugensi* qui extinctus fuit anno 1550. & de LUDOVICO PA-

PARISETTO *Regiensi* plura habere potes circa eorum Poeticam facundiam in *Giraldi* Opusculo toties adnotato. Ne mireris tamen Lector si sæpius hoc Auctore usus sum; scripsit enim iste de iis quorum fermè à nullo alio fit mentio.

MAURITII MORI leguntur *Epitalamium*, *Madrigalia* varia, & alia nonnulla in nuptiis *Federici Pici*.

Plurima extarent componimenta MICHAE-
45 LIS LAMBERTI, nisi temporis edacitas ea labefactasset. Hujus itaque Ferrariensis fructus parvi admodùm leguntur, si tamen aliqua Poetica cupis in toties memorato Opusculo *I. Bapt. Bonacossi* videre potes unà cum variis Carminibus eruditi viri NASCIMBENI de NASCIMBENIS valdè elegantia Poetica refertis.

E BECCARIORUM Familia plures exierunt Poetæ, quos antè encomio collaudavimus. In hac ortum habuit NICOLAUS egregius Poeta, à nemine Historicorum nostrorum recordatus, Medicinæ Professor fuit, & Poesis. Ità ait *Alexander Salicinus* in subjectis Poeticis f. 90.

Quanto vaglia ò Beccari ingegno, & arte, &c.

& alibi. *Come attende Falcon Anitra al varco, &c.*

Cui *Beccarius* respondet aliis carminibus, & quidem suavibus. Aliis quoquè plurimis in locis ejus Poetica monumenta perleguntur. Efflorebat circà annos 1550.

NICOLAUM CONTHUGUM Poetam, omni Poesis genere instructum laudat *Superbus* f. 117.

Oratorem celeberrimum, atquè excellentem Poetam, NICOLAM PANICIATUM *Libanorius* t. 3. f. 214. præconizat, cujus meminit etiam *Lilius* in supra effatis Dialogis. Ego quoque ejus varia Poetica manuscripta possideo.

NICOLAI BENDEDEI carmina ipse *Giraldus* fatetur maxima attentione perlegisse, eò quia suavi dulcedine essent condita.

ODI de CANALIUM Nobili Stirpe, Poetica scripta tempus consumpsisse refert *Libanor.* t. 3. f. 215. quæ, ut ipse ait, plurima erant, & pulcherrima.

OCTAVIUS MAGNANINUS Philosophiæ Doctor, ac scientia, morumquè suavitate celebris. Eruditioni sacro-profanæ incubuit, ediditquè varios hujus scientiæ fructus. Diù nostræ Academiæ Intrepidorum sedit à Secretis, & varia variis in locis diffusa Poetico stylo evulgavit. Tu quoquè Doctissime *Lanzone*, ejus
46 Postillas, ac quidem acutissimas habes *Torquati* majoris Poemati annexas, quæ ejus Poëticam artem latissimè ostendunt. Mortalitatem explevit dùm hujus nostræ Communitatis à Secretis præsideret vertente anno 1652. die 18. Februarii.

OLYMPIA MORATA Puella supra sexum ingeniosa, latinis, & græcis litteris erudita, nupta fuit *Grunthero*, & improvisatrix subtilissima fuit, varia Poeticè scripsit, quæ manuscripta deperduntur, ejus tamen memoriam habemus in *Giraldo* f. 106. ac in Epistolis *Gasparis Sardi* f. 52.

ORPHEI MAGNI Poetæ non vulgaris venæ librum carminum M. S. perlegi cui titulus est, *Carminum rudiores Primitiæ*. In hoc elucet *Homeri* Odyssæ liber primus Exametro carmine reformatus, ac etiam leguntur argumenta eodem carmine efformata in libros omnes Metamorph. *Ovid.* una cum variis Eclogis, Epigram. Servatur in Museo Reverendiss. D. Can. *Julii Cæsaris Grazini*. Domini ac Amici mei peculiaris.

PAULLUM CASTELLUM excellentem Poetam laudat Eq. *Maresta*, ac Duci *Borsio* carissimum, Theat. Geneal. t. 3. fol. 82.

PARACINUM VISDOMINUM lepidis ac mellifluis carminibus audivit Academia nostra quæ carmina manuscripta leguntur jucundissimo sale conspersa.

PEREGRINUS MORETTUS Ferrariensis Heroico carmine Genetliacon D. N. Jesu Christi dulcissimè exposuit 1572.

PAULLI DE COSTABILIBUS, Nobilis Patricii leguntur plurima typis data opera in fronte quorundam librorum; ut doctè notat *Libanorius* t. 3. f. 222.

PROSPERI PASETTI, quem gravem, ac prudentem *Giraldus* appellat, ac etiam PEREGRINI BARBERII leguntur Carmina in fronte Opusculi *Jo. Baptistæ Bonacossi*, de Laudib. Herc. Estensis.

PAULLI de antiqua, ac illustri CONTHUGORUM Familia, Musis carus, facundiam, ac dulcedinem suam expressit versibus, quorum aliqui Italico metro insunt in fronte cujusdam dialogi de Terræmotu per *Hieronymum Sorbolum* editi.

PEREGRINUS RICCARDUS Cathedra- 47
dralis nostræ Canonicus exemplarissimus, qui diù Decani honore functus. Multa inseruit carmina in quibusdam octavis ab *Hieronymo Gariophilo* editis anno 1588. in cujusdam Dianæ laudem.

PETRUS ANTONIUS ACTIOLUS Jacobi Pater, Poeticis sæpe incubuit laboribus, ut refert *Lilius* f. 54.

SIGISMUNDUS FANTUS, Astrologicum edidit volumen inscriptum *Trionfo di Fortuna*; in quo plurima Italica carmina apparent, Astrologiam explicantia. Hujus viri meminit *Libanorius* f. 172.

Reverendus SANCTES PASTIUS in Collectaneis variis carminibus ab eo efformatis, propria etiam inseruit, una cum RENATI CATI *Lud.* filii in carminibus mollis, & suavis carminum Farragine. Ibidem etiam legere potes alios versus SILVII DE GOZIS in quibus Poetica amœnitas mirificè elucet.

Priusquam à *Pastii* Collecta oculos divertas lege, & perlege opuscula parva sed nitentia SCIPIONIS BONACOSSÆ *Jo: Bapt.* filii, & verum Poesis lumen miraberis. Hujus familiæ Heroum mentionem faciunt *Maresta* in Theat. Gen. fol. 209. *Libanorius*, ac *Superbus* variis in locis, ac novissimè celeberrimus, ac doctissimus Eques *Prosper Mandosius* Nobilis Romanus, quem propter elegantiam Doctrinæ, summamque Fidem, ac integritatem meritò, præstantissimum colo, in ejus Theatro eruditissimo Medicorum Pontif. ubi de JACOBO BONACOSSA elegantissimè loquitur f. 102. Obiit *Scipio* anno sal. 1599.

SIGISMUNDUS NIGRISOLUS Cathedralis nostræ Præpositus, ac *Hieronymi* Archiatri accuratissimi, & Poesis non parùm amantis filius, nuperquè nostræ Academiæ à Secretis, olim carmina audiebamus, Academicis in pernoctationibus, quæ ob ejus occasum anno 1696. à *Francisco Maria* Fratre non degeneri servantur.

Si in unum redacta fuissent carmina THIMO
TEI BENDEDEI, maximæ molis volumen ef- 48
formarent, ut notat *Libanorius* t. 3. f. 237. *Superbus* f. 102. & *Giraldus* f. 32. qui eum Philomusi cognomine appellat, Nobilis fuit Poeta ac suavis. Si de eo plura velitis cognoscere, legite *Titi Strozzæ* de ejus vita, & moribus, ut benè longum sermonem ità pulcherrimum. Hunc quoquè virum laudat *Ludovicus* noster in Furente cantu 32.

„ *E Thimotheo, l' honor de Bendedei*
„ *Ambi faran da l' una, el' altra riva*
„ *Fermar al suon de lor soavi plettri*
„ *Il fiume ove sudar gli antichi clettri.*

Vivebat circà annos 1507.

THOMAM DE VECCHIS Poetam fuisse scio, ac apparet in ejus diffusis operibus, insertis in Collecta supranotati de *Pastis*.

THOMAS MELENCHINUS Apollini Astream conjunxit, legalem componens librum de Contractibus exametro versu contextum, ac pentametro, qui cum commentariis cujusdam *Cæsenatis* typis legitur, referente *Libanorio*.

VIRGINIUS AREOSTUS tantæ familiæ sequellam duxit, & leguntur ejus Sonuli in Operibus *Salicini*.

VINCENTIUS RONDINELLUS *Lugensis*, quantæ mentis esset, videre est in ejus operibus quæ sunt *Epitalamium*, & varia carmina Italica in Nuptiis *Marci Pii* anno 1587. & alibi alia.

De *Barbara Caballetta* jam diximus, nunc ad URSINAM sivè URSULINAM ejus Matrem transeamus. Mirificè hæc in carminibus pangendis claruit, & ejus varia leguntur in Collecta pro Nuptiis *Marci Pii*, in quibus ejus stylì

A li specimen elucescit. Huic Poëtridi dialogum suum de Poesi Etrusca, consecravit *Torquatus Tassus*, ipsaquè subtilissimè opposuit, ac arguit contra unam ex Amatoriis centum quinquaginta conclusionibus, à *Torquato* publica in Academia propugnatis, ac defensis, quæ ni fallor, ut ex veteri memoria habeo, fuit 21. Hoc etiam notat *Bonarellus* in Conclusionibus, de officio nuptæ feminæ: Adiit postmodum meliores sedes 49
anno 1592. die 3. Mensis Junii ejusquè cineres in Divo Soc. Jesu Templo reconduntur.

B Sed jam hujus secundæ Classis metam attingo, certior factus plures, & quàm plurimos reticuisse quorum nulla mihi (post longam investigationem) notitia pervenit, nullaquè ejus scripta perlegi, nec perlecta fuisse intellexi. Ut tamen nemo Poetarum nostrorum proprio defraudaretur encomio pro certo habeas sedulò antiquas me evolvisse Paginas, ac omnia ea opuscula, quæ ferè nullius momenti existimantur perscrutasse. Præcipuè tamen *Lilium Greg. Giraldum. P. Antonium Libanorium*, ac *P. Augustinum Superbum*, omnesque alios hujus nostræ Urbis Historicos diligenti oculo examinavi, ne absque ali-
C cujus Scriptoris protectione infructuosè loquerer.

CLASSIS SECUNDÆ FINIS.

50 # *CLASSIS TERTIA*
POETARUM VIVENTIUM.

AD PRÆCLARISSIMUM VIRUM, DOMINUM
JULIUM CÆSAREM GRAZINUM
Juris Utriusque Doctorem eximium, ac Ferrariensis Ecclesiæ Canonicum meritissimum, nec non Intrepidorum Academiæ à secretis accuratissimum.



D Vos nunc, ò suavissimi contemporanei Ferrarienses nostri revertor, ad vos inquam, qui majorum vestrorum passibus inhærentes, gloriam, jam per illos consequutam adipiscimini, studentes non Avorum frondibus, sed vestri laboris sudore comas vestras perpetuo decore honorare.

„ *Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi*
„ *Vix ea nostra voco......*

stultum enim est antiqua vigilantia, & splendore hodierni otii rubiginem illustrare. Vos omnes hic enucleare aggredior, qui poeticæ amœnitatis oblectamini studio, laudes vestras voluntariò retinens, ne vestri cordis inviolata modestia garritu meo perturbetur.

51 Primò exeat gloriosum CO. ANTONII ESTENSIS MUSTII Nomen, & huic tertiæ Classi initium felix auguret. Eques enim iste non tantùm consilio, & armis, quàm litteris præstans, se amantem Poesis demonstrat in dies, ejusquè nobilissimi ingenii partus quotidiè leguntur. In Florentina *Furfurariorum* Academia locum habet, & quidem dignissimum, hujus quoquè nostræ Intrepidorum Academiæ Principatum obtinuit, cujus favore Musarum sæcula floruere. Ejus poeticis operibus quotidiè nascentibus, & jam diffusè publicatis, lucem adire fortasse dabitur aliquandò.

Vos qui Marchionis ALOYSII BENTIVOLI in nostro Musarum lyceo suavissima carmina

D audistis, hìc mihi, ejus encomio verba suppeditate. Princeps olim nostræ Academiæ dum esset, varia elucubravit carmina Italica, quæ juxta authoris Nobilitatem, enitebant, nec quisquam me mendacii labe inculpare poterit, qui ejus poetica fragmenta perlegerit.

Marchionis ANTONII TROTTI Cathed. Nostræ Archidiaconi, ac Ecclesiasticæ modestiæ Viri, suavis Musa honestos contenta gradus seriò canit, & non nisi laudabilia conscribit. Edidit nuper oratorium cujus titulus est. *Mosè risorto dall' Acque*, & alia quoque quæ diffusè perleguntur; cum in Principem habuit nostra
E Academia, cujus regimine laudem consecutus est maximam.

AUGUSTINI PANIZZÆ lyram inter suaviores connumero, harmonico enim carminum sono quæcumquè pectora mulcet, magisquè mulcebit, quando nascentibus quotidiè versibus, communis desiderii anxietatem implebit. Interim tamen legimus Oratorium hoc *Christo condannato alla morte dalla Giustizia, e dall' Amore*, & alia quæ tanti Viri nomen immortale reddent.

ANTONIUS FRANCISCUS RIGHETTUS J. V. D. Juventutis ardorem sæpe in A-
F cademiis poetica laude expressit, nunc autem seriis Astreæ disciplinis intentus per aliam viam gloriæ fastigium conscendit.

P. AMBROSIUS AMBROSINUS Cl. Reg. 52
Th. Vir sanè vivacis spiritus, non inæquali ordine orator gravis quàm Poeta artificiosus ostenditur. Nunc tamen sacris innixus studiis, ætati, ac Religioni convenientibus per alios gradus ad glo-

riam sibi viam patefacit. Legendos tamen præstitit, Juveniles lusus, & sunt hæc Oratoria *Il Giona*, & *la Pietà trionfante*,

Rei domesticæ studium ab aliis plerumquè liberalibus, ac eruditis laboribus infortunatissimè divertit. Stylus Poeticus AUGUSTINI DONATI decursis annis Parnassum ditavit variis operibus Italicis, quæ sunt *Amore piaga ogni core Dramma*, *Trionfo della Fede*, & alia. Nunc tamen stylum vertit, & nos ejus harmonico cantu tristissimè privat.

BORSUS BONACOSSA Comes, virtutis, generisquè splendore Eques præclarissimus, Poeticè lusit publicando *L' Alarico. Gli Amori alla moda. L' Aladario. Tributi dell' Eridano &c.* ex quibus mentis ejus harmonica coordinatio dignosci potest, cujus lumine illustratur nostra Academia. Hic ab Illustrissimo *Pinamonte* natus est, scilicèt ab equestrium ludorum decore, & Theatrorum splendore, cujus mente diriguntur nobilissimè.

Elevatissima laude dignum hìc scribo Marchionem CORNELIUM BENTIVOLUM Intrepidorum Academiæ Columen, ac nunc Principem, cujus Musa suavissimis lactata liquoribus, quotidiè mirificè floret. Præter totiès in nostra Acad. & alibi perlecta carmina, ac præter Oratorium: *La Vita Trionfante della morte*, alia diffusè edidit, quorum Nobilitas, & Excellentia honorificè elucet.

Bononiæ, ac *Ferrariæ* Prognationem, ac quidem Nobilem tenet Comes CORNELIUS DE PEPOLIS ideoque prò Urbis meæ parte, eum, in nostrorum Poetarum numero adscribam, varia enim ejus Poetica Opuscula apparent, pluresquè Italiæ Academiæ, ejus elucubrationibus congressus suos condiunt, & condecorant.

Si quis in Poeticis studiis CAJETANUM VISDOMINUM maximè profectum non fuisse
53 assereret, reus mendacii indigitari posset. Adhuc enim, dum paucis oneraretur lustris, Dramma unum, & quidem lepidum edidit inscriptum *Gli due Diogeni*, & quotidiè ejus seria ac ludicra perleguntur Opuscula.

FRANCISCUS SACRATUS Marchio, Musarum secutus harmonicas semitas, præter alia vario, ac ejus Adolescentiæ tempore publicata, nuper editum legendum præstitit *Oratorium* in Divæ Fælicitæ laudem. Pluries Principatus Intrepidorum sedem occupavit, & quidem meritò. Majora tamen expectamus dummodò longi Ævi plenitudine consoletur.

FRANCISCUS ROSSETTUS Marchio, in prudentia maximus, ac in Regiminibus laudabilis Parnassi Vias quandoquè pressit, non sine maximæ suavitatis pretio. Ejus varia Drammata leguntur scilicet *Il Nino*, *la Zuaglia*, *&c.* in cujus encomium liceat hìc mihi rescribere quòd de eo dignissimè refert Italice P. *Fulvius Frugonus* in libro Fastorum D. Francisci de Paula f. 183. *Francesco Marchese Rossetti fiore de Cavalieri, & honor delle Muse fiorite delle quali é la pecchia soave, &c.*

Philosophiæ, ac Med. Doctor, ac Lector in Patria universitate Primarius FRANCISCUS MARIA NIGRISOLIUS insequitur cujus Poetica opera in Nostra Academia sæpe audita fuere maxima cum Autoris laude. Rei tamen Medicæ, & Philosophicæ nunc per maximè incumbit, ac nomen suum excellenter illustrat ut perennitèr vivat.

FRANCISCI SALMII Ph. & Med. D. non exiguæ eruditionis viri nomen speciosum hìc insero, Poetamquè eum voco maximè latinis carminibus excellentem, in quibus ejus candidissimi animi suavitas elucet. Legere potes hujus

A viri plura, sed præcipuè *Elegiam* prænobilem, qua *Josephum Renatum* Imperialem S. R. E. Card. in Reditu ad *Ferrariensium* legationem, bellè, & doctè salutat. Plura meditatur quæ in ejus felicissimæ memoriæ scrinio reconduntur.

FRANCISCUS quoque FARRUS J. V. 54
D. non insuavis, immò jucundissimus in carminum textura, sæpè sè Poetam demonstrat in litteratorum congressibus.

Silentio indignum reor, nomen celebris Viri GIBERTI FERRI Ph. & Med. D. qui florente ætate Musarum studiis oblectatus est; Varia edidit, sed non in unum collecta, inter quæ
B elucet *Cæcinati Oratorium*, Juxta poeticum metrum exaratum.

JOSEPHI VARANI DE CAMERINO, consilio, prudentia, & scientia celeberrimi genium, novit jam Serenissimi *Mantuæ* Ducis Aula, in qua ejus Musæ fructus publicavit volumine collectos ac inscriptos *Divertimenti Poetici*, quæ omnia cum tantum Virum maximè in Poesi possè demonstrent, latum mihi præbent aditum, ut eorum autorem dignissimé hìc inseram,

JOSEPHUM ESTENSEM TASSONUM Marchionem sæpè audivimus, ac vidimus Musis familiarem, dum nostræ Acad. Principatum possidebat. Nunc tamen politicis intentus regimi-
C nibus Regii Gubernator præsidet.

JOSEPHUS LANZONUS Phil., & Med. D. Amicus præcipuus, ac dominus meus semper colendus, quem Sacrarum Profanarumque Eruditionum doctrina adeò exornat, ut vel longinquis Regionibus clarescat. Per edita Medica, & erudita volumina in Curiosorum *Germaniæ* celebri Academia locum, & quidem meritissimum obtinet, ut sileam alios *Italiæ* litteratorum cætus quorum consortio aggregatur, sæpè etiam ingenii sui vivacitate Poeticis laboribus insudavit undè sæpè audivimus, ac legimus ejus scripta
D Poetica quorum varia lucem per impressionem obtinent, sunt *La passione di Christo Oratorio* præter alia diffusa, ac per litteratorum manus evolantia.

JULIUM CÆSAREM GRAZINUM J. V. D. Canonicum, ac nostræ Academiæ a secretis, Musarum Alumnum testantur vasti ejus ingenii opera quorum aliqua sunt hæc. *Il Ratto d' Europa. La Gineura infanta di Scozia. Trionfo di Venere in Ida. Tributi di Parnaso per la Festa di S. Maurelio. S. Giorgio Tragedia Spirituale*, & *S. Maurelio Oratorio*, *S. Contardo*, *La* 55
Fede consolata, penèque infinita alia, & quidem
E selectioris Venæ, & quæ si in unum colligi sortem obtinerent, maximum, & quidem æstimabile volumen efformarent, adeò enim in Poetica facultate proficiscitur, ut evolare, non percurrere quodammodò dici possit, & coætaneorum animos attrahat ad gloriæ fastigium quod possidet.

JOSEPHUS CONTRIUS J. V. D. Poesis non parùm amans plurima evulgavit. Hoc unum Dramma tamen ipse periegi quod est *Agrippina in Baja*.

JACOBUS MINIUS J. V. D. ac Advocatus, sæpe Musam, dum primis frueretur an-
F nis in Academiam nostram introduxit, ac suaviter cecinit.

Studiosissimi adolescentis, ac non exiguæ expectationis, JOSEPHI CHITO, unanimis consodalis, ac amici mei candidissimi, nomen non in laudatum transeundum reputo, cum iste tenera usquè ab ætate carminum suavitate raperetur Poeticis studiis adeò se tradidit, ut nunc inter suaves Poesis amantes connumeretur. Utinam tamen viam quam percurrit prosequi statuat.

LIBORII BRIXIANI, Phil. & Med. Doctoris

ctoris vivacissima aliquando carmina in nostra Academia auscultavimus, a quibus non exiguam laudem pertraxit. A

LEOPOLDI ANTONINI *Somaschæ* Cong. Cl. nomen ne sileam hìc adscribam. Dum adhuc sæcularibus indueretur vestibus Poeticè lusit, ac edidit *L' Immortalita trionfante Oratorio*: nunc tamen Oratoriis elucubrationibus immixtus inter ejus Congregationis Sapientiores elucet, & aliquando lyram jucundissimè suscipit.

MARIUS CALCAGNINUS Marchio sæpe sæpius Musarum suavitatem versibus imitatur ac dulcissimo plectro se Poesis amantissimum patefacit; quoties enim ejus leguntur Italica carmina, toties ejus admiratur animi Nobilitas. B

Nobis sæpè datum fuit in Academia nostra
56 Nobilissimæ Musæ versus audire, ac mirari, fuit hæc MATILDES BENTIVOLA Marchionissa CALCAGNINA, quæ sanguinis splendori lumen litterarum adjunxit. Leguntur ejus varia stromata manuscripta, dulcissima jucunditate conspersa, quæ ejus animi innatam vivacitatem demonstrant.

MARCUM ANTONIUM ORLANDINUM Poesis oblectantem demonstrant ejus varia sæpius publicata carmina italica. Vivat interim, & famam suam novis etiam elucubrationibus adaugeat. C

Primis adolescentiæ temporibus, Poeticis ac Oratoriis incumbens Studiis MARCUS ANTONIUS FREGULEUS I. V. D. & Advocatus, non exiguam sui spem disseminabat, nunc tamen Astreæ Studio raptus, sibi maximam ad nominis Famam æternam viam patefecit. Lyram suam tamen tradidit OCTAVIO Soc. Jesu ejus Fratri qui eam dulcissimè pertractat, ac animos specioso carmine exhilarat.

OCTAVIUS CAPELLUS Phil. & Med. Doctor. quoties Poesim scriptis illustrat, toties splendidissimas effundit gemmas. Legimus interim varia, inter quæ elucet *La Penna animata Ode*. præter alia hinc indè diffusa, ac publicata. D

PHILIPPUS MARCHIO ROSSETTUS *Francisci* Filius aliquando cum Musis colloquia suavissima ducit, ac italico metro carmina texit, quæ sæpè in Academicis cætibus audimus.

PETRUS LEO MARCHIONUS I. V. D. & Advocatus insignis. Plura Poeticè ederet, quæ in ejus adolescentiæ flore elaboravit: Legum tamen dissensionibus intentus, sibi maximam ad æternæ Famæ monumentum comparandum viam patefacit.

Talem etiam sibi aditum ad immortalitatem aperit Comes RAYNALDUS CATTUS, qui Poeticè sæpe ludit ac variis Drammatibus insudat, & ni fallor *Buridicem* annis elapsis evulgavit.

SCIPIO SACRATUS, *Francisci* March. Filius, Poetica arte excellens, sæpè ejus dulcedinem impertitus est, dum nostræ Academiæ Principatum occupabat, eumquè prosequturum speramus ut ejus Genitoris semitas elegantissimè percurrat. Vivat interim, & ejus Venæ dulcedinem adaugeat Apollo. 57

Plures alios quoquè, qui Poesis Studio oblectantur hic inserere deberem, at cum adhuc tenues de iis extent labores, eorumquè nomen raro inter Poetarum cætus illustretur, ac agnoscatur, eos inobservato ordine suppeditabo. Plura enim perscriberem si de JOANNIS ANTONII FILONI Med. D. & JOANNIS BAPTISTÆ BORTOLINI, ANTONII, ac FRANCISCI Fratris RECALCHI laudibus dicere vellem; plurima, si de BELISARIO VALERIANO I. U. D. JOANNE BAPTISTA RUPERELLA, ac de HIERONYMO RAVALLO. differere vellem, ac maxima hìc adnotarem si CÆSARIS CHICOLI Nostræ Cathed. Eccl. Canonici, ac Rev. IOSEPHI BALEONII, nec non VINCENTII Comitis BONDENI, unà cum PETRI BELLENTANI, IO. BAPTISTÆ VERTUA Or. Car. speciosissimis nominibus hoc opus illustrarem; Nihil præfuturis Scriptoribus relinquere pertimerem; Satis tamen habeant, me eorum nomina minima laude exornasse, ad enim majora exprimenda encomia insufficientem me reputo. Labes tamen omnis qua denigrantur, tot Viri est, HIERONYMUM BARUFFALDUM, hujus Opusculi auctorem hic enumerari; tè tamen admoneo Lector amicè, me de longe Musarum salutare limina, ac gravi inertiquè passu ad viam *Pindi* perduci. De me quo male dixeris optimè dixeris si mea quæris plura sunt, sed incompta. Habebis varia diffusa typis, ni meam de Divo Baptista Coronam, ac de eodem Sancto Pastoralem cantum perlegere concedatur Hæc sunt quæ de Poetis collegi. Tu itaquè Lector, amici partibus utere, nec prò aliqua hujus Opusculi incuria totum hoc qualecunque sit Opusculum audeas labefactare.

F I N I S.



J O-

JOSEPHI LANZONI,

Medici Ferrariensis, & Academiæ Curiosorum Germaniæ, Recuperatorum Patavii, Incitatorum Faventiæ, &c. Collegæ,

DE

IATRO-PHYSICIS FERRARIENSIBUS DISSERTATIO,

Qui Medicinam Scriptis suis exornaverunt.

---

3 ILLUSTRISSIMO VIRO
VIRTUTE, DOCTRINA, ET GLORIA
CELEBERRIMO
D. PAULO MARIÆ TERZAGO
PHILOSOPHO, ET MEDICO INSIGNI,
PRACTICO MEDIOLANENSI PRÆSTANTISSIMO
BREVEM HANC
DE FERRARIENSIBUS MEDICIS SCRIPTORIBUS
DISSERTATIUNCULAM
HUMILITER, ET AMICE
DEDICAT
AUTHOR.

5 F*errariam* Celeberrimam Urbem, meam dilectissimam Patriam ad *Eridani* ripas positam, amœnissimam Doctorum matrem, generosorum Equitum Genitricem quis non veneratur? huic non desunt ea, quæ humanis usibus, & commodis necessaria sunt, nec non Clariss. Familiæ, quæ opibus, potentiàque valent, ut Verbis utar *Leandri, & P. Bertelli in theatr. Urb.* ne quis forte dicat, laudem in ore proprio sordescere; hæc non tantum armatam, sed togatam dilexit *Palladem*, & semper Apollinis, ac Martis amica fuit, istaque numina æterno fœdere simul desponsata continuò enutrivit in sinu; & hinc est, quod *Lud. Leporeus* cecinit de Ferraria

Io Genetrice son, Fenice vera
Di Febei figli miei d' Aonia schiera,
E splendo in Armi, e vivo in carmi chiara
D' Antichità, di Nobiltà Ferrara.

Quod nuper etiam confirmavit Illustrissimus Eques *Sinibaldus* in Elogio de *Ferraria* mihi per humanissimas suas litteras misso.

Ingenia huic Pallas, Vates das Phœbe, Salubrem
6 *Excipe Junonem, Numina cuncta favent.*

In hac enim floruerunt jam, & nunc florent insignes omnium disciplinarum cultores; hinc *Logicam* illustrarunt *Brasavola, Barotius*, aliique; *Philosophiam*, Calcagninus, Landrinus, Brusantinus, ac Gianinus; *Astrologiam* Peregrinus,

A Priscianus; *Historiam* Sardius, Pigna, Panetius, Falettus, & Philippus Redi; *Poesim* Cornazanus, Areostus, Giraldus, Guarinus, & Beccarus; *Humanitatem* Lancilotus, Rosinius, Blanchinus, & Carbonus; *Legem* Canalius, Nigrius, Riminaldus, Superbus, Bertazzolus, Contrius, & Passarellus; *Theologiam* Veratus, Righinus, Visdominus, Martinus, Isnardus, & Braccaldus; sed præ ceteris semper effulsere, ut & nunc maxime effulgent Medici, qui semper suprà cæteros *Italiæ* Physicos, se extollerunt ad plausus, & emicaverunt in Medicinæ cœlo.

. . . . . . velut inter ignes
Luna minores.

B Ut autem hoc gratis non videatur assertum, & ne aliquis forte putet figmentum esse, quod dixi, liceat mihi per breve temporis spatium Patriæ meæ aperire Sepulcra, antiquas evolvere paginas, & sepultum cum corpore nomen Medicorum nostrorum ad auras revocare, ut lecta, & tacta veritate, confundantur invidi Detractores, & convincantur increduli, qui, & voce, & calamo pluries, me audiente, & legente famam illustrium meorum concivium Iatro-physicorum
C obtenebrare coacti sunt; at ne tempus, & paginam in vanum disperdere videar, exsurgat primus è tumulo celeberrimus ANTON. 7
MUSA BRASAVOLA, & per me aperte loquatur; hic ortus civis è Nobili *Brasavolorum* familia, de qua vid. *Superb. Marest. & Libanor.* Iatro-physicus illustris fuit, vixitque ann. 90., multosque libros

bros conscripsit; qui sunt. *Examen simplicium Medicamentorum. Commentaria in aphorism. Hippocratis. Dialogus, quod mors nemini placeat. Muricis Encomium. De Cœna, ac Prandio. De Temperie Aëris Ferrariensis. De laudibus Dialecticæ; De Ordine librorum Logicæ. De Utilitate, & Necessitate Logicæ. Commentaria in Paulum Venetum. Commentaria in Prædicamenta Aristotelis. Commentaria in librum de Interpretatione; In Posteriora Analytica; in Boetii libellum de Divisionibus; in librum Averois de Substantia orbis; In libros Physicorum Aristotelis; In libros de Anima; Commentaria in Prognostica; In libros de ratione victus in morbis acutis; In libros Epidemiorum; De Simplicibus Medicamentis. De Syrupis. De Pilulis. De Medicamentis catharticis. De Electuariis non solventibus. De Pulveribus. De Oleis. De Unguentis. De Emplastris. De Aquis. De Infusionibus. De Decoctionibus. Index in Galeni opera. Examen omnium electuar. pilul. pulver. & Confect. catharticorum. Examen omnium Trochiscorum, Unguentorum, Emplastrorum Colyriorum, &c. Examen omnium Looch, oleorum, Aquarum, &c.* Scripsit etiam hic Autor italico sermone *Vitam Jesu Christi* in quà paraphrasticè quatuor Evangelistas interpretatur. Hunc sequuntur ANTONIUS, ac duo HIERONYMI ejusdem
8 familiæ, primus vixit ann. 69. scripsitque librum, cui titulus. *De immensis Dei erga genus humanum beneficiis*; HIERONYMUS primus frater fuit *Antonii*, ut notat *Libanor.* & publicavit Libros, *De Officiis Medici, & Commentaria in primum Aphorismorum.* Alter verò HIERONYMUS BRASAVOLA, nunc etiam vivit, Praximque medicam *Romæ* feliciter exercet, multas scripsit Academicas medicas dissertationes, ac Problemata, eaque typis dedit, inter quæ præcipue eminet *Problema, an Clysteres nutriant?* affirmative resolutum, & mihi jam per litteras humanissimè communicatum.

Post *Brasavolas*, ANDREAS, ac IPPOLYTUS BOSCHI veniunt. Primus scripsit opus italicum cui titulus est. *Prattica utile di Medicina*; Alter *De Vulneribus capitis. De Sclopetorum vulneribus. Observationes de facultate Anatomica*, & italicè typis dedit *Diarium De Peste.*

Boschis succedit MICHAEL SAVONAROLA, qui sequentia publicavit scripta. *Introductio in Medicinam practicam. De Balneis Italiæ; De arte conficiendi Aquam vitæ. De viribus aquæ ardentis. Catalogus continens tam simplicium, quam compositorum medicaminum nomenclaturas, & usum. Practica Medica. Canonica de Febribus. Summa de Pulsibus. De Urinis. De Egestionibus. De Vermibus, &c.*

Hinc duo CANANI Medici Ferrarienses, qui sua scripta reliquere, fuerunt; Primus est ANTONIUS MARIA, qui composuit, ac publici juris fecit *Commentaria in lib. Artis Medic. Galeni*; & *Commentaria in Aphorism. Hippocratis.*

Secundus est JO: BAPTISTA, cujus elogium confecit *Amatus*, dum scripsit, *Jo: Bapt. Cana-*
9 *nus in dissecandis Corporibus fuit alter Vesalius.* Hic typis dedit. *Dissectionem picturatam corporis humani.*

JO: BAPTISTA MINADOUS Ferrariensis, ut notat *Libanor.* scripsit *De Abusu missionis Sanguinis in maligna febri, etiam apparentibus periculis.*

Multa scripsit ANTONIUS MARIA PAROLINUS, unum verò tantum opus vulgatum est, quod fuit. *Tractatus de Peste* Italice conscriptum.

ANTONIUS PICIOLUS typis dedit librum. *De Manus Inspectione.* ARCHANGE-

A LUS PICOLOMINUS scripsit *Anatomiam*, ac *Commentaria in libros Galeni de humoribus.* BONUS LOMBARDUS composuit, & publicavit *Introductionem in Artem chimicam*; & librum de *Lapide Philosophorum.* HERCULES BONACOSSIUS Comes sequentia publicavit opera Medica, *De humoribus, & signis eorum. De Catharro. De Dysenteria. De Theriaca &c.*

GALEATIUS LANDRINUS multa edidit opera scilicet *Disputationes Philosophicas. De mixtione Aquæ & Vini.* immò italico sermone publicavit tractat. *De Nobilitate. De Cœlestibus influentiis, ac de Opinione.* JO: BASCARINUS tria
B typis tradidit opera: *Disputationum Medicinalium Canones duodecim; Piæ stirpis Procerum Elogia Historica*, ac italicè *Discursum de Cometa barbata, &c.* JO: BAPTISTÆ PANCIÆ extant apud Medicos *Tractatus contrà Detractores*, & *Liber de Pestilentia.*

HIERONYMI BOVII jam ab omnibus leguntur *Orationes Variæ*: itteque fuit vir ille, qui diligenter collegit, ac typis dedit *Commentaria Antonii Montecatini in 3. de Anima.*

JULIUS RECALCHUS scripsit sequentes 10
libros videlicet. *De Similarium corporum Natura*, quem Intrepidorum nostræ Academiæ dedicavit,
C publicavit, & lib. *De Febre; De Lue Sarmatica, nonnullasque quoque edidit Apologias, & Istorias.*

HIPPOLITUS OBIZZIUS reliquit libros sequentes. *Statica Medicinæ demolitio; Et Dialogus de Medici Nobilitate.*

LUDOVICUS BONACIOLUS ad publicum usum publicavit lib. *De effectibus variis circà gravidas Fœminas.* De Conceptu scilicet, Uteri gestatione, Abortu, Puerperio, & Nutricum, ac infantum cura, insuper scripsit *Annotationes in lib. Galeni de medendi Methodo.* Et *Ænneam Muliebrem.* LUDOVICUS ANGUILLARA typis dedit
D *Tractatum de simplicibus medicamentis*; immò ait *Abb. Libanor. in sua Ferrar. aurea.* hunc Virum alia confecisse opera, quæ tamen ad nostras non pervenerunt manus. MAGRUS MAGRI edidit librum suum botanicum *de Plantis.* HIERONYMUS BIANCHINUS Physicus Ferrar. monente *P. Superbo*, publicavit *Tabulas Astronomicas, & Problemata Geometrica.* MARCUS ANT. FLORIUS *Tractatum de Peste* scripsit, ac per typum mandavit ad nos.

HORATIUS de ZIRONDIS legenda præstitit sequentia sua opera *Considerationes Medicinales, & Commentaria super Averoem.* Ex Bo-
E norum Familia duo floruere Medici, primus est PETRUS ANTONIUS, qui scripsit *Rationes prò Alchimia, & contrà*; & apud hunc Doctorem opus Regis Evax extabat *De Virtutibus Gemmarum.* Secundus est JACOBUS ANTONIUS qui scripsit *Tractatum de Terræmotu.*

JO: MANARDUS millies impressas edidit 11
suas *Epistolas Medicinales; Censuras, & annotationes in Medicamenta simplicia, & composita Mesue; & Commentaria in Artis parvæ Galeni librum primum.* Hujus illustris Viri elogium meritò scripsit *Sardus*, cum *Superbo*, *Libanorio*, & aliis.

THOMAS GIANINUS sequentia scripsit,
F ac publici juris fecit opera, nempe *De Providentia ad Sententiam Platonis liber unus. De mentis humanæ statu post hominis Obitum. Disputatio Aristotelica. De lumine, & speciebus spiritualibus. De mente effectrice, & speciebus intelligibilibus. De Dæmonibus, & mentibus à materia separatis. Disputationes Aristotelicæ. De substantia Cœli, & Stellarum efficientia. Commentariorum, & Disputationum Aristotelicarum de his, quæ primum in Scientia de Natura considerantur lib. 7. De Ideis, de Fortuna, contingentia, Fato, Æternitate, ac*

Ævo tom. 1. De hoc Auctore plura vid. *Linden. Renovat. & Pinacotheca Vir. Illustr. Jani Nici Eritrei*, qui Auctor Vitam integram Clariss. istius nostri *Gianini* eruditè depingit, ad pag. 182.

MAURITIUS CALANIUS Ferrariensis fuit Physicus, qui scripsit, ac publicavit aureum librum *de Proprietatibus individualibus*.

Duo reperiuntur in nostris historiis, e NIGRISOLIORUM familia Medici, unus qui fuit SIGISMUNDUS, qui post se reliquit libros sequentes scilicet. *Decisiones Medicæ. De Curanda Cranii Fractura. De Concoctione humorum. De Somno in principio accessionum. De Mor-*
12 *bi comitialis causa. An fructus Febricitantibus sint exhibendi? De Venæ sectione in Febribus ardentissimis. De Phrenitide, &c.* Alter NIGRISOLIUS fuit HIERONYMUS, qui composuit, ac evulgavit illustria sua *Progymnasmata Medica.*

ÆNEAS CAPRILIUS Medicus Ferrar. fuit qui typis dedit librum æstimatissimum *de Febribus putridis in genere, & in specie.*

ALFONSUS BAROCIUS scripsit *Commentaria in libros Periarmeniarum; libros quinque de Febribus. De sanitate tuenda. Commentaria in Aphorism. Hippocr. Responsa Medica. Tabulas Astronomiæ. Commentaria in primum, & secundum librum Physicorum. De Morbis Mulierum. Artis Spargiricæ Encomium, ac Utilitates.*

RAYMUNDUS JO: FORTIS, qui licet origine *Veronensis* sit, tanti æstimavit tamen Ferrariense Nomen, ut tanto exoptavit insigniri honore, quocircà ipse posteà ad calcem Epistolæ dedicatoriæ sui primi tomi Consultationum, se civem Ferrariensem vocat; Hic duos *Libros Consultationum* scripsit, & *de Morbis Mulierum, ac de Febribus.*

JO: LIBIOLUS collegit, ac edidit *Lectiones de Febribus Alfonsi Barocii*, quibus addidit Epistolam Dedicatoriam ad Illustrissimos Almi Ferrarien. Gymnasii Moderatores, nec non Præfationem ad Medicinæ Studiosos.

Multi quoque fuere Medici nostri Ferrarienses, qui varia opera Medica typis dedere sine tamen eorum nomine, ut sunt. *Observationes ad Ancoram Sauciatorum* JO: CORNELII WEBER. *Argumenta, notæ, & observationes ad li-* 13
brum, cui Titulus est Febris china chinæ expugnata, aliaque plurima scripta non ignobilis Famæ per Medicorum manus continuò, utiliterque excurrentia, quæque cum sint immortalia, immortales reddunt Authores nostros Ferrarienses, juxtà illud Salustii. *Ingenii egregia facinora, uti Anima, immortalia sunt*; undè Propertius cecinit. lib. 3. eleg. 1.

At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet. Ingenio stat sine morte decus.

Inter ista vero Ferrariensis Medicinæ lumina, infimum tenet locum JOSEPH LANZONUS, qui non ut doceret, sed ut disceret, sequentia tenuissima scripsit opuscula, nempè *Additionem ad Olai Borichi. Dissertationem de Lapidum generatione in Macro-, & Microcosmo. Animadversiones Varias ad Medicinam, Anatomiam, & Chirurgiam maximè facientes. Scholia ad Observationes Medico-chirurgicas Enrici à Moinichen. Zoologiam Parvam, sive Tractatum de Animalibus ad Medicinam facientibus, &c. & Citrologiam Curiosam, &c.*

Et hæc sunt, *Lector Benevole*, quæ currenti calamo, ad Amicorum meorum instantiam, brevi trium dierum spatio de *Ferrariæ* Medicis Scriptoribus colligere potui ad præsentem Dissertatiunculam construendam, quam hilari fronte accipias velim, ac si quid inter scribendum, aut excudendum errati irrepserit, benignè corrigas; & noli exagitare, si inveneris quædam minus perfecta, minusque exculta, nam *non omnia possumus omnes*; sed instar Apum meliora elige; si enim in ista aliquid gratum, & acceptum tibi 14
fuisse videro, animum meum ad plura elaboranda excitabis; & si percepero, nullam te ex hac sensisse nauseam, aut fastidium, alia fortassis afferam palato tuo non ingrata; dabiturque forsan in dies occasio, ut meliora meditando, utiliora edere valeam, quod faxit *Deus*;

Interim hac brevi Dissertatione fausto sidere fruere, atque ubi erravi excusa, meque in tui beneficium omnia desiderantem ama. Vale.

INDEX
Poetarum & Medicorum in his Classibus contentorum.

FINIS.




CÆSARIS BRIXII
AD
CLEMENTEM VIII.
Pontificem Maximum,
URBIS CÆSENÆ DESCRIPTIO,
A
FRANCISCO MARIA FACCINO,
Cæsenate,
Nunc primum ex Italico in Latinum Sermonem versa,
ET
ELCHREI DINUNDÆ
Adnotationibus illustrata ac locupletata.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

TYPOGRAPHI PRÆFATIO
AD LECTOREM.



mpressionis labore hujus opusculi, a Cæsare Brixio *Italico idiomate conscripti, & typis* Ferrariensibus *impressi, sed nunc ex Italico in Latinum Sermonem opera & studio* Francisci Mariæ Faccini *versi,* B. L. *supersedissem, quia* Cæsenatem *historiam,* Scipioni Claramontio, *viro rebus Mathematicis celeberrimo, luculenter exaratam, typis de novo jampridem mandaram; nisi illustrissimus Comes* Hercules Franciscus Dandinus, *insignis rei literariæ Mæcenas, auctor hujus impressionis fuisset, & ex singulari erga patriam amore versionem hanc,* Elchrei Dinundæ *notis non minus doctissimis, quam utilissimis illustratam, perhumaniter mecum communicasset. Cui viro Generosissimo iterum hanc editionem nuncupo, quia eam a me repetere potest; nam ab eo accepi, cujus copiam aliis facio. Et auctoritati ejus eo magis obsequutus sum, quoniam in Adnotationibus istis monumenta quædam documentaque, ad statum Urbis* Cæsenæ *spectantia, ideoque scitu dignissima, quæ a supradicto* Claramontio, *forte librorum penuria silentio sunt præterita, producuntur. Nova quoque & multo illustriora* Dinundas, *quam* Claramontius, *profert. Insuper in ea Diarium eorum, quæ quotidie a* Cæsare Borgia, Valentino *Duce in Urbe* Cæsena, *peracta sunt, in qua toti* Flaminiæ *imperans sedem suam collocarat, exhibetur, in quo etiam via & ratio, quibus* Borgia *dominatum sit assecutus, & nonnulla alia de illo notatu dignissima, commemorantur, a scriptore ætate æquali. Ego autem ornatus gratia effigiem ipsius* Borgiæ *Diario isti adjunxi. Indicem quoque cum ex* Brixiana *Descriptione, tum ex* Dinundæ *Adnotationibus excerptum in fine adjeci. Cætera utendo videbis; interim conatibus nostris favere perge. Vale.*

AMPLISSIMIS
URBIS CÆSENÆ
SENATORIBUS
FRANCISCUS MARIA FACCINUS
S. P. D.



Uum ego animadverterem, Senatores Amplissimi, urbis *Cæsenæ* descriptionem olim à *Cæsare Brixio* italicè editam, raro occurrere; in ea vero strictim quidem, at luculenter explicari honorificentiora Urbis *Cæsenæ* ornamenta, ipsamque præterea a Scriptoribus etiam Transalpinis commemorari, jampridem cœpi mecum animo reputare, qua ratione hoc opusculum ab oblivionis tenebris, in quas pene mersum fuerat, vindicarem. Quamobrem quum ad aures meas pervenisset, italicarum Civitatum historias typis *Batavorum* mandari, eas vero solum, quæ Latine essent conscriptæ, illico adjeci animum, ut eandem Descriptionem ex italico in Latinum sermonem verterem, hocque pacto propagarem, præsertim quum accedant *Elchrei Dinundæ* adnotationes, quæ omnem Urbis *Cæsenæ* amplitudinem, ac decus ostendunt, ipsiusque egregiam in quoquo disciplinarum genere laudem. Atque ad hunc quidem laborem, qualis, qualis ille sit, aggrediendum impulit me studium illud, ac amor, quo erga patriam afficior, cui tot, tantaque a nobis deberi profitentur sapientissimi viri, ut eam parentum instar colendam existiment: in ipsa quippe omnia nobis suppeditantur, quæ ad educationem pertinent, ac civilem vitam bene recteque transigendam. Quum enim eos, quos veluti sinu suo Patria complectitur, simul etiam societatis vinculo nectat, atque conjungat, ex hac societate jus communis utilitatis, ac mutua omnium inter se studia proficiscuntur: itaque quum hoc jure erga patriam me quoque obstringi viderem, majora vero capessere per adolescentiæ ætatem non liceat, exiguum hoc onus imponere mihi operæ pretium existimavi: Id enim non modo ætatem meam non dedecere sum arbitratus; verum etiam patriæ animadverti esse oppido quam utilissimum, nam plurimum prodest Civitatibus, ne ipsarum historiæ in abscondito lateant, sed omnibus innotescant. Nonne Civitates historiæ luce carentes, licet pulcherrimis, atque amplissimis ædificiis essent constructæ, plurimosque tulissent præstantissimos viros, in oblivionis tenebris jacere, ac veluti ferrum rubigine paulatim tabescere, necesse est? Maximam etiam ex Patriæ historia in cives nostros utilitatem redundaturam videbam: Profert enim in medium vitam, mores, laudabilia majorum gesta, consilia item, atque eventus rerum, in quæ, tanquam in exemplar, inspicere; unde ea veluti e proprio penu capere, & haurire documenta possumus, quæ ad bene, tranquilleque vivendum requiruntur. Quod si cujuslibet exteræ gentis historiæ uberem in omnes populos utilitatem diffundant, quamquam contineant plu-

plura, quæ non omnium moribus accommodantur; multo magis hominibus illæ prodesse poterunt, quæ de ipsorum Civitate, ac patria conscriptæ sunt: quippe nihil in iis alienum, nihil, quod non eorum moribus, atque institutis omnino respondeat. Vobis autem, Senatores Amplissimi, hoc a me Latine versum opusculum, atque *Elchrei Dinundæ* adnotationibus locupletatum offerre, vestroque nomine inscriptum exire volui, ut ei tantorum virorum auctoritate adderem etiam lucem, atque tutelam compararem. Neque vereor, ne non id patrocinium suscepturi sitis: decet enim viros principes, quibus patriæ salus innititur, tum curare illius ornamenta; tum eos, qui in hoc operam navant suam, egregie patrocinari: Haud etiam ignoro, hoc opusculum vobis futurum quam jucundissimum, illudque vos sæpe numero præ manibus habituros, quum unusquisque in iis cupidissime versari soleat, quæ & sua ducit, & ad suum officium pertinere. Quemadmodum etiam quæ a vobis præclare geruntur, posteros vestros delectabunt, atque erudient, eaque ipsi habebunt tanquam documenta & virtutis, & prudentiæ; commemorabuntque præterea, quanta vos cura, studio, diligentia Rempublicam gessistis; quanta constantia, ac animi fortitudine in decus, atque splendorem Civitatis vel tuendum, vel augendum præclare semper incubuistis. Sed quid plura? Ne Longiori oratione ea persequar, quæ honorificentissime de vobis posteritas dictura est, vestra perspicua satis modestia prohiberi me sentio. Reliquum est, ut vos rogem, Amplissimi viri, hoc exiguum meum munusculum hilari, qua soletis, fronte, atque benigno animo excipiatis, & majora, cum potero, a me expectetis. Valete.

CÆSARIS BRIXII

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

NAtura comparatum est, Beatissime Pater, ut quisque singulari quodam studio, atque amore flagret erga patriam, quemadmodum inter Græcos *ostendit in* Iliade Homerus, *poetarum facile princeps, eam multis in locis & dilectam, & amicam vocitans: inter Latinos autem* Cicero, *qui patriæ amorem cæteris rebus omnibus longe anteferendum esse arbitratur, idque etiam declarat acerbitas illa, atque molestia, qua homines exilium solet afficere: tum etiam comprobant, quæ* Danthes XVII. *Purg. exul a patria cecinit. Quapropter ego etiam hoc impulsus amore, aliqua de patria mea* Cæsena *memoratu sane digna evulgare statui, quæ ab illustribus scriptoribus collegi, è quibus hujus Urbis & vetustas, & Nobilitas deprehendi facile potest. Atque hoc quidem consilii mihi fuit, ut quum Tu, Beatissime Pater, tuo adventu, tuaque præsentia patriam hanc meam dignareris & honestare quam maxime, & novo splendore cumulare, monumenta isthæc in brevem descriptionem digesta, humillime sanctissimis pedibus Beatitudinis tuæ provolutus, offerrem tibi, atque dicarem. In priori igitur parte de ejus situ, de regionis salubritate, de urbis amplitudine, ac circuitu, de origine, nomine, de territorii longitudine, ac latitudine, de civium moribus, ac de regimine, verba faciam: In posteriori vero exponam ea, quæ sacras, civilesque res attinent, quæ aut domi, aut foris sunt gesta, tum vero summam hujus Civitatis erga sanctam sedem venerationem, atque obsequium; prætereà ut literis, ac bonis artibus, ut militari quoque gloria egregie claruerint Cives: Etsi vero tam in bellica virtute, quam in Literis innumeri prope excelluerint, tamen brevitatis studio eos solum recensebo, qui jam decessere, quorumve nomen ac fama vel propriis, vel alienis scriptis propagata est. Denique ostendam, quanto & a veteribus* Romanis *hæc Civitas in pretio habita, quantisque laudibus a scriptoribus exornetur. Hæc ejusmodi esse mihi videntur, quæ strictim collecta, atque exposita legere, ac cognoscere Principem non dedeceat, possintque ab illius humanitate, ac clementia Civitati haud leve sane commodum, atque utilitatem comparare: Potissimum vero hoc labore declarare aliqua ex parte me posse confido, quantum Deo optimo Maximo, quantum Beatitudini Tuæ debeam, quod ille id mihi tribuerit, ut tibi, qui ceteris mortalibus antecellis, ipsiusque vicarium geris, essem in famulatu. Superest, ut benignè sanctitas tua exiguum hoc munusculum acipere non dedignetur, quod cum humillime, tum etiam, atque etiam rogo.*



CÆ-



CÆSARIS BRIXII
URBIS CÆSENÆ
DESCRIPTIONIS
PARS PRIOR,
IN QUA
Et Urbis, & illius Territorii ſpecies repræſentatur.

Numeri hi in oris occurrentes ablegant lectorem ad Adnotationes Dinundæ,

I. II. III.



Rbs *Cæſena* (I.) in nobiliſſima *Itàliæ* regione (II.) inter *Sapin*, & (III.) celebrem *Rubiconem* poſita eſt, ut refert *Strabo* in ſua Cosmographia his verbis: *Cæſena Iſapi fluvio propinqua, & Rubiconi.* Hujus Civitatis ad Polum latitudinem eſſe graduum XLIII$\frac{2}{3}$. longitudinem XXXIV$\frac{2}{7}$, in Geographia ſua ſcribit *Ptolomæus.*
IV. (IV.) Suavi, ac temperato aëre fruitur, propterea quod non in montibus, nec in vallibus, in aprico tamen loco ſita eſt, minimeque paludibus propinquo, ſpectatque ſeptentrionem, ex qua parte ventos nullo obice excipit, & *Apennini* jugis ab Auſtris defenditur: Aquis abundat, quæ in ipſam tum ex vicinis montibus, tum ex eis, quæ dixi, fluminibus, tum etiam ex *Cæſi* flu-
V. vio, qui eam interfluit, derivantur. (V.) Rebus omnibus, quæ ad victum neceſſariæ ſunt, uber-
VI. rime affluit. (VI.) Ad oras Maris *Adriatici* ſibi ſubjectum, & ab ſe ædificatum habet *Cæſenaticum* portum, cujus ope ad illam mercatores commeant, qui aut neceſſaria Civitati important, aut inde exportant ſuperflua: Is tamen portus non eſt tam urbi propinquus, ut aliarum gentium colluvie mores Civium corrumpi poſſint, quemadmodum in ſeptimo politicorum id facillime poſſe contingere, adnotat *Ariſtoteles*; diſtat enim ab ea paſſuum millia decem. Ac de *Cæſenæ* ſitu id ego profecto dicere poſſem, quod de tota *Italia* ait *Vitruvius*, ipſam quum inter meridiem ſit, & Septentrionem, mixtam quandam temperiem nanciſci, veluti *Jovis* ſtella, quæ inter *Saturni* frigidiſſimum, *Martiſque* calidiſſimum ſidus collocata, mediocrem, ac temperatam virtutem
VII. adquirit. (VII.) Quod ſi nonnulli familiarem quandam *Ciceronis* epiſtolam ſic interpretantur, ut eo tempore Civitatem iſtam in nullo pretio habitam fuiſſe arbitrentur, iis ego plura reſpondere poſſem, ſolum autem hoc dicam, locum illum *Ciceronis* corruptum eſſe, ibique eum non

A de *Cæſena*, ſed de alio loco fuiſſe locutum, ut in Commentariis ad eam epiſtolam eruditiſſimus vir *Paulus Manutius* luculenter oſtendit. Ea vero, quæ Cardinalis *Adrianus* in itinere *Julii* II. Pontificis Maximi deſcribendo objicit Civitati, nimirum aquis circum ipſam ſtagnantibus gravem illius aerem, craſſumque effici, nullo negotio rejicimus, quum aquæ illæ exſiccatæ jam ab incolis fuerint, & Civitas purum aerem, ſincerumque recuperaverit.

(VIII.) Urbs tota in plano explicata eſt loco, VIII.
mœnibus undique circumſepta, quamquam habet
B crepidinem, in qua, ut libro quarto hiſtoriarum
Neapolis refert *Pandulphus Collenuccius*, (IX.) a IX.
Federico II. Imperatore mirifica, & munitiſſima arx extructa eſt, quæ quum labefactata jam eſſet, atque diruta, *Pandulphus Malateſta*, & dein *Paulus* II. Pontifex Maximus eam in priſtinum reſtaurarunt, quæ arx propterea quod edito admodum, ac tutiſſimo loco ſita ſit, in omnibus noſtræ hujus *Romaniæ* Provinciæ Civitatibus maxime commendatur. Ex ea contecto quodam ambulacro, eo plane modo (quo *Romæ* a Vaticano Palatio in Sancti Angeli Caſtrum) in Præfecti, ſeu Gubernatoris ædes deſcenditur. Atque
C harum quidem ædium latitudo ſic protenditur, ut integrum Fori latus exornent. Fori in medio pulcherrimus fons excitatus conſpicitur, cujus perelegans partium conſtructio, ubertati, & copiæ aquarum, quas fundit, belle reſpondet. Mœnia Civitatis IↃↃCCXX. perticarum ſpatio circumducta ſunt, quæ menſura apud *Cæſenates* tria millia paſſuum exæquat.

Ipſa Civitatis vetuſtas ejus originem ſic nobis
occultat, ut peculiaria, ac præcipua quædam cir- X.
ca illius initium ignorentur. (X.) *Roma* longe vetuſtiorem eſſe, & cum *Ravenna*, ac *Arimino*
D ab *Umbris* extructam fuiſſe, *Carolus Sigonius Bononienſis* hiſtoriæ libro primo teſtatur. Hæc erat antiquitus in Colle ad *Garampi* Montis, qui eſt præcipuus pes *Apennini*, radices poſita. Quidquid in eo erat tractu, quum eſſet mœnibus cir-

cumſeptum, & Cathedralem ædem Divo *Joanni* Evangeliſtæ ſacram obtineret, Urbs vocabatur; reliqua vero pars, quæ in plano jacebat, conſtabatque ſuburbiis, quibus à Divis *Petro*, *Bartholomæo*, *Laurentio*, ac *Zenone* erat nomen, quamvis & ipſa muris circumdaretur, tamen Caſtrum
XI. externum appellabatur, & (XI.) de hac quidem parte in XII. Regiſtri D. *Gregorius* locutus eſt, quum ait: *In Monaſterio SS. Laurentii, & Zenonis, quod in Cæſenati Caſtro eſt conſtitutum.* Tunc temporis intra mœnia ſimul ac in ſuburbiis triginta millia hominum recenſebantur, ut in veteribus quibusdam codicibus memini me legiſſe, quæ Civium copia bellorum vi magna ex parte comminuta eſt, præſertimque *Britonum* fraude, a quibus, teſte *Theodorico* in *Secundo Libro de Schiſmate Urbani*, octo millia *Cæſenatium* interfecti fuerunt. Deinceps vero, quemadmodum in eum, in quo eſt modo, ſtatum commutata fuerit, nullum nobis Codices, ac monumenta indicium ſuppeditant. Hoc mihi plane veriſimile videtur, tempore, ut cætera, commutatam ita ſenſim fuiſſe, ut id a nemine obſervatum ſit; veluti etiam in *Lib. Ethymolog.* pag. 15. *de Urbe Roma* ſcribit *Iſidorus*, non omnia animadverſa, ac notata fuiſſe. Atque ex hac quidem rerum ambiguitate magis, magisque vetuſtas ejus comprobatur, præſertim vero quum de ea veteres quoque ſcriptores locuti ſint, ut in *lib. Orig. M. Cato* major, qui annis cc. fuit ante *Chriſti* adventum, his verbis: *Ager Gallicus vocatur, qui viritim Cæſenatibus datus eſt.* Ejusdem etiam Strabo, qui *Auguſti* ætate floruit, aliique vetuſtiſſimi Auctores meminerunt. Extant adhuc Codices, in quibus illud eſt, quum anguſte Civitas habitaretur.
XII. (XII.) *Bernardum Rubeum* ſub *Leone* X. Pontifice Maximo *Romaniæ* præſidem illam augere ſtatuiſſe, jamque ea parte, qua ſpectat Septentrionem, mœnia longius protenderat, ut liquet ex Mappa, (quæ tamen ab Auctore in hoc Opuſculo non exhibetur) cui operi denuo *Clementis* VII. ætate manus appoſitæ ſunt, illudque non nihil protractum, ſed à nemine poſtremo abſolutum eſt.

A *Cæſennis* vetere *Romanorum* familia Urbem iſtam *Cæſenæ* nomine appellari, nonnulli putarunt, ſed hanc longe illa vetuſtiorem invenio fuiſſe. Quidam etiam *Flaviam*, & *Curvam*, quidam vero *Stellam* (id ex vetere quodam numiſmate inter effodiendum terram reperto, & ex Annalibus Civitatis *Pinnæ* colligentes) dixere: Iſthæc autem tam imbecillis rationibus innitantur, ut nullam prorſus veri ſpeciem præ ſe ferant: Illud tamen conſtat ab *Antonino Auguſto* in itinerario Romanarum Provinciarum *Curvam Cæſenam* appellatam fuiſſe, propterea quod partim in edito, partim in plano loco protenditur, quemadmodum illam etiam deſcripſit *Danthes* his verſibus, quos latine ſic reddidimus

Sola ea, cui rapidus muros irrorat Iſapis,
Ut pars illius jacet, ac pars ſurgit in altum,
Nec Dominis oppreſſa gemit, nec libera tota eſt.

Flavia vero eo forſan tempore dicta fuit, quo *Longobardorum* Reges illam obtinebant, qui cognomento *Flavii* dicebantur. Sed hæc non perpetua ſunt. verum ad tempus indita Civitati nomina; quod ſi in nonnullis *Strabonis* verſionibus pro *Cæſena Sena* reponitur, eodem captus eſt errore *Ferrarienſis* ille, qui *Strabone* italico donavit idiomate, particulam Καὶ, copulam arbitratus. Sunt & alii, qui exiſtimant huic Urbi à *Cæſare*, qui eam inſtauravit, *Cæſenæ* nomen inditum fuiſſe, præſertimque quum aliæ quoque civitatis par-

A tes ab eo dicerentur, veluti via, quæ vulgo nuncupatur *Chieſa nuova*, antiquitus *via Cæſariana* appellata fuit; & villa quædam vulgo *Calliſeſe Rubiconem* verſus, *Collis Cæſaris* dicebatur, quæ tamen opiniones nullo plane fundamento niti videntur. Alii vero rectius putant idcirco *Cæſenam* dici, quod eam *Cæſis* Fluvius interfluat: Qui autem id affirmant, pro *Cæſena Cæſemnam* dicunt, quaſi *amne cæſam*, quemadmodum quæ hodie nuncupatur *Modiana*, *Mediamna* appellabatur. Hinc factum, ut *Bembi* regulis, præceptiſque adducti italice *Cæſenna* dixerint, quemadmodum à Scamno noſtro idiomate *Scanno* educitur, quamquam
B de hoc etiam non liquet, quum ſemper ab omnibus non *Cæſenna*, ſed *Cæſena* appellari ſolita ſit; quamobrem non quod eam *Cæſis* Fluvius interſecet, ſed ex ipſius *Cæſis* nomine *Cæſenam* dici mihi magis conſentaneum videtur. Conſtat enim a Fluminibus ſæpe Civitatum nomina derivari, idque apud *Strabonem* in ſeptimo ejus Libro legitur, quum procul dubio flumina vetuſtiora ſint civitatibus; cohæretque huic opinioni poëta noſter *Tibertus* in primo de legitimo amore his verſibus.

C *Urbs Cæſena mihi patria eſt, quam dividit Unda*
Cæſis, & a patrio Flumine nomen habet.

Ager *Cæſenas* meridiem verſus in molles, frugiferoſque clivos haud abſimiles apricis illis collibus, quos verſus *Apenninum* habet, decem mille paſſibus extenditur, ubi generoſa vina, oleum, Caſtaneæ, Sulphur, Ligna, aliorumque fructuum copia uberrime gignitur, ut in Ecloga ad *Hieronymum Porcarium* eo tempore *Cæſenæ* Præfectum innuit *Tibertus.*

D *Ex in ſeceſſu non longe hinc condita amæno*
Urbs opulenta ſatis, terraque feracior omni,
Quæ paſſim largas ſegetes, & vina reponit,
Mel, oleum, ſulphur, ferrum, ſal, denique quidquid
Humano ſervit generi, victuque neceſſe eſt.

Inter meridiem, & occaſum habet late patentem vallem, cui a Sancto *Victore* eſt nomen a *Sapi* Fluvio diviſam fructiferis vineis quaquaverſum ad dena milliaria, & ultra excultam, nec minoris præſtantiæ, quam altera ſit planities, quæ ad mare uſque *Adriaticum* effunditur, gignitque delicata ea vina, quibus *Mæcenas Virgilii*, ac Muſarum Amicus adeo delectari ſolebat, ut ideo,
E quemadmodum ait in quarto Dialogo de Poetis *Gyraldus*, vina Mæcenatica vocarentur; hæcque *Pamphilus Saxus* poëta ſuperba appellavit.

Vina Cæſenæ bibimus ſuperba.

Inter generoſa vina ea quoque *Plinius* adnumeravit, & *Ptolomæus Flavius* in Ecloga quinta, cum de *Cæſena* loqueretur, ait:

Ut te conſpexi talem, Cæſena, Lyei
Fertilis, applauſi terque quaterque tibi:

F Hoc ſane verum; ac norunt omnes, exquiſita, varii generis, abundeque hac in regione vina progigni. Ab reliquo Civitatis latere Territorium ad dena milliaria in fertiliſſimam planitiem diffunditur, quæ pars triginta millia modiorum tritici, & decem millia aliarum ſegetum Civitati ſubminiſtrat; & proprius ſeptentrioni habet *Cæſenaticum* portum eorum omnium, *Anconitano* excepto, qui ad littus Maris *Adriatici* ſunt, commodiſſimum, pulcherrimumque; atque is quidem portus, aliaque flumina magnam vim piſcium præbent Civitati, quemadmodum & ager cætera omnia

omnia ad victum, cultumque necessaria ei copiose suppeditat. Id attestatur *Tibertus Cæsari Borgiæ* sic scribens :

Urbs Cæsena ferax Cereris, dulcisque Lyei,
Pallados & fructus, & ceræ, & mellis, apumque,
Sulphuris, & pecorum, pecudumque, oviumque, salisque,
Exundat pomis simul apta Colonibus herba,
Pascua, & Aucupibus sunt, & venantibus antra,
Et cum fluminibus perabundat piscibus æquor.

XIII. (XIII.) In hoc sane percommodo loco nascuntur homines æquæ staturæ, candidi, vividique coloris, optimi ingenii, & ad quæque disciplinarum genera aptissimi, in quibus mirifice sane proficerent, nisi per summam rerum omnium ubertatem, & copiam a suscepto studiorum labore facile deducerentur. Quum hujus Civitatis situs septentrionem adspiciat, hinc Cives in negotiis gerendis non præcipites, sed maturi, prudentesque sunt, magisque illius retinendæ, qua potiuntur, domesticæ dignitatis studio tenentur, quam superfluas opes, atque divitias cumulandi. Si quando alicujus viri Principis Aulæ addicuntur, in eo, quemadmodum & in cœteris omnibus studiis, toti sunt, & diligentes, benevoli, ac fideles habentur, quemadmodum inter Cubicularios intimos quendam (se ipsum innuit, qui apud Pontificem hoc munere fungebatur) habet sanctitas Tua, qui specimen tibi hujusce rei præbet.

Ut autem exponam ea, quæ ad hujus Civitatis
XIV. regimen pertinent, (XIV.) eos prius recensendos arbitror, qui priscis temporibus ipsam gubernarint, ac tenuerint; mox illos, a quibus nostra hac ætate regatur. Florenti *Romano* Imperio subdita fuit, ut ex historiis, pluribusque monumentis licet intelligere, & ex veteri, ac percelebri quadam S. P. Q. R. jussione in *Rubiconis* ripa, aut in illius ponte collocata, qui pons ab Urbe *Cæsena* non ultra milliarium distat, qua jussione vetitum erat, ne quis *Romam* proficiscens Fluvium illum armatus trajiceret. Quæ tunc esset edicti formula, haud ego statuerim, cum plurimi scriptores, ut Merula *Libro primo de antiquitatibus Galliæ*, Petrus Appianus in *descriptione Italiæ*, Crinitus *de honesta disciplina*, Valerius Probus *de Romanorum notis*, Blondus in *Italia illustrata*, & Aldus Manutius in *sua Orthographia*, non omnino conveniant; id tamen exemplum proferam, quod perpetuo a majoribus nostris receptum est, quodque hac ætate insculptum visitur in quadam Pyramide, quam multis ab hinc annis Respublica instauravit.

JVSSV. MANDATOVE. POP. ROM. CONS. IMP. TRIBVNE. MILES. TYRO. COMMILITO. ARMATE. QVISQVIS. ES. MANIPVLARIE. CENTVRIO. TVRMARIE. LEGIONARIE. HIC. SISTITO. VEXILLVM SINITO. ARMA DEPONITO. NEC. CITRA. HVNC. AMNEM. RVBICONEM. SIGNA. ARMA. EXERCITVM. COMMEATVMVE. TRADVCITO. SI. QVIS. HVJVSCE. JVSSIONIS. ERGO. ADVERSVS. PRÆCEPTA. IERIT. FECERITQVE. AD JVDICATVS ESTO HOSTIS. P. RO. AC. SI. CONTRA. PATRIAM. ARMA. TVLERIT. PENATESQVE. E SACRIS. PENETRALIBVS. ASPORTAVERIT. SANCTIONE. PLEBISCI. SENATVSVE CONSVLTO. VLTRA. HOS. FINES. ARMA. PROFERRE. LICEAT. NEMINI.
S. P. Q. R.

A Adversus quod edictum ire *Cæsar*, atque arma transducere non dubitavit, ut *Suetonius*, *Lucanus*, aliique testantur. Quod si suis in Commentariis de bello Civili nequaquam meminit eorum, quæ *Ravenna* ad *Ariminum* sibi proficiscenti apud *Rubiconem* evenere, ideo fecisse putandum est, ne sub initio sui cum senatu dissidii, patrias leges ab se consulto violatas esse, ipsemet proderet. Sed ad sermonem de regimine hujus Civitatis jam a nobis superius institutum redeamus. Constat igitur, ipsam sub Imperatoribus, ad Imperii usque *Romani* occasum, floruisse, quumque consequentibus temporibus Provinciam istam, imo
B & *Italiam* universam, *Heruli*, *Goti*, *Longobardi*, qui eam CC. annis tenuere, *Vandali* præterea, *Hunni*, *Pannones*, *Marcomanni*, *Brittones*, aliæque exteræ gentes occupassent, *Cæsena* cæterarum omnium hujus Provinciæ Civitatum conditionem subiit; atque & ipsa exarchatui aliquandiu paruit. Expulsis vero Tyrannis, cum aut Imperatores, aut *Italiæ* Reges Rempublicam administrarent, *Cæsena*, quemadmodum & reliquæ Civitates, speciem quandam libertatis retinuit, propterea quod Sanctæ sedis, ad quam *Constantini*, *Pipini*, aliorumque donationibus eæ Civi-
C tates, eaque loca pertinebant, magis dominatio versabatur in iis, quæ sacrorum jura attinent, quam in iis, quæ ad humanum Imperium, atque ditionem. Postea vero quam Apostolica sedes integrum regimen, quod suum erat, adsumpsit, Rectoremque Comitis titulo Provinciæ præfecit, illius dictis, præceptisque *Cæsena* summa semper veneratione obtemperavit: Quamquam autem reliquis Provinciæ Civitatibus deficientibus ipsa etiam adhæserit; quum scilicet Provincia, Pontificis nomine, qui tunc *Avenione* erat, a *Gallica* gente male, improbeque regeretur; tamen alterius cujuspiam ditioni nequaquam se dedit, sed
D eo consilio sese liberam voluit, ut in Pontificis Maximi fidem probo Rectore ab eo donata remigraret. Plurimis vero erumpentibus hac in Urbe factionibus quorundam opera, qui intus erant, factum est, ut *Ordelaffus Forolivii* Dominus ejus imperium occupavit, quod usque ad annum millesimum trecentesimum quinquagesimum sextum retinuit; nam hoc tempore Cardinalis *Ægidius* Apostolicæ Sedis Legatus eam denuo sub Ecclesiæ potestatem redegit, in cujus ditione, ac imperio usque ad annum millesimum trecentesimum septuagesimum sextum permansit, quo anno a *Brittonibus* vastata est, ut *Platina* in vita *Grego-*
E *rii* XI. Pontificis Maximi refert: nam hoc factum in causa fuit, ut *Bonifacius* IX. qui non longe post successit, *Galeottum Malatestam*, labefactatæ, ac penitus eversæ Civitati Vicarium præficeret, quæ Civitas, illius stirpis dominatum usque ad annum millesimum quadringentesimum sexagesimum sextum est passa. Obitu enim *Malatestæ Novelli* (is postremus gentis suæ fuit, qui imperio apud *Cæsenates* potiretur) in Ecclesiæ potestatem remigravit, cui semper subjecta fuit, eo excepto tempore, quo ipsam *Cæsar Borgia* anno millesimo quingentesimo primo sibi ab *Alexan-*
F *dro* VI. Pontifice traditam occupavit, ut ex historiis colligitur. Hic suæ dominationis, quam in tota Provincia obtinebat, sedem fixit, licet non diuturnum imperium nactus, quippe *Julius* II. cunctas *Romaniæ* urbes Pontificiæ ditioni restituit. *Venetorum* Reipublicæ a *Dominico Malatesta Cæsenam* venditam fuisse, refert *Corius Mediolanensis* historiæ libro tertio, quam tamen venditionem perfectam, absolutamque fuisse non legimus. Hæc sunt, quæ de transacto Civitatis regimine adnotare potuimus, quæ quidem nostra hac ætate summo Dei beneficio refert acceptum,

quod Apostolicam sedem, teque, Beatissime Pater, Rectorem, ac Principem veneretur, cujus concessione, atque indulgentia populus iisdem, quibus antea, regitur & institutis, & legibus,
XV. (XV.) duos videlicet retinens ordines personarum, qui publicas res cum imperio administrant. Alter, cui graviora incumbunt, est nonaginta sex senatorum cœtus, qui dignitatem illam quoad vixerint, obtinent; solent autem in hunc ordinem ab ipsis senatoribus solemniter coactis emeriti Cives cooptari. Quum in alterius quis locum sufficì debet, mos est, ut affinitate proximior admittatur, quem morem violare quasi nefas videtur. Ejusdem vero familiæ plures simul creari, qui tertio gradu non inter se distent, lex vetat. Huic ordini pecuniæ publicæ ratio commissa est, Magistratuum quoque electio, in quibus creandis delectus haberi solet, eorum & coërcere potestatem, & ampliare ipse valet, de communibus rebus, si quidem alicujus momenti sint, ad eundem refertur, ab ipso gravium rerum deliberatio capitur, eorumque omnium cura geritur, quæ pro regimine, atque custodia Civitatis ei a Principe concredita sunt; Alterum vero ordinem eorum qui publici muneris, officiique participes sunt, tum ii constituunt Cives, quorum familiæ Consulares sunt, tum inferioris notæ Cives, tum aliqui e ditioribus Mercatoribus. Hi omnes in publicis negotiis gerendis, ut a Senatoribus secernantur, Populares vocari solent: sintne isti ad regimen Civitatis idonei, necne, scrutantur, ac diligenter inquirunt tum Senatores, tum ii, quos vulgo *Antiani* dicunt (de quibus paulo post loquar) tum etiam duodecim alii, qui Populi nomine intersunt. Reliqua solum igitur est Plebs infima publicæ rei administrationis omnino expers. Ex iis autem duobus, quos dixi, ordinibus educitur potissime Magistratus, qui *Conservatorum* appellatur, in quo senatores quatuor, duo vero Populares sunt. Atque in hoc cœtu, tam inter senatorios viros, quam inter Populares, potioris dignitatis, priorisve temporis, quo in ordine sunt, haberi ratio solet. Hic ex honore, quo cœteros antecellit, Princeps Magistratus vocatur, quum Civitatem omnem, ac quidquid ei ditionis est, repræsentet; ideoque qui in hoc sunt Magistratu, & honoris gradum, & prærogativas omnes obtinent, quæ toti Reipublicæ sunt attributæ. Publica pompa, ac splendore per Ur-
XVI. bem incedunt; (XVI.) famuli præeunt nigra veste, cui & alba ornamenta prætexuntur; præcedit quoque, qui argenteam Clavam manu fert, jurisdictionis indicium; Literæ ad ipsos deferuntur, publice rogationes excipiunt, aut quid respondendum sit, inter se ipsi deliberant, aut gravibus de rebus cum reliquo senatu omni consilia ineunt, eos puniunt, qui contra leges Reipublicæ peccant, & idcirco ab hujusmodi legum tuitione *Conservatores* dicti: In privatos imperium habent, officiis omnibus, cæteris magistratibus, eorumque sortitionibus præsunt. Una cum iis, quos *Antianos* nuncupant, decernunt, quæ in Comitiis nonaginta sex virorum pertractari oporteat. Nonnisi de hujuscemodi rebus ibi agi permissum: quod non observatur in iis tamen comitiis, quæ stato tempore haberi solent novo creando *Conservatorum* Magistratui; In his enim cuilibet disserere de quaque re licet, quæ ad publicam utilitatem magis pertinere videatur. Præter *Conservatores* extant quoque duodecim viri (*Antiani* dicuntur) quorum octo Senatorii sunt: reliqui populares: singulo bimestri veteribus novi totidem subrogantur, tum scilicet, quum discedentibus e Magistratu *Conservatoribus* novi pariter sufficiuntur: Hique duodecim viri veluti privati Cives se gerunt, præterquam cum publico prodeunt, tunc enim *Conservatores* subsequuntur, reliquis vero omnibus antecedunt; atque in senatu, ac aliis Cœtibus una cum *Conservatoribus* intersunt, seu quum Popularium nomina in urnam conjicienda, seu quum quælibet alia pertractanda fuerint, quemadmodum quoquo bimestri Curatores omnes Reipublicæ commutantur, ita quoque duo novi creantur syndici, alter senatorius, alter Popularis. Iis reddere rationem debet quisquis publico perfunctus est munere, sive e *Conservatorum* numero hic sit, sive ex aliis ordinibus. Plures alios habet Civitas Administros, qui publici regiminis speciem præ se ferre non videntur, veluti Prætor, qui Civilium quæstionum judex à senatu deligitur; Prætor portus Cæsenatici; Præfecti Nundinarum, Annonæ, studiorum, & Hastiludii; Judex Pedaneus, Ædiles, Præpositi vinearum cultui, & vectigalium schedulis vulgo *Bolette*: vectigalium item Depositarii, Exactores, aliique, quos cum enumerare, tum quemadmodum horum opera Civitas gubernetur, aperire, longum ac supervacaneum esset; præsertim quod hæc sint cum aliarum quoque Civitatum regiminibus communia. Id solum dicam, omnem Civitatis administrationem, tam in Civilium rerum, quam in Criminum quæstionibus, subjici Gubernatori, qui à sanctitate vestra præficitur, quique Principis nomine, ut moris est, in omnibus senatus Comitiis interesse solet.



CÆSARIS BRIXII URBIS CÆSENÆ DESCRIPTIONIS

PARS POSTERIOR,

IN QUA

Cæsenatium gesta enarrantur.



Escripta a nobis ipsa Civitatis specie, quum de illius gestis sermo nunc habendus sit, ea prius, quæ ad Religionem pertinent, exponam. Itaque in cæteris rebus, de quibus hactenus disserui, eam antiquam, ac nobilem agnovimus, eandem plane vel hac una in re antiquam simul, ac nobilem deprehendemus. Etenim ex Ecclesiæ *Cæsenatis* vetustate, antiquam esse Civium religionem, plane intelligemus; veterem autem esse *Cæsenæ* Ecclesiam, Illustrissimus Cardinalis *Baronius* in suo Martyrologio aperte fatetur his verbis: *Antiqua est Ecclesia Cæsenas:* Tum id luculentius comprobatur, quod hæc Civitas, ejurata Ethnicorum superstitione, a S. *Thimotheo* Divi *Pauli* discipulo, Apostolorum tempore, hauserit Christi præcepta, ut testatur *Cassiodorus* eo in libro, quem de gestis *Theodorici Ostrogothi* conscripsit; quodque *Flavianus*, seu *Florianus Clusinus Cæsenæ* Episcopus sub *Miltiade* I. *Romano* Concilio in Causa *Cæciliani Carthaginensis* Præsulis adversus *Donatum* interfuerit, cujus *Flaviani Baronius* in eodem suo Martyrologio meminit: *Eusebius* in historia Ecclesiastica refert, anno tercentesimo quinquagesimo *Concordium Tarvisinum* fuisse *Cæsenæ* Episcopum, *Liberio* Pontifice Maximo Christianam rem gubernante.

Præterea in *Ravennate* historia testatur *Rubeus*, *Justiniani* ætate, qui Leges Civiles in unum Corpus digessit, Divum *Severum* superno Spiritus Sancti numine, qui in Columbæ specie ad illius caput descendit, *Cæsenæ* Episcopum designatum, electumque fuisse; Idemque scribit anno tercentesimo trigesimo *Natalem Romanum Cæsenatis* Urbis Eccleiam gubernasse, & a *Marco* I. Pontifice Maximo ad *Constantinum* II. Imperatorem missum fuisse. Fatendum igitur plane, jam inde ab ea ætate *Cæsenam* inter nobiliores Civitates habitam; quum Episcopi tuendæ ipsorum dignitatis gratia, non opidulis, pagisve præficerentur, ut *Petri* discipulus, ejusque successor *Clemens* in prima ad D. *Jacobum* epistola testatur, legiturque apud *Gratianum* in decreto Ca. Episcopi hist. 80. Post D. *Severum* (cujus Sanctissimum Corpus in Parochiali Civitatis Templo, cui ab ipso est nomen, asservatur, coliturque) S. *Maurum* nacti sumus Episcopum. Hic in Cathedrali Templo conditus est, ad quod loci translatum ipsius Cadaver ex Æde S. *Mariæ* in Monte, quum bella effervescerent, ne Barbari adeo insignem thesaurum pessundarent. Hos Divos *Cæsena* Patronos veneratur: Neque vero non e nostris Civibus Sanctissimi quoque viri extiterunt, veluti

A Divus ALDOBRANDUS *Forosempronii* Episcopus, in cujus honorem illius Civitatis Cathedralis Ecclesia erecta est.

Divus URBANUS e Cœnobio Benedictinorum, ut ex historiis *Joannis Baptistæ Tarducensis*, Monachi Cassinatis habetur; de quo Sanctissimo viro in monumentis quibusdam, quæ mihi aliquot ab hinc annis dono dedit Pater *Antonius Casarius* Societatis Jesu Civis meus eo temporis *Romæ* vivens, perlegi, sacrarum literarum studio, divinæque contemplationi mirum in modum addictum fuisse.

B De BEATO BARTHOLOMÆO *Cæsenate* è servis Deiparæ virginis *Mariæ*, qui anno millesimo tercentesimo vigesimo nono obiit, Frater *Michael Florentinus* in suis Annalibus mentionem facit.

In Cathedrali Templo Divi *Gregorii* Magni sinistra Manus, ac S. *Alexii Romani* Pes asservantur. In Æde Divi *Dominici* caput extat Sanctæ *Dorotheæ* Virginis Divæ *Ursulæ* sociæ. Mitto sacras alias reliquias, quas in cœteris Urbis *Cæsenæ* Ecclesiis Cives venerantur. Hæ autem, quas memoravi, insigniores sunt. Sed ut ad institutum sermonem de Episcopis, unde digressi sumus,
C revertamur, GREGORIUS MALESARDUS *Cæsenas* Patriæ suæ decimus septimus Episcopus fuit. Hic Cathedralis Ecclesiæ Jura, quibus Templum Divo *Joanni* Evangelistæ Sacrum in Clivo locatum potiebatur, ademit, donavitque Templo Divi *Joannis* Baptistæ, quod plano in loco situm erat, ubi nunc etiam visitur. Decimus nonus ANTONIUS MALATESTA *Forosemproniensis*, qui in Cathedrali Templo sepultus est, & ob eximiæ pietatis monumenta, eum plurimi inter Beatos adnumerant. successere deinde Episcopus VENTURELLIUS Patricius *Amerinus*, & cœteri omnes, quos plurimo sem-
D per Civitas in honore habuit. E *Cæsenatibus* quoque multi aliarum Civitatum Episcopatus obtinuere, & in eo munere gerendo eximia charitatis, ac virtutum laude floruerunt. *Ventura de Abbatibus Fori Truentinorum*; *Petrus Angelinus Sutrii*, *& Nepetæ* (XVII.) *Franciscus Albitius* XVII.
Arimini, Episcopatus gessere, qui tamen postremus morte interceptus, nancisci illius sedis possessionem non potuit; *Joannes Baptista Bertucciolus Fanensem*, *Theodoricus Calisesius Ravennatem*; *Robertus Malatesta Mutinensem*, rexerunt Ecclesias: *Anastasius Ubertus Fori Cornelii* Epi-
E scopus fuit, quod muneris ei cessit Illustrissimus (XVIII.) Cardinalis *Hieronymus Dandinus* hujus XVIII.
meæ Patriæ *Cæsenæ* Patricius, qui tanta cura, ac studio Apostolicæ sedi suam navavit operam, dum a secretis esset *Pauli* III. Pontificis Maximi, dum in *Galliis* Nuncium Pontificium ageret, in *Mirandulano* bello, in obeunda ad *Carolum* V. legatione: Demum, quoties data est occasio, sic

se gessit, ut illius meritorum memoriam nulla unquam temporum deletura sit oblivio.

A Urbis *Cæsenæ* Cathedralis Ecclesia Clero potitur summopere & Religioni, & Pietati addicto; Canonicorum Capitulum in ea est, inter quos præcipuæ dignitatis Præpositus, atque Archidiaconus habentur: Inter Urbis Mœnia quidem decem extant Parœciæ, in quibus millia duodecim capitum censentur. Triginta vero quatuor Parœciæ in reliqua Diœcesi, in quibus etiam duodecim millia Hominum adnumerantur. Undecim Cœnobia Religiosorum hominum *Cæsenæ* conspiciuntur, interque illa duo sunt, quæ Abbatias

B conjunctas habent, quorum in altero Canonici Lateranenses; in altero Benedictini Monachi commorantur, atque istud Benedictini ordinis Cœnobium prope Civitatem in Monte positum est, qui sacer dicebatur, propterea quod ibi Ethnici sacrificare solebant, deinceps *Maurus* appellatus, quod in eo D. *Maurus* commoratus sit. Nostra vero ætate Mons sanctæ *Mariæ* nuncupatur, quia Templum in eo collocatum gloriosæ Deiparæ Virgini *Mariæ* dicatum est, quo in Templo ipsam Fidelium precibus annuere, ac mirabilia efficere, suspensæ tabulæ, quæque in dies suspenduntur quamplurimæ, attestantur. Ac inter Cœnobia

C isthæc etiam Divi *Pauli* Abbatia connumeratur, subestque illi alteri, quæ *Ravennæ* extat, & Classensis appellatur. Quatuor sanctimonialium Monasteriis Civitas pollet, Claustris item resipiscentium mulierum; Quinque Xenodochiis, ac Ædibus, in quibus destituti, destitutæve pueri, ac puellæ parentibus, & consanguineis omnibus gratis aluntur, ac educantur: Pium quoque, ac religiosum Cœtum habet eorum, quos vulgo appellant: *Fate bene Fratelli*.

Hunc vero ad ea, quæ domi gesta sunt, sermonem convertamus. *Cæsena* igitur Apostolicæ sedi summam semper venerationem præstitit, &

D quoties data est occasio, toties ingens suum in eam obsequium patefecit, veluti quum ab obsidione *Totilæ Gothorum* Regis sese defendit, ut in Ecclesiæ, ac *Justiniani* Imperatoris potestate maneret, qua in re quum adversus tam immanem exercitum satis virium, ac præsidii suis in armis non haberet, Antistitem suum *Ignatium* misit, qui monstrum illud immanissimum ab evertenda Civitate precibus abduxit, ut *Beda* in Annalibus, & *Blondus* in prima Decade Romanæ historiæ referunt. *Cæsenatium* fidem erga sanctam sedem illud etiam mirifice declaravit, quod ejecto

E a *Mainardo* de *Susinana*, aliisque factiosis hominibus Episcopo *Aretino*, qui Pontficio nomine Comitis Provinciæ munus obibat anno millessimo tercentesimo decimo nono, hunc exulem *Cæsenates* in Civitatem excepere, tum vero etiam egressi, arreptisque armis rebelles illos insecuti sunt, quemadmodum ex plurimis veteribus monumentis colligimus. Defuncto *Alexandro* Pontifice, quum *Veneti* plurimas a *Ravenna* copias duxissent, nocturnoque tempore *Cæsenam* aggressi essent, eos viriliter ipsa rejecit, seque Apostolicæ sedi servavit, ut *Guicciardinus* in sexto Italicæ historiæ libro testatur. Quum Cardinalis *Gebennensis* legatus missus esset, ut Civitates illas, quæ in ea Pro-

F vincia a S. Sede defecerant, recuperaret, *Cæsena* solum eum sponte recepit. Anno millesimo tercentesimo quinquagesimo septimo, ut in Ecclesiæ dominium remigraret, ab *Ordelafforum* imperio se vindicare admixa est; quo factum, ut eorum Tyrannorum crudelitate plurimi Civitatis primores obtruncati fuerint. Quoniam vero in hoc genere laudis multum præstitisse Urbem *Cæsenam* satis constat, ab cæteris exemplis in id proferendis supersedebo. Hoc unum dicam tamen, illius erga Sanctam sedem obsequium Cardinali *Ægidio* in *Flaminia* Provincia Legato summopere innotuisse, qui grati animi causa Urbi *Cæsenæ* concessit, ut Pontificias Claves stemmati superimponeret, quemadmodum in *Constitutionibus Ægidianis libro undecimo* legitur, adspiciturque in sigillis, quibus obsignari publica documenta solent, ut legitima dignoscantur. *Julio* quoque II. Pontifici Maximo perspectum egregie, cognitumve fuit *Cæsenatium* obsequium, ac fides tum, quum defuncto *Malatesta Novellio*, qui postremus e gente *Malatesta Cæsenæ* dominatum tenuit, hæc Civitas in Pontificis ditionem remigravit: Tantam enimvero *Julius* ex ea re voluptatem cepit, ut honestandæ Civitatis gratia instituerit, quot annis sumptibus fisci Apostolici Bravium coëmeretur iis impertiendum, qui in studio vicissent.

(XIX.) Quod autem ad literas attinet, singulis ætatibus hæc Civitas præstantissimos viros tulit, qui summa cum doctrinæ laude floruerunt. XIX.

Joannes Agusellius Jurisconsultus, qui de protestationibus opus edidit, quique a *Joanne Andrea* super *reg. 87. de reg. jur. in 6.* laudatur.

Sebastianus Averranus Carmelita, qui de Logica, deque rebus ad sacram scripturam pertinentibus scripsit.

Jacobus Beccarius Jurisperitus, cujus in Consilio octuagesimo secundo *Marsilius* perhonorifice meminit.

Petrus Benintendus, qui decisiones evulgavit, & a plurimis Doctoribus laudatur.

(XX.) *Franciscus Claramontius* Jurisconsultus, de quo *Oddus* in suis tractatibus mentionem facit. XX.

Joannes Buccius a *Codro Eximius Doctor*, & *Comes splendidissimus* appellatus.

Christophorus Brixius Medicus, ac Philosophus, cujus eximiam præcipuè in Astrologica arte virtutem *Sulphrinus* descripsit his versibus.

Sidera, sidereosque, quia noverat orbes,
Atlantem perhibent sustinuisse polum.
Hac ratione novus dicetur Brixius Atlas
Astrorum, & Cœli, qui bene novit iter.
Utque Poli vario varientur tempora motu,
Monstrat, ut hæc apte charta notata docet;
Sic novus est Atlas, sic noscit sidera, & axem;
Sic Cœlum torquet vertice Christophorus.

Fabritius Catenatius Poeta, qui plura ingenii sui monumenta edidit.

(XXI.) *Joannes Ludovicus Dandinus* Jurisconsultus, qui ab *Alexandro* in vigesimo consilio *Doctor eximius* appellatur. XXI.

Hector Tattibonus plurimis ab hinc annis *Florentinæ* Rotæ Auditor, ut ejus decisiones ostendunt.

Tobias Fantaguccius Jurisperitus, qui de officio Vicarii Ordinarii librum evulgavit.

Joannes Languicella inter celebres Pontificii Juris Interpretes a *Joanne Andrea* in procemio Clementinarum adnumeratur.

Carolus Lapi Jurisconsultus, ac Urbis *Romæ* Senator, ut plurima monumenta testantur typis ab ipso edita, dum eo munere fungeretur.

(XXII.) *Nicolaus Masinius*, qui in *Bononiensi* Gymnasio primus Philosophiam docuit, eique *Codrus* sua Carmina dicavit. XXII.

Vincentius Masinius Philosophiæ, ac Medicinæ peritus, cujus in obitu hoc Epitaphium scriptum fuit.

Non ut forte putas, Vincentius ille Masinus
Conditur hoc tumulo, non suus iste locus.
Tanta viri virtus, probitas, ars tanta medendi,
Dogmata tot Sophiæ, tantus in ore lepos.
Hæc tam multa simul, tam parva claudier urna,
Et loculo hoc tegi, qua ratione queunt?
Vix capit ossa locus, nomen vix orbis, honorem
Vix hominum linguæ, spiritus astra tenet.

Alexan-

Alexander Mazzius Jurisconsultus, cujus *Gomesius* in regula de subrogandis meminit.

XXIII. (XXIII.) *Jacobus Mazzonius*, cujus summæ literaturæ par fama, & Urbem, & *Italiam* universam complevit, & præexcellentis viri doctrinam cum jam edita insignia opera, tum edenda luculentissime palam faciunt.

Antonius Sulphrinus Rhetor, ac Poeta, cujus plura jam typis evulgata extant monumenta.

XXIV. (XXIV.) *Darius Tibertus* a *Guido Ubaldo Urbinatium* Duce laurea honestatus *Epitomas in Plutarchi vitas*; aliaque opera conscripsit.

Annibal Tuscus Jurisconsultus, ac Poeta, in cujus sepulchro hoc elogium *Sulphrinus* posuit.

Tumulus ANNIBALIS TVSCI.
Hospes, & Fama.

H. *Quis jacet hic?* F. *Tuscus.* H. *Longos qui scripsit amores*
Dum cecinit lauram versibus egregiis?
F. *Non is, verum alius, cujus si carmina spectes*
Id credes, quod de nomine credideras.

Franciscus Ubertus, qui volumen epistolarum evulgavit, de quo *Antonius Constantius* sic locutus est.

Uberte egregios inter venerande Poetas,
Uber cui vena est, uber & ingenium.

XXV. (XXV.) *Carolus*, & *Marcellinus*, *Verardi*, Juris Consulti, ac Poetæ, quorum alter Comicus fuit, quo scriptionis genere partam a *Ferdinando Hispaniarum* Rege adversus *Mauros* victoriam cecinit; Alter vero heroico carmine *Granatense* Bellum sub *Ferdinando* Rege descripsit.

Bartholomæus Raverius, qui de contemplatione Missæ Librum edidit. Alii quoque Cives disciplinis, ac bonis artibus claruerunt, ea maxime de causa, quod ingeniis excolendis occasionem præbuisse videtur plurimam celebris Bibliotheca, quæ in Cœnobio extat Fratrum Conventualium S. *Francisci*, quamque ædificio pulcherrimam, ac insignibus tam Hebraicis, quam Græcis, & latinis manuscriptis Codicibus refertam esse, *Rocca* sacelli sanctitatis Vestræ Custos in Libro, quem inscripsit de Vaticana Bibliotheca, testatur. Stimulum quoque adjicit hominibus nostris ad capessenda studia literarum opportunitas illa, XXVI. (XXVI.) quod scilicet hac in Urbe quot annis scientiarum prælectiones habeantur, exterorumque quoque Discipulorum frequentia non mediocri: Artibus vero mechanicis eatenus *Cæsenates* dant operam, dum Civitatis commodis, ac necessitatibus consulant; Medicina tamen summopere apud eos excolitur, in quo studii genere plurimi exstitere præstantissimi viri, itemque in pingendi, atque architectandi facultate. In re autem militari *Cæsenates* apud *Romanos* summo in pretio habiti sunt. Quum enim *Flaminius* Tribunus Plebis legem promulgasset de dividendo *Piceni*, ac *Flaminiæ* agro, *Cæsenatibus*, tamquam *Romanis* Civibus Patrium Territorium assignatum fuit, propterea quod ipsi *Romani* horum opera in bello adjuti fuere, & præclaram in bellicis rebus virtutem admirati, quod in Libro originum apud *Catonem* legitur: *Ager Gallicus vocatur, qui viritim Cæsenatibus datus est ultra agrum Picenum. Cæsar* quoque in Civili Bello *Cæsenatium* operam postulavit, quemadmodum *Lucanus* ostendit, quum fluminum nominibus eos designat populos, qui *Cæsari* opitulati fuere.

Crustumiumque rapax, & junctus Sapis Isauro.

A Igitur *Cæsenates* validi, ac bellicosi, minimeque tolerantes injuriarum, quas inferrent finitimi, cum his sæpe bellum gerebant, ut ex *Bononiensibus* historiis, aliisque veteribus Codicibus datum est intelligere. *Cerviensem* Civitatem in suam potestatem redegerunt, eique diu dominati sunt, quemadmodum testatur *Ludovicus Dulcius* in suo libro, quem inscripsit *Giornale dell' Istorie del Mondo*. Cum *Ariminensibus Bulgariæ* oppidum abripere conantibus dimicarunt, quod oppidum adhuc in *Cæsenatium* ditione est. Dum armis usa fuit, floruitque Civitas, fines suos late protulit; sibi enim subjecit *Sancti Archangeli* oppidum, ut B in historiis *Bononiensibus* legitur, *Theodranum*, *Riverscianum*, *Montem Acutum*, *Subrivolum*, *Polentam*, *Formianum*, *Lugariam*, *Rontam*, *Laugenam*, *Montem veterem*, *Scanellum*, *Casalecchium*, *Montianum*, *Ronchifriddum*, aliaque loca, de quibus *Guicciardinus* in decimo tertio suarum historiarum libro, & *Corneus* in consilio centesimo nonagesimo sexto libro secundo mentionem faciunt; sed tamen nostræ gentis vel felices, vel adversos bellorum eventus si persequi dicendo omnes vellem, molestus fortasse essem. Addo tamen, plures *Cæsenates* fortissimos, ac strenuissimos Duces C fuisse.

Fabritius a *Balneo* Comes in historiis *Etruriæ* ab *Adriano* commendatus, ortus e familia illius *Guidi*, qui ob egregiam suam in bellicis rebus virtutem *Guido Guerra* appellatus fuit, de quo, tum de cæteris omnibus illius stirpis, belli Ducibus, *Jovius*, *Joannes Villanus*, *Leander Albertus*, aliique scipserunt.

Cæsar Beccarius sua tempestate, cum per alia facinora egregie floruit, tum bello *Mirandulano*, ut ex historiis illius oppidi habetur.

Malatesta Novellus Cæsenæ Patricius, ejusque D Pontificio nomine vicarius; quamquam ad castra nunquam profectus sit, non minus tamen, ut Religione, ac pietate, sic bellica virtute sese insignem ostendit, deque illo plures Poetæ cecinerunt.

Masinus, *Nardus*, *Jacobus*, & *Joannes* e gente *Masinia* orti, quos plures Historici, ac præsertim *Adrianus*, commemorant.

Alexander Martinellius Jurisconsultus, & Dux Militum, de quo *Tolomeus* in epistolis, ac *Mazzonius* in volumine suarum thesium mentionem faciunt. Alii quoque exstitere belli Duces, quorum licet scriptores non meminerint, armorum E tamen gloria præstiterunt; quorum etiam alii clariorum ordinum Equites fuere, alii ditionibus potiti: Nam præter eas, quas superius memoravi, *Malatestarum*, & *Guidiorum* gentes, ex *Alidosiis* etiam, *Cacciaguerris*, *Gotofredis*, *Roverellis*, *Tibertis*, aliisque familiis plures in iisdem honorum gradibus sunt laudabilissime versati. Ut autem in armorum tractatione se Cives exerceant, hastiludium quotannis edi solet, in quo viri duo Cataphracti, lanceis ingentis magnitudinis inter se concurrunt, sæpeque evenit, ut alter alteri Galeam, aliaque arma detrahat, dejiciatque, vel ipsum hominem ex equo deturbet, quæ res non secus ac olim F *Romanis* Naumachia, & qui in theatro fiebant Ludi, eximiam admirationem, & voluptatem spectatoribus affert. Eadem quoque de Causa Rusticanæ Plebis militia conscripta est, statisque temporibus in speciem belli exercitationibus vacat.

Urbem istam, quam egregie illustrarunt Cives, quos supra memoravimus, *Romani* quoque plurimo in honore semper habuere; Eam enim Coloniam fecerunt, quemadmodum ostendit *Frontinus* in Libro Coloniarum, descriptionem referens situs hujus Civitatis a Triumviris Agrariis factam more in cœteris deducendis Coloniis usitato:

tato: Verba Triumvirum: *Ager Urbis Saviensis limitibus maritimis, & Montanis Lege Triumviri, & loca hæreditaria Populus accepit.* Idque magis liquet ex Inscriptione in Monte Sanctæ Mariæ reperta, quam tradit *Petrus Appianus*, quum vetera *Italiæ* refert monumenta.

A. LVCRETII. HISTORICI. AC. POETÆ.
CONDITORIS VERISSIMI
CVI. OB. EXCELLENTIAM. INGENII
STATVA. CONDONATA
AC. CIVITATI. CÆSENÆ
ROMAN. COLONIÆ. DEDVCTÆ
IN. HOC. SACRO. MONTE. DEDICATA.

Ad hæc multi *Romanorum* Urbem istam incoluere; plura id ostendunt Epitaphia, quæ tam in Urbe, quam extra Urbem reperta sunt; Urnæ præterea ustorum Cadaverum cineribus repletæ, lucernæ deinde, ac numismata, de quibus omnibus si verba facere vellem, magnum sane volumen conficerem; Quod ne faciam, proferam pauca quædam dumtaxat Epitaphia, præsertim quum alii reliqua jam collegisse, atque evulgaturi esse dicantur, qui procul ab occupationibus, queis premitur Aulicus, satisfacere cum sibi, tum cæteris diligentissime poterunt. In æde igitur Sanctæ *Mariæ ad Montem*, cujus pavimento inscriptum visebatur: TEMPLVM PIETATIS: hoc fuisse Epitaphium scribit in *sua Orthographia verb. Deliciæ.* Aldus Manutius:

T. MANILIO C. F. HOR. RVFO
SEXTILIAE. P. L. DATAE. VXORI
SEXTILIAE. P. L. PRIMIGENIAE.
ANNORVM XIII. DELICIVM EORVM.
DATA
D. S. P. F. C.

Aliud hoc etiam ibidem inventum esse refert *Leander Albertus.*

SEJA T. F. MARCELLINA SIBI, ET
VIBENNIO MARCELLINO FILIO
VIVA POSVIT
QVOD VOLVIT, ET POTVIT, QVOD
POTVIT, ET VOLVIT.

In Cathedrali Templo paucis abhinc annis prope Aram Visitationi Beatæ Virginis *Mariæ* nuncu-

A patam, in quodam lapide, qui admodum antiquus esse videbatur, hoc erat inscriptum.

JVNIA TALLIA V. F. SIBI
ET JVNIO NEPOTI CONJVGI
ET FILL.
N. M: H. N. S.
SI QVIS HANC ARCAM
APERVIT. DABIT
IN FISC. CÆS. HS. N. LX.

In Monte, quem supra memoravimus, cui Templum Divæ *Mariæ* sacrum insidet, referunt
B *Aldus Manutius* P. F. ac *Leander Albertus* hoc Epigramma repertum fuisse

D. M.
P. CRASSINIO MARTINIO MILITI
COHOR. III. PRAETORIAE. S. T. M.
SEXTILIA, SEMPHICIA CONJVNX
INCOMPARABILIS CONIVGI SVO
KARISSIMO DOLENS POSVIT, ET
C LIBERTVS H. V. CRASSINIVS F.
ET IPSE DOLENS CVRAVIT

A veteribus igitur *Romanis* quemadmodum multo in pretio habitam fuisse *Cæsenam*, ita honorificentissime a scriptoribus memoratam sæpe me in hoc commentario ostendisse jam puto: Adjicere operæ pretium nunc arbitror *Gaudentium Merulam* in secundo de Gallia Libro Urbem *Cæsenam claram, & antiquam* appellasse: *Vetustam, Volateranum* in quarto Geographiæ: *Nobilem, & antiquam Jovitam Rapiccium* in oratione in obitu
D Polisenæ attendi: *doctam, Sebastianum Citernensem* in Epigrammate ad *Antonium Casarium. Florentissimam, & copiosissimam Urbem* in sua Orthographia *Aldum Manutium: Cælium Calcagninum* in duodecimo suarum Epistolarum libro ad *Peregrinum Muratum* de ea sic loquutum fuisse: *Nam apud me Cæsena solet multis laudibus commendari, vel quoad soli fœcunditatem, vel quoad hominum mores, &* (XXVII.) *Comitatem.* Alii quoque Auctores ejus honorificentissime meminerunt. Hæc sunt quæ perlegi de *Cæsena* Patria mea, & quæ colligere, atque enarrare opportunum duxi in hoc Commentariolo, quod ad Sanctissimos tuos Pedes denuo provolutus tibi offero.

F I N I S.



ELCHREI DINUNDÆ IN CÆSARIS BRIXII URBIS CÆSENÆ DESCRIPTIONEM ADNOTATIONES.

EJUSDEMQUE IN SUAS ADNOTATIONES PRÆFATIO.



St illud, ut mihi quidem videtur, præclare ab iis, qui monumentis literarum mandare aliquid, atque edere instituerint, sapientissimeque usurpatum, ut & quid consilii ceperint, & quid sibi fuerit propositum, initio jam ipso scribendi enarrent, ac patefaciant: Ut enim exiguo aliquo in spatio, ac perangusto ducta a pictoribus lineamenta ejus formæ, quæ deinde majori in tabula repræsentari oporteat, quum intuemur, ex iis futuræ imaginis cognitionem, ac judicium præripimus; ita ubi consilium scriptoris appareat, perspectumque sit, totius operis veluti anguste expressa effigies deprehenditur. Quo plane fieri videmus, ut qui lecturi sunt, initio ad eum modum commonefacti, & judicare de totius scriptionis, quam adhuc oculis non lustrarint, natura, atque indole, & pronunciare quid sentiant, non dubitent. Quamobrem quid mihi propositum fuerit in hisce commentationibus, quem quasi scopum, quo cuncta collinearem, delegerim, præfari opportunum existimavi. Cæsenatis *Urbis descriptionem, Civium belli, pacisque artes non sine laude* Cæsar Brixius *complecti mihi visus est eo in Commentario, quod Italica lingua conscripsit, ediditque typis* Ferrarienfibus: *in quo si minus historiæ ordinem persecutus est, satisque habuit quoquomodo strictim, cursimque res attingere, reprehensione tamen careat oportet, quum honorificentiora quæque monumenta Civitatis collegerit, unoque sub adspectu posuerit; adeo autem studuerit brevitati, ut ego interpretor, ne quum descriptionem illam* Clementi VIII. *Pontifici Maximo, cui in famulatu erat, gratiosusque esse cupiebat, exhibere vellet, tum scilicet quum Pontifex* Ferrariam *iter habens,* Cæsenæ *commoraretur, longiori oratione, & exquisitori apparatu occupatissimo Pontifici molestias ullas adferret. Fortasse etiam exiguo sumpto ad scribendum spacio, dum Pontifex* Ferrariensem *profectionem moliretur, opusculum illud, tumultuarie, ut ita dicam, absolvit, quo* Cæsenam *advenienti Pontifici opportune offerre, ac tradere paratus esset. Huic autem Commentariolo Italice quidem, ut diximus, ab Auctore conscripto, Latine autem verso eas ob causas, quæ in epistola ad Senatum* Cæsenatem *ab eo, qui vertit, afferuntur, placuit Adnotationes quasdam adjicere, ut quæ sunt in eo anguste conclusa, aliquanto latius explicarem; partim aliorum Scriptorum testimonio confirmarem; partim novis augerem monumentis; denique hoc genere scriptionis omnia complecterer, quæ ad* Cæsenatem *historiam pertinere viderentur: Hanc equidem haud me latet a* Scipione Claramontio, *viro in primis mathematicarum rerum doctissimo, scriptam esse; Non tamen hujusce suscepti laboris me iccirco pœnitet, neque hoc nomine a justis rerum æstimatoribus improbatum iri confido: Primum nonnulla adferam de Urbe* Cæsena *vel splendidissima testimonia, vel documenta, quæ* Claramontium *latuisse necesse est: Neque enim alioquin vir patriæ amantissimus, cujus ornamenta totis ingenii, doctrinæque suæ viribus egregie curavit, ea prætermisisset. Deinde quum ipse profiteatur, se non modo* Cæsenatium *res gestas, verum etiam interdum totius* Flaminiæ, *quandoque* Italiæ *universæ statum describere, quod sane luculenter præstitit, actum agere me non putavi, si ad unas* Cæsenatium *res præclariores exponendas me conferrem: Cætera vero eatenus attingerem, dum illis lucem adferre aliquam posse viderentur. Mihi vero in hisce Adnotationibus minime illud onus imponere volui, ut mi-*

nutissima quæque persequerer; multo enim hoc magis me dedecere, qui Annales non conficerem, sum arbitratus, quum vel in ipsis Annalium Scriptoribus reprehendi soleat ab eruditis viris, vetantibus nimirum ea in medium adferri, quæ legentibus nihil aut voluptatis, aut utilitatis sint allatura. Græcorum *eum morbum fuisse ait* Seneca, *quærere quem numerum remigum* Ulysses *habuisset, prior ne scripta esset* Ilias, *an* Odyssea, *aliaque generis ejusdem. Non igitur hic a me exponentur ea omnia, quæ in* Cæsenatium *monumentis occurrunt, sed graviora tantum, & quæ, ut conjicere mihi licet, rigidiores quique Censores non indigna posteriorum memoria, ac luce judicabunt. Ab exponendis etiam illustrium familiarum, quæ certe plurimæ sunt, genealogiis, supersedebimus, propterea quod a* Brixio, *qui itidem eas non attigit, nullus nobis ad id aditus, atque opportunitas datur: Hoc solum vero per* Brixium *nobis licet, ut eorum gesta, qui præstanti virtute in republica præter cæteros floruerunt, commemoremus. Morem præterea sæpe sum detestatus eorum, qui Civitatem, cujus historiam scribendam susceperint, magis ornare, atque extollere sibi videntur, si finitimis detrahant Civitatibus, si has ei mancipare, quasi dicam, adnitantur. Etenim quum aliquid incidit ejusmodi, in quo alteram superasse, earum alteri gloriosum sit, placet mihi hanc merito celebrari, illam vero non conviciis, ac vituperatione dehonestari. Breves esse solere Adnotationes fortasse dixerit quispiam: me autem aliquanto latius excurrere. Ego vero, ut a nemine, quo minus Adnotationibus res* Cæsenatium *exponerem, prohiberi me videram, ita consequi illud necessario putavi, ut sicubi locus postularet, pluribus gestis enarrandis longiori esse mihi liceret. Quid quod brevitas, ut sapienter ille vidit, est etiam in longissima narratione, cui nihil adsit alienum? Hoc genus quidem nos brevitatis, si non assecuti, imitari certe conati sumus. Superest, ut rogem te, Lector, ne in eorum numero esse velis, qui ubi a Romana, aut alia, si quæ similis ei est, historia discesserint, reliquarum Civitatum historias:* Naso suspendunt adunco, *rati nihil, aut fortiter gestum, aut præclare dictum, aut consultum sapienter in iis posse reperiri: Errant enimvero turpissime, qui ita persuasum habent, quippe & hominum ingenia, animi robur, ac vires non certo aliquo spatio circumscribuntur, locusque, ut ait* Aristides, *nec virtutem præstat, nec adimit; & in quibusque Civitatibus ostendendæ virtutis, atque adipiscendarum laudum, vel bellicæ artis, vel doctrinæ, incidunt aliquando tempora: Nam culto quidem earum in populo extat sæpenumero studii scientiarum egregius aliquis fructus. Bellicas autem artes floruisse tam certe necesse est etiam in iis, si quando in Republica universa, cui ipsa subduntur, vicissitudines, ac turbulentissimorum hominum tempestates contigerunt.*

Julius Cæsar Scaliger in Poët.

ADNOTATIONES.

Numerorum Characteres Adnotationibus hisce appositi, iis, qui in præcedenti Descriptione Urbis Cæsenæ occurrunt, respondent.

(I.) *n nobilissima Italiæ regione*] Præclarum sane, ac perhonorificum de hac Regione testimonium extat *Marci Tullii Ciceronis* in *Antonium*, scribentis, ipsam esse *Florem Italiæ, firmamentum Imperii Romani, ornamentum dignitatis.* Eandem regionem quoque ante *Marcum Tullium* gravissimus scriptor *Polybius* celebrarat, qui de illius fertilitate primum, mox de aliis ejusdem laudibus ita Latine redditus disserit: *De fertilitate hujus regionis haud facile dixerim, ita in omnia frugum genera fœcunda est, ut sæpenumero nostra ætate modius frumenti Siculus, non amplius quatuor obulis vænum ierit. Hordei vero non amplius duobus: Dolium vini tantundem: Milii præterea, & farris tanta copia est, ut opinionem hominum superet:* & paulo post: *Jam vero quanta particularium rerum etiam, quæ ad victum hominum spectant, in ea Provincia, copia sit, ex hoc licet intelligere, quod viatores quum in hospitia divertunt, nunquam de rebus, quas sint accepturi, particulatim paciscuntur, quod cæteris in locis fieri consuevit, sed quantum singuli quique homines solvere debeant, cum hospitibus conveniunt. Hi viatoribus honorifice acceptis, & omnibus ad victum necessariis abunde subministratis, non amplius, quam siliquam capiunt (hæc obuli tertia pars est) id pretium raro excedunt: Hominum vero tanta copia, ea proceritas, ac pulchritudo corporum, tantum in rebus bellicis robur, ut facilius sit id ex eorum rebus gestis, quam ex cujuspiam oratione intelligere*: Hactenus *Polybius*: non injuria igitur *Gaudentius*

A *Merula* de orig. Gall. Cisalpin. Lib. II. Cap. 2. (nam plura in hanc rem consignata literis clarorum virorum testimonia recensere supervacaneum ducimus): *inter Apenninum*, (inquit) *& Alpes, & sinum Adriaticum interjacens planities citerior Gallia nominatur, non Italiæ modo, verum & totius Orbis, scriptorum omnium cum latinorum, tum Græcorum suffragiis, beatissima.* Atque hæc quidem universe ad totius regionis laudationem pertinent, probantque illud verissimum, quod ait *Brixius in nobilissima Italiæ regione Cæsenam sitam esse*: Peculiares autem Agri *Cæsenatis*, ac proprias illius laudes alio loco, quum Adnotationum ordo postulare videbitur, attingemus.
B Hic miror, a *Brixio* prætermissum esse nomen, quo hæc regio, in qua *Cæsena* est, appellatur. Olim quidem *Gallia togata* dicta fuit, quod *Cisalpina Gallia* singulari privilegio, *Romana* toga uteretur. Dein *Flaminia* dici cœpta, a *Bononia* scilicet ad *Rubiconem*, ob viam *Flaminiam*, ut putat *Sigonius*, Bonon. hist. Lib. I. quam *C. Flaminius* Consul anno Urbis conditæ. IↃLXI. a *Bononia* perduxit *Aretium*.
C Quod etsi difficultate non careat, quum hoc *Flaminiæ* nomen a *Paulo Diacono* excogitatum, neque ante illius ætatem exauditum aliqui dicant: nos tamen *Sigonii* auctoritatem secuti, usitatum verbum certæ regioni significandæ causa, retinebimus. Quibusdam vero etiam *Æmilia* nominatur, fortasse quia *Marcus Æmilius Lepidus* Consul, & *C. Flaminii* Collega a *Placentia* ad *Ariminum* viam straverit, quo eam, ut inquit *Livius*, cum *Flaminia* committeret: quam-

quamquam aliter *Strabo* hasce vias describit; *Flaminium enim*, inquit, *viam a Roma per Etruriam Ariminum*, *Lepidum ab Arimino Bononiam*, *atque Aquilejam perduxisse. Æmiliæ* nomen tulisse hanc regionem, ex eo etiam conjicit *Sigonius* de antiq. jur. Ital. Lib. I. Cap. 24. quod *M. Æmilius Lepidus* fuerit, qui eam in Provinciæ formam redegerit. Plane posteaquam *Constantinus Magnus*, quum universum Imperium ordinaret, *Italiam* in regiones XVII. dispertitus, *Liguriæ Mediolanum*, & *Ticinum* adscripsit: Cottiis Alpibus *Derthonem*, *Genuam*, & *Savonem*: *Æmiliæ*, Urbes a *Placentia* usque ad *Forum Cornelii*: *Flaminiæ* a *Foro Cornelii* usque ad *Ariminum Venetiæ* ab *Abdua*, ut ante, usque ad *Istriam*, liquet intervallum illud, in quo *Cæsena* est, *Flaminiam* dici debere, nec omnino proprie a quibusdam *Æmiliam* nunc appellari. Verum nostra ætate & communiter, & jure, posthabito *Flaminiæ* nomine, *Romania* vocari solet, quod ei nominis inditum est jam inde a *Caroli Magni* temporibus, ob præclaram fidem, qua erga *Romanos* vel Pontifices, vel Imperatores tota hæc regio floruerat, qua ut maxime claruerint *Cæsenates*, suo loco dicemus. Rem enarrat *Blondus*, & *Volaterranus*: *Blondi* quidem in Italia illustrata, de *Romandiola*, quam tamen nostræ ætatis eruditi, integriori vocabulo, *Romaniam* vocant, verba sunt: *Quam longitudinem, & nunc habet Ravennatis Ecclesiæ Exarchatus; provincia cujus tota id Romandiolæ nomen obtinuit; Quod quidem nomen ostendimus in historiis, Carolum Magnum, & primum Adrianum Pontificem Romanum, post oppressos, dominioque privatos Longobardos, ea maxime ex causa indidisse, quod toto Longobardorum tempore Ravenna cum propinquis aliquot Civitatibus, & Oppidis Romano populo fidem constantissime servavit:* Volaterrani autem verba *Commentar. Urban. in Gallia togata* sunt: *Quæ omnia Pipinus, Aistulpho superato, qui eas occupaverat, Romano Pontifici tribuit: quod & Carolus, & ejus postea filius Ludovicus comprobavere, voluereque hanc partem, Romandiolam dici, ex Urbis Romæ nomine, cui fidissima semper, conjunctaque fuit:* Id ipsum quoque *Sigonius* prodidit in Bononiensium historia; inquit enim: *Carolus Magnus regionem, quam Longobardi Reges in Æmilia, Liguria, Venetiaque tenuerant, Longobardiæ: Flaminiam, quam Exarchi rexerant, Romandiolæ nomine voluit appellari, scilicet quod illa pro Longobardis; hæc fere pro Romanis inconcussa fide stetisset.*

II. (II.) *Inter Sapin*) Fluvium hunc *Plinius Sapin* appellat, *Strabo* vero *Isapin*; Excurrere eundem prope Civitatis *Cæsenæ* muros *Danthes Aligherius* Inf. Cant. XXVII. narrat eo carmine, quo *Cæsenam* sic designat, quodque latine adscribemus.

Sola ea, cui rapidus muros irrorat Isapis.

Ad hujus Fluminis ostia Portus est prope *Ravennam*, ubi *Octavianus Augustus*, teste *Suetonio*, classem ad tuendam oram *Illyricam* collocarat: eo loco flumen, nostra ætate aquarum ingenti copia sic tumet aliquando, ut *Ravennæ*, quæ illi subjacet, obruendæ, delendæque metum vehementer incutiat. Extat perelegans *Ulyssi* Cardinalis *Gozzadini*, dum in Provincia *Romania* legatum ageret, ad Cives *Ravennates* Epistola, qua sapientissimus Princeps, idemque eloquentissimus, simul imaginem Urbis aquis demersæ, ni sedulitas, ac diligentia Civium occurrat, animis eorum proponit; simul hortatur, stimulat, nullo labori parcant, ac omni opere Civitatem communiant. Ab hoc *Sapi* fluvio, ut notat *Cluverius*, Ital. antiq. Lib. I. Cap. 28. proximam *Umbriæ* partem circa *Sarsinam* oppidum, olim *Sapiniam* tribum appellabant.

III. (III.) Et *celebrem Rubiconem*] Celebris, vel quia quum antea *Æsis* fluvius *Italiam* a *Gallia* distingueret, propagatæ deinceps *Italiæ* terminus fuerit *Rubicon*, vel quod *C. Cæsar* initio civilium bellorum contra senatus auctoritatem armatus illum trajecerit. Quod factum pluribus veterum scriptorum memoratur. *Appianus Alex.* latine redditus, sic Lib. II. tradidit: *Is autem* (nempe Cæsar) *enavigato Britanico pelago, & a Celtis, qui supra Rhenum incolunt, superatis Alpibus, quinque millibus peditum stipatus, equitibusque tercentis, petebat Ravennam, quæ Italiæ contermina erat, extrema in ipsius Provincia:* Aliquanto post: *Primores exercitus parvis copiis, verum audacissimis illis quidem suffultos, ac pacis veste contectos, Ariminum propere destinat, jubetque repente Civitatem occupare, quæ Galliam egredientibus prima Italicarum sese offert: Ipse circa vesperam, quasi male adfectus corpore, digressus e convivio, amicis ibi adhuc discumbentibus, & curru invectus, Ariminum intendit, equitibus longo intervallo sequentibus, quumque continuato cursu pervenisset ad Rubiconem amnem, defixis in eum oculis, hæsitabat nonnihil, cogitans futuras calamitates, si armatus amnem trajiceret: tandem versus ad Comites, Amici (inquit) transitus hic dilatus, erit mihi malorum omnium initium; propere autem a me susceptus, cunctis erit mortalibus: Et cum dicto veluti furore percitus, cœpit magno impetu trajicere, vulgare illud exclamans: jacta est alea: inde pari celeritate progressus, Ariminum prima luce occupat:* Suetonius in vita C. Cæs. Cap. 30. haud dissimili prorsus modo rem narrat: *Transit* (inquit) *in Citeriorem Galliam, conventibusque peractis, Ravennæ substitit, bello vindicaturus, si quid de Tribunis plebis intercedentibus pro se gravius a senatu constitutum esset:* idem. Cap. 31. *Cum ergo sublatam Tribunorum intercessionem, ipsosque Urbe cessisse, nunciatum est; præmissis confestim clam cohortibus, nequa suspicio moveretur, & spectaculo publico per dissimulationem interfuit, & formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus consideravit, & ex consuetudine convivio se frequenti dedit. Dein post solis occasum mulis ex proximo pistrino ad vehiculum junctis, occultissimum iter modico comitatu ingressus est, & quum luminibus extinctis decessisset e via, diu errabundus tandem ad lucem, duce reperto per angustissimos tramites pedibus evasit, consecutusque cohortes ad Rubiconem flumen, qui provinciæ ejus finis erat, paululum constitit, ac reputans quantum moliretur, conversus ad proximos: etiam nunc, inquit, regredi possumus, quod si ponticulum transierimus, omnia Armis agenda erunt:* subinde Cap. XXXII. pergit. *Cunctanti ostentum tale factum est: Quidam eximia magnitudine, & forma in proximo sedens repente apparuit arundine canens, ad quem audiendum, quum præter Pastores, plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interque eos, & æneatores, rapta ab uno tuba prosiluit ad flumen, & ingenti spiritu classicum exorsus pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, eatur, inquit, quo deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat: jacta alea est.*

Carminibus quoque non ineleganter id ipsum expressit Lucanus.

.... Ut Ventum est parvi Rubiconis ad undas:
subinde.

Tum vires præbebat hyems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia Cornu,
Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes:
Primus in obliquum sonipes opponitur Amnem
Excepturus aquas, molli tum cætera rumpit
Turba vado faciles jam fracti fluminis undas:
Cæsar ut adversam, superato gurgite, ripam
Attigit, hesperiæ vetitis & constitit arvis.
Hic, ait, hic pacem, temerataque jura relinquo,
Te, fortuna, sequor, procul hinc jam fœdera sunto.

C. Brixius.

Est autem præstantissimi Geographorum *Philippi Cluverii* testimonio antiquus *Rubicon* is fluvius, qui in agro *Cæsenatium* excurrit, quique, ubi circa viam *Æmiliam* duo millia passuum ab *Cæsena* versus orientem dilabitur, *Rugone*, *Rigone*, *Urgone*, corrupto vocabulo, ab Accolis nominatur; ubi vero prope *Cæsenaticum* portum effluit, vocatur *Fiumecino*, distatque duodecim milliaribus, sed brevibus ab *Arimino*: lubet ipsius hic adscribere *Cluverii* verba, Ital. antiq. Lib. I. pag. mihi 295. quippe quæ rem omnem luculenter enarrant, comprobant, atque apertissime ostendunt:

Rubico, inquit, *exiguus, brevisque amnis, hodieque sui parte circa viam Æmiliam duo millia passuum ab Cæsena in ortum versus vocatur vulgo Rugone, & Rigone, corruptiusque nonnullis Accolis, Urgone; Circa ostium vero, quod tria millia a portu Cæsenatico versus ortum abest, Fiumecino, copiosissimis aquis in mare effluens, quoniam paulo supra mare alios duos amnes se ipso majores dextera ripa recipit; quorum alter in via publica, qua Cæsena itur Ariminum, tria millia passuum a Rubicone remotus vulgo Pisatello: alter totidem millia ultra hunc, Borco vocatur, omnium maximus, dextera ripa oppidum Savinianum abluens: unde etiam ipsum Rubiconis ostium multi accolarum Fiume di Saviniano vocant:* subinde: *Rugonem licet copia aquarum longe sit inferior reliquis duobus, præsertim æstivo tempore, ubi fere totus ejus alveus aret, tamen antiquorum esse Rubiconem, primo vocabulum ipsum evincit, tum veterum scriptorum Strabonis, atque Lucani auctoritas, quorum* ille *Lib.* v. inquit, Καισήνα, πρὸς τῷ Ἰσάπι πωταμῷ καὶ τῷ Ῥουβίκωνι ἤση συνάπλουσι τῷ Ἀριμίνῳ. id est. *Cæsena apud Isapin, & Rubiconem amnes, jam Arimino propinquior est; Isapis sub ipsis mœnibus Cæsenæ ab occidente labitur. Ad Rugonem*, ut dixi, versus orientem, sunt ab Urbe haud amplius millia passuum. *Lucanus* Lib. I. ita describit *Rubiconem.*

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, quum fervida canduit æstas,
Perque imas serpit Valles, & Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva Colonis.

Quomodo puniceus intelligendus, docet *Sidonius Appollinaris* Lib. I. epist. 5. *Ravenna*, inquit, *progressis ad Rubiconem ventum: qui originem nomini de glarearum puniceo colore mutuatur, quique olim Gallis Cisalpinis, Italisque veteribus terminus erat. Cæterum parvissimis equidem impellitur undis, quum fervida canduit æstas, serpitque verius, quam labitur per imam vallem, & qua Cæsena itur Ariminum. At hac parte Cæsar non trajecit, sed infra apud ostium, ubi etiam æstate satis copiosas e supradictis duobus fluminibus recipit, atque in mare defert aquas:* Aliquanto post: *Sane neque puniceus glarearum color apud prædictam inscriptionem conspicitur* (loquitur de quadam inscriptione marmorea ad ripam sita, & *Romanum* S. C. ne quis *Rubiconem* armatus trajiceret, præ se ferente, de qua ante plura verba fecerat *Cluverius*) *terra illic fere albicante: neque arundinetum ibidem ullum unquam fuisse potuit in cava, aridaque valle: Verum ad ostium Rubiconis, sive ut nunc vocatur, Fiumecino, utrumque hodie quoque visitur.* Paulo post: *Ab hoc amne* (nempe Fiumecino) *duodecim quidem hodie computantur millia Ariminum usque, at sunt ea paulo minutiora. Eadem igitur hac via olim Cæsar juxta littus iter fecit, pontemque hic jam tum fuisse, sive ponticulum in Rubicone flumine, ex Suetonio patet:* Deinde: *Certum igitur vel ex hoc sit documento, non hac priscos Romanos egisse iter suum via Æmilia inter Cæsenam, & Ariminum; sed deflexisse* A *ad confluentes prædictorum trium amnium præter Rubiconis ripam: Unde mox incidebat in viam Æmiliam aliud iter a Ravenna Ariminum ferens, apud locum, qui inde Compitum vocabatur.*

Hæc igitur a *Cluverio* præclare exposita, atque sancita viam omnem occludunt *Ariminensibus* contra disputandi, adscribendique nomen *Rubiconis* eorum fluvio, qui *Lusus* appellatur: Vetus est ipsos inter, ac *Cæsenates* hac de re controversia, ideo nata, quod nonnulli scriptores, & *Cæsenates* ipsi etiam, antea designarunt, antiquum esse *Rubiconem* fluvium illum alterum, qui *Pisatellus* dicitur, quemque non *Rubiconem* esse, sed tria B millia passuum ab illo remotum, præclare ostendit *Cluverius*, aliorum explosa sententia, in eundemque *Rubiconem* dextera ripa paulo supra mare defluentem: Hunc enim *Ariminenses* opponebant ab eorum Civitate nimium distare: *Cæsarem* nequivisse tantum perficere itineris tam brevi intervallo, quod inter postremum noctis tempus, quo pervenit ad *Rubiconem*, & primam lucem, qua cepit *Ariminum*, intercedit. Pervenisse autem ad *Rubiconem* extrema nocte, & circa lucem, e *Suetonio* colligi dicebant, ajente: *ad lucem duce reperto, per angustissimos tramites evasit, consecutusque cohortes ad Rubiconem.* Prima vero luce C occupatum *Ariminum* a *Cæsare*, liquere *Appiani* testimonio: Verum si, ut palam fecit *Cluverius*, *Rubico* fuit olim is fluvius, quem nunc circa quidem viam *Æmiliam*, duo millia passuum ab *Cæsena*, ortum versus *Rugonem: Rigonem*, & *Urgonem*: Circa autem ostium illius, *Fiumecinum* appellant, plane a *Fiumecino*, quo loci *Cæsarem* transiisse probat idem *Cluverius*, duodecim millia passuum, sed brevia ad Ariminum sunt; ad quod iter idcirco perexiguum tempus satis fuit Cæsarianæ celeritati, quam in hoc potissimum negocio *Cæsarem* adhibuisse, ea ostendunt *Appiani* verba: D *Et cum dicto, veluti furore percitus, cœpit magno impetu trajicere, vulgare illud exclamans: jacta est alea: Inde pari celeritate progressus, Ariminum prima luce occupat:* Quod si *Ariminenses* contendant, tempus, quo a *Rubicone Cæsar Ariminum* pervenit, non justum aliquod, puta horæ spatium, sed pauca momenta fuisse, nec *Luso* quidem eorum fluvio, quem antiquum *Rubiconem* esse volunt, prospicere videntur. Quum enim ab illo *Ariminum* usque sex millia passuum sit iter, paucis momentis non conficitur: sin, ut oportet, plura distinxerint, proxime scilicet adventantis, exorientis, natæque lucis intervalla, plane E quo uno argumento uti poterant, ut agro *Cæsenati Rubiconem* abjudicarent, se destitutos esse, fateantur, necesse est: Ita enim recte *Suetonii* sententia deprehendetur, cum ait; *ad lucem duce reperto*: proxime adventantis lucis tempus ab eo designatum fuisse, nec tamen sic luci propinquum, ut ab illa paucis dumtaxat momentis abesset: neque enim alioquin, si verba illa *ad lucem*, significarent exorientem lucem, aut, quod idem est, tempus paucis momentis absens ab luce, *Suetonius* cum aliorum dictis conveniret, qui vel ante lucem a *Cæsare* captum *Ariminum* prodiderunt, vel qui nocturnum tempus fuisse scribunt, etiam F quum jam *Cæsar Rubiconem* trajecerat. Nam *Plutarchus* in vita *Cæsaris*, ante lucem ab eo captum *Ariminum* enarrat: Et *Lucanus* eundem *Cæsarem* describit, quum *Rubiconem* jam transiliisset, adhuc in noctis tenebris agitantem consilia: inquit enim:

Cæsar ut adversam *superato gurgite* ripam
Attigit, Hesperiæ vetitis & constitit arvis;
Hic, ait, hic pacem, temerataque jura relinquo,
Te fortuna sequor, procul hinc jam fœdera sunto.

Cre-

Credidimus fatis, utendum est judice bello:
Sic fatus noctis tenebris *rapit agmina ductor*
Impiger, & torto balearis verbere fundæ
Ocyor, & missa Parthi post terga sagitta,
Vicinumque minax invadit Ariminum, & ignes
Solis, Lucifero, fugiebant Astra, relicto.

Lepide forsan quispiam opponat, exorientem lucem plane a *Suetonio* significari, quum sine illa, ostentum, quod describit ipse *Suetonius*, adspicere *Cæsar*, ejusque milites nequivissent: Verum hæc tanti apud me non est fabula, ut ipsius gratia *Cæsarem* die jam lucescente pervenisse ad *Rubiconem* existimem, falsosque ducam, & *Plutarchum*, & *Lucanum*, qui secus scripserunt. Porro quis unquam Geographorum dubitavit, quin *Rubico Cæsenatis* agri sit fluvius? *Gaudentius Merula* de orig. Gall. Cisalp. Lib. II. Cap. 2. eundem ipsum designat esse, quem *Cluverius*, quamquam paulo aliter exponit corruptum illud vocabulum, ac nomen, quod *Rubiconi* ab Accolis inditum est. Nam apud illum *Castillionæus* in dialogo ab ipso inductus sic fatur: *Rubicon non procul a Sarsina Plauti patria fontes habet, vocaturque hac ætate a circumvicinis populis materno idiomate altius Rugum; paulo inferius, Rugosum; novissime non procul a sinu, in quem influit, Adriatico, Pisatellum ingreditur per duo millia passuum juxta Cæsenam:* Mitto Leandrum *Albertum*, *Ortelium*, *Baudrandum*, aliosque (qui a me sane plures proferri possent) & Geographos, & Historicos, quorum decreta innituntur tum Straboni *Lib.* v. qui *Cæsenam*, ait, *Isapi* fluvio, & *Rubiconi* propinquam esse; tum Plinio *Lib.* III. *Cap.* 15. qui ita ordine recenset flumina; *Ariminum*, *Aprusa*, *Rubicon*, *Sapis:* Constat enim hic ordo nunc etiam, ut post *Ariminum* versus Occidentem occurrat fluvius, qui hodie *Luso* vulgo appellatur, corrupto *Aprusæ* vocabulo: post *Lusum Rugo*, qui ut nominis similitudine, sic situ *Rubiconi* a *Plinio* designato respondet; post *Rugonem* demum *Isapis* effluat. Ab *Ariminensibus* proferri video, qui *Ravennam* inter, & *Ariminum*, *Rubiconem* excurrisse prodiderunt: *Cæsenæ* vero nullam mentionem fecerunt: Magnum quiddam hoc esset, ni constaret, partem illam veteris *Rubiconis*, per quam *Cæsar* trajecit, quæque hodie *Fiumecinus*, ut antea demonstratum est, appellatur, *Cæsenati* agro interfluentem, esse *Ariminum* inter atque *Ravennam:* Nihil igitur oportuisse *Cæsenæ* mentionem fieri a scriptoribus, qui transitum *Cæsaris* descripserunt. Quum enim veteres *Romani* non iter suum agerent, ut egregie a *Cluverio* adnotatum est, in via Æmilia inter *Cæsenam*, & *Ariminum*; sed deflecterent in aliud illud iter a *Ravenna* ad *Ariminum* apud locum, qui *Compitum* vocabatur, nulla in hoc transitu describendo *Cæsenæ* mentio occurrebat.

IV. (IV.) *Suavi, ac temperato aere fruitur*] Id ipsum quoque probat *Joannes Blaeu* sic inquiens: *Cæsenam clemens aer ambit, & salutaris, quod ab ortu solis, atque occasu ventorum flatibus pateat: ab Austro vero sit Appennini jugis defensa.* Hujus aeris amœnitate *Honorium* Augustum mirifice delectari solitum, e *Claudiani* Carminibus licet colligere, quum *Honorium*, quod ab amœnissimo *Rubiconis* agro detineretur, nomine Urbis *Romæ* hortatur, ne absens *Tybrim* sua luce privet: Sic enim ipsam Urbem *Romam* inducit loquentem.

Vestra (Parens Auguste) queror, quonam usque tenebit
Prælatus mea vota Ligur? vetitumque propinqua
Luce frui, spaciis decernes gaudia paucis,
Torquebit Rubicon vicino nomine Tybrim?

A Ad id ipsum quoque demonstrandum pertinet numisma quoddam ætate corrosum inter veteris cujusdam Turris rudera inventum apud *Cæsenates*, in quo facies juvenilis conspiciebatur, & in limbo literæ: HONORIO MAXIMO: qua ex re merito, ut *Claramontio* videtur, licet conjicere, *Honorium*, imperii Sede *Ravennæ* collocata, deliciarum, atque animi causa usum *Cæsenati* agro, regiis ædibus ibi ad æstivandum excitatis.

(V.) *Rebus omnibus, quæ ad victum necessariæ sunt, uberrime affluit.*] Nullus fere scriptor de *Cæsena* verba facit, quin agri illius fertilitatem summis laudibus tollat. Quo in genere non modo cum universa regione communiter, sed præcipue ipsa commendatur: Est enim apud *Joannem Blaeu* in theatr. rer. adm. Ital. in descript. Cæsen. *Ager Cæsenas meridiem versus in molles, frugiferosque clivos decem mille passibus extensus generosa vina, atque oleum cibarium copiose producit, cæterosque fructus præstantia, atque ubertate incredibili:* Mox: *Eandem plagam meridionalem spectat S. Victoris Vallis a Sapi fluvio divisa, fructiferis vineis utrimque ad dena milliaria, & ultra, exculta; ab occasu latissimos habet campos; & Mare Adriaticum versus, quod Orientem spectat, sunt molles collium acclivitates, quæ Cæsenatia vina Mæcenati adeo laudata progignunt:* Nequaquam parcius est *Ughelli* judicium hac eadem in re; is enim de Episcopis, qui *Cæsenatem* Ecclesiam rexere, verba facturus, Civitatem ita initio describit: *Intra murorum circuitum ad Mortalium multa millia alit, abundatque fertile solum ad usum, jucunditatemque incredibili copia rerum.* Pertinent huc etiam quæ *Leander Albertus* de Gallia Bojorum pag. 303. adnotavit, cujus Italica verba Latina sic fecimus: *Ex hoc loco* (nimirum e *Cæsenatium* monte, cui celebre Templum insidet, Deiparæ Virgini dicatum, de quo postea) *pulcherrima planities magis, magisque se pandit versus Occidentem inter Appenninum, ac Mare Adriaticum, quæ frumento, aliisque rebus gignendis, ut antea dixi, abunde pollens, potensque est. Appennini Colles ita vitibus, oleis, ficubus, aliisque fructiferis arboribus referti sunt, ut specie amœnissima viridaria videantur.* Porro vina *Cæsenatia* non modo *Straboni*, ac Plinio *Lib.* XIV. *Cap.* 6. summopere celebrantur, ac *Mæcenati* grata fuisse, ab eoque *Mæcenatiana* appellata, proditum est, sed inde etiam *Constanti*, ac *Constantio*, Magni *Constantini* filiis fuere quoque perjucunda: *Constantii* quidem extat ad Ordinem *Cæsenatium* epistola, quæ perspicue id ostendit *in l. vinum C. Theodos. de Annona, & Trib.* in qua & meminit jussionis *Constantis* sui fratris, qui decesserat. Nam *Constans* hic alter, qui in epistola cum *Constantio* simul inscribitur, est (ut putat *Gothofredus*) *Gallus Constantii* fratruelis. Accepit autem *Constantis* nomen, ubi ad Imperii Consortium adscitus fuit. epistolæ exemplum

Impp. Constantius, & Constans AA.
Ordini Cæsenatium.

Vinum, quod ad Cellarii usus ministrari solet, cuncti Italiæ possessores juxta statutum Constantis fratris mei comparent. Quod ut fieri facilius possit, ab omnibus Italis nostris conferatur pecuniæ quantitas ea, quam Rufini viri clarissimi, & Illustris Præfecti Prætorio, Parentis, amicique nostri moderatio dandam esse censuerat. Datum XI. *Kal. Jun. Mediol. Constantio* VII. *& Constante* III. *AA. Cos.*

Nam inquit Gothofredus in Comment. ad d. L. Cod. Theod. *quo ordini Cæsenatium tantum hæc Lex inscriberetur, quæ est de vino ab omnibus Italis comparando, nisi statutum Constantis ad Cæ-*

 se-

senates nominatim spectaret? Quare mens ea mihi, hoc voluisse Constantem, ut videlicet vinum istud cellariense Itali compararent a Cæsenatibus, quorum ager Urbi proximus generosissimo vino nobilis fuit, qua causa Plinius: Proinde ut copia, ita nobilitate illustria fuere vina Cæsenatia. Unde nil mirum, si ad cellarii sui usus Constans Imp. primum mox & Constantius ea comparari voluerunt.

VI. (VI.) *Ad oras Maris Adriatici sibi subjectum, & ab se ædificatum habet Cæsenaticum portum*] Et hoc pertinet ad id, ut Civitati situs, in quo locata est, tum pisces uberrime ad victum, tum cœtera ad cultum necessaria, ob Maris propinquitatem suppeditet, & quod Portus, ut testatur *Blaeu* loco citato; *Anconitano* excepto, sit omnium hujus regionis commodissimus. Qum autem ea non sit Maris, ac Portus vicinitas, quin octo milliariis circiter distet a Civitate, in ipsam iccirco quadrant eæ laudes, quas Urbi *Romæ*, quod neque nihil, neque nimium abesset a Mare, *Livius* attribuit. *Camillum* enim inducit hortantem *Romanos* vastatam a *Gallis* Urbem *Romam* deserere, & alio migrare cogitantes, ne id consilii caperent, interque plura illud proponit, percommodum esse videlicet Urbis *Romæ* situm: *Mare*, inquit, *vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula Classium externarum.* Portum *Cæsenates*, ut scribit *Claramontius*, effoderunt anno reparatæ salutis CIƆCCCIII. nonis Septembribus. tum vero Castrum in eodem Maris littore sub idem tempus excitarunt, ut præter *Claramontium*, prodit quoque *Rubeus* in Ravennatum historia Lib.I. *Bernardinus Polentanus Cerviensis* Portus Prætor, ac Dominus, rem sibi damnosam ratus, *Cæsenatibus* bellum intulit, auxilio cum *Ravennatis* exercitus, tum Comitis Montis *Feltrii*, & *Ugoccionis Fagiolani*, qui ab *Cæsena* exules, Civitati vehementer admodum indignati erant; Portum expugnavit, atque aggere opplevit: Sed illum *Cæsenates* strenue vindicatum rursus effoderunt, instauraruntque anno CIƆCCCXIV; nullis tamen muris cinxere, antiqua modo Arce, & nova turri munitum. Pluries quoque deinde qui Pontificiis, atque ideo *Cæsenatibus* infensi fuere, portum hunc, ejusve Castrum vel occuparunt, vel everterunt. Quum *Ludovicum Bavarum* Imperatorem *Joannes* XXII. Pontifex Maximus Ecclesiæ Communione, & imperii jure privasset, hunc iratum Pontifici incitarunt *Polentani*, atque *Ordelaffi*, ut quemadmodum ante illum Imperatores quidam fecerant, & ipse Comitem mitteret *Flaminiæ* Provinciæ gubernandæ. Verebantur enim, ne Pontificius legatus eos tyrannide exueret, qui Pontifici Maximo recuperare illius Provinciæ Urbes nitebatur: *Bavarus* libentissime postulationi concessit, negotiumque dedit Comiti *Claramontio Siculo*, quem in *Piceno* ducem suorum militum habebat, a quo simul, & a *Polentanis*, atque *Ordelaffis*, teste *Claramontio* hist: Cæsen. Lib. XII. prima suscepta expeditio est in *Cæsenaticum* Portum, cui *Aimericus Ravennæ* Archiepiscopus, & Rector Provinciæ Pontificio nomine præerat. Quem Portum fraude, ac proditione, & quod custodiebatur a paucis, ipsi octo millia, octingentorumque Virorum manu ceperunt, stationem navium aggere oppleverunt, turri denique solo æquata, vastatoque Castello, decessere. Rem *Aimericus*, ac *Cæsenates Bertrando* Cardinali Pontificio Legato significarunt, qui & inique tulit facinus indignum Pontifici, sibique injuriosum, & e vestigio Castellum reædificari jussit, pecunia ab ipso, atque ab *Aimerico* ad id operis suppeditata. Cuncta sunt in pristinum restaurata, firmataque majori præsidio; atque hæc quidem omnia circa annum CIƆCCCXXVIII. evenisse, proditum est. Fluxere deinceps duo supra triginta annos, quum alteram direptionem, ruinamque Castellum, ac Portus perpessus est a *Manfredo*, qui e *Faventiæ* tyrannide ab legato Pontificio pulsus fuerat. Hunc in spem denuo exercendæ tyrannidis erexerat *Barnabas* Vicecomes inimicus *Pontifici*, quia concessum ab ipso *Barnabæ* certis legibus *Bononiense* dominium ademisset. Est autem id factum à Pontifice, quod leges, pactave *Barnabas* non servarat. Sed *Manfredus* quum amissam tyrannidem vindicare sibi denuo frustra tentasset, haud territus, sed irritatus, multo cum equitatu profectus ad Portum *Cæsenaticum*, eum diripuit, magnamque & hominum, & rerum prædam abduxit. Erant in loco maritimo plurium Mercatorum merces, quas abripuit, *Florentinorum* præsertim, quarum pretium duodecim millium florenorum æstimationem superabat. Ad annum CIƆCCCLXXVII. *Bonachino Ambronio Cæsenati* præexcellenti Medico *Gregorius* XI. Pontifex Maximus (quia egregia ejus opera, non semel usus fuisset) quo ad viveret dominium Portus, ditionemque concessit. Per idem tempus quum a *Bonachino Ambronio* possideretur, hunc Portum à Cardinali *Gebennensi* in *Flaminia Gregorii* XI. Legato, contra jus, fasque traditum fuisse *Bernardino Polentano*, ut illo potiretur quo ad Cardinalis acceptam ab ipso *Polentano* mutuam pecuniam dissolveret, proditum est: quanquam aliqui e *Cæsenatium* annalibus ferunt, ante id factum, *Bonachinum Ambronium* ab inimicis, factionis studio, occisum fuisse: Dein vero anno CIƆCCCCII. Portum cepit, ac pessumdedit *Bracchius Perusinus*, quod acerrimæ ipsum inter, ac *Malatestam* inimicitiæ intercederent, cui *Malatestæ* (ut postea suo loco dicemus) *Cæsenæ* regimen a Pontifice fuerat attributum. Postremo *Veneti* Portum, atque Castellum occuparunt; sed anno CIƆIƆV. restituerunt Civitati, quæ ut perincommode eo caruerat, sic restituti utilissimi Portus, Senatores aliquot misit, possessionem caperent summi totius populi plausu, ac lætitia; & ad hanc diem senatus e suo cœtu sortiri solet quolibet semestri, quem Prætorem illuc cum imperio mittat. In Castello nundinæ olim festo Divi *Jacobi* die institui quotannis, & quatriduo celebrari solebant, quæ tamen inde obsolevere. Solemnia vero adhuc eidem Apostolo quotannis ab *Cæsenate* Magistratu fiunt, qui hujus rei gratia illuc se confert, a quo ludi publici curantur. Satis elegans pro loci conditione est Ecclesia major Divo *Jacobo* tutelari dicata, cui Archipresbyter præficitur.

(VII.) *Quod si nonnulli familiarem quandam Ciceronis epistolam*] Exscribenda hic videntur tum *Pauli Manutii* suis in Commentariis ad familiares *Ciceronis* epistolas verba; tum quæ *Aldus Manutius Pauli* filius in sua Orthographia identidem adnotavit. *Paulus* quidem ad locum illum extremæ epistolæ Ciceronis: *Quibus alteri Cæsenam: locus* (inquit) *sine dubio corruptus: neque enim adeo tum ignobilis, aut obscura fuit Cæsena, ut tamquam abjecta res nominari debuerit. Vetus liber Vincentii Ricci sic habet: quibus gesa, vel quibus Sutianarum tabernarum fundamenta credas. Deliberent eruditi, quomodo sit legendum. Livius quidem Lib. IX. de Cæsennia meminit, oppido non admodum celebri, ut fortasse non inepte pro, Cæsenam, Cæsenniam, hic legi possit. Antiquus liber e Cypro Censenam.* Aldus vero Manutius in Orthographia: *Miror autem, ut aliquid dicam ἐν τῷ παρέργῳ. Petrum Victorium in legendis veterum scriptis pervolutatum, locum Q. Ciceronis interpretantem*

tem in Lib. XVI. *epistolarum extremo*, *qui sic habet: Nam isti duo vix sunt digni* (*Hirtius scilicet*, & *Pansa*) *quibus alteri Cæsenam*, *alteri Cossutianarum tabernarum fundamenta credas*, *ita pertinacem in vulgata lectione retinenda fuisse*, *ut nulla mendi suspicione ita se in optimis*, & *antiquissimis Libris invenisse affirmet*: *deque Cæsena in via Æmilia sita intelligendum existimet*: *parum apte omnino*, *quippe qui aut Q. Ciceronis sententiam apertam non assequatur*, *aut Cæsenam ipsam ignorare videatur*, *quum Cicero*, *tamquam de abjecto loco*, *mentionem faciat*: *Cæsena vero non adeo tum ignobilis*, *aut obscura fuerit*, *ut tamquam abjecta res nominari debuerit*, *præsertim ab homine Romano*. Prosequitur inde *Manutius*, nequaquam moveri se, quod *Hadrianus Turnebus* in *Victorii* sententiam iverit: *Turnebum vero* (inquit) *Transalpinum hominem de rebus Italicis sententiam ferentem*, *inania*, *pueriliaque dicere quis non videt*: *Cur non* & *Lugdunum minimum oppidum*, & *frigidissimum dixit*? *At de Cæsena tam male eum opinari non mirum*: *homo Gallus de Lugduno tacet*, *Cæsenam male habet Cæsenam vero minimum*, & *frigidissimum oppidum esse*, *qua auctoritate dixerit*, *ipse videat*. *Strabo certe* Lib. V *eo loco*, *quem supra recitavimus*, *inter nobiles Civitates Cæsenam numerat*. & paucis interjectis, quæ alio loco nostrarum adnotationum commodius, atque opportune adducemus: *Quod autem* (*inquit*) *ad locum Ciceronis attinet*, *eum corruptum esse*, *omnes*, *ut puto*, *ex antiquorum exemplarium varietate intelligent*: *Nam cum hæc scriberem*, *novem habebam antiquos libros*: quorum subinde codicum varietatem hac in re, de qua nunc est sermo, longo ordine recenset. Miror, *Scipionem Claramontium*, quum antea in apparatu ad historiam de hac epistola *Ciceronis* verba faciens, interpretatione *Pauli Manutii* esset usus, corrigere sese in adnotationibus, quas in calce libri decimi adscribit, & loco *Pauli Aldum* reponere: Nam eorum uterque, eodem modo & epistolam illam sic interpretati sunt, nullam ut ignominiam irroget Urbi *Cæsenæ*, & honorificentissimum de hac judicium tulere.

VIII. (VIII.) Urbs *tota in plano explicata est*) De regione, in qua hæc Civitas posita est, supra jam verba fecimus: nunc de eo intervallo mentio incidit, quod Civitas complet: Recte in plano sitam loco eam esse, ait *Brixius*, in quo scilicet hodie ædificia sunt: nam partem, quæ colli insidet, paucissimi habitant: ornant vero (præter celebrem arcem, de qua infra sumus verba facturi) tria Fana quorum alterum *Divo Joanni Baptistæ*, alterum *Divo Francisco Paulano*, tertium *Divo Homobono* sacra sunt: Antiquitus quidem *Cæsenates* & colles, & planitiem incoluere, quo factum, ut quum Civitas gibbosam quandam structuram, collem inter, ac vallem, præ se ferret, *Curva Cæsena* appellata fuerit, quo nomine vocatur ab *Antonino* in itinerario, quod *Sigonius* in extrema pagina voluminis *de Regno Italiæ* descripsit, & *Cluverius* quoque Ital. antiq. cap. 28. refert. Quanquam *Cluverius* unde *Cæsena Curva* appellata sit, se nondum ait dispicere. Placet autem hic non inelegantem *Claramontii* locum recensere, ubi antiquum Civitatis situm describens, egregie ostendit, quemadmodum *Curva Cæsena* vocari potuerit, & ut etiam in speciem stellæ aliquando sese protenderit, ac *Stellæ* inde etiam nomen tulerit: *Vallis est* (inquit) *quam Sapis fluvius findit*; *alteram huic ad ortum torrens exiguus*, *quem vulgo Cæsaulam dicimus*, *irrigat*. *Inter has amœnas Valles Collis assurgit*, *Apennini propago*, *Garampum vetusto nomine appellamus*. *In hoc sedebat Civitas angusta præ populo*: *Fuit enim*, & *est populosa*, *unde suburbia plura interdum septem quasi radii ex orbe*

A *Stellæ fundebantur*, *ut Stellæ formam redderent*. *Hinc aliqui Stellam*, *per metaphoram scilicet*, *appellavere*: *Similem nunc figuram Perusia repræsentat*, *diductis vicis suis universis*, *tamen intra mœnia comprehensis*. *At id præterea intererat*, *quod suburbia nostra in planitiem declinabant*, *illud etiam*, *quod Pydriolum vulgo dicebatur*, *non in jugo*, *sed in latere collis ad Cæsaulam acclivi extendebatur*. *omnibus suburbiis eminebat Civitas*, *inde illa gibbosa structura*, *quæ Curvæ appellationem tribuit*, & *Antonini descriptio repræsentavit*, & *ad D. Petri Damiani tempora perseveravit*. In Colle præterea partem Civitatis olim consedisse declarant, quæ
B *Blondus*, ac *Rubeus* scripsere, *Luitprandum* scilicet *Longobardorum* Regem *Zaccariæ* Pontifici Maximo, qui eum *Ticini* convenerat, ut abrepta oppida Exarchatui restitueret, pollicitum esse, se id facturum, sed tertiam *Cæsenæ* partem, quæ in Colle surgebat, retinere voluisse, munitissimam illam quidem, ut eo consilio *Luitprandus* id fecisse videatur, quo Exarchatui veluti habenas quasdam imponeret: *editiore in tumulo sitam* (ait *Blondus*) *in arcis*, *præsidiique locum sibi reservavit*: *Rubeus* sic inquit: *Cum tertiam oppidi Cæsenæ partem rex sibi perinde*, *ac Arcem*, *munitionemque retinuerit*:
C *Sigonius* non tertiam Civitatis, sed agri *Cæsenatis* partem appellat, quam Rex *Luitprandus* non reddidit, verba *Sigonii* de Regn. Ital. Lib. III. hæc sunt: *Tertio die Pontifex ad Regem ab illo invitatus se contulit*, & *magno honore cultus*, *eum orare suppliciter institit*, *ne Ravennatium ditionem vexare vellet*, & *ut adempta Æmiliæ loca*, *in primisque Cæsenam restitueret*. *Cui Rex*, *licet gravate*, *se in ejus auctoritate futurum respondit*: *Decedentem inde usque ad Padum prosequutus*, *dimisit*, *datis ex primoribus suis*, *qui Ravennatium* (*scilicet Exarchatus*) *loca in primisque Cæsenam redderent*, *tertia tantum agri parte*
D *retenta*. Sed non injuria *Sigonius* a *Claramontio* hist. Lib. V. reprehenditur, quod tertiam agri partem sibi retinuisse dicat Regem *Luitprandum*, non Civitatis: Siquidem nullo munimini, ac præsidio, quod unice Rex optabat, tertia agri pars ei esse potuisset; ut idem *Claramontius* prudenter adnotat. Nec licet intelligere, ad quem usum hanc agri partem postulasset, an ut Rex otii impatiens, quemadmodum a *Sigonio* vocatur, illius agri amœnitate per autumnales delicias frueretur? Denique *Anastasius* cognomento Bibliothecarius, cujus, quod istorum temporum fuerit æqualis, summa auctoritas esse debet, prodit, *Luit-*
E *prandum* duas tantum partes Castri *Cæsenatium* (erat id Castrum munitior Civitatis locus, atque editior) reddidisse, rogatu *Zaccariæ* Maximi, sanctissimique Pontificis, tertia Castri parte retenta. Est igitur *Anastasii* dictis sublata disputatio, resque extra omnem aleam posita. Fuisse autem id consilii, quod antea diximus, Regi *Luitprando*, ut fræna imponeret Exarchatui, declarat præterea mirifice laus illa, qua Urbem *Cæsenam Innocentius* VIII. Pontifex Maximus splendidissime ornavit, quum eam appellavit, scilicet Pontificii Imperii in *Flaminia* tutamen, ac propugnaculum: Ait enim, datis ad *Cæsenates* literis: *Cum*
F *paci*, & *quieti subditorum nostrorum*, & *Ecclesiæ sollicite intendere teneamur*, *inter quos peculiarem semper habuimus Civitatem istam nostram Cæsenæ*, *tanquam Antemurale status nostri Romandiolæ*. Redeamus ad situm Civitatis, ipsam & in colle, & in plano extructam loco, *Danthes* quoque *Aligherius*, infern. Cant. XXVII. designat iis versibus latine sic redditis.

Sola ea, *cui rapidus muros irrorat Isapis*,
Ut pars illius jacet, *ac pars surgit in altum*.

Joan-

Joannes denique *Bleau* non dissimili modo describit situm hujus Civitatis, & superius memorata *Danthis Aligherii* carmina in id profert, ut sunt ab auctore italice scripta.

IX. (IX.) *A Federico II. Imperatore mirifica, & munitissima Arx extructa est)* Confirmant id ipsum *Ughellius*, *Bleau*, *Leander*, ac *Rubeus*: Quippe quum Arx longe antiquior eo incendio vastata esset, quo Civitas etiam misere conflagravit, ætate D. *Severi* Archiepiscopi *Ravennatis* (ut *Andreas Agnellus* eorum temporum scriptor, dein *Rubeus* attestantur) ab *Federico* I. (cui, quod *Mediolanum* vi subactum evertisset, metu *Cæsena* cum reliquis Provinciæ Civitatibus sese subjecit) Arx excitata est, quo facilius Provinciam continere posset in officio, ut scribit *Claramontius* hist. Cæsen. Lib. VII. ex veteribus quibusdam manuscriptis id colligens. Postea quum *Federicus* II. *Federici* I. Nepos grassatus per Provinciam, illius Civitates, quæ in legitimam Pontificum Maximorum ditionem remigrarant, occupasset, *Cæsena*que *Faventinorum* infortunio, qui quod restitissent, capti, ac male mulctati fuerant, edocta, *Federico* se dedidisset, ipse veniæ conditionem, ac legem imposuit, si novam arcem excitari, & communiri *Cæsenates* paterentur. Annuentibus *Cæsenatibus*, quam *Federicus* I. excitarat, Arx dejecta, novaque amplior, ac munitior extructa est. Studiosæ enim Ecclesiasticarum partium Civitatis imperium sibi hoc pacto *Federicus* II. magis stabiliendum existimavit: Atque hæc quidem Arx est, quam *Brixius*, aliique, quos recensui, scriptores memorant. Sed rem, quæ apud istos plane in comperto est, interturbare videtur *Claramontius* hist. Lib. IX. inquiens: *Cæsenæ autem Arcem a Federico impositam evertit* (scilicet legatus) *ut libertate Ecclesiastica, præsidio omni sublato, frueretur*, & alio loco, quo ait, *Aymericum* Pontificio nomine in Provincia Rectorem, novam Arcem a fundamentis excitasse, quia erat: *Post expulsionem Federici Comitis Feretrani, & Zapitini Ubertini dirutum a Populo, quod Federicus II. Imperator posuerat.* Verum quo Auctore hoc dicat, non video, neque tam facile mendacii insimulandos putarim scriptores illos, qui Arcem, quæ extat, esse illam ab *Federico* II. ædificatam prodiderunt. sed quum *Claramontius Aymerici* eo loco, ubi nunc Porta nova est, fuisse describat; (nam & illam nunc exscissam idem ipse *Claramontius* narrat, commodioris viæ sternendæ causa) *Brixius* vero, ac alii Arcem *Federici* II. in colle editiori locent, arbitror, quam *Aymericus* extruxit, senatus autem *Cæsenas* commodioris viæ causa semirutam prorsus everti mandavit, esse aliam Arcem ab ea *Friderici* II. etsi illi adjectam, atque propinquam.

X. (X.) *Roma longe vetustiorem esse, & cum Ravenna, ac Arimino ab Umbris extructam fuisse, Carolus Sigonius Bononiensis historiæ Lib. I. testatur)* Verba *Sigonii* hæc sunt: *Cæterum regionem eam, quæ a Bononia ad Ariminum usque pertinens a septemtrione, Pado amne, & mari Adriatico; a Meridie Apennino monte concluditur, primi omnium, quod literarum monumentis proditum sit, incoluere Umbri, atque Etrusci: utrosque inde Galli; Gallos ipsi jam aucti viribus Romani pepulere. Imperio autem Romano deleto, atque Italia infestis Barbarorum armis oppressa, & hæc regio eandem Gothicæ, ac Longobardicæ dominationis vim, ac tempestatem est passa: vigebat eo tempore summum, atque honestum illud in Regibus studium, ut non tam latis adjungendis regionibus imperia propagare, quam desertas regiones novis condendis oppidis frequentare contenderent. Itaque & Umbri, & Tusci, & reliqui ea, quibus hæc postea celebrata regio est, Oppida construxere; Umbri quidem Ariminum, Cæsenam, & Ravennam. Etrusci vero Bononiam, atque, ut opinor, etiam Claternam, & Faventiam* *Sigonium* autem non puto à quoquam reprehensum iri, quod hæc testibus etiam non confirmet: Historiam enim (*Pallavicin.* hist. del Concil. de Trent. Introd. Cap. 6.) scribentibus minime id oneris imponi solet, ut e quibus quid acceperint, eorum quoque nomina contestentur, nisi forte narratio sit earum rerum, quæ ex aliorum dictis in dubitationem merito venerint: Est enim tum opus res propter vetustatem remotas proferentibus, vetus aliquod monumentum, quo, tamquam duce, usi sint, designare. Porro *Strabo*, *Plinius*, aliique ex antiquis scriptoribus intervallum illud, in quo *Cæsena* est, ab *Umbris* cultum jam tum fuisse, tradunt, cum primum post orbis terrarum inundationem, propagatum est hominum genus; *Umbros*que eo dictos quidam volunt, quod imbribus superfuerint. *Silius* quidem *Italicus* prope *Sapin* ac prope *Rubiconem* amnes, quos inter *Cæsena* est, eleganter *Umbros* descripsit, *Lib.* VIII. *de Bell. Punic.* dum universos *Umbrorum* fluvios exponeret.

De ætate autem, qua *Umbri* eas Civitates condiderint, quamquam fas esse non videatur, certi quicquam statuere, tamen centum, atque amplius annis ante conditam *Romam*, ut etiam observat *Sigonius*, earum originem repeti posse, satis, superque exploratum est. At *Claramontius* aliud Civitatis initium excogitavit; Civitatemque à *Gallis Senonibus* conditam, atque appellatam antiquitus *Senam*, deinde vastatam, *Cæsæ Senæ*, ac per Syncopem *Cæsenæ* nomen tulisse, asserere, ac probare conatus est. Ego vero fæcundum viri ingenium summe laudarim; commentum vero istud a veritate prorsus alienum esse contenderim, nec satis decorum Civitati: quippe quam *Carolus Sigonius* totius antiquitatis oraculum, & summa fide dignus scriptor, ut ab *Umbris* conditam, sic longe vetustiorem prodit *Gallorum* in *Italiam* adventu. Hi siquidem nonnisi *Tarquinii Romæ* regnantis tempore in *Italiam* irrupere, ejectis *Etruscis*, a quibus *Umbri* exacti antea fuerant. Neque vero in hoc commento refutando videtur mihi magno labore opus esse: Nititur enim errore, qui in Basiliensi mendosissimo *Strabonis* Codice, quem notat *Fortunius Licetus* de annulis antiqu. Cap. 43. irrepsit, in quo cum deficiat particula Καὶ, eam idcirco *Claramontius*, ne manca *Strabonis* oratio videretur, nomini Κεσήνα ademit, ut Καὶ pro particula *Et* usurpari hic debeat; σήνα vero sit nomen Civitatis: At in altera *Basileensi* editione longe emendatiori istiusmodi particula non deest. Scribitur enim ibi Καὶ Καισήνα. Latine *Xylander* vertit, *ac Cæsena.*

Idem adstruit etiam *Parisiensis* Codex, &, qui eum interpretatur, *Casaubonus*; denique conveniunt, quæ acerrimi judicii vir *Philippus Cluverius* Ital. antiq. Lib. I. Cap. 28. de *Cæsena* ex *Strabone* profert. Non igitur hic *Strabo Senam Gallorum* recenset, ut putat *Claramontius*; sed *Cæsenam*, quam *Foro Cornelii*, *Faventiæ*que propinquam, uti plane est, describit. Quum alio loco *Senam Gallorum* memoret, eamque cis *Ariminum* ad ortum statuat, quam inter, atque *Anconam* ait, flumen *Æsim* in *Adriaticum* mare defluere. vidit hoc etiam *Aldus Manutius*, *Pauli* filius, in Orthograph. verb. *Cæsena*, in *Strabone* Καισήνα unica dictione legendum esse, deque *Cæsena* intelligendum: *Cæsena* (inquit) *urbs florentissima, & copiosissima in via Flaminia, sive, ut aliis magis placet, Æmilia, sita cum Æ diphtongo scriberem, adductus auctoritate Græcorum: nam cum in quibusdam Codicibus Strabonis* Lib. V. *ita Cæsena* men-

mentio esset, ut vix agnosci posset, nempe sic Καὶ σίνα: *Interpresque & Sena vertisset*; *admonuit me Antonius Casarius Juvenis omnis antiquitatis peritissimus* Καισήνα *unica dictione legendum, & de Cæsena intelligendum: Quod Strabonis ipsius ordo confirmat: nominat enim eo loco Cliternam, Forum Cornelii, Faventiam, Cæsenamque ait Isapi fluvio propinquam, & Rubiconi, quæ omnes Civitates parum inter se distant.* Quid? quod *Senam Gallorum* cum veteres, tum recentiores Geographi locant in littore Maris *Adriatici. Polybius* Lib. II. Cap. 14. latine redditus habet in hunc modum: *Basis locum tenet littus ipsum Maris Adriatici, ejus magnitudo est a Sena Urbe, usque ad intimum ejusdem maris sinum.* Non longe post: *novam ipsi* (nempe Romani) *in Urbem Coloniam inducunt: eamque veteri nomine, quod primo a Gallis habitata fuerat, Senam appellant. Est autem ea Urbs, quemadmodum supra memoravimus, in littore Adriatici Maris sita. Carolus Sigonius* de antiq. jur. Ital. Cap. XXII. Lib I. usque adeo *Senam* in littore Maris *Adriatici* fuisse non dubitat, ut unum, eundemque *Apennini* terminum, & Mare Adriaticum, & *Senam* constituat, sic inquiens: *Apenninus ab eodem fere, unde Alpes, initio exsurgens usque ad Mare Adriaticum, & Senam oppidum porrigitur.* Quod fecit *Polybium* secutus, qui Lib. II. Cap. 16. *Campi*, ait, *quos relinquit Apenninus in hoc latere, ad Mare pertingunt, & Urbem Senam. Cluverius* denique (nam plures recensere hac in re scriptores supervacaneum duco:) *Urbes* (introd. ad Geograph. Lib. III Cap. 26. inquit) *in ora Adriatici sinus, Ravenna, Ariminum, Pisaurum, Fanum Fortunæ, & Sena Gallica.* Quamobrem si *Sena Gallorum* in littore sita describitur, *Cæsenam* fuisse antiquitus *Senam Gallicam* affirmare non possumus, quin terrarum discrimina, quæ natura constituta sunt, evertamus: quippe *Cæsenam* non in littore ac maritimo, sed mediterraneo loco insidere, ratum est apud scriptores: Abest enim à mari pene octuaginta stadia, quæ decem millia fere passuum efficiunt. Quod spatii, quotiescumque intercedit, tum locus non maritimus, sed mediterraneus appellatur: Quod ostendit illud *Appiani Alexandrini* in Lybico, apud quem quum *Censorinus Romanorum* legatus in mandatis ab Senatu habens, ut *Carthaginem* deleret, *Pœnis* imperasset, in hæc verba: *Tradite itaque nobis Urbem vestram, & aliunde, quocumque libido fert, octoginta stadiis à Mari distantem vobis condite; hanc enim, quam incolitis, evertere animus est:* ita pro iis *Hanno*, quum aliis *Romanorum* postulationibus respondisset, de migratione *Carthaginensium* ab eorum Urbe ad loca octuaginta stadiis procul à Mari sita, locutus est. *Quid Carthaginem metuere ulterius opus est, quum arma, naves, elephantos, quibus omnes adeo invident, ipsi teneatis? De habitatione autem, & si id deprecari fas est, hoc certe admirandum videtur, homines mari assuetos, ad Mediterranea velle traducere.* Quæ scilicet loca octuaginta stadiis, seu decem milliariis absint a Mari, hic a *Pœnis* vocantur Mediterranea. *Plinius* etiam ea de causa Spinam mediterraneam esse dixit, quia nonaginta stadiis, seu undecim milliariis a Mari disjungeretur, quod à *Cluverio* etiam adnotatum est. Sed quid in re non dubia argumentis utimur non necessariis? Quandoquidem aperte *Cæsena* a scriptoribus inter mediterraneas Civitates adnumeratur. Plinius Lib. XIV. Cap. 16. *In mediterraneo vero* (inquit) *Cæsenatica* (scilicet vina) *ac Mæcenatiana*; *mox ab intimo sinu Adriana.* Idem Lib. III. Cap. 15. *Nec procul a Mari Umbrorum Butrium. Intus Coloniæ Bononia, Felsina vocata, quum Princeps Etruriæ esset, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia, Oppida, Cæsena, Claterna, Forum Clodii.* Sigonius de antiqu. jur. Ital. Cap. XXIV. Lib. I. *Quod quum ita sit, profecto apparet, oppida eorum* (*Bojorum nempe*) *fuisse ultra Rubiconem: ad Mare Ravennam; intus Cæsenam, Forum Livii, Faventiam. Cluverius* tandem introduct. ad Geograph. enumeratis oppidis in ora Adriatici sinus subjicit: *Intus Cæsena, Sassina, Urbinum, Sentinum, Æsis, Camerinum.* Haud igitur maritimam Urbem esse *Cæsenam*, sed intus, ac mediterraneam, horum omnium sententia sancitum est. Cætera, quæ *Claramontius* ingeniose in id argumentum comminiscitur, quum *Fortunius Licetus* de annul. antiqu. cap. 43. minutissima quæque persecutus, accurate, ac luculenter exploserit, actum non agam, præsertim cum id ejusmodi esse ducam, in quo plures elaborare, non opus videatur; Solumque *Claramontii* in eo conatum denuo commendarim, quod vir patriæ amantissimus ornare se illam posse magnopere hoc novo commento cogitabat, ut ipsemet perspicue innuere videtur *hist. Cæsen. Lib.* IV. quippe Senam legerat *Senonum* regiam sedem fuisse. At vero quum & longe vetustior, & suis domi forisque rebus gestis per se splendida satis sit Urbs *Cæsena*, alienis, adscitisque sibi, dumtaxat ingenio scriptorum, ornamentis non indiget.

(XI.) *Et de hac quidem parte* (nempe de Castro) *in XII. registri Libro Divus Gregorius locutus est.* XI.
Hic *Brixius*, verba illa exponens Divi Gregorii: *In Monasterio Sanctorum Laurentii, & Zenonis, quod in Cæsenati Castro est constitutum*; putat, Castrum istud in ea fuisse Civitatis parte, quæ plano loco insidebat: Contra vero *Claramontius*, Castrum, quod a Divo *Gregorio* memoratur, fuisse in editiori loco Civitatis existimat. Mihi quidem *Claramontii* sententia magis probatur. Moveor, quod is locus fuerit olim longe munitissimus; extiterit in eo Arx, quæ Castrum quoque solet appellari; denique *Anastasii* dictis hæc omnia comprobantibus, qui, ut supra commemoravimus, ait, *Luitprandum* regem in *Cæsena* restituenda Exarchatui, tertiam Castri *Cæsenatis* partem sibi retinuisse, videlicet, ut nos probavimus, munitiorem, quæ *Castellum* quoque dicta fuit, & Incolæ *Castellani*. Cæterum recte illud *Brixius* animadvertit, verba isthæc Divi *Gregorii* nunquam præ se ferre posse, *Cæsenam* olim non Civitatem, sed Castrum fuisse. Quis enim crediderit, a Divo *Gregorio* Civitatem *Cæsenam Castri* nomine appellari, quum Episcopus *Cæsenæ Concordius*, ejusque decessor *Natalis* a Divo *Gregorio* ibidem memorentur? Ait enim, ad *Marianum Ravennæ* Archiepiscopum scribens: *Fortunatus itaque lator præsentium in Monasterio Sanctorum Laurentii, & Zenonis, quod in Cæsenati Castro est constitutum, a Natali quondam Episcopo officium quondam Abbatis sibi asserens esse commissum, nunc se a successore ejus Concordio, nulla existente causa, aut culpa exinde remotum, atque alium in loco suo queritur esse ordinatum.* Pontificio autem jure, sanctione, quæ D. *Clementi* tribuitur, cautum erat, ut solum splendidioribus Urbibus Episcopi præficerentur. Sanctio in hæc verba: *Episcopi non in Castello, aut modicis Civitatibus debent constitui.* Can. Episcopi dist. 80. paulo post: *Et Episcopus non ab uno, sed à pluribus debet Episcopis ordinari, &, ut dictum est, non ad modicam Civitatem, ne vilescat nomen Episcopi; sed ad honorabilem Urbem titulandus, & denominandus est.* Itaque satis liquere mihi videtur, in quam sententiam Sanctissimi Pontificis *Gregorii* verba de *Cæsenati* Castro sunt accipienda, in eandem quoque *Procopium* intelligendum esse, quum *Cæse-*

nam φρέριον id est Castellum appellat, nisi dicere velimus, Græcum scriptorem facile potuisse effugere integræ notionem Civitatis. Quum hæc de Castro Civitatis laterent *Cluverium*, idcirco mirari se ait, quomodo, quando multo jam antea *Cæsenam* fuisse Urbem constat, a *Procopio Castellum* vocetur. Verba *Cluverii* Ital. antiqu. Lib. VII. Cap. 28. hæc sunt. *De cœtero miror a Procopio appellari* φρέριον *tantum, id est Castellum, quum Agathiæ dicatur* πόλις, *Urbs, idque eo magis, quod jam* CLXX. *ferme annis ante Procopium, Antoninus bis in duobus diversis itineribus, Civitatem adpellet, quod ille nonnisi præcipuis Urbibus tribuit. Unde etiam in Tabula itineraria signum primariæ Urbis nomini ejus adpictum est.* Porro antiquissimus *Cæsenæ* Episcopatus quum sit, apposite *Sidonii* jocum, quo illudit *Cæsenam*, *Candidiano Cæsenati* amicissimo suo scribens reprehendit *Joannes Bleau*: *Cæsenensis*, inquit, *Episcopatus antiquissimus est, teste Optato Milevitano, qui Flavianum Episcopum hujus loci, Romano Concilio scribit interfuisse, quod adversus Cœcilianum* (dicere debuisset: in causa Cœciliani Carthaginensis Præsulis contra Donatum) *Carthaginensem Præsulem fuerat indictum, unde Sidonii jocus ep.* 8. *castigationem meretur, cum non opidulis, pagisque, sed celebrioribus Urbibus semper Episcopi fuerint impositi.* Præterea cum *Lugdunum Sidonii* Patriam facete *Candidianus* nebulosum appellasset, irritassetque *Sidonium*, hic rependere jocum ei voluit; Nam & *Ravennam* eodem loci irridere quoque joci gratia non dubitavit. Præclare adnotavit hæc *Aldus Manutius* in Orthog. loc. cit. *Nam* (inquit) *quum Sidonius in tota epistola jocari cum homine Cæsenate constituisset, non dubitavit Cæsenam Furnum nominare per jocum, & quoniam tota epistola in eo genere versatur, visum est eam adscribere, ut omnes, & facilius Sidonii sententiam assequantur, & de Cæsena sincerius judicare possint. Exemplum sequitur.*

Sidonius Candidiano suo salutem.

Morari me Romæ congratularis, illud tamen quasi facete, & fatim, gnathonum salibus admixtis. Ais enim gaudere te, quod aliquando necessarius tuus videam solem, quem utique raro bibitor Araricus inspexerim: Nebulas enim mihi meorum Lugdunensium exprobras, & diem quereris nobis matutina caligine obstructum vix meridiano fervore reserari. Et tu isthæc nobis Cæsenatis furni potius, quam oppidi verna deblatteras? de cujus natalis tibi soli vel jucunditate, vel commodo quid etiam ipse sentires, dum migras, judicavisti, ita tamen, quod te Ravennæ felicius exulantem, auribus Padano culice perfossis, municipalium ranarum loquax turba circumsilit. In qua Palude, indesinenter rerum omnium lege perversa muri cadunt, aquæ stant, Turres fluunt, naves sedent, ægroti deambulant, Medici jacent, algent balnea, domicilia conflagrant, sitiunt vivi, natant sepulti, vigilant fures, dormiunt potestates, fœnerantur Clerici, Syri psallunt, negotiatores militant, Milites negotiantur, student pilæ senes, aleæ juvenes, armis Eunuchi, lituis fœderati: Tu vide qualis sit Civitas, ubi tibi lar familiaris incolitur, quæ facilius territorium potuit habere, quam terram. Quocirca memento innoxiis Transalpinis esse parcendum, quibus Cœli sui dote contentis non grandis gloria datur, si deteriorum collatione clarescant.

Quis amplius dubitat de Sidonii sententia? hactenus *Manutius*. Mihi præterea cogitanti, cur nomen illud *furni Sidonius* usurparit, venit in mentem, eo pertinuisse *Sidonii* jocum, non ut obscuram, & ignobilem *Cæsenam* significaret, sed quo argutulus formam Civitatis illuderet, quæ quum curva esset, quia partim plano, partim edito loco insidebat, ut supra adnotavi. Unde est

A etiam ab *Antonino* in itinerario curva *Cæsena* appellata, *Sidonius*, lepide *Cæsenam* dici posse *Furnum* jocandi gratia, existimavit; quandoquidem furnus curvam speciem refert, ut idcirco ab eo *Fornix*, quæ vox locum curvatum significat, derivetur. Ac ne nimium subtiliter interpretari videar, proponam illud de Militibus, qui clibanarii olim dicti sunt a clibano, qui vas est curvatæ, perinde ac furnus, structuræ, atque formæ, quoniam videlicet ii milites loricis utebantur curvis, quæ membrorum flexibus aptarentur. Vide *Voss.* in Etymol. lingu. latin. verb. Clibanus. *Salmas.* in Commentar. ad Lamprid. in vita Alexand. Sever. tom. I. Scriptor. hist. August. pag. mihi 1019. B & *Ammianum*: *Sparsi*, inquit ille, *Cathaphracti equites, quos Clibanarios dictitant, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros, quos laminarum circuli tenues, apti corporis flexibus, ambiebant, per omnia membra deducti, ut quocumque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret, junctura cohærenter aptata*: Imo & ipsæ loricæ Militum curvatæ *clibana* dictæ sunt, ob eandem a clibano vase ductam similitudinem; & hodie etiam clibana vocari posse, notat Salmasius, C curvas illas thoraces, quibus pectora sua tegunt nostri Milites, quos *Coracias* appellamus. Quod autem *Cæsena* a quibusdam oppidum dicatur, non plane est, ut minus honorifice idcirco de ipsa sentire liceat, nam apud Græcos quidem tam Urbs, quam oppidum πόλις, apud Latinos vero idem locus quandoque *Urbs*, quandoque *oppidum* appellatur: Quum *Ravennam Plinius Sabinorum oppidum* vocet, sic *Rubeus* in historia *Ravennatum* edisserit: *Licet autem hanc Plinius Sabinorum oppidum appellet, non est tamen idcirco existimandum, Castrum illam, & quod italice Castellum nominamus, fuisse, non Urbem, ac Civitatem: nam præ-* D *terquam quod id patet luculento Strabonis, & aliorum testimonio, quo Ravenna Urbs, eaque maxima scribitur, uti docuimus; apud veteres etiam compertissimum est, omnes Urbes, ac Civitates, una Roma excepta, propterea oppida vocari consuevisse, quia excellentis prænominationis causa, Roma Orbis caput, ac princeps, vel nullo adjecto alio nomine nunquam vero oppidum diceretur, dicaturque. Cæteræ Civitates etiam oppida appellarentur, quod minoris essent dignitatis, & neutiquam cum illa conferendæ. Hinc apud Plautum, Vitruvium, Plinium, & ejus ætatis reliquos eundem locum modo Civita-* E *tem, & Urbem scribi, modo oppidum legimus: ipseque idem sæpe testatur Cicero, qui de divinatione potissimum scribens, postquam Pheras Urbem in Thessalia nobilem dixit esse, eandem mox oppidum appellat.*

(XII.) *Quum anguste Civitas habitaretur Bernardum Rubeum sub Leone* X. &c.] Iisdem fere verbis hoc etiam enarrat Jodocus Hondius: *Hodie* (inquit) *Civitas est admodum frequens; annis superioribus a Bernardo Rubrio Parmensi, quum angustius habitaretur, auguste, qua occidentem, septentrionemque spectat, aucta.* XII.

(XIII.) *In hoc sane percommodo loco nascuntur homines*] Ingenia *Cæsenatium* laudat *Jodocus Hon-* F *dius*: Ait enim de Urbe *Cæsena*: *Incolas habet nobiles, ingenio, opibusque pollentes.* Joannes quoque Blaeu *Cæsenates* (inquit) *cupida discendi habent ingenia, sunt tamen etiam armorum, pugnæque amantes, & in utroque genere præclara eorum studia existere.* XIII.

(XIV.) *Eos prius recensendos arbitror, qui priscis temporibus ipsam gubernarint, ac tenuerint, mox illos, a quibus nostra hac ætate regatur*) Jam constat *Cæsenam Umbris*, a quibus, ut supra adnotavimus, condita est, initio paruisse, quorum imperium quam diuturnum fuerit, aut breve, non sane satis explicatam notionem licet colligere: Illud proditum XIV.

tum est, *Umbros* a *Tuscis* ejectos, oppidisque tercentum, quæ exædificarant, spoliatos; quorum quidem *Tuscorum* opes ante *Romanum* Imperium late terra, marique patuere. Mari supero, inferoque quantum potuerint, nomina (ait *Livius*) sunt argumento, quod alterum *Tuscum* communi vocabulo gentis: Alterum Adriaticum mare ab *Adria Tuscorum* colonia, vocavere Italicæ gentes: *Tuscos* igitur *Cæsenam* post *Umbros* habuisse, existimabimus; Quamquam etiam quot ipsi annis *Cæsenam*, ac finitima loca obtinuerint, perobscurum est: A nobis vero, quæ aut perspicua non sint, aut non satis tuto affirmare possimus, facile prætermittuntur. *Galli* subsecuti sunt, qui regnantis *Romæ Tarquinii* ætate e transalpinis locis in *Italiam* irrupere; Cispadanam quidem regionem, atque intervallum illud, in quo *Romania* Provincia est, *Boji*, ac *Senones* occuparunt, *Tuscis* ejectis, ut *Livii* testimonio constat. Quibus autem hi *Galli* se finibus continuerint, *Bojis* ne, an *Senonibus* *Cæsenam* adscripserim, non satis compertum habeo. Nam & prisci, & hoc secuti posteriores scriptores in diversas sententias distrahuntur: *Livius* enim, quum ab *Æsi* ad *Ufentem Senones* dicat pertinuisse: *Ufens* autem sit fluvius, ut *Cluverius* notat, prope *Ravennam* excurrens, qui idem *Foroliviensem* etiam Agrum intersecat, videtur ex *Livii* dictis, *Senones Cæsenam*, quæ in hoc intervallo est, habuisse: *Plinius* nullo discrimine, in hac regione *Bojos*, ac *Senones* cæsos fuisse memorat. Hunc tractum *Ptolomæus* Lib. I. *Bojis* adscribit: *Livium* secuti sunt *Cluverius* Ital. Antiqu. *Rubeus* in Ravennatum, *Hist. Lib. I.* & *Sigonius* in Bononiensium historiis *Lib.* I. quo loci *Sigonius* ait, *Gallos Senones* a Viti flumine prope *Forolivium* ad *Æsim* usque fines suos protendisse. Quamquam idem *Sigonius* in libris de antiquo Jure Italiæ, præcipue *Lib.* I. *Cap.* 24. contra docuit, secutusque *Ptolomæi* sententiam videtur: Ait enim: *Hi* (nempe Boji) *ab ortu solis Senonibus, teste Polybio; ab occasu Liguribus Cispadanis ad Trebiam amnem adhæserunt: a meridie quidem Apennino; a Septentrione vero Pado conclusi. Quod quum ita sit, apparet, oppida eorum fuisse ultra Rubiconem ad Mare, Ravennam; Intus Cæsenam, Forum Livii, Faventiam, Forum Cornelii, Claternam, Bononiam, Mutinam, Macros Campos, Nuceriam, Rhegium Lepidi, Tanetum, Parmam, Brixillum, Fidentiam, & Placentiam; ultra enim est Trebia.* *Leander Albertus* quoque *Cæsenam*, ac finitima loca *Bojorum* ditioni attribuere non dubitat. Ego vero, & si fortasse in istorum sententiam propensior essem, quod *Polybius* quoque gravissimus scriptor, ac vetustissimus, videatur *Senonum* fines *Arimino* terminasse, quum describit *Romanos*, qui *Senonum* regionem occuparant, *Ariminum* usque; tamquam in ditionis suæ fines, copias eduxisse, quo finitimis *Bojis* Bellum inferre meditantibus sese opponerent, transituque eosdem prohiberent: attamen rectius judico, nihil adfirmare hac in re, periculi sane plenissima, nimirum ob eam caussam, ut ego interpretor, quod non eosdem semper fines *Galli Senones*, ac *Boji* inter se propinqui obtinuerint, quum scilicet *Boji Senonibus*, vel *Senones Bojis* ditionem imminuerent, quo suam adaugerent: cujus rei caussa haud infrequentes, ut scribit *Polybius*, contentiones suscipiebant. Tandem *Cæsena*, ac reliqua *Gallorum* oppida anno Urbis conditæ IↃLXIII. in *Romanorum* potestatem, *Gallis* prorsus deletis, concessere. Atque ab hoc solum tempore licet repetere, quæ Urbis *Cæsenæ* antiqua conditio fuerit: nam quibus antea legibus, atque institutis regeretur, tanta est eorum obscuritas temporum, ut ne dari

A quidem conjecturæ locus videatur. Quoniam vero exteras gentes, quas *Romani* in potestatem, atque ditionem accipiebant, vario jure donabant, alios nimirum jure Latii, cujus munere ad Romanam Civitatem aliquis aditus præberetur; propriis liceret uti legibus, neque parendum esset *Romanis* Magistratibus; stipendium in bello apud *Romanos* facere posse concederetur: Alios jure Italico, quod nullam quidem tribuebat Civitatis *Romanæ* partem; tantum vero propriis obtemperare posse legibus; itemque in auxiliis militare: Alios Civitate *Romana* sine suffragii ferendi jure: B Alios præterea suffragii quoque ferendi potestate: Alios denique jure Provinciæ, quod deterius omnibus erat, quia domesticis ademptis legibus, *Romanas* imponebat, dabatque Prætorem simul, qui publicas, privatasque res administraret: hanc deteriorem conditionem initio *Gallia* a *Romanis* accepit; Constat enim in Provinciæ formam fuisse redactam; sed lege deinde Pompeja, quam scilicet *Pompejus Strabo* Magni pater tulit, Cispadanis omnibus Civitas Romana data est, atque ita *Cæsenates* quoque Cives *Romanos* effectos esse, apparet: & suffragii ferendi jus etiam liquet esse consecutos, C quod hoc jure Cispadana omnis *Gallia* prædita fuerit: perspicue id ostendunt, quæ *Cicero* ad *Atticum* scribit: *Et quoniam* (inquit) *in suffragiis multum potest Gallia, accurremus Legati ad Pisonem.* Hirtius præterea sic ait: *Cæsar quum omnes Galliæ togatæ regiones percurrisset, T. Labienum Galliæ togatæ præfecit, quo majore commendatione conciliaretur, ad consulatus petitionem*; aliaque sunt etiam apud veteres scriptores loca, quæ id ipsum comprobant luculentissime: Verum etsi *Gallia* in Civitatem erat adscita, minime tamen reliquam *Italiam* æquabat libertate: nam D & adhuc Provincia erat, & Prætori parebat, eademque ipsa *Ciceronis* ætate, quum jure ferendi suffragii prædita designatur, Prætorem habuit *M. Brutum*, ad quem id muneris obeuntem scribit *Cicero*. Inter cæteros autem, qui a Romana Republica ad *Galliam citeriorem* regendam sunt missi, & a quibus *Cæsenam* ejusdem *Galliæ* Civitatem simul gubernatam fuisse perspici potest, commemorantur, præter *M. Brutum*, *C. Murena*, & *Q. Metellus*, qui eam ex Prætura, *L. Afranius*, & *C. Cæsar*, qui ex Consulatu administrarunt. Instituta etiam, ac leges *Romanorum* eo latinam linguam invexerunt, sine qua, E lege agere, aut in judicio respondere apud Romanum Magistratum non licebat: neque fas erat Prætoribus in Provincia jus reddere, nisi latine, ut ideo peregrinum *Gallorum* sermonem, latino accepto, *Galliam* exuisse, putandum sit. Coloniam *Romanorum Cæsenam* fuisse, testatur antiquus lapis, qui *Cæsenæ* majorum nostrorum memoria visebatur, quique non modo recensetur a *Petro Appiano* pag. 26. inter inscriptiones *Galliæ* Cisalpinæ, verum etiam probatur ab eruditissimis viris *Fulvio Ursino* Lib. Imag. antiq. pag. 17. & *Aldo Manutio* in orthograph. verb. Cæsena, cujus lapidis exemplum est.

F A. LVCRETII. HISTORICI. AC. POETÆ
CONDITORIS. VERISSIMI
CUI. OB. EXCELLENTIAM. INGENII
STATVA. CONDONATA
AC. CIVITATI. COESENÆ
ROMAN. COLONIÆ. DEDVCTÆ
IN. HOC. SACRO. MONTE
DEDICATA.

Atque *Aldus* quidem *Manutius* ex illius lapidis auctoritate *Turnebi* dictum refellens, sic ait: *Strabo certe Lib. V. eo loco, quem supra recitavimus, inter nobiles Civitates Cæsenam numerat, antiqua-*

que inscriptio Cæsenam Civitatem fuisse, Romanorumque Coloniam testatur. *Fulvius* autem *Ursinus* in scholio ad lapidem, quum illum genuinum esse ducat, quærit quis ille fuerit *A. Lucretius*, cui statua est a *Cæsenatibus* condonata; quorum scriptorum summa auctoritas, & exquisitæ eruditionis opinio id oneris mihi videtur adimere, ut expendere lapidem, atque in eum inquirere opus non habeam. Anno tandem ɪↄccxɪ. Gallia omnis trans Alpes a *M. Lepido*, *M. Antonio*, & *C. Cæsare Octaviano* triumviris Reipublicæ constituendæ, ad reliquæ jus *Italiæ* traducta est; itaque *Italia* a *Rubicone* fluvio, qui terminus antea illius erat, usque ad Alpes promota, *Gallia* appellari Provincia desita est. Extincta vero Republica, ac *Romana* re ad *Augustum* delata, is, quum in undecim regiones *Italiam* secrevisset, octavam *Galliam Cispadanam* esse voluit, duas minores regiones, *Æmiliæ* nimirum, ac *Flaminiæ* complectentem. Fortasse a nobis hic quispiam desideret, ut proprium ipsius Civitatis *Cæsenæ* statum, qui hoc tempore fuerit, enarremus: jure quidem: Attamen ne id præstare possimus, nihil aliud in causa est, nisi quod *Cæsenatium* rebus ea tempestate, & pluribus etiam consequentibus annis scriptores defuere: Licet interdum veluti e tenebris emergat, se seque in conspectum det illius memoria alicui lapidi consignata, ut iste *Trajano* inscriptus, qui apud *Rubeum* legitur, egregie declarat.

IMP. CÆS. NERVÆ
TRAJANO. DACICO. GERMANICO
PARTHICO.
PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII.
IMP. VII. COS. VI. PP. OPTIMO
PRINCIPI
RAVENNATI. CÆREVIANI
CÆSENNATI
CVR. VIAR. TRA . . . .
FLAMINII . . . .
D. D.

E præsenti lapide *Cæsenates* non contemnendæ, imo splendidæ satis fortunæ tum fuisse deprehenduntur: Nam *Romæ* is lapis repertus est inter fori *Trajani* ruinas, ut apud *Rubeum* habetur, quem *Cæsenates Curatores viarum* (mandatur id muneris Decurionibus, seu Senatoribus Civitatum) una cum *Ravennatibus*, ac *Cerevianis Trajano Romæ* posuere: fortasse quia gratum ipsum Principem experti sunt, ob operam ab illis locatam in *Flaminia* via restauranda, ad Imperatoris *Trajani* commodum, quem frequenter iter facere solitum, ferunt historiæ. *Augusti* dein memoratam supra partitionem regionum, longo post tempore, *Constantinus* Magnus immutavit; novos Magistratus instituit. *Italiæ* quippe regionibus Consulares præfecit, atque ita suum *Flaminia*, suum *Æmilia* Consularem nactæ sunt, & *Cæsenatium* res sub Consularibus steterunt. Verum enim vero florentem sub *Constantino* Urbis *Cæsenæ* statum etiam vetusto lapide comprobamus, quem apud *Cæsenates* superiori seculo effossum *Scipio Claramontius* se vidisse, & SCtum, ut honorifice adversaretur, ab iis esse factum testatur. Monumentum hic lapis præ se fert *Constantino* Magno positum a Decemviris Urbis *Cæsenæ*, in hæc verba.

D. N. IMPERATORI. CAESARI
CONSTANTINO
MAXIMO
P. F. VICT. AVG.
PONT. MAX.
TRIB. POTEST. XXII.
IMP. XXII. CONSVLI
P. P. PROCONSVLI
HVMANARVM RERVM
OPTIMO PRINCIPI
D. CONSTANTI FIL.
BONO R. P. NATO
M. P. X. V.

Quæ hujus inscriptionis condendæ, ponendique monumenti occasio fuerit, nihil habeo explicati. Hoc solum nunc adnotare operæ pretium existimo, non ideo falsam dici debere hanc inscriptionem, quia in ea *Pontificis Maximi* titulo honestetur *Constantinus* Imperator, more a Christiana religione, quam tunc *Cæsenates* profitebantur (ut de ipso piissimo Principe *Constantino* nihil dicam) prorsus alieno. Etenim ad *Gratiani* usque tempora Christianos Imperatores tulisse, ut hujuscemodi titulus ipsis tribueretur, perspicuum est. Nam & *Ausonius* in gratiar. act. pro Consulatu (qui si Christianus non fuit, videri tamen volebat, quo *Gratiano* Christiano Imperatori gratus esset) eum appellat *Pontificem Maximum.* Atque in hanc quidem sententiam plura, egregieque *Baronius* Annal. tom. 3. qui lapideis quoque monumentis rem comprobat. Sed eo, unde digressit oratio, revertatur. Post *Constantinum* (nam hoc loco id solum exponimus, cujus scilicet dominatum subierit *Cæsena*, nullam legitimi in eam Civitatem imperii disputationem attingentes) illud certe liquet, *Constantini* Magni liberis imperantibus ipsam paruisse. Ostendit id epistola, quam *Constantius Constantini* Magni filius ad ordinem *Cæsenatium* dedit, recensetur que in Codice *Theodosiano* l. 6. de Annon. & Tribut. *l.* 42. *de Decurion.* Cujus epistolæ exemplum in ea parte supra recitavimus ubi ad illa, quæ dicebamus, confirmanda, pertinere videbatur: Alterius vero partis, qua nihil plane honorificentius ab Imperatore scribi ad ordinem alicujus subjectæ sibi Civitatis poterat, tum proferimus exemplum, quum de ordine, ac Senatu Civitatis *Cæsenæ*, ad quem illud pertinet, sermo a nobis habebitur; Atque hoc etiam tempore apud *Flaminiæ* Consulares regimen fuisse Civitatis *Cæsenæ*, licet existimare, quum nihil hac in re ab *Constantini* Magni liberis immutatum appareat. Imo quum *Constantinus* pater supra Consulares instituisset Præfectum Prætorio *Italiæ*, ad quem summa administratio *Flaminiæ*, atque Italicarum omnium Regionum referebatur, quumque *Constantius* in altera epistolæ suæ parte mandet præstari a *Cæsenatibus* ea, quæ *Rufinus* Præfectus Prætorio *Italiæ*, ipsis mandaverat, ex hoc plane videtur posse colligi, sub eadem regiminis forma *Cæsenam* tum stetisse, qua fuerat usa, *Constantino* Magno imperante. Partito deinde inter *Honorium*, atque *Arcadium* Imperio, quum hic in Oriente, ille vero in Occidente dominatum exercere jussi sunt ab eorum parente *Theodosio*, *Cæsena Honorium* Principem suum agnovit, qui in eundem Civitatis suburbano secessu animi causa se conferre solebat, ut supra e *Claudiani* carminibus, & e vetusto lapide adnotavimus. Ac sub Imperatoribus quidem occidentalibus *Cæsena* usque ad *Momyllum* cognomento *Augustulum*, qui postremus eorum fuit, nobiliores inter Civitates permansit: Quod ex eo plane perspicitur, quia extincto *Momyllo Augustulo* ab *Odoacre Herulorum* duce, in ipsius *Odoacris* potestatem, ac ditionem concessisse Urbem *Cæsenam*, scriptores *Blond.* hist. ab inclin. Imp. Rom. Decad. 1. Lib. III. pag. 33. *Sigon.* de Imp. Occid. pag. 412. *Rub.* hist. Raven. Lib. II. sub anno 492. peculiari sane

ne commemoratione enarrant: sed ut res perspicue magis exponatur, est aliquanto altius, brevi tamen repetenda; Fungebatur is *Odoacer* apud *Orestem* una cum *Momylio Augustulo* filio imperantem officio armigeri, atque opportunam potiundæ dominationis occasionem in hunc modum nactus est. *Gothi*, qui jam usque a *Valentiniani* Imperatoris ætate adversus imminentem Urbi *Attilam* auxilio vocati, in *Italia* erant, *Oresti* vehementer admodum indignabantur, propterea quod tertiam partem agrorum, quæ ipsis promissa fuerat, impetrare non potuissent. Tumultu itaque excitato, *Odoacrem Herulum* postulata eorum facere pollicentem, ducem suum elegerunt, *Oreste* interempto: *Momyllus Augustulus*, ut ex *Marcellino*, & *Cassiodoro* scribit *Petavius* ration. temp.par. 1. Lib. VI. in *Campaniam* ab *Odoacre* relegatus est: Ut autem a *Sigonio* de Imp. occid. ad ann. 456. proditur, advenientem *Romam Odoacrem Momyllus* metuens, & auxilii, & consilii omnis expers, in *Campaniam* secessit, ac ultro se Imperio abdicavit. *Romam* ingressus *Odoacer*, a populo confestim Rex *Italiæ* salutatur: Jam enim reliquas Occidentalis Imperii regiones, ut notat *Sigonius* in hist. Bonon. post fractas *Honorii* opes, *Africam Vandali*, *Britanniam Angli*, *Hispaniam Gothi*, *Galliam Franci*, & *Burgundiones* armis occupatas tenebant. *Odoacer* quatuordecim annis regnavit, cui toto hoc tempore paruit Urbs *Cæsena*, atque erga illum ita se gessit, ut magnificum, splendidissimumque sui documentum posteritati reliquerit. Quum enim *Theodoricus Ostrogothorum* Rex, quem ad *Italiam Odoacri* eripiendam incitarat *Zeno* Imperator Orientis, venisset (*Ticino*, aliisque Transpadanis Urbibus jam captis) in *Flaminiam*, passim ejus Provinciæ Civitatibus *Odoacrem* spoliavit: Verumtamen neque *Ravennam*, in qua *Odoacer* se receperat, ac communiverat, neque *Cæsenam* expugnare *Theodoricus* antea valuit, quam ipse *Odoacer* deditionem fecerit. Quocirca triennii obsidionem *Cæsena* una cum *Ravenna* ita sustinuit, ut maturius vitam, quam *Cæsenæ*, *Ravennæ*que dominatum *Odoacer* amiserit, quippe ille deditionem vix fecerat iis pactionibus, ut Occidentis Imperium inter *Theodoricum*, & ipsum divideretur, quum *Theodorici* fraude, ac jussu in convivio obtruncatus fuit. Quamquam vero *Blondus* hist. ab inclin. Im. Roman Decad. prim. Lib. III. pag. 33. non *Ravennæ* tantum, ac *Cæsenæ* egregiam hanc erga *Odoacrem* fidem, sed *Arimino* etiam tribuere videatur, tamen *Sigonius*, ac *Rubeus*, quos & legisse *Blondi* librum, & accuratius rem expendisse, existimare profecto possumus, aliter scribunt, *Ravennam* solum, ac *Cæsenam* in *Odoacris* fide permansisse. *Blondus Cæsenatem* obsidionem ita describit: *At Theodoricus Ostrogothorum Rex, postquam Odoacrem sese Ravennæ vidit continere, animis est auctus, & Matre, sororibusque, ac Ostrogothorum Mulieribus cum impedimentis, & imbelli multitudine in Ticino, cujus Urbis mœnia, arcemque communiverat, relictis, Ravennam exercitum duxit. Cepit autem illico omnes Provinciæ Civitates, oppidaque, quamprimum ea adiit, præter Ariminum, & Cæsenam: Odoacrem vero in Ravenna per triennium obsedit, castra secundum litus ad Orientem plagam in loco, cui Candiano est, eratque tunc nomen, ea ratione firmavit, quod posita pariter ad Cæsenam castra inde faciliter tutaretur. Fiebant tamen ab obsessis crebræ eruptiones.* Paulo post subdit idem Blondus: *Denique ipse* (scilicet Theodoricus) *cum cœtero exercitu Ravennam in circuitu obsedit. Unde ad tantam rerum penuriam in Urbe est deventum, ut sordidas, malignique saporis herbas clausi comedere cogerentur. Qua*

A *impulsus difficultate Odoacer, hortante Episcopo, deditionem fecit.* Mox subjicitur ab eodem scriptore: *Brevi exinde omni Italia, & post Romæ Theodoricus summo senatus, & Populi Romani applausu, est potitus.* Sigonius vero de Occid. Imp. Lib. XV. sub anno 492. habet in hunc modum: *Ipso inde Augusto, Rufinoque Consulibus, Ravennæ continuata obsidio est, atque ibi multa quidem, sed parva, prœlia edita, cum Odoacer partem militum quotidie emitteret, ut & vires suorum pugnis levioribus exerceret, & Theodorici exercitum irruptionum crebritate, & lentæ sessionis ad Urbem diuturnitate, fatigaret, simul ac frangeret. Theodoricus autem omni-*
B *bus, quæ adiit, oppidis, magna felicitate, una Cæsena excepta, quæ firmissimo Odoacris præsidio tenebatur, potitus III. Kal. Septembris, in Castra ad Palatiolum posita rediit, eoque familia ex Ticinensi Urbe traducta, arctiore inde Urbem urgere obsidiqne perrexit:* Non absimili ferme oratione *Rubeus* in secunda edit. Lib. II. sub anno 492. pag. 124. rem enarrat, sic inquiens: *Interea Theodoricus, ne Militem in otio haberet, ad occupanda vicina abducit magnam manum, resque optime ex sententia accidit, omnibus, quæ adiit, magna felicitate, una excepta Cæsena, quæ firmissimo Odoacris præsidio tenebatur,*
C *potitus.* Atque horum scriptorum uterque deditionem illam tandem *Odoacris* describit, cujus causa *Theodoricus* omnem *Italiam*, atque ideo *Cæsenam* recepit, initiumque præbuit regno *Gothorum* in *Italia*, quorum regibus *Cæsena*, ut & reliquæ Civitates, obtemperavit; quamquam non diutissime: *Theodorico* enim (postea quam triginta quatuor annis regnarat) extincto, *Amalasunta* filia *Athalaricum* puerum *Theodorici* nepotem ad regni fastigium vix extulit, ut immatura morte sublatum viderit. *Theodato* philosopho viro regnum detulit Amalasunta: sed *Theodatus* præclaris quidem usus initiis, ad extremum quum ava-
D ritia, atque crudelitate omnia misceret, ipsamque *Amalasuntam*, cui regnum referre acceptum debebat, per summum scelus neci dedisset, occasionem, ac causam præbuit *Justiniano* Imperatori, ut ex Oriente *Belisarium* mitteret ad *Italiam* e *Gothorum* manibus vindicandam, quod præclare a *Belisario* perfectum est. Dum hic autem felici conatu passim Italicas Urbes reciperet, *Gothi* socordem *Theodatum* incusantes, regno depulerunt, ac *Vitigem* ejus loco regem crearunt: *Cæsena* nequaquam inter eas Civitates adnumeratur, quas regnante *Theodato*, *Belisarius* recuperavit: sed *Vitigis* etiam regnum experta est, cui quum
E pareret, expugnari a *Vitaliano*, qui sub *Belisario* dux copiarum erat, minime potuit. Cœptam enim illius Urbis oppugnationem *Vitalianus* deserere coactus est, & *Phanateum Herulum* ducem virum principem ab *Cæsenatibus* interemptum amisit. Blondus ita narrat: *Iturus in Urbevetanos Belisarius Joannem Vitaliani cum exercitu misit ad oppidum Cæsenam, ibi dum mœnia scalis aggreditur, repulsos multis vulneribus frequentes suorum amisit; Et Phanateus Herulorum dux in ea oppugnatione interiit. Quamobrem Cæsena desistens Joannes ad Forum Cornelii duxit; eamque Urbem, dantibus sese Incolis, cepit.* Georgius quoque Trissi-
F nus in poemate, quod inscripsit. *La Italia liberata da Gothi.* De *Phanatei* morte sic cecinit, Italicis carminibus, quæ sic Latine redduntur.

Quin & Phaniteus, qui Prævalitana tenebat
Sceptra, parente diu frustra obnitente Corinna,
In Bellum Populos rapit, haud præsaga meratus
Somnia: mater enim nocturna in imagine natum
Defessum pulchro latus acclinare sepulchro
Viderat: indiciumque agnovit mortis acerbæ.
At non materno visu perterritus ille

 Per-

Pergebat, quo se contraria fata trahebant,
Fortia Cæsenæ sub mœnia linquere Vitam.

Denique *Sigonius* De Imp. occid. Lib. XVIII. *Qua re* (inquit) *audita Narses Joannem Cæsenam ducere jussit, qui ab ea depulsus, Forum Cornelii prodiit, ac cedentibus Gothis, Æmiliam universam recepit.* Itaque Regem *Cæsena* habuit *Vitigem* quoad ipse tueri se, regnumque suum valuit: a quo tandem deditione facta, *Cæsena* in *Justiniani* Imperatoris potestatem concessit. *Belisario* in *Græciam* reverso, compressi *Gothorum* animi in *Italia* sese denuo cœperunt attollere, ac *Totila* rege creato, pristinas vires, atque Imperium resumere conati sunt: Sed neque *Totilæ*, neque *Thejæ*, qui *Totilæ* successit, postremusque fuit regum *Gothorum*, *Cæsena* unquam subjecta fuit; neque enim fidem adhibendam esse reor *Procopio*, quum prodit, *Cæsenam* a *Totila* expugnatam fuisse, ac *Græcis* ereptam: quandoquidem ex *Claram.* Hist. Cæsenæ Lib. IV. pag. 146. & *Blond.* ad annum 553. constat, eam a *Theja* post *Totilam* regnante, vehementi obsidione tentatam quidem: minime vero captam: *Procopius* autem quum *Belisarium* comitaretur, & apud eum in castris historias scriberet, essetque propterea cum *Belisario* reversus in *Græciam*, facile ignorare aliquid potuit eorum, quæ in *Italia* per id temporis agebantur; Adnotasse id ipsum etiam *Sigonius* videtur, qui horum temporum gesta enarrans sic ait: *Quod monui, quia verba Procopii ingentibus involuta tenebris sunt. Totilæ* autem primum, dein *Thejæ* conatus repressit *Belisarius* in *Italiam* reversus, post hunc *Narses*, quem *Justinianus* Imperator *Belisario* ad alia evocato suffecerat, quibus *Ducum* appellatione, pro *Græco* Imperio *Italiam* administrantibus paruit *Cæsena.* Paulo post e vita migravit *Justinianus*, *Justinus* Imperii fasces accepit: Cujus Uxor *Sophia*, quod *Narseti* infensa esset, tum *Justinum* adduxit, ut *Narsetem* revocaret ex *Italia*, ac *Longinum* ejus loco sufficeret, tum epistolam scripsit *Narseti* conviciis plenissimam, in qua illius se opera uti velle dicebat ad pensos lanæ, ac purpuræ regiis Ancillis partiendos, dimetiendosque: illudens videlicet conditioni *Narsetis*, quasi ad eum, uti eunuchum, id muneris ex more pertineret. Non tulit æquo animo *Narses* contumeliam: at ira exæstuans rescripsit, se telam contexturum, quam neque ipsa, neque vir ejus præcidere unquam possent; Ac *Longobardos* ad invadendam *Italiam*, missis ad eos suavissimis, pulcherrimisque Italicæ terræ fructibus, invitavit. Injectam scintillam postea restinguere *Narses* precibus *Joannis* Pontificis Maximi commotus, sed frustra, conatus est: exarsitque illico incendium. Nam *Alboinus Longobardorum* Rex ingentibus comparatis copiis in *Italiam* trajecit, qui non multo tamen interjecto spacio est Uxoris insidiis circumventus, atque interemptus: Sed neque ipsi, neque *Clephi*, qui ei successit, neque cæteris aut Ducibus, aut Regibus *Longobardorum* usque ad *Luitprandi* tempora, *Cæsena* unquam obtemperavit, fuitque toto eo tempore sub Exarchis. Erant Exarchi græco nomine dicti, qui tanquam Legati *Constantinopolitani* Imperatoris, suprema Principis auctoritate mandatam Provinciam administrabant: Eorum primus *Longinus* fuit vir patricius, quem, ut supra, a nobis dictum est, miserat *Justinus* Imperator, *Narsete* revocato. *Luitprandus* autem *Longobardorum* Rex cum exarchatui plura alia loca subripuit, tum *Cæsenæ* præsertim sibi dominatum armis paravit; itaque monumentis literarum proditum est, *Zachariam* Pontificem Maximum ob eam causam præsertim, ut *Cæsena* Exarchatui re-

A stitueretur, molestum iter æstivo tempore suscepisse ab Urbe *Roma* usque *Ticinum*, in quo Rex *Luitprandus* commorabatur. Hunc Pontifex conjunctis cum Pontificia Majestate precibus flectere se posse sperabat, ceciditque res e sententia: memoratur id factum *Anastasio*, *Blondo*, *Rubeo*, ac *Sigonio* de Regn. Ital. Lib. III. sub anno 743. hujus verba placet recitare: *Sequenti vero anno, idest indictione, ut Anastasius inquit, undecima, sive ocii impatiens, sive immodici (ut satis constabat) Imperii appetens* (videlicet Luitprandus) *exercitum de integro in exarchatum immisit, ac Cæsenæ oppido occupato, Ravennam inde se oppugnare velle*
B *ostendit. Quod ubi Euthychius, & Joannes Archiepiscopus, & Populus Ravennas, ac Civitates Pentapolis, & Æmiliæ compererunt, extemplo Oratores cum literis ad Pontificem miserunt, orantes, ut afflictis rebus suis subveniret, idest auctoritate sua, quam sanctissimam apud Regem esse constaret, eum ab ejusmodi conatu averteret; neque eorum petitioni quidquam abnuit Pontifex: Etenim Legatis Benedicto Episcopo, & Ambrosio Notariorum Primicerio ad eum eximiis cum muneribus missis petiit, ut Cæsenam, aliaque loca restitueret, & à Ravennati oppugnatione desisteret. Verum nihil æqui potuit*
C *impetrare: Itaque inani, ut sæpe jam expertus erat, officio legationis præterito. Regis iterum adeundi consilium cepit, relictaque Urbis Stephano Duci cura, ipso ardente media æstate Cœlo, iter Ravennam versus instituit. Exceptus inde ad Basilicam Beati Christophori ad quinquagesimum a Ravenna lapidem ab Exarcho, & promiscuo Ravennatium populo extra portas Urbis effuso, & cum miris laudum acclamationibus in Urbem deductus, Stephanum Præsbyterum, & Ambrosium Primicerium adventum suum Regi misit prænunciatum. Hi quum Imolam in fines Longobardorum venissent, & quædam ad inter-*
D *sepiendum Pontifici transitum parari, audissent, ipsum primo quoquo tempore admonuerunt. Verum ille haud quamquam exterritus, postridie mane continuato itinere in fines hostium iniit, atque ad Padum contendit. Ibi a regiis optimatibus obviam missis exceptus IV. Kal. Julii, in ipsa Beatorum Apostolorum vigilia Papiam pervenit, ac Basilica S. Petri ad Cœlum aureum visitata, Urbem intravit; postridie, qui dies erat Apostolorum festus, in eandem Ædem cum ipso Rege regressus, magna pompa sacris est operatus. Ibi mutuis perfuncti salutationibus una sunt epulati. Inde in Urbem est reditum. Tertio die Pontifex ad Regem, ab illo invitatus, se contulit; &*
E *magno honore cultus, eum orare suppliciter instituit, ne Ravennatium ditionem* (hoc est Exarchatum) *vexare vellet, & ut adempta Æmiliæ loca, in primisque Cæsenam restitueret. Cui Rex licet gravate, se in ejus auctoritate futurum respondit. Discedentem inde usque ad Padum prosequutus dimisit, datis ex Primoribus suis, qui Ravennatium* (nempe Exarchatus) *loca, in primisque Cæsenam redderent.* Adnotare hic lubet, *Rubeum Ravennatis* historiæ scriptorem, quum hæc eadem narrat, colligere, tum *Cæsenæ Ravennates* esse dominatos, sed labi illum, ac falli perspicuum est; quandoquidem Exarchi, & si Præfecturæ suæ sedem
F apud *Ravennates* collocassent, non tamen Reipublicæ *Ravennatis*, sed Orientalium *Cæsarum* nomine Exarchatui, in quo *Cæsena* erat, imperitabant. *Euthychius* iste Exarchus, cujus regimen in *Zachariæ* Pontificis Maximi tempora incidit, postremus Exarchorum fuit. Ab *Aistulfo* siquidem *Longobardorum* rege est pulsus: *Aistulfum* autem, qui Exarchatum invaserat, Pontificiamque ditionem modis omnibus divexabat, compescuit *Pipinus Francorum* Rex rogatu *Stephani* II. Pontificis Maximi, coëgitque abrepta sedi Apostolicæ loca omnia restituere: quumque post *Pipini* discessum

Ai-

Aistulfus fidem fefelliffet, fregiffetque jusjurandum, denuo a rege *Pipino* coactus eft promiffa perfolvere. Vindicatas igitur Urbes, quas *Aistulfus* nullo jure occuparat, folemni donatione, feu reftitutione *Pipinus* Rex Apoftolicæ fedi largitus eft; ipfeque in *Galliam* regreffus, *Fulcadum* reliquit Ædis D. *Dionyfii* Abbatem, qui omnium Civitatum Pentapoleos, ac *Æmiliæ*, fcilicet quæ aliquo unquam tempore Exarchorum fuiffent, poffeffionem Apoftolicæ Sedis nomine iniret. quod laudabiliffimum Regis *Pipini* factum *Carolus* Magnus, aliique Imperatores, religionis laude præftantes confirmarunt, cumularuntque etiam munificentiffime. *Cæfena* igitur cum cæteris Civitatibus Pentapoleos, hoc pacto in Pontificum Maximorum ditionem tranflata, feu reverfa eft. Initio a Pontificibus ad fingulas Exarchatus Civitates regendas, inter quas *Cæfena* numerabatur, inftituti funt Tribuni, quod etiam in univerfa Pontificia ditione obfervatum eft, colligiturque ex iis *Adriani* I. verbis in Codice Carolino; *Bobio, feu Tribunatu decimo:* Exarchatus autem univerfi moderationem, quam *Conftantinopolitani* Cæfares *Græcis* exarchis mandare confueverant, initio iidem fummi Pontifices Archiepifcopis *Ravennatibus* commiferunt. Nam *Stephanus* Pontifex, cui a *Pipino* fuit, ut antea diximus donatio, ac reftitutio facta, *Sergium* Archiepifcopum Exarchatui præfecit. quamquam & hic *Sergius*, & *Leo*, qui ei in Archiepifcopatu fucceffit, fummum fibi pro Vicaria poteftate, imperium arrogare non funt veriti, ac *Cæfenæ*, & reliquis Civitatibus, tamquam fibi fubditis imperitare, imo eo ufque audaciæ deventum eft, ut *Leo* Archiepifcopus, quemadmodum habetur in *Adriani* I. epiftola, in Cod. Carol. ep. 52. vetuerit, ne *Cæfenates*, *Forolivienfes*, aliæque Civitates ad Pontificem ullos e fuis mitterent, qua de re apud *Carolum* Magnum in epiftola fua conqueritur *Adrianus*. Cod. Carolin. ep. 54. Haud vero impune tulerunt *Sergius*, ac *Leo*. Cod. Carolin. ep. 52. Alteri *Stephanus* idem, qui crediderat, Exarchatus regimen ademit: Alterius arrogantiam *Caroli Magni* ope contudit, ac fregit *Adrianus*, quemadmodum ex hujus epiftolis, quæ leguntur in Codice Carolino, perfpicuum eft. Cura igitur, ac adminiftratio Urbis *Cæfenæ*, reliquique Exarchatus hoc tempore, pluribusque confequentibus annis apud *Ravennates* quidem Archiepifcopos, dominium autem apud Pontifices Maximos fuiffe deprehenditur: qui propterea, ut eædem *Adriani* I. literæ in Codice declarant, interdum, quum perduelles Archiepifcopi effent, vel Comites ad fingulas Urbes moderandas, vel Legatum Cardinalis Ordinis virum, *Ravennam* mittebant, univerfoque exarchatui præficiebant: Hafce literas latuiffe oportet *Scipionem Claramontium* hift. Cæfen. Lib. v. pag. 187. quum fcripfit, nullum ab Apoftolica Sede Rectorem miffum ad Exarchatum regendum ante ea tempora, quibus *Guelforum*, *Gibellinorum*que factiones, fummo *Italiæ* detrimento, exarfere. Nam vel Archiepifcopi, nomine Ecclefiæ Romanæ, vel Pontificii Legati, jam inde a *Pipini* temporibus, ut e recitatis *Adriani* I. literis licet agnofcere, Exarchatum gubernarunt: fed inopia librorum *Claramontio* illud etiam alterum arbitror contigiffe, ut in eum errorem traductus fit a *Sigonio*, in quem ipfe inciderat: quippe *hift. Cæfen. Lib.* v. *pag.* 185. fentire cum *Sigonio* videtur, *Caroli Magni* erga Pontifices Maximos minus late patuiffe, quam *Pipini* ejus Patris, munificentiam, retinuiffeque fibi *Carolum* fupremum jus in Exarchatum, ac reliqua loca, quæ Ecclefiæ Romanæ largitus eft, recenfetque *Sigonii* verba, qui fic habet: *Carolus Exarchatum Ravennatem, Pentapolim, Ducatum Romanum, Tufcum, & Campanum, jure Principatu, & ditione fibi retenta, Pontifici permifit:* At hunc errorem explodunt egregie ea, quæ Teftis locupletiffimus, & *Caroli Magni* temporum æqualis *Anaftafius* Bibliothecarius prodit in *Adriani* I. vita: Scribit enim, *Carolum*, quum a *Defiderio* illatas injurias Apoftolicæ fedi armis vindicaturus, cum *Ticini* obfediffet, diutiusque obfidionem protrahendam cerneret; *Romam* interea veniffe precum faciendarum, ac religionis gratia, conveniffeque Pontificem, qui Carolum *deprecatus eft* (utor verbis Anaftafii) *ut promiffionem illam, quam ejus parens Sanctæ memoriæ Pipinus Rex, & ipfe præcellentiffimus Carolus cum fuo germano Carlomanno**, *atque omnibus Judicibus Francis fecerant Beato Petro, & ejus Vicario, Sanctæ memoriæ Domno Stephano juniori Papæ, quando in Franciam perrexit, pro concedendis diverfis Civitatibus, ac Territoriis iftius Italiæ Provinciæ, & contradendis Beato Petro, ejusque omnibus Vicariis in perpetuum poffidendis, adimpleret in omnibus. Cumque ipfam promiffionem, quæ in Francia in loco, qui vocatur Carifiacus, facta eft, fibi relegi feciffet, complacuerunt illi, & ejus Judicibus omnia, quæ ibidem erant adnexa, & propria voluntate bono, & libenti animo aliam donationis promiffionem, ad inftar anterioris, ipfe antedictus præcellentiffimus, & revera Chriftianiffimus Carolus Francorum Rex adfcribi juffit per Etherium religiofum, & prudentiffimum Capellanum, & Notarium fuum, ubi conceffit easdem Civitates, & Territoria Beato Petro, easque contradi fpopondit per defignationem confinium, ficut in eadem donatione contineri monftratur, id eft.* Quibus verbis intelligimus, *Caroli* Magni donationem, ad inftar anterioris, ut ait *Anaftafius*, hoc eft illius, quam *Pipinus* fecerat, effe conscriptam, imo auctam non mediocriter, quemadmodum ipfa finium defcriptio fatis oftendit; enarratque *Anaftafius*, qui eam legit, fuisque contrectavit manibus: Neque vero *Sigonius*, etfi gravis ille fcriptor merito habeatur, exprimere tamen a nobis affenfum poterit iis, quæ octingentos ante annos gefta effe, nullo veterum teftimonio, prodit ipfe primus, cum ante illum a nemine hoc dictum appareat: Eft id appofite adnotatum in rem noftram ab eruditiffimo *Fontanino* Ift. del domin. della S. Sede fopra il Ducato di Parma, e di Piacenza Lib. I. pag. 16. qui hoc argumento dictum *Sigonii* egregie elevat, profertque Cardinalis *Baronii* fapienter pofitum axioma: *Quod a recentiori auctore de rebus antiquis fine alicujus vetuftioris auctoritate profertur, contemnitur.* Sed quoniam integram, numerisque omnibus abfolutam fuiffe hanc regiam largitionem *Caroli Magni* ab eodem *Fontanino* Dif. del Domin. di Comacchio Libro primo, docte, ac diferte demonftratum eft, non id nobis negocii dari video, ut de illa quidquam amplius differamus; eoque unde digreffa eft, revertatur oratio: Cum *Carolo Craffo Franci* etiam fafces amiferunt imperii, pro quo magni in *Italia* coorti tumultus; *Vidone Spoletinorum*, & *Berengario Forojulienfium* Ducibus acerrime de eo inter fe decertantibus. Quo tempore vel diffociatis populorum *Italiæ* animis, quum alii *Berengarii*, alii *Vidonis* faverent partibus; vel armorum vi, magnæ funt etiam Italicarum ditionum commutationes confecutæ. Pontificiæ Urbes, pars *Vidonem* acceperant; pars neque *Vidonis*, nec legitimum *Romani* Pontificis imperium verebantur, patriis tantum fubditæ Magiftratibus, propterea quod fuæ ditioni tuendæ impares viribus effent *Romani* Anno DCCCXIII. Pontifices. Itaque *Formofus* Pontifex Maximus, itemque *Longobardiæ* Primates ab *Arnulpho* Germa-

maniæ rege per legatos opem petiere: *Enixè deprecantes*, (utar verbis Annalium Fuldenſium tom. 2. Ducheſn. pag. 581.) *ut Italicum regnum, & res Sancti Petri ad ſuas manus a malis Chriſtianis eruendum adventaret, quod tunc maxime a Vidone Tyranno affectatum eſt.* Apud quem autem hoc tempore regimen Urbis *Cæſenæ* fuerit: Pontifex ne, Archiepiſcoporum *Ravennatium* miniſterio; an *Vido*, an patrii Magiſtratus dominati fuerint, non ſane comperire mihi licuit. Nihil enim hac de re accepi literarum proditum monumentis ab ætate illa, quam omnes incuſant, ingenti barbarie merſam, ea, quæ ſcitu digna ſunt, mandare literis neglexiſſe: Tamen venit in mentem, exiſtimare *Cæſenates* eorum in numero non fuiſſe, qui Pontificiæ ditioni ſeſe ſubducentes, Reipublicæ moderationem ſuis Magiſtratibus commiſerunt: Sed *Cæſenam* aut ſemper fidam fuiſſe Pontifici, aut coactam paruiſſe *Vidoni*, tantum, dum vitam vixit; cœterum eo extincto, in Pontificum ditionem remigraſſe ſic, ut conſtantiſſime in obſequio iis præſtando perſeveraſſe videatur: Nam *Berengarium* alterius *Berengarii*, qui faſces Imperii tulit, cujusque ſupra meminimus, ex ſorore Nepotem, quum inſenſus Pontifici hujus ditionis hoſtiliter divexandæ nefarium propoſitum ſuſcepiſſet, expugnatam Urbem *Cæſenam* incendiſſe, Cæſenatium *Annales* Claram. hiſt. Cæſen. Lib. v. pag. 196. teſtantur. Non enim crudeliter adeo in eam ſeſe geſſiſſet *Berengarius*, ſi Pontificiæ ditionis ipſa non fuiſſet, atque Apoſtolicæ Sedis ſtudioſiſſima. Adnotare hic liceat præclarum Commentum *Forolivienſium*, qui majores ſuos *Cæſenæ* dominatos eſſe dicunt, dum *Berengarius* Civis (ut fingunt) *Forolivienſis*, qui poſtea Rex *Italiæ*, denique Imperator fuerit, *Ducis* nomine, eorum Rempublicam procuraret. Qua in narratione plura peccantur. Primum, *Berengarius*, qui Imperii inſignia eſt conſecutus *Forojulienſis*, non autem *Forolivienſis* fuit, ut eruditiſſimus vir *Fontaninus* ſua in id argumenti diſſertatione luculenter oſtendit: Deinde *Cæſenam* nunquam habuit *Berengarius* ille, qui Regnum *Italiæ*, atque Imperium obtinuit, cum Pontificiam ditionem non attigerit; ſed hic *Berengarius* illius nepos; itaque commentum iſtud omnino concidere, animadvertimus. Quamdiu vero ſecundus hic *Berengarius Cæſenæ* imperaverit, non facile dixerim. Verumtamen *Otho Germaniæ* Rex rogatu Joannis XII. Pontificis Maximi in *Italiam* venit, ornatusque ab eodem imperatoriis inſignibus, quid propterea ſibi officii, ac muneris cum dignitate eſſet impoſitum, animadvertens, Apoſtolicæ Sedis tutelam alacriter, ac ſtrenue ſuſcepit, fractoque armis, ac pulſo *Berengario*, Pontifici ditionem recuperavit. Itaque *Cæſena* cum reliqua Exarchatus Provincia denuo legitimo *Romanorum* Pontificum Imperio ſubjecta eſt. Exarchatus iterum præfecturam ſummos Pontifices mandaſſe Archiepiſcopis *Ravennatibus*, licet exiſtimare: *Cæſenæ* profecto regimen, quin iis fuerit attributum, dubitare non ſinit *Gregorii* V. Diploma, extat penes *Ughel.* Ital. Sacr. tom. 2. pag. 349. quo Eccleſiæ *Ravennati Cæſenam* ſubjecit, in eamque Urbem Exarchi poteſtatem Archiepiſcopis confirmavit. Quod ſi Pontifex non modo *confirmandi* verbum iis in literis, verum & *donandi* quoque adhibet, hoc ad illud idem referendum eſt, Exarchi jus, quod tribuebatur: Neque enim novum eſſe, Juriſperitus quis dixerit, ut *donandi* vox hoc loco, nihil aliud, niſi adjectum majus quoddam confirmationi robur præ ſe ferat. Si cui vero interpretari ita placuerit *donationem* ea voce ſignificari, ut iccirco *Cæſenam*, veluti feudum, Eccleſia *Ravennas* acceperit à

A à Pontifice, plane affirmare me poſſe cenſeo, nunquam *Cæſenates* Eccleſiæ *Ravennati* vectigales fuiſſe: Contra ei potius abripuiſſe Caſtella quædam, horumque Incolas feciſſe Urbi *Cæſenæ* vectigales, ut ab ipſomet *Rubeo* in hiſt. Raven. ſub anno 1217. accepimus; quo jure, quave injuria *Cæſenates* id fecerint, ſane me latet. Sed cum Archiepiſcopi Ravennates plerumque Eccleſiæ *Romanæ*, omnium parentis, dicto minime audientes eſſent, imo non ſemel eam in turbulentiſſimas tempeſtates conjicerent, minus mirum videri debet, ſi ſubjectas Pontifici gentes ipſi Archiepiſcopi in obſequio erga ſe continere, atque B officio non poterant, apud quas gentes *Ravennate* ſacerdotium hiſce cum Apoſtolica ſede diſſidiis ſummam exiſtimationis jacturam feciſſe credendum eſt. Idque præſertim de Urbe *Cæſena* facile mihi in animum induxi exiſtimare, vetera hujus Civitatis monumenta revolventi, ex quibus luculenter apparet, eandem fide, ac ſtudio ita ſe erga ſedem Apoſtolicam exhibuiſſe, ut cum iis, qui a Romana Eccleſia deficere quoquo modo viderentur, hoſtiliter ageret. Fateor tamen conſequenti ætate non licuiſſe *Cæſenatibus* ſic ſuum erga Pontifices Maximos officium, ac ſtudium C præ ſe ferre. Quum enim, ut ego arbitror, exiguis Pontificum viribus diffiderent, cernerentque ſe quotidie objectos exterarum gentium impreſſionibus, idcirco reliquos totius fere *Italiæ* populos imitati, decreverunt & ipſi ſuæ Civitatis liberum quoddam apud patrios Magiſtratus regimen conſtituere, ut nemini addicti ab uno, aut altero populo, prout conditio temporum tuliſſet, auxilia poſtulare, ſeu fœderatas cum eo vires conjungere, non prohiberentur. Itaque tunc Archiepiſcopi *Ravennates* ne Exarchium quidem Imperium exercere in Urbem *Cæſenam* potuerunt. Indicio ſit, *Girbertum*, poſteaquam Romanus D Pontifex eſt factus, quo in munere *Silveſtri* II. nomen ſibi indidit, *Roma* in *Flaminiam* profectum, *Cæſenam* admoto exercitu obſidere inſtituiſſe, ut *Sigonius* de regn. Ital. lib. VII. ſub anno 1000. ac *Rubeus* hiſt. Raven. Lib. v. ſub eodem anno prodiderunt. Non enim hanc obſidionem aggredi habuiſſet opus, ſi tum Civitas ſub Præfectura Archiepiſcopi *Ravennatis*, qui Pontificio nomine adminiſtraret, extitiſſet. Cauſas, quæ *Silveſtrum* Pontificem ad id impulerint, ignorare ſe inquit *Rubeus*; ſed vel ut conjicit *Claramontius*, cupido fuit ulciſcendi injurias, quas, cum E Archiepiſcopus ille eſſet, accepiſſe a *Cæſenatibus* ſeſe crediderit; Aut quoniam, quum ei, uti diximus, a *Gregorio* V. *Cæſenæ* potiſſime dominatus eſſet attributus, hunc exercere per *Cæſenates* vehementer repugnantes nunquam potuerit. Quis exitus obſidionis illius fuerit, a quoquam non accepi: illud *Claramontius* Hiſt. Cæſen. Lib. VI. pag. 213. adnotat, obſidionem ſolutam ea de cauſa, quod *Cæſenates* ad pactiones nonnullas Archiepiſcopis, atque Eccleſiæ *Ravennati* utiles deſcenderint, quas pactiones conſecuta ſunt ea juriſdictionem præ ſe ferentia, quæ aliquot poſt annis *Cæſenæ* egerunt Archiepiſcopi *Heribertus*, F & *Gerebrardus*, auctore *Rubeo* hiſt. Raven. Lib. v. qui ſub anno CIↃXXII. ſic habet. *At* XVII. *Kal. Novembris Herirbertus Archiepiſcopus Cæſenæ omnem inviſit, ac firmavit Eccleſiæ ſuæ ditionem.* Anno præterea CIↃXXX. *Genebrardus*, *inquit*, *Archiepiſcopus Cæſenæ fuit, multaque ibidem ſuperiore menſe reſtituit ad Eccleſiam Ravennatem ſpectantia*, ſed quanquam *Cæſena*, ac reliquæ *Flaminiæ* Civitates uni Romano Pontifici eſſent ſubjectæ: Attamen Archiepiſcopi *Ravennates* poteſtate Exarchatus ſibi tradita, abuti denuo cœperunt, eaſdemque Civitates in ſuam ditionem redigere conati

Anno

A nati sunt. Impudentissime id tentavit *Guibertus* Archiepiscopus, de quo in epistola sua conqueritur *Gregorius* VII. Lib. I. ep. 10. atque legatum propediem sese missurum ait in *Flaminiam*, qui *Guiberti* audaciam, pervicaciamque compesceret. Sed *Guiberti* ambitio sese efferendi magis, magisque præclaram occasionem est nacta, quod inciderit in *Henrici* IV. Imperatoris tempora, cui, ausu nefandissimo, sacra venalia habere, veris Pontificibus totidem pseudo Pontifices opponere, familiare fuit. Evicit *Guibertus*, ut ipse ab hoc *Henrico* Pontifex Maximus diceretur, quum *Gregorius* VII. cujus paulo ante meminimus, le-
B gitime id munus obiret, adeptusque pseudo Pontificatum *Guibertus*, sibi *Clementis* III. nomen adscivit, permisitque *Ravennam*, ac reliquum Exarchatum ab *Henrico* detineri. Sed *Henrico*, aut *Guiberto* *Cæsenam* nequaquam paruisse, probabili conjectura licet existimare; nimirum a *Gregorio* VII. Pontifice Maximo ad *Cæsenatem* Ecclesiam moderandam hoc tempore Episcopum esse missum *Gebizonem*, qui totus ab eodem *Gregorio* stabat, ejusque jussu gravissima legatione perfunctus fuerat, ad *Dalmaticum* nempe regnum tradendum, quemadmodum vetus monumentum *Cincii* Camerarii de Censibus Apostolicæ Sedis
C inscriptum, quodque profert *Baronius* Annal. Eccl. tom. XI. sub anno 1076. disertissime enarrat. Quamobrem si *Cæsenam* Pontifex talem Episcopum misit; *Cæsenatibus* vero illius excipiendi cum voluntas, tum potestas fuit, non modo eos non favisse *Guiberto*, sed ne tyrannide quidem *Henrici* tunc oppressos fuisse, necesse est. Huc gravissimam obsidionem, atque incendium (quæ mala a *Guiberto*, ac *Henrico* Civitas perpessa est, juxta *Claram.* hist. Cæsenæ Lib. VI. pag. 223.) referendum puto; quoniam scilicet in eorum sese redigi potestatem non permiserit. In illa
D vero obsidione suburbia capta existimat *Claramontius*, Urbem tamen, utpote quæ mœnibus cincta erat, restitisse, opem (ut vetera quædam monumenta produnt) ferente *Gregorio* VII. dum *Gebizo* *Gregorii* studiosissimus *Cæsenate* Sacerdotium administraret. *Henrico* IV. ex Imperii fastigio deturbato filius *Henricus* V. successit, qui pseudo Pontificem & ipse creare, Pontificiamque ditionem invadere, non est veritus. Hunc *Cæsenam* occupasse, e quodam ipsius Diplomate, in quo de *Cæsenate* Territorio nonnihil statuitur, colligit *Claramontius* Hist. Cæsen. Lib. VI. pag. 228. Pontifices Maximi, tametsi armis tueri jus suum
E non valerent in tot rerum perturbationibus: minime tamen *pro derelicto*, ut Jurisconsultorum utar formula, illud habuerunt. Itaque eodem hoc tempore, quum Ecclesiam *Ravennatem* *Gualteri* Archiepiscopi opera, eorum pœnituisset, quæ nefarie contra Apostolicam Sedem gesserat, receptaque esset in fidem, atque gratiam, eam *Gelasius*, *Calistus*, *Honorius*, & *Innocentius* II. Præfectura Exarchatus denuo honestarunt, qua in re *Innocentius* hac formula est usus: *Confirmamus vobis Exarchatum Ravennæ, qui Romanæ Ecclesiæ Juris est.* Extant horum Pontificum Diplo-
F mata apud *Rubeum* Hist. Raven. Lib. V. pag. 321. *Ughellium* Ital. Sac. tom. 2. pag. 365. *Gulielmum* *Vallam* de Exarchatu, & in M. S. Codice Vaticanæ Bibliothecæ: *Henricus* tandem divexare Ecclesiam destitit. Ab *Lothario*, & *Conrado*, qui Imperii item fasces habuerunt, nihil contra Pontifices, ditionemque eorum gestum ex eo apparet, quod Civitates Exarchatus tumultuare per hæc tempora cœperunt, & liberam Reipublicæ moderationem sibi ipsis adsciscere, quoniam videlicet nulli tum Cæsarei Rectores in Provincia erant, qui eos gravi imperio premerent: Nam imbecillas Pontificum vires eæ Civitates non satis verebantur. Consecuta *Friderici* I. ætas ingentes Pontificiæ ditioni calamitates, & ærumnas attulit. *Fridericus* enim *Alexandro* III. Pontifici Maximo infensus, illius ditionem modis omnibus divexare instituit; Exarchatus Urbes occupavit, inter quas præcipuo quodam modo illud videtur spectasse, ut *Cæsena* potiretur: In hac enim munitissimam Arcem excitavit, quo Exarchatui veluti habenas injiceret: Ea in Arce, quemadmodum vetusta monumenta quædam testantur, quæ mihi cum aliis laudibus præstans, tum singulari erga Patriam amore *Hector Buccius* Patricius *Cæsenas* perhumaniter commodavit, *Fridericus* ærarium suum, & cariora quæque collocavit. Ac *Cæsenæ* dominatum *Fridericus* non amisit, quum pleræque Italicarum Civitatum, quæ ab ejus Vicariis regebantur, horum barbariem ægre ferentes, defecerunt, Societatemque adversus eundem iniere. Constat id ex tabulis induciarum, quæ vicissim *Fridericum* inter, & societatem illam conscriptæ sunt: In tabulis siquidem *Friderici* *Cæsena* inter ipsius Civitates adnumeratur. Pactus deinde *Fridericus* *Venetiis* fuit, se *Alexandro* ditionem, quam invaserat, restituturum; sed aliquot post annis in *Italiam* reversus, nedum quæ pollicitus fuerat, non præstitit; verum grassari denuo per Urbes Pontificias, mulctare eas, quæ *Alexandri* III. Pontificis Maximi favissent partibus, perrexit, *Sigon.* de regno Ital. Lib. XV. *Fontan.* Istor. del Domin. di Parma, e Piacenza Lib. II. pag. 73. neque modo quoad vixit *Fridericus*, turbulentissimas tempestates in Pontificiam invexit ditionem, sed longam etiam posteritatem iis miserrime implicuit. Excitavit enim pestiferas factiones, quæ totam *Italiam* diu atrocissimis cladibus opplevere, *Gibellinorum*, & *Guelforum* nominibus ex veteri *Germaniæ* discordia repetitis: Qui Augusti partes sequerentur, *Gibellini*; qui Pontificis *Guelfi* appellati: Quæ factiones quum in Urbe *Cæsena* oppido quam effervescerent, *Friderico* ipsi, atque aliquot etiam deinceps Imperatoribus, illius dominatum retinendi, quod & in reliquis *Romaniæ* Civitatibus contigit, causa, ac præsidium fuere; quippe quum Cæsarei rectores *Gibellinos* omni re juvarent; *Guelfis*, qui Pontifici studebant, tantum profecto non erat virium, ut Pontificium nomen, Imperiumque invocare valerent. *Fridericus* & in imperio successorem, & in consilio potiundi Pontificum ditione, sui imitatorem habuit *Henricum* filium. Is quidem initio *Cœlestino* III. Pontifici Maximo, a quo Imperii majestate est auctus, jurejurando promiserat, quidquid de patrimonio Beati *Petri* esset ablatum, sese integre restituturum. *Rogerius Hoveden*, inter Anglicar. rer. script. per Savillium pag. 689. sed brevi ita ingenium immutavit suum, ut cum alias intulerit eidem *Cœlestino* injurias, tum Ducatum *Ravennatem* (Exarchatum scilicet) *Marcualdo* Dapifero suo, veluti feudum, attribuerit; itaque *Cæsena* quoque *Marcualdi* dominatum experta est, quamquam *Henricus* post biennium, prope moriturus, quæ abstulerat Ecclesiæ Romanæ loca, *Ravennatem* præsertim Ducatum eidem reddi, testamenti sui tabulis præcepit in hæc verba, quæ ab antiquo de vita *Innocentii* III. Cap. XXVII. vide Regestrum Lib. I. ep. 230. & Lib. XXVII. ep. 228. scriptore recitantur: *Insuper præcipimus Marcualdo Senescalco nostro, ut Ducatum Ravennatem, Terram Brittinorii, Marchiam Anconæ recipiat a Domno Papa, & Romana Ecclesia, & recognoscat etiam ab eis Medesinam, & Argelatam cum eorum pertinentiis, de quibus omnibus securitatem ei juret, & fidelitatem faciat, sicut Domino suo. In morte vero, si sine herede* de-

decesserit, *Ducatus Ravennæ*, *& Terra Brictinorii*, *& Marchia Anconæ*, *& Argelata cum earum pertinentiis in dominio Ecclesiæ remaneant.* Sublato e vivis *Henrico* VI. *Marcualdus* nihil eorum præstare, quæ in mandatis habuerat, instituit: At *Innocentius* III. qui *Calisto* successerat, summi ingenii, doctrinæ, singularisque constantiæ vir, Pontificiæ ditionis primus longo post intervallo recuperandæ provinciam suscepit, & ad Exarchatus quidem Urbes recipiendas *Carsendinum* misit suum in *Flaminia*, *Æmiliaque* Legatum: Populis autem hoc tempore, Guelfarum, ac Gibellinarum partium studio abreptis, Gibellinisque (ut puto) florentibus, difficilem expeditionem *Carsendinus* est nactus; quumque e *Piceno* in *Romaniam* ei proficiscenti *Cæsena* primum sese objiceret, hanc neque viribus, neque anathemate proponendo redigere in potestatem initio valuit, sed tandem *Carsendinus* ad eum exercitum, quem ipse ductaverat, auxiliares copias adjunxit, seu *Bononiensium*, ut scribit *Sigonius*, seu *Ravennatium*, ut *Rubeus*, seu utrorumque; auctoque sic militibus exercitu negotium feliciter gessit; *Sigonius* ita habet. *Junctis exercitibus Cæsenates petiti, ac ad auctoritatem Ecclesiæ revocati, Civitatibus in fidem reversis interdictum est relaxatum.* Strenuum sane *Cæsenatium* facinus, ac pertinaciæ nota dehonestatum, hoc loco *Sigonius* describit: Verum ipse *Sigonius* in *Bononiensium* Historia, ubi hæc item exposuit, affirmavit esse quosdam, qui longe aliter prodidissent, *Bononienses* nimirum non *Carsendino* Legato Pontificio ad infringendam *Cæsenatium* audaciam opem tulisse, sed contra movisse arma accitos a *Cæsenatibus* sociis, qui *Marcualdi* grave jugum ab sese depellere niterentur. habet autem in hæc verba: *Sunt qui hoc bellum sociorum Cæsenatium causa, quos Marcualdus vexarat, susceptum, neque aliud quam liberatos obsidione Cæsenates perfectum scribant.* Non igitur omnino certum est, sed dubitandi locus relinquitur, num *Cæsenates* pertinaci animo Pontificium Legatum rejecerint, an contra libenter illum exceperint, eique ad negotium recuperandæ *Flaminiæ* perficiundum opitulati sunt. *Innocentio*, sedique Apostolicæ obtemperans Civitas, libero tamen quodam genere gubernandæ Reipublicæ, creandique Prætoris facultate utebatur, ut scribit *Claramontius*, Hist. Cæsenæ. Lib. VIII. Eodemque in statu permansit ad *Friderici* usque *Secundi* ætatem, quemadmodum proxime ostendemus. Offert sese hic nobis *Leander Albertus*, qui *Cæsenam* in *Bononiensium* ditione per hæc tempora fuisse, lepide affirmare non dubitat, *Cæsenates* scilicet quum auxilium a *Bononiensibus* contra Ariminenses, aliosque hostes petiissent, impetrassentque, & Victoriam retulissent, *Bononiensium* imperio sese subjecisse. Verum ut hunc *Leandri* commentum refutemus, nil aliud negotii nobis dare video, nisi ut rerum eo tempore gestarum narrationem instituamus, ipsis potissimum *Sigonii* de Regn. Ital. Lib. XVI. sub Anno CIↃCCXVI. ac *Rubei* in Hist. Ravenn. sub anno MCCXV. verbis utentes, quibus bellum istud a *Bononiensibus* Reipublicæ *Cæsenatis* juvandi causa susceptum enarrant; Nam *Cæsenates* & socios fuisse *Bononiensium* intelligemus, & parta victoria, minime quidem coactos, sed sponte; atque ut gratias referrent, pollicitos esse *Bononiensem* Virum se Prætorem in posterum delecturos; quive Prætor idcirco non a *Bononiensi*, sed a *Cæsenati* ipsa Republica impositus fuisse, deprehenditur: Eo plane modo, quo præscriptum videmus, ut in quosdam judicum cætus apud nos externarum Nationum viri cooptari debeant: Neque tamen iis Nationibus hoc nomine dominatum ullum in nos, atque imperium adscribimus. *Sigonii* verba hæc sunt: *Per eosdem dies Bononienses bellum memorabile Ariminensibus intulere. Ariminenses quum prælio Cæsenatum exercitum profligassent, mille septingentos è Cæsenatibus ceperant, eosque in Arcem S. Archangeli conjecerant, atque ibi præfecto Antonio quodam Tarentino custodiebant. Cæsenates captivos suos recuperare cupientes propriis diffisi opibus, ad Bononienses confugere, atque ab eis opem durissimo suo tempore petiere. Bononienses ad honorem suum rati pertinere supplices socios pro viribus sublevare, præsto se futuros responderunt, & quod Ariminenses a Pisaurensibus, Fanensibus, Urbinatibus, aliisque adjuvari sciebant, e vestigio Regiensium, Faventinorum, & Ferrariensium Prætores, ac copias acciverunt, atque ex eis; & maximo delectu Civitatis exercitum firmissimum contraxerunt, & Carrocium educendum decreverunt. Vicecomes Prætor cum hoc apparatu egressus* VIII. *Idus Augusti ad S. Archangeli Castrum pervenit, idque omni ope oppugnare instituit: Præliis cum hostibus conserendis, agro vastando, atque oppido omni tormentorum genere quatiendo, res in exitum mensis extracta est. Tandem expugnatum Oppidum; muris dejectis, & hostibus profligatis, in ditionem cum Tarentino pervenit. Kal. Septembris in Castris ad Carrocium pax cum Ariminensibus, his legibus scripta est. Ariminenses captivos Cæsenates, & qui modo de exercitu Bononiensium capti sunt, restituunto Vicecomiti Prætori Bononiæ, in Castris, in quibus nunc sunt Bononienses, ad Carrocium, aut tabernaculum Prætoris, prout ei placuerit. Vexillum Bononiensium in Castris S. Archangeli poni permittunto. Bononienses, & Cæsenates captivos Ariminensibus reddunto.* Hactenus *Sigonius Rubei* verba nunc proferam, qui sic habet: *Ariminenses hoc anno mense Julio, Cæsenatesque ad Montem Turcarum prælio inter se decertarunt, ab Oppido Longiano haud procul: Sed inclinante ad Ariminenses Victoria, multi ex Cæsenatibus, fere ad quingentos capti: Duobus post mensibus accitis Bononiensium, qui Carrocium ob id eduxerunt, Faventinorumque, & aliorum sociorum auxiliis, Cæsenates in Ariminensem Agrum excurrunt, Castra locant ad Oppidum S. Archangelum balistis, & ut tum vocabant manganis, diu, noctuque saxa jaciunt, diruunt muros, fossas solo æquant, infesta omnia habent, Armentaque, atque homines interimunt. Itaque Ariminenses tanta vastatione deterriti, reddunt captivos Cæsenates; Bononienses specie triumphi cum Carrocio, Visconte Comite Prætore præeunte, Bononiam ineunte septembri revertunt: Cæsenates imposterum Prætores Bononienses sese accepturos polliciti, sed Pontifex Honorius III. qui tum primum in locum Innocentii mortui fuerat suffectus, quod hæc injussu suo fecerint, Bononiensibus, Faventinisque sacris interdixit.* Huc usque *Rubeus*, cujus postrema narratione præsertim dicta nostra apertissime confirmantur: Qui enim fieri poterat, ut *Cæsenam* suo sub imperio redegisset *Bononia*, quum & ipsa in ditione esset Pontificum Maximorum quorum injussu agere nihil valebat, ut ex ea pœna, qua *Honorius* III *Bononienses* mulctavit, perspicitur? Præterea si *Honorius* puniendos ideo *Bononienses* existimavit (qua de causa etiam *Faventinos* coercuit) quod bellum sine Pontificia Auctoritate *Ariminensibus* una intulissent, quid fecisset si *Cæsenati* Urbi quæ tum Ecclesiæ *Romanæ* ab *Innocentio* III. recuperata cum reliquis Provinciæ Urbibus subdebatur, *Bononienses* dominari tentassent? Res ita in promptu est, ut disputatione non egeat. Non longo intervallo post recuperatam ab *Innocentio Flaminiam* Provinciam *Otho* IV Imperator, qui *Henrico* successerat in Exarchatum *Ravennatem* abuti potentia sua cæpit, contra jusjurandum, quo pro tuendis Ecclesiæ rebus *Innocentio* sese ante-

antea

tea obstrinxerat, ac *Leonardum Tricanensem* Vicaria *Flaminiæ* omni præfecit potestate, *Claram.* hist. Cæsenæ Lib. VIII. Pag. 273. *Rub.* hist. Raven. sub anno 1210, & 1211. Comitem, procuratoremque *Othonis* Cæsaris appellatum. Cujus tamen dominatu, ut puto, non omnes Exarchatus Urbes expertæ sunt; *Cæsenam* certe ipsi haud paruisse, ex eorum, quæ consecuta sunt, narratione facile licet intelligere: Etenim post *Othonem Fridericus* II, contempto ab ipso etiam jurisjurandi sacramento, quo initio dum Imperatoria insignia a Pontifice acciperet, diserte spoponderat, se Ecclesiæ tutelam suscepturum, eique utilia aliorum Cæsarum Decreta, datis literis, confirmarat, in *Ravennatem* Exarchatum, ut Pontifici obsequentes Civitates sibi subigeret, profectus est, quumque *Faventinos*, quia diu restitissent, capta tandem eorum Urbe, male mulctasset, ipsorum infortunio edocti *Cæsenates* consilio prudenter inito, deditionem fecere. *Fridericus* seu metu, ne *Cæsenates*, quaqua oblata occasione ad Pontificis partes remigrarent, seu loci opportunitate admonitus eam legem, ac conditionem veniæ *Cæsenatibus*, quoniam Cæsareas partes deseruissent, imposuit, ut novam in ipsorum Civitate excitari munitissimam Arcem paterentur. *Rub.* Hist. Raven. sub anno 1241. *Claram.* Hist. Cæsen. Lib. IX. Pag. 314. Igitur illud vere a nobis esse positum liquet, *Cæsenam Leonardo Tricanensi Othonis* Vicario non sese subdidisse; siquidem, ut hactenus demonstratum est, *Fridericus*, qui *Othoni* successit, eam Pontifici abstulit, ac Pontificiis faventem partibus, extructa Arce compescendam duxit. Extremo tempore *Fridericum* pœnituit eorum, quæ contra Pontifices Maximos gesserat, ereptaque sedi Apostolicæ loca reddi jussit. Jussio in testamentariis Tabulis, quas recitat scriptor æqualis temporum Friderici apud Matthæum Parisium, Pag. 812. Lin. 40. continetur in hæc Verba: *Item relinquo totam Terram Ecclesiæ liberam, & volo quod Jura Ecclesiæ restituantur.* Conveniunt item testamentariæ illæ *Friderici* Tabulæ, quas ex Baronii schedis profert Rainaldus 1250 quæ sic habent: *Non prætermittentes, quin eidem Regi* (hoc est Conrado filio,) *injungamus, ut debeat reddere, & restituere omnia Jura, omnesque rationes, sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ nostræ Matri, quæ, & quas possidemus injuste, si eidem Christianissima ipsa misericors, & pia, jure debita facere non cessabit:* Sed *Cæsena*, pluresque aliæ Urbes *Friderico* parere ante id temporis jam desierant; Nam *Octavianus* Cardinalis *Ubaldinus* Ann. 1248. ut Auctor est *Rubeus*, biennio, Ann. 1250. prius quam hasce Tabulas *Fridericus* prope moriturus conderet, in Exarchatum venerat, atque inter cæteras Civitates *Cæsenam* recuperaverat. Confirmant id ea, quæ prodidit *Rubeus* in Hist. Ravenn. ad an. CIƆCCLI. *Innocentium* IV. *Philippo Fontanæ* Archiepiscopo *Ravennæ* designato literis præcepisse, ut *Cæsenatium*, *Ariminensium*, *Faventinorum*que Rebus publicis Ecclesiæ Romanæ obsequentissimis opitularetur: *Quoniam vero*, (inquit ille) *multos in Flaminia Fridericus Cæsar de via veritatis deduxerat, iique plurimis damnis affecerant, afficiebantque Ecclesiæ studiosos; Pontifex* (scilicet Innocentius IV.) *per literas Perusii scriptas nonis Decembris, Pontificatus Anno nono, Philippum Archiepiscopum Ravennatem designatum misit, qui conciliaret animos inter se, & furori materiam subtraheret, quod si pertinaces in sententia permanerent, mandavit ut adversus eos Prætoribus, & Rebuspublicis Faventiæ, Cæsenæ, atque Arimini, partisque extorris Ravennatis, eorumque Amicis Flaminiis Ecclesiæ studiosis esset auxilio ad recuperanda, conservandaque jura, &*

loca ipsorum. Constat ex Manuscriptis Monumentis Civitatis *Cæsenæ*, hunc Archiepiscopum legati Pontificii munus obiisse in *Flaminia*, in eademque cum illo quemdam nomine *Supinum* Pontificium rectorem administrasse rempublicam, atque Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo primo totius Provinciæ conventum *Cæsenæ* celebrasse, in quo de recipiendis iis, qui factionum causa exulaverant, agi oporteret. *Rodulphi* Cæsaris tempora consecuta sunt Pontificiæ ditioni felicissima. Hic enim Princeps quemadmodum justitia, pietate, egregiisque aliis Virtutibus Austriacam domum Imperii majestate primus auxit; Ita nihil etiam prætermisit eorum, quæ ad Apostolicam sedem ornandam pertinerent; Nam & *Nicolao* III Pontifici Maximo egregie præstitit, quod aliis ante eum Pontificibus *Gregorio* X. & *Innocentio* V. pollicitus fuerat, sese nimirum omnia Cæsarum diplomata, quibus Romanæ Ecclesiæ res, juraque sanciebantur, probaturum: Et quum illius in *Italia* administri a *Cæsenatibus*, aliisque *Flaminiæ* populis jusjurandum exquisissent, futuros illos in *Rodulphi* obsequio, atque fide, jusjurandum istud a Pontifice admonitus irritum, nullumque pronunciavit, propterea, quia illud, neque mandato ipsius, neque voluntate, flagitatum, acceptumque esset. Duabus legationibus, datisque *Nicolao* literis, testatus est, nihil se antiquius habere, quam obsequi *Romanis* Pontificibus, atque Apostolicæ Sedis jura propugnare, tuerique. Alter Legatus in mandatis habuit, in frequenti Pontificio Senatu, *Rodulphi* nomine jusjurandum illud coram Pontifice, Purpuratisque Patribus, solemnibus conceptis verbis, remitteret, quod est ab illo factum diligentissime. Alteri Legato additum præterea, ut de hisce *Rodulphi* gestis *Flaminiæ* Urbes certiores faceret, hortareturque, ut legitimo Apostolicæ Sedis imperio parerent, neu quem alium Dominum vellent agnoscere. Pontifex *Giffridum Anagni[n]um*, & *Joannem Viterbiensem* in *Flaminiam* allegavit, jussos niti modis omnibus, ut dissidentes inter se Exarchatus Urbes componerent, easque adigerent, suos Oratores ad Pontificem *Viterbio* commorantem mittere, per quos ei fidem suam obstringerent. Vix perlatæ ad populos Exarchatus *Nicolai* literæ, summa consensione, plausuque exceptæ sunt. Missi *Viterbium* ad Pontificem Procuratores Civitatum, qui sacramento fidem, atque obsequium sponderent. Quas sponsiones ut per sese ipsæ Exarchatus Urbes confirmarent, Nuncii Pontificii deinceps eo profecti effecere. Quartum decimum ætatis annum, qui transgressi; septuagesimum autem prætergressi non essent, ad jusjurandum adacti; credita autem a *Nicolao* Pontifice totius *Flaminiæ* administratione Latino *Malabrancæ* Cardinali Legato, & *Bertoldo* Rectori Pontificio ex Ursina familia, ipsius *Nicolai* fratris filio, hic præcipuo in honore habuit Urbem *Cæsenam*, in eaque & diu commoratus est, & Provinciæ totius Conventum celebravit ad quem *Ravennatum*, cæterarumque Civitatum Oratores, ut scribit *Rubeus* Hist. Ravennæ sub Anno 1278. accessere, latæque sunt eæ leges, Sanctionesque decretæ, quibus Provinciales omnes uti deberent. Verum Pontifice *Nicolao* mortuo, *Gibellinorum* factiones in *Romania* spiritus ingentes resumere, *Bertoldum* nequaquam metuere, sus deque omnia vertere, Duce *Guidone Montefeltrio* denuo cœperunt. *Claram.* Lib. X. pag. 348. *Cæsenates* quoque iisdem jactati fluctibus, quum *Gibellinorum* in Civitate longe validiores, quam *Guelforum* vires essent, *Guidoni Montefeltrio* adhæserunt: Sed a *Martino* IV. qui post *Nicolaum*, Pontificatum maximum gessit, *Joannes Appia Gallus Bertoldi*

Anno MCCLXVIII.

loco sufficitur, Vir præstans militari virtute, qui exercitu comparato, Civitates, quæ defecerant, strenue recepit; Huic *Cæsenam* ultro, atque alacri omnium consensione Civium sese dedisse, vetusti Annales produnt, qui ut eos recitat *Claramontius* Hist. Cæsenæ Lib. x. pag. 353. habent in hunc modum: *Anno Domini* 1283. *mense Junii Dominus Joannes de Appia Comes Romandiolæ intravit Civitatem Cæsenæ cum voluntate Civium, quam tenebat contra voluntatem Ecclesiæ Romanæ Guido Comes Montisferetri mittens ad confinia magnam partem Ghibellinorum.* Rubeus etiam hoc ipsum eleganter exponere videtur; ait enim: *Idem Cæsenæ factum est, quam mense Junio Appia annuentibus Civibus est ingressus.* Comitis quidem nomine *Joannes Appia* Provinciam regebat, erat autem per eadem tempora legatus quoque Pontificius in Provincia *Bernardus* Cardinalis Portuensis. *Claram.* Hist. Cæsen. Lib. x. pag. 355. At *Flaminiis* populis gravius æquo *Appiæ*, ac legati imperium incusantibus, magni sane tumultus extiterunt, ut oportuerit, *Martinum* Pontificiarum partium studiosis diffisum, *Appiæ*, quem rectorem Provinciæ fecerat, adjungere *Guidonem Monfortium* copiarum suarum Ducem appellatum: Sed nonnisi ab *Honorio* IV. Pontifice, qui *Martino* successit, sedari tumultus potuerunt, pulso *Guidone Montefeltrio*, qui immani dominandi libidine omnia miscebat. Hac ætate *Cæsenates* Pontificiorum Rectorum venia, libero quodam genere Reipublicæ utebantur, tametsi Pontificio imperio obsequentissimi, ac suis non modo, sed etiam totius *Flaminiæ* rebus consulebant. Declarat id Senatus illud Consultum Reip. *Cæsenatis*, quod iis temporibus factum esse *Rubeus* affirmat: *Verum*, inquit, *postero ineunte anno* (scilicet CIↃCCLXXXVIII.) *pridie non. Januar. Cæsenæ in Prætorio, Senatu Cæsenatium coacto, ut Provinciæ Flaminiæ quieti consuleretur* &c. *Rodulphus e Galisidio, & Gerardus Azzardus Defensores Populi Cæsenatis, aliique complures Ugolinum Duidoli Roselli Civem Cæsenatem procuratorem suum fecerunt ad fædus pactave cum Ravennate Republica ejusque procuratore ineunda. Quæ omnia S. Romanæ Ecclesiæ honori fieri, esseque velle pronunciarunt.* Apparent enim *Cæsenates* hoc in Senatusconsulto prædicti facultate libere sanciundi ea, quæ ad Civilem utilitatem pertinerent; tum vero ita animati, nihil ut vellent ab se committi quod maximorum Pontificum in eos dominatum & Auctoritatem oppugnare ullo pacto videretur; Rediit *Guido Montefeltrius*; itaque, & ipsius, & aliorum præpotentium virorum opera, qui Civitatum *Flaminiæ* tyrannide affectabant, denuo in ea Provincia tumultuatum est: qua tamen in rerum perturbatione, *Cæsenates* constat *Guelfis*, qui a Pontifice stabant, contra *Gibellinos*, favisse: Siquidem tam *Bononienses*, quam *Cæsenates* adversus *Montefeltrium Gibellinæ* factionis hominem, creavere copiarum suarum Ducem *Malatestam Guelfarum* partium studiosum. Fidem quoque suam Ecclesiæ Romanæ *Cæsenates* per Oratores jurejurando testati sunt, & in Conventu, quem *Stephanus Columna* Provinciæ Comes pro *Nicolao* VI. in Urbe *Forolivii* habuit. Nonnihil tamen ab hoc tam præstanti erga Pontificios Rectores obsequio subinde *Cæsenates* averterunt sese, ob eam causam, quod suspicati essent, liberam, qua ipsi potiebantur, Prætoris creandi facultatem sibi a Provinciæ Comite ademptum iri, qua in facultate maximam contra *Flaminios* Tyrannos libertatis suæ partem ponebant. Suspicio inde profecta, quia quum *Arimini* contra Comitem a quibusdam Proceribus tyrannidem ejus Civitatis occupare adnitentibus essent tumultus excitati, Co-

A mes Rempublicam *Ariminensem* facultate, qua & Urbs illa fruebatur, deligendi Prætoris, privarat, ipseque Prætorem imposuerat. quod factum *Cæsenates* exemplo fortasse etiam adversus se fore rati, ægerrime tulerunt, quamobrem quum *Ravennæ Polentani Stephanum Columnam* Provinciæ Comitem, ipsiusque, & filium *Joannem Columnam*, & generum *Petrum Palumbarium*, tum *Guidonem* ?*ileum Petrum Frangipanem*, ac reliquam familiam cepissent, atque in custodia detinerent, assentiri ipsis *Cæsenates* quoque visi sunt, quod probant tabulæ, quibus *Stephanus*, ac reliqui e custodia dimissi, satis esse factum sibi

B cum a cæteris, tum a *Cæsenatibus*, professi sunt, quarum tabularum meminit *Rubeus* in Hist. Ravenn. ad ann. CIↃCCXCI. in hæc verba: *Ipse quoque Stephanus, Joannes filius, ac reliqui, tabulis publicis, eodem, quo liberi e custodia dimissi sunt, die, manu Jacobi Benincasæ filii in prætorio Faventino confectis testati sunt, satis factum sibi fuisse ab Hostasio, & Lamberto Polentanis Guidi filiis, Lamberti Nepotibus, ac Lucio Balbo Joannis filio; Ravennate, pro Ravennatibus, Ugone Asprono Faventino, pro Faventinis, Barchino Palatio Rigutii filio pro Cæsenatibus.* Verum quod facturum *Stephanum Cæsenates* suspicati sunt: *Claram.* Lib. x.

C pag. 370. *Ildebrandinus* Episcopus *Aretinus* post *Stephanum* Rector & Comes Provinciæ reipsa est aggressus, vetuitque *Cæsenatibus*, ne Prætorem ipsi deligerent, acciperent autem, quem ille decerneret. Hujuscemodi imperata *Cæsenates* vehementer sane detrectaverunt, provocaruntque ad ipsum Pontificem. Re dein ad publicas deliberationes traducta, religioni habitum, contemnere prorsus jussionem illius, qui Pontificis Maximi legitime imperantis nomine præesset. *Claram.* Lib. x. pag. 371. postulandum potius, ut quædam ab illo adjicerentur, quibus satis consultum fore publicæ utilitati videbatur nimirum ut Prætor,

D quem lædisset, jurejurando polliceri deberet, se *Cæsenatium* leges, atque instituta accurate observaturum, ex eorumque præscripto Civium lites dijudicaturum. Animadvertebant enim *Cæsenates*, quamdiu patriæ leges vigerent iisque obtemperarent Prætores, neque ullum hosce habituros aditum ad Tyrannidem, & Civitatem bonis omnibus egregie cumulatum iri; Legati decreti, qui hæc *Ildebrandino* Comiti nunciarent: qui datam conditionem accepit, laudatisque *Cæsenatibus*, eos sacris, quibus interdixerat, restituit *Rubeus* autem Hist. Rav. ad Ann. CIↃCCLXXXI. aliam no-

E bis causam prodit, cur *Cæsenates* tandem Prætorem accipere ab *Ildebrandino* in animum induxerint, quod scilicet omnes magnam *Ildebrandini* prudentiam, dexteritatem, & paternum pacis studium in optimo Pontifice amarent. Ad hanc enim causam quum alia quædam retulisset, quæ in Provincia evenerunt, subdit: *Quo etiam factum est, ut quamquam accipere superioribus diebus Cæsenates Prætorem noluerunt, quem illis præfecerat Ildebrandinus, atque ob eam rem cum omni familia, ea Urbe decedens, Forolivium abiisset, & aqua, atque igne Cæsenæ interdixisset, eamque Marchis argenti mille mulctasset, ipsique ad Pon-*

F *tificem Cæsenates per Syndicum provocassent, paulo post tamen ad Ildebrandinum missis Oratoribus, ac Syndico Prætorem acceperint.* Sed ex duabus hisce causis altera alteram non trudit, ut *Plautino* utar vocabulo, & utraque impellere *Cæsenates* valuit, ut in eam mentem descenderent. Auctoritatem autem *Ildebrandini* brevi in Provincia adeo Tyrannorum potentia comminuit, ut concitato populo, publice adversus eumdem conspiratum sit, vixque ipse iratorum hominum manus effugerit. Proripuit sese e *Forolivio* & ad *Cæsenates*, quorum

rum Civitas ferme sola Pontifici favebat (quum reliquas *Flaminiæ* Urbes Tyranni distraxissent) tutandi sui causa se contulit. Ea in Civitate quum esset *Ildebrandinus*, ab hostibus pluries quidem obsidione pressus fuit, sed egregia, singularique fide *Cæsenatium* servatus. Placet hic literas *Ildebrandini* nomine scriptas *Bononiensibus*, in quibus res perspicue enarratur, recitare. Extant apud *Claram.* Hist. Cæsenæ Lib. x. pag. 374. *In Dei Nomine.* Amen. *Venerabilis Pater D. Ildebrandinus Dei Gratia Episcopus Aretinus, Comes, sive Generalis Vicarius, & Rector in temporalibus, & spiritualibus Provinciæ Romandiolæ per Sanctam Romanam Ecclesiam deputatus; Considerans devotionem quam Populus Bononiensis, & Commune semper habuerit erga Sanctam Romanam Ecclesiam; & quod excepta Civitate Cæsenæ, quasi omnes Civitates Imolæ, Faventiæ, Forolivii, Ravennæ, Cerviæ, Forlimpopuli, & quædam aliæ terræ prædictæ Provinciæ, & hominum earumdem in rebellione ipsius Rectoris, ac S. Romanæ Ecclesiæ persistunt, & sibi non obediunt, imo potius ipsum persequuntur, & quod manu armata hostiliter iverunt in ipsum, & ejus familiam, capiendo Comitem Agiuulfum fratrem ipsius, & Gibertum filium dicti Comitis Aginulfi, qui erant cum ipso Comite, & Carceri crudeliter manciparunt, obsederunt insuper eum exercitu generali pluries apud Civitatem Cæsenæ ipsum D. Comitem, in qua se reposuerat nec non Castrum Bretenorium, & alia loca quæ mandatis Ecclesiæ Romanæ, & dicti D. Comitis totaliter serviebant. Ob ejusmodi difficultates, & ob fidem, & devotionem Populi Bononiensis concedit illis.* Incidit in id tempus, quo *Cæsenæ Ildebrandinus* obsidebatur, Pontificium interregnum; quamobrem quum ille nullum sibi ab Urbe *Roma* auxilium speraret affuturum, *Cæsenæ* Prætura *Malatestino* demandata, abeundum existimavit; discedens autem, neque rectoris nomine, neque Auctoritate exuit sese, & *Dovadolæ* constitit, quod finitimum Etruscis Oppidum in extremis *Flaminiæ* limitibus situm erat. *Cælestinus* V. Pontificiis Comitiis ad Ecclesiæ Clavum moderandum delectus, *Robertum Gernayum Romaniæ* Comitem præfecit; sed *Cælestino*, qui Pontificatu sese abdicaverat, *Bonifacius* VIII. suffectus, hic *Petrum* Montis Regalis Archiepiscopum allegat in Provinciam, qui primas inter negocii sui curas illud habuit, ut *Malatestino Cæsenatem* Præturam adimeret, hancque ipsi Petro a *Cæsenatibus* delatam prodit *Claramontius* Hist. Cæsen, Lib. XIII. pag. 384. sed quum paci inter *Guelfæ*, & *Gibellinæ* factionis homines conciliandæ *Petrus* omnes conatus adhiberet, pulsosque Cives *Gibellinarum* partium studiosos, restitui patriis laribus, ac suis Civitatibus, denique pristinæ etiam dignitati, curaret, illud est factum, ut specie odia profligata, sublatæque dissensiones viderentur; re autem ipsa tacite animis insiderent acerbissimæ inimicitiæ; & ut *Gibellini* Proceres suam quisque in Patriam reversi, illius a Pontifice sensim avertendæ consilium, occupandæque Tyrannidis agitarent, ac molirentur; quumque isti præterea plures nanciscerentur ex iis, qui restituti fuerant, perficiundæ rei Adjutores, facile, quod cupiebant, assequebantur. *Cæsena* quoque hoc eodem, quo cæteræ fere omnes Provinciæ Civitates morbo divexata est; quippe in cujus senatu reduces *Gibellini* plurimum valebant, studebantque *Guidoni Montefeltrio*, qui & ipse redux, *Cæsenæ* commorabatur: Ægre insuper Civitates ferebant, a *Bonifacio* Pontifice adempta sibi Privilegia, concessionesque, quibus antea fruebantur; quamobrem abalienati ab eo animi *Cæsenatium*, tametsi Tyranni cujusquam imperio non se subdiderint, Præturam tamen Præfecturamque Militiæ mandarunt *Galasso* Comiti *Montefeltrio*, apud quem summam Auctoritatem esse voluerunt: hujus auspiciis omnia gerebantur: Neque *Gulielmi Durantis*, neque *Guidonis* Antistitis *Ticinensis*, qui *Bonifacii* nomine ad moderandam Provinciam venerant, jussa satis valebant; Itaque *Gulielmus Durantes* ab Urbe *Cæsena*, in qua aliquamdiu commoratus, conventum etiam totius Provinciæ habuerat, quum cerneret *Gibellinam* factionem clientelis, ac viribus anteire, indignatus abiisse dicitur, ac literis datis ad Pontificem malorum omnium Causam in id rejecit *Clar.* Hist. Cæsen. Lib. XIX. pag. 389. quia scilicet *Gibellini*, inprimisque *Montefeltrii*, pessimo consilio, fuissent in Civitate revocati: Post *Galassii Montefeltrii* mortem (quatuor hic annos *Cæsenatis* militiæ Præfecturam, Præturamque Civitatis gesserat summa cum auctoritate) sejunctim Præturam *Ubertus Malatesta*, Præfecturam *Fridericus Montefeltrius*, *Guidonis*, cujus supra memini, filius obtinuere, uterque *Gibellinarum* partium. Profecto ab Urbe *Malatesta*, Magistratum ipsius *Cæsenates Zappitino Ubertino* detulerunt; quumque *Cæsenæ* tunc esset etiam *Vgucio Fagiolanus*, vir militari virtute celeberrimus, conjunctis cum *Friderico Montefeltrio*, & *Zappitino* studiis contra *Guelfos*, tres hi viri Rempublicam *Cæsenatem* administrabant, itaque libertate quidem Civitas fruebatur, quia nullius Tyranni ditioni sese subjecerat labefactata tamen eorum, quos memoravi, triumviratu. Quemadmodum autem hujus decimi quarti sæculi initio, quum reliquæ *Flaminiæ* Civitates Tyrannis obtemperarent, *Ravenna* scilicet, ac *Cervia Polentanis*, *Forumlivii Ordelaffiis*; *Ariminum Malatestis*, *Forum Cornelii*, *Faventia*que *Mainardo Pagano* una *Cæsenatium* Civitas libertatem, etsi nonnihil imminutam, strenue retineret, eleganter memoriæ prodit *Danthes Aligherius* iis versibus, quibus se apud Inferos inducit exponentem *Guidoni Montefeltrio Flaminiorum* conditionem, & Civitates, ac eorum Tyrannos describentem poëticis luminibus, quæ aut a fluviis Civitates alluentibus, aut a gestis, aut a domesticis Tyrannorum insignibus petuntur. Nam *Polentanæ* gentis insigne erat Aquila, quam iccirco *Ravennæ*, ac *Cerviæ Danthes* accommodat, quibus ea Gens imperabat. Ordelafforum familia in gentilitio stemmate viridi colore expressam *Leonis* imaginem gestabat, propterea quum *Forolivio* dominaretur, viridis pedibus *Leonis* eam calcari Civitatem ait *Danthes*, quam etiam ex illata Francis celeberrima clade designavit: *Malatestios*, qui *Ariminum* in suam redegerant potestatem, Senis, juvenisque molossi *Veruclensis* nomine indicavit; *Faventiam Anemone*; *Forum Cornelii* Vatreno fluminibus definivit, ac etiam ex insignibus familiæ Paganæ iis Civitatibus imperantis, in quibus insignibus erat *Leo* in argenteo colore pictus. Demum Urbem *Cæsenam* ut designaret, *Sapim* fluvium, qui latus illius alluit, tum partim editum, partim planum ejusdem Civitatis situm descripsit. Sunt autem Poetæ Carmina Latinè sic reddita.

Servat adhuc, quamquam cessasse videtur ab armis,
Longævos tua vesano sub corde furores
Æmilia; & cupida bellantur mente Tyranni:
Polentana quidem, cui multos incubat annos,
Gaudet avis totam complexa fovere Ravennam,
Vicinamque super Phicoclem protendere pennas:
At quæ sæpe graves sibi tellus perculit hostes,
Sanguineasque Vias Gallorum instravit acervis
Nunc viridis pedibus paret calcata Leonis:
Et Veruclenses, juvenisque, senexque Molossi
Montani illius Custodia sæva sub altis,
Queis habitant, tectis, acuunt in vulnera dentes:

 Quid

Quid referam , quam Vatrenus , quamque alluit Urbem
Diffindens Anemo, quarum præit agmen avito
Pictus in argento leo , dum fere tempore brumæ
Commutat partes, repetitque æstate priores:
Sola ea, cui rapidus muros irrorat Isapis
Ut Pars illius jacet, ac pars surgit in altum
Nec Dominis oppressa gemit, nec libera tota est.

Danthis de *Cæsenatibus* verba, sic probat in suo theatro *Joannes Bleau: recte vero* (inquit) *Liberos à Tyrannide Cæsenates appellat: Nam in tanta Comitum, ac Tyrannorum varietate, qui illis temporibus Romaniolæ dominatum tenuere, apud Cæsenates, ut Commentatores ad dictos versiculos adnotant, respublica semper floruit; extititque inter eos præclara quædam retinendæ libertatis contentio.* Libera istiusmodi Reipublicæ forma, qua Cæsenates utebantur, effecisse videtur, ut *Matthæus Æquasparta* Cardinalis, non difficile negocium susceperit in Urbe *Cæsena* recuperanda, revocandaque ad pristinum erga Pontificem obsequium, cujus potius obsequii officiis adversus *Bonon ifacium* defuisse *Cæsenates*, quam Pontificiæ ditioni sese subduxisse, plane licet adfirmare. Tres illos *Cæsenatis* reipublicæ Moderatores *Raulus Mazzolinus* expulit, vir magnæ inter *Cæsenates* proceres Auctoritatis, atque potentiæ. Urbem annuentibus civibus *Aquasparta* legatus est ingressus, Præturam *Offreducio Aurelianensi*, Præfecturam *Gerardo Mazzolino* mandavit. Eleganter hæc gesta enarrat *Rubeus* cujus icirco verba hic lubet exscribere. *Sed mense majo tertio Idus Raulus Mazzolinus, & Populus Cæsenas Fridericum Montefeltrium, Uguccionem Fagiolanum, & Zappitinum Ubertinum pellunt ex Urbe, & quam restituerant, arcem deturbant, postridieque ejus diei Mattheus Aquasparta Cardinalis legatus, qui erat Arimini Urbem, Raulo, omnique Populo assentiente, ingressus, Gerardusque Mazzolinus Præfecturam, Præturam Offreduccius Almanus Aurelianensis, tradente Cardinali Legato, inierunt.* *Aquaspartæ* animum Cæsenates sic sibi devinxerunt, ut non modo sacris ille omnibus eos restituerit, sed etiam singulari lenitate comitateque sit prosecutus. Pontificiis deinde rectoribus *Cæsenatium* Anno 1301. respublica in primis obsecuta fuisse videtur: Quum enim *Carolus Philippi Gallorum* Regis frater, *Romaniæ* Provinciæ Comes a Pontifice datus; *Jacobo Pagano* Episcopo *Reatino* administrationem mandasset, hic *Cæsenatium* fidem cognitam, perspectamque egregie habens, apud eos integrum legationis suæ tempus consumpsit; Et quatuor post annis quum ablegatus esset in Provinciam a *Benedicto* XI. *Thebaldus Brusattus*, *Rub.* sub anno 1304. illum quoque perpetuè *Cæsenæ* commoratum esse, eamque Urbem delegisse, in qua traditum sibi rectoris totius Provinciæ munus explicaret, memoriæ proditum est: Nec *Uberti Malatestæ Cæsenatium* Præturam hoc tempore, Præfecturamque gerentis summa Authoritas *Thebaldo* quicquam officiebat, quum Gens *Malatestarum* Pontificiis studeret: *Jacobus Brusattus*, vices gerens *Thebaldi* fratris curiam universæ Provinciæ, quæ *Ravennæ* nunc est, *Cæsenæ* collocavit: *Rub.* in Hist. Ravennæ ad Ann. 1305. Per hæc tempora *Alborum, Nigrorum*que factiones, quæ non multo antea summo *Italiæ* malo, exortæ fuerant, *Albis* Gibellinos, *Nigris* Guelfos referentibus, nomen suum extollebant maxime, ac perditissimis odiis cuncta pessundabant: earum quoque causa factum est, ut *Cæsenatium* Respublica nonnihil se a Pontifice abalienarit; non tamen ab illius ditione sese subduxerit. Guelfarum partium, quæ pro Pontifice stare dicebantur, erat Civitas; Itaque *Nigris* favebat, qui *Guelfos* se esse

A profitebantur: *Clemens* V. Pontifex Maximus (is qui *Romanam* Curiam transtulit *Avenionem*) quum cerneret a *Nigris* eos qui *Albi* vocitabantur, bonis omnibus, dignitate, patria crudeliter exturbatos, tametsi *Nigri* suum ergà Pontificem obsequium obtenderent, quia scilicet ipsi *Guelfam* factionem repræsentantes, *Albos* Gibellinæ, adversæque Pontifici factionis homines debellandos duxissent, *Nigrorum* excusationem non recepit; Et hac erga sedem Apostolicam officii specie tegi crudelitatem, privataque odia intelligens, miserrime oppressis Albæ factionis Hominibus opem ferendam existimavit; curandumque, ut pristinum B obtinere statum valerent. Verum *Cæsenates* nequaquam hac in re Pontifici paruerunt, adhæseruntque *Nigris*, immodice, ita dixerim, officiosi, quod Guelfam factionem, quæ se Pontifici obsequentem jactabat, vellent extollere, etiam invito Pontifice, & ab hujuscemodi perniciosissimis, dissidiis abhorrente. A Pontificum ditione, ac dominio tamen *Cæsenates* minime desciverunt, retenta solum libera deligendi Prætoris facultate. Hoc tempore *Bernardinus Polentanus*, is qui *Ravennæ*, *Cerviæ*que dominatum obtinebat, atque hostis antea *Cæsenatium* fuerat, tandem evicit, ut C *Cæsenates* pertæsi diuturnæ Præturæ *Uberti Malatestæ*, illum depellerent, ipsumque *Polentanum*, cujus deliniti oratione, atque excusationibus fuerant, Prætorem, ac Militiæ simul Præfectum crearent, quos tamen Magistratus paulo post *Polentanus* relinquere opus habuit, ut traditam sibi a Pontifice *Ferrariensem* Præturam obiret. *Malatestino* a *Cæsenatibus* procuratio eorumdem Magistratuum est demandata: At anno CIↃCCCXI. reversus *Polentanus* Præfecturam obtinuit, non tamen Præturam simul, quam *Cæsenates* cuidam *Tomasutio* tradiderunt. *Triennio* deinceps tantum D in Magistratu *Cæsenatis* Reipublicæ gens *Polentana* perseveravit; siquidem anno CIↃCCCXIV. depulsa e Civitate fuit. Est cur ego hic notem *Rubeum* non satis accurate illud circa annum CIↃCCCXIV. dixisse, *Polentanos* ad eam diem fuisse *Cæsenæ* dominatos: Non enim eos ut *Ravennatium*, sic *Cæsenatium* Urbis Tyrannidem adeptos esse arbitror; sed summam dumtaxat in magistratibus auctoritatem. Quid quod anno CIↃCCCXI. *Bernardino Polentano Cæsenæ* Præfecturam gerente, alius Præturam, ut diximus, administrabat? Hinc profecto perspicitur, liberam tum fuisse *Cæsenatem* Rempublicam, quum Magistratus arbi- E tratu suo largiretur, nec *Polentano* esset facultas utriusque Magistratus capessendi quo potitus voluntate Civium antea fuerat. Exactis *Polentanis* *Malatestinus* Prætor est creatus anno CIↃCCCXVI. cujus posteri præcipuos hosce magistratus decennio apud *Cæsenatem* Rempublicam, non tamen imperium ullum, ac dominationem, ut mea fert opinio, habuere. Indicio sit, *Cæsenates* anno CIↃCCC.XVI *Didacum Rattum*, *Roberti* Regis *Neapolitani* Pontificio nomine *Flaminiæ* imperantis, Vicarium invitasse, apud se divertere, atque in sua Civitate commorari uti vellet: quibus est ille libenter obsecutus in eo, ut *Cæsenam* proficisceretur. Enim vero liberæ Civitatis factum istud, F non alteri servientis esse, liquido apparet. Erant in Senatu magnæ & potentiæ, & Auctoritatis patricii viri, *Rainaldus Cincius*, qui ex Prætura *Patavina*, quam gesserat, redierat in Patriam, & *Ghellus Galefidius*: Hi duo, remotis *Malatestiis*, rem- Anno 13[illegible] publicam omnem, veluti duumvirato quodam procurandam susceperunt. Sed *Cincius* affectans Tyrannidem, ut apud eum solum summa potestas Anno 13[illegible] esset, coacta militum manu, non modo *Ghellum* cepit, atque in carcerem *Montis Vecli* conjecit, verum etiam eos Cives, qui præstarent in Repu-

publica, exilio mulctavit. sed annali tantum Tyrannide potitus: *Aymericus* enim Provinciæ Comes *Cæsenam* A. 1626. se contulit summo cum gaudio exceptus a Civibus, captum *Cincium* in Custodia detinuit, accepitque tradentibus Civibus, totius Reipublicæ procurationem, ac Regimen. Hic quum esset universæ Provinciæ Rector, peculiari nomine Prætoris, Præfectique Urbis *Cæsenæ* insigniri sese permisit, in quam etiam Civitatem se contulit ad habitandum. comprobat *Rubeus* ad Ann. cIↃcccxxvii. *Aymericus Archiepiscopus, & Provinciæ rector in Arcem ab se Cæsenæ conditam mense majo ad habitandum se contulit, ejusque Civitatis Præturam iniit, cujus Civitatis etiam Vicarius dicebatur.* Idem Rubeus ad Annum cIↃcccxxix. *Sed paulo post Bertrandi legati ope & recepit Castrum (Cæsenatium videlicet) & egregie muniit, quum adhuc Præturam, Præfecturamque gereret Cæsenatem.* Dissidia omnia in Civitate *Aymericus* egregie substulit, ac summam pacem stabilivit, quæ tamen, vocato *Aymerico* a *Joanne* XII. Pontifice Maximo, a quo non longe post Cardinalis est creatus, perturbari cæpit; Et *Flaminiæ* Civitatibus, quas *Bertrandus* Cardinalis, ejusdemque Provinciæ legatus receperat, ipso adhuc legato, paulatim rebellantibus, *Cæsena* quoque defecit a legato ac *Franciscum Ordelaffum Forolivii* Tyrannum pestilentissimo Consilio Prætorem creavit, hominem, qui dominandi libidini omnia post habebat: Nam quum *Ordelaffus* potentiam suam in dies crescere apud *Cæsenatem* Rempublicam videret, uxorem nomine *Ciam* in arce, non invitis Civibus, collocavit, locoque munitissimo Civitatis callidissime occupato, jecit fundamenta futuræ Tyrannidis, quam usurpare in incautos Cives moliebatur: Hominis audaciam auxit factum *Ludovici Bavari*, qui *Benedicto* XII. indignatus, *Romaniæ* Provinciæ Tyrannis dominatum occupatarum Urbium ratum esse jussit, fovitque, inter cæteros, *Francisci Ordelaffii* in Urbe *Cæsena*, ac *Forolivio* dominationem. Itaque *Ordelaffii* ab anno cIↃcccxxxiv. majori, quam vel *Polentani* vel *Malatestii*, imperio in Magistratibus fuerunt, & libertatem pene omnem Civitatis oppressere ad annum usque cIↃccclvii. Quo anno *Ægidius Albernotius* Cardinalis, qui in Provincia non legatus modo, sed etiam Pontificiæ militiæ dux bellicis laudibus ornatissimus præerat, strenuam navans operam Urbibus, quæ defecerant a Pontifice, ad ejus fidem revocandis, *Cæsenam* quoque recuperavit. Nam *Cæsenates* intra mænia Pontificios milites libentissime receperunt, harum rerum ignara *Cia Francisci Ordelaffi* uxore, quæ pro viro Civitati imperitabat, quæque ubi primum urgeri cæpit Pontificiis armis intra mænia jam invectis, munitiori loco tutari se, vitamque, & dominatum instituit; sed tandem deditionem facere coacta, *Ordelafforum* tyrannidi finem imposuit. Quum hæc eadem, & copiose, & eleganter enarret *Rubeus* ad Ann. 1357. placet ipsius verba in hunc locum transferre: *Cæsenam* (ab Ægidio) *Castra promoventur, Cæsenates negocium fuit durius aliquanto, quam putarant, tametsi Marcus, & Poltronus Philippini Marci Ottardi filii, Joannes cognomento Savanella Masii Augusselli filius; Jacobus Bastardi Augusellii, Ubertinus Fuschi Articlini Cives Cæsenates, nobilitate insignes tumultu* xiii. *Kal. Maji excitato vitamque, & felicitatem Romanæ Ecclesiæ, & Cæsenatis Populi conclamantes, Martiam Ubaldinam, quam vulgo appellabant Ciam Francisci Ordelaffi, Conjugem tunc Civitati imperitantem, Sinibaldumque filium, & Joannem, ac Thebaldum, Ludovico jam mortuo, natos, eorumque conductitium militem, & studiosos intra muri munitionem rejecissent: Domos*

A *enim quacumque referebant pedem ad Portam Leonis, atque etiam novam Ordelaffii inflammarunt, & Cia Georgium Tibertum, compluresque alios capi, & in Arcis carcere haberi jussit, &* III. *Id. Maji una cum Sgaruglino e Petragudula capite mulctari: Hanc ob rem quarto post die Pontificiæ Copiæ sub Centum circiter & septuaginta signis censæ una cum Cæsenatibus, ac Malatestiis, Malatesta præsertim Ungaro, & Roberto Alidosio Forocorneliano Ægidii Cardinalis legati jussu* xv. *Kal. Jun. tanto cum animi tum virium robore, impetuque munitionem muri aggressi sunt, ut propugnatores deditionem facere brevi cogerentur, ipsaque Cia* B *Turrim sacram Episcopatus Cæsenatis igne concremarit. Verum quum Arx opprimeretur in dies acrius, & jam se Cia obsistere non posse cerneret* xi. *Kal. Quintil. deditionem & ipsa fecit, quæ deinde una cum filiis, ac Nepotibus in Custodiam ab Ægidio est tradita.* Jucunda adeo receptio *Cæsenatis* Urbis Legato Pontificio fuit, ut ipse antea quam *Avenionem* reverteretur, plures dies *Cæsenæ* sit commoratus, quo tempore & Regum, ac Principum Oratores excepit, & Civitatem auxit ædificiis, ornamentisque, *Claram.* Lib. xiv. pag. 633. atque his quidem de rebus Blondi verba C Lib x. secundæ Decadis lubet exscribere. *Ægidius Legatus in Italiam reversus quum Bononiæ, post Ravennæ, deinde Ferrariæ fuisset, accessit Cæsenam, in qua Urbe, Palatio prima legatione, & Arce insigni a se ornata, plurimum diversatus est. Ad finem vero quarti suæ legationis mensis, Francorum Angliæ, & Cypri Regum Oratores quum regum suorum nomine a Pontifice Urbano V. impetrassent, ut inter ipsum, & Barnabam Vicecomitem pax componeretur, Conventum Cæsenæ cum Ægidio Legato habuere in Prætorio, quod magnifice legatus extruxerat; tandemque pax datis conditionibus constituta.* Est illud quoque proditum memoriæ D in Codice manuscripto, quem ornatissimus Vir *Hector Buccius*, cujus jam supra facta mentio est, mihi commodavit *Ægidium* legatum *Cæsenati* Reipublicæ de Sede Apostolica optime meritæ potestatem fecisse, ut in publicis insignibus clavium quoque Apostolicarum insignia usurparent. Ab eodem præterea *Hectore Buccio* Viro summa fide spectatissimo adjectum est, vidisse se non semel id insigne in veteribus quibusdam nummulis, quos *Cæsenatum* olim cudebat Respublica. Aliquot inde post annis in Provinciam, cujus denuo Civitates tyrannorum artibus vulgo E defectiones fecerant *Robertus Gebennensis* Cardinalis a *Gregorio* XI. ablegatus est; Is quum plena omnia tumultibus, pacatos tamen *Cæsenates* Pontifici Maximo constantem fidem servare animadverteret, in *Cæsenati* agro locato exercitu, magnam quippe *Brittonum*, & *Anglorum* manum secum adduxerat, ipse in Civitatem tuto ad habitandum se contulit: sed eximia *Cæsenatibus* fides pessime vertit ejusdem *Gebennensis* Cardinalis fraude, & crudelitate miserandum in modum deceptis; Quoniam vero quo pacto sese res habuerit a Divo *Antonino Florentiæ* Archiepiscopo accurate, diligentissimeque memoriæ proditum est F Historiar. tom. III. Tit. XXI. Cap. I. §. IV. non aliis ego utar verbis in re enarranda, quam hujus Sanctissimi Viri: *Tandem*, inquit, *abeuntes*, videlicet Britones Populi) *Bononia Cæsenam petiere: Ducebant vero illos eorum Duces, & Gebennensis Legatus. Cæsenates in potestate Pontificis continuo manserant, & venienti Gebennensi Britonibusque libere Portas aperuerant.* Stantibus igitur in *Urbe copiis maleficia per noctes patrari cæperunt, vexari etiam in die Cives, & injuriis affici. Quibus in rebus quum nihil valerent querelæ apud legatum factæ, & quotidie magis delicta*

cta augerentur, tandem superante patientiam injuriarum magnitudine, in furorem Cæsenates vertuntur, captisque per iram Armis, Britones aggressi, super octingentos eorum interfecerunt; reliquos vero omnes extra Urbem pepulerunt. Arcem in ea munitissimam tenebat Gebennensis, qui veritus, ne Civitas, ad hostes deficeret, indignationem dissimulabat, nihilque sinistrum de Cæsenatium facto loquebatur; Sed eos multa perpessos indigne merito simul, necessarioque, ajebat, arma corripuisse. Verum ea deponere tandem, & ad sua redire suadebat. His verbis confisi Cæsenates arma deposuere. Accitas autem prope Anglorum copias, & cum Britonibus conjunctas per ipsam Arcem contra populum inermem, deceptumque immisit. Britones vero irati cædem suorum ulcisci properantes, neque ætati, neque sexui pepercerunt, miseram, & innocuam multitudinem trucidantes crudelissime. Angli autem cum eis, magis insistebant rapinæ Civitatis, unde Cæsenates ipsos admonebant ad fugiendum e Civitate. Vix enim aliqui alii evaserunt, nisi a Civitate recedentes. Tanta fuit crudelitas, ut lactentes de cunis extraherent: capita eorum ad parietes collidentes: aliquos alios strangulantes, reliquos perforantes ipsos occisos alligantes ad ostia domorum. Stratæ plenæ erant cadaveribus, & sanguinibus, juxta Patres reperiebantur filii interempti: Secus germanos, fratres eorum, & cum Uxoribus Viri: Numerus occisorum fuisse dicitur, tria millia, Dominus Galeotus Dux Exercitus Ecclesiæ, hæc fieri sinebat, quasi non curans, quasi sperans Civitatem vacuam remanentem ad ejus dominium pervenire, sicut postmodum accidit: Et ubi Britones hoc fecerunt in vindictam, ut inde ab aliis Civitatibus timerentur citiusque eis traderentur, ne paterentur talia, oppositum inde secutum est. Nam tanto horrori Italicis omnibus hoc fuit, ut magis animarentur ad repugnandum eis, ne aliquando devenirent ad manus tam immanium ferarum; Et si legatus ad hoc illos induxit, ut dicitur, cum tamen sub jurejurando promisisset Cæsenatibus securitatem, ut deponerent arma, nedum Prælatum Ecclesiasticum vices tenentem Vicarii Jesu Christi, sed Herodem, & Neronem dedecuisset tam scelestam, sævissimamque vindictam suadere, sed inter hæc (ut habentur in Chron. Floren.) hoc accidit stupendum miraculum, quod cum quidam ex Britonibus ipsis in quadam Ecclesia super Altare aliquos pueros trucidasset, furoreque ebrius gladio ipso cruentato percuteret imaginem D. Antonii in pariete depictam, mox ignis devorans carnes ejus, corpus invasit, dumque sic immensis doloribus ureretur, cucurrit ad Mare, & in aqua se projiciens, ibi ab igne totus consumptus cum ossibus suis. Hactenus D. *Antoninus*, in cujus tamen verbis ab Amanuensibus, fortasse inductum errorem adnotarim, quod militem illum ad *Mare* cucurrisse dicat, pro mari amnem scilicet *Cæsaulam*, seu *Cæsim* reponi posse arbitrarer; quippe hic amnis intersecat Civitatem, a qua Mare decimo fere milliario distat. Hæc a *Britonibus Gebennensis* Legati fraude, ac perjurio illata *Cæsenatibus* clades memoratur etiam *Theodorico* de schismate *Urbani*, & *Platinæ* in Vita *Gregorii* XI, omnesque injustissimum hoc facinus execrantur. Nam quod *Cæsenates* primi arma sumpsissent in *Britones*, honestum id, æquumque fuit: Siquidem tum demum quas *Britones* audacissime inferebant non rebus modo illorum, verum etiam Matronarum honori, ac dignitati, injurias armis propulsare decreverunt, quum neque assiduis precibus impetrare a *Gebennensi* legato valuissent, ut militem contineret in officio, neque ulla alia injuriæ vitandæ ratio sese ostenderet. Atque hujus quidem crudelissimæ cladis fama non Italis modo omnibus, ut inquit D. *Antoninus*, horrori fuit: Sed ipsum quoque *Gregorium* XI. Pontificem maximum vehementer commovit secum animo volutantem hæc mala in *Italia* evenire, quod ipse abesset ab Urbe *Roma*, ut idcirco de profectione cogitare cœperit: Ex *Platina* hæc accepimus, cujus verba sunt: *Tum vero Pontifex cognita tanta rerum permutatione, Cardinalem Gebennensem legatum cum sex millibus Equitum Britonum in Italiam misit, qui per Taurinos descendentes sine ullo maleficio usque ad Bononiæ Portas pervenere, Urbem obsessuri; sed legatus cognito Florentinorum adventu, qui Rodulpho Varaneo Duce, Bononiensibus suppetias ferebant, cum Copiis suis Cæsenam hyematum concessit, in qua Urbe ita tumultuatum est ob superbiam Gallorum, ut sexcenti Britones interfecti sint, reliqui Urbe ejecti. Qui postea per Arcem ingressi, aucti numero cædibus, & rapinis complevere; neque his quidem parcentes, quorum ætas suppliciter veniam petit: Solæ Virgines, & juniores Matronæ ad injuriam reservatæ sunt, Forolivienses autem veriti, ne a legato, inopia consilii, & Gubernatoris opprimerentur, Sinibaldum Pinum, Joannem, Theobaldum Ordelaffos Dominos in Urbe recipiunt, quorum virtute ab impetu Britonum defensi sunt. Existimans autem Gregorius Pontifex hæc omnia mala, quæ in Italia committebantur sua absentia fieri, Naufragiumque tam diuturnum absente gubernatore committi, de profectione sua ad Italiam Vir bonus diu multumque cogitare cœpit.* Enim vero tandem *Gregorius* suasione præsertim, ac monitu *Catharinæ* Virginis Senensis, sanctimoniæ fama jam tam clarissimæ, in *Italiam*, alio proficisci dissimulans, ne *Galli* ab hoc eum consilio deducere conarentur, occultis itineribus venit, & *Romam* ex *Avenione* Curiam transtulit septuagesimum post Annum, quo illa abfuerat, *Britones*, & *Gebennensis* haud multo post illatam cladem abiere, exulesque *Cæsenates* turmatim in Patriam reversi sunt, vitam in ea ægre sane tolerantes. Itaque *Urbanus* VI. Pontifex Maximus, qui *Gregorio* successit, iniquam fidissimæ Civitatis sortem miseratus, ut ei opitularetur, statuit Vicariæ nomine regendam illam tradere *Galeoto Malatestio*, Viro, tum opulenti, ac prædiviti, a quo reparari Civitatis accepta detrimenta possent; tum Pontificiarum Partium studiosissimo. *Pileo* legato Pontifex mandavit, ut hac de re *Cæsenatium* sententias exquireret: bis ipsi coactis Comitiis, reque communibus consiliis, ac deliberationibus agitata, non alium se velle Principem, nisi Pontificem Maximum, responderunt. Quorum legatus, laudata voluntate, hortari tamen, & monere non destitit, ut quod & esset e sententia Pontificis, & eorum opportunitatibus percommodum, *Galeotum Malatestam* libenter acciperent Vicarii Pontificii nomine imperitantem. Ad extremum *Cæsenates* legato sunt obsecuti, & *Galeotus* dominari cœpit anno CIↃCCCLXXXIX. specialim quidem *Cæsenæ*, generatim vero Universæ Provinciæ Rectorem fuisse, scribit *Rubeus* ad hunc annum *Galeoto* vita functo, *Cæsenatem* dominationem initio omnes ejus excepere liberi, mox unus obtinuit. Is *Andreas* fuit, qui adepto Imperio, *Malatesta Galeotus* maluit appellari. Nullam hic post se reliquit sobolem. Erant a *Pandulpho* fratre non legitimis nuptiis suscepti filii, *Robertus*, *Dominicus* ac *Sigismundus*, a *Martino* V. Natalibus restituti, donatique facultate potiundæ dominationis: *Robertus* brevi dominatus est; mature a Deo optimo Maximo sanctissime actæ vitæ præmium, regnumque longe præstantius humanis, & fluxis rebus assecutus. Post illum Dominicus fasces, & Reipublicæ procurationem *Malatestæ Novelli* nomine sibi indito, suscepit, Vir egregius, at singulari in bonas artes amore, quibus etiam ipse non mediocriter honestabatur: præclarum de illo testimonium fert *Blondus*, in Ital. Illustrata de *Cæsena*



C. Brixius.

sena, qui ejus ætate floruit. *Civitas Cæsena*, inquit, *vetus habens nomen quæ Malatestæ Novellii literis, præsertim Historia, ornatissimi administratione nunc gaudet, a quo ornatur Bibliotheca melioribus Italiæ æquiparanda. Cum tamen hospitale idem in Urbe sumptuosissimum ædificet, ac mœnibus illam alicubi communiat; ponte lapideo, & quidem insigni Sapim fluvium ad Viam Flaminiam junxerit.* Sed quum nullos *Malatesta Novellius* liberos procreasset, Ferunt enim Virginitatem Deo cum Conjuge *Violante Montefeltria* simul vovisse, postremus fuit e gente Malatestia, quæ *Cæsenatibus* imperarit. Nam ubi illum e vita migrasse *Paulus* II. Pontifex maximus accepit, tametsi altera superesset hujus nominis familia, satis diu *Malatestios* Vicariorum Pontificiorum nomine dominatos existimans, Urbis *Cæsenæ* regimen nemini amplius concedere, ipse vero resumere instituit: Contra *Rubertus*, *Sigismundi Malatestæ Novellii* fratris filius adnitebatur, quorumdam e plebe studia aucupatus, ac per eos tumultum excitarat: Sed sanior populus, proceresque Pontificem malebant. Perpetuo namque *Cæsenatibus* egregia isthæc mens fuit, quam etiam *Julius* II. in literis ad eos datis, quas infra recitabimus & animadvertisse se ostendit, & summopere laudat, quia non modo in Pontificia, quam in cujusvis alterius ditione esse semper præoptarint; verum etiam ægerrime tulerint, si quando alius est ipsis a Pontifice Princeps datus. Igitur facili negocio *Paulus Cæsenam* recepit, paruitque Civitas Pontificibus ad Sexti usque Alexandri tempora, qui tradendi dominatus in eam Urbem *Cæsari Borgiæ* filio suo hanc occasionem est nactus. Erant in *Cæsenatium* Republica adversæ *Tibertos* inter, ac *Martinellios* factiones exortæ, eamque miserè divexabant. Contigit *Alexandri* VI. ætate immane, atque horrendum facinus: *Tibertorum* factio ædem ingressa Divo *Francisco* sacram festo die Divi *Bonaventuræ*, *Martinellios*, eorumque asseclas inermes, imparatosque quum invenisset, ingentem edidit stragem atque vigintiseptem ex iis interemit. *Alexander* Pontifex *Polydoro Tiberto* admissi sceleris veniam ipsi, gentique illius ea lege pollicetur, si *Cæsenatium* Respublica, in qua plurimum *Tiberti* valebant, postularet ab *Alexandro*, ut eam *Cæsaris Borgiæ Valentini* ducis dominationi subjiceret: Meditabatur enim *Alexander* grandem *Borgiæ* ditionem parare, cui in munitissima tum Urbe *Cæsena* Sedem Imperii tutam fore, magnopere sperabat. Sed quoniam & qua via ac ratione *Borgia* dominatum sit assecutus, & nonnulla alia scitu quidem dignissima de illo commemorantur in vetusto quodam Diario scriptoris ætate æqualis, mihi ab eodem *Hectore Buccio*, cujus supra memini, commodato, Diarii ipsius verbis, ea ex italico idiomate latine vertens, rem enarrare opportunius existimavi.

Polydorus Tibertus Patricius Cæsenas Romam profectus, benigne a Pontifice, ac perhumaniter excipitur,
1499. *donatur quingentis aureis, ac Baronis titulo honestatur.*

Achilles Tibertus honestatus & ipse, comiterque habitus a Pontifice: ex Urbe dux militum ducentorum in Patriam revertitur.

Die, qui sacer est Divo Martino, literæ Alexandri Pontificis ad Senatum Cæsenatem perferuntur, quibus ei Valentinum ducem filium suum commendat summopere, ut perinde illum respicerent, atque ipsum Pontificem, & in Foroliviana oppugnatione juvarent.

Idibus Novembris Cæsenam pervenere Transalpini milites: Tibertus in Insubriam usque Duci Valentino obviam processit.

XV. Kal. Decembris Dux Valentinus Forum Cornelii ingreditur.

A *XIII. Kal. Decembris Borgiam Legati Cæsenatis Reipublicæ adeunt in Castris apud Forumlivii commorantem, Polydorus Tibertus scilicet, atque alii, ut quæ officii ac Urbanitatis essent, peragerent.*

Literis Pontificiis nunciatur Borgiæ, Catherinam Sfortiam eum veneno occidere conatam esse cum Thomæ Cospi Forolivienfis familiaris sui, tum Florentini cujusdam industria, atque opera. Romæ in Carcerem uterque conjecti.

Hercules Bentivolus, qui Cæsenæ cum suis consistebat, tercentorum Cæsenatium militum numero auctus ad Forolivienfem oppugnationem, ut Borgiæ opitularetur, proficiscitur.

B *Achilles Tibertus Urbem Cæsenam cum militibus ingressus, in ædes Guidiorum a Balneo violenter ad habitandum se confert, ibique militari licentiæ locus datur.*

Tertio Nonas Decembris Franci Milites adventant: Rector Pontificius edicit Reipublicæ Cæsenati, ut iis res ad victum suppeditet necessarias. Quod si secus fecerit, fore, ut pœnæ nomine duo millia aureorum præstare cogatur.

XVI. Kal. Januar. a Cæsenati Republica, ut Borgiæ negocium juvaret, sexcenti homines ad Forolivienfem agrum depopulandum, vastandumque mittuntur.

C *XIV. Kal. Januar. Respublica Cæsenas ad Borgianos in Castris prope Forumlivii degentes ablegat Polydorum Tibertum, Marcum Casinum, Comitem Augusellium, & Joannem Absalonium, qui rogarent, sibi uti liceret Gallos milites in Urbem non recipere. Eadem quoque de Causa quemdam ex Patriciis Viris Romam mittit.*

IX. Kal. Januar. Achilles Tibertus Forumpompilii in Borgiæ potestatem redigit, quatuorcentos præsidio Gallos imponit.

V. Kal. Januar. Borgia Cardinalis, Neposque Pontificis Cæsenam venit. Magnifice excipitur. D *V. Idus Januar. Romam petit. Urbino ægrotare cœpit. Idibus tandem (veneno id contigisse ferunt) occubuit.*

Pridie Idus Martii Forolivienfium Arcem Borgia expugnat, occupatque. 1500. *Cæsenatibus ea de re nuncium mittit secunda noctis hora. Cæsena ter vespertinis festis agendis hæc Victoria celebrata est. Catherina Sfortia a milite capta, ei militi Borgia ducentos aureos, ac peram militarem, qua ipse utebatur, donat. Octoginta plaustra Cadaveribus plena ex Arce educuntur. Cadavera illa pecuniæ in intestinis conquirendæ causa, exenterantur.*

E *XIII. Kal. Februarii Joannes Galeotus e Neapolitanis proceribus Cæsenam venit, Regis Gallorum, Borgiæque administer, hospitium militibus postulavit: XI. Kal, Mensis ejusdem ad sumptus in id Hospitium erogandos vectigal Respublica imposuit. Juliani Fantagutii precibus impetratum, ne ulla Civibus, aut Urbi calamitas inferretur.*

X. Kal. Febr. Borgia ex Urbe Forolivii, cumque illo sexcenti equites Cæsenam advenere: publicas illas, ac magnificas ædes in ea Civitatis parte, quæ murata dicebatur, sitas, incoluit: paulo post ejus peditatus omnis eodem pervenit, qui una cum ipso Borgia ad Oppida S. Archangeli & Saviniani F *progressus, direptionibus & libidine debacchatus est.*

Exercitus quem ab urbe Forolivii Borgia Cæsenam adduxit, is erat numerus.

Stipendiarii pedites	7000
Voluntarii	1000
Hispani	500
Borgiani Equites	400
Equites Herculis Bentivoli	500
Equites, qui ad tormenta bellica adhibentur	400
Fœminæ.	200
Equites Regis Gallorum	2500
Plaustra	60

Ænea tormenta bellica grandiora ——— ---- 5
Minora ——— ——— ——— ——— ——— 1
Falcunculi ——— ——— ——— ——— 11
Subducta ratione numerus conficitur --- 12500

VIII. Kal. Febr. Gallus quidam cognomento Allegrius cum peditibus 1500, *Equitibus* 300 *Cæsenam venit; Catharinam Sfortiam in Arce custodiæ causa collocavit: milites ad suburbium, Florentiolam dictum, diverterunt.*

VII. Kal. Febr. Præfectus quidam militum, quos Allegrius ductabat, in custodia habitam Catharinam deduxit ad Borgiam, nunciavitque, Exercitum reverti re infecta, quod Pisaurensium Civitas dedere sese noluisset.

B *VI. Kal. Februarii Exercitus omnis regressus est: Extra Urbem Cæsenam locatur: Duces in Urbe soli manserunt. Dux Balices in Æde Casinorum: Allegrius apud Tibertos commorati sunt. Erant in exercitu pedites* 9000, *Equites vero* 2000. *Postridie mane Forumlivium concessere. Ea in Urbe militari licentia usi; Mulieres omnes aufugerunt: Quod visu miserabile admodum sane erat. Cum in Cæsenati agro iter haberet is Exercitus, viginti Domos agrestium incendit, quas earum Domini dereliquerant: Et occisi Galli militis cadavere forte invento, multorum rusticorum atrox, ac crudelis strages consecuta est.*

C *V. Kal Feb. Rustici, qui vicinos incolebant Montes, quum ad Divi Lazzari viam armati descendissent, Equum, cui Allegrius insidebat, duosque milites occiderunt. Rustici vero Brittonorienses, eo loco territorii Cæsenatis, qui caput Collis appellatur, ne Gallorum quis e consulari via in vicinum agrum deflecteret, obstiterunt.*

IV. Kal. Feb. Borgia oppugnare Castrum Monteflorium aggreditur: non tamen expugnat: Et via, quæ Urbinum versus deflectit, Romam pergit, secumque Catharinam Sfortiam in custodia habitam ducit.

1500. D *Alexander Pontifex Cæsenatibus piaculares dies indulsit: qui sacrum hoc munus Pontificis nomine deferebat, longo incedentium ordine ac pia pompa exceptus est: IX Kal. Majas illud in Majori Templo publice indictum.*

X. Kal. Majas, posteroque item die in Foro bis conclamatum est Borgiæ Valentini Ducis nomen. Cæsenatis Urbis Rector Pontificius Natione Hispanus, capta Arce pro Duce, viginti Senatores accersivit ut iis, quæ Alexandri Pontificis e voluntate essent, ostenderet. Senatus habitus; quatuor ad Pontificem Oratores decreti, Marcus Casinius, Nicolaus Masinius, Petrus Ægidii Areani, Hieronymus Angelinus: Cæsenates enim Borgiæ subjici nolebant imperio, ac dominatui. At ecce literæ vetantis Pontificis, ne Oratores in viam se darent illius adeundi gratia.

E *IV. Nonas Majas Achilles Tibertus Romam se contulit, adeundique Pontificis, ac Cæsaris Borgiæ e vestigio facta illi potestas est, cui etiam quinquaginta nummorum ejus generis, quos ducatos vocant, stipendium in quemque mensem decretum, prædia etiam dono data; itaque statim Tibertus Borgiæ commodo viginti quinque equites sagittarios coëgit instruxitque.*

F *Polydorus Tibertus, quum populo eam esse voluntatem Alexandri Pontificis denunciasset, ut Borgiæ sese Civitas traderet, incidit in omnium offensionem, atque odium; sic ut inde aufugere, atque in ditionis suæ pagum (Montemjottonem dictum) se celeriter recipere opus habuerit. Id ipsum quoque Marco Casinio, Hieronymo Bertucciolo, Roberto, & Ludovico Buschio, ac Thomæ Antonini contigit. Suburbani arma ceperunt. Civitas in factiones dispertita.*

VI. Idus Junii Marcus Casinius, aliique Tibertis adversi, armis arreptis, magnoque strepitu in Urbem irruperunt, atque Ædes senatus ingressi sunt. Postridie mane Pontificius Præses ab armis discedi jussit,, & utrinque obsides dari, atque in Arce custodiri: ii autem fuerunt Vincentius Casinius, Joannes a Monte Tiberti, Taddæus Masinius, & Lucretius Tibertus.

XVII. Kal. Julii frequentissimus in Foro pacis componendæ causa inter adversæ factionis Cives, senatus est habitus, & Ecclesiæ nomen conclamari passim exauditum. Ingenti rumore minæ jaciebantur, fore ut senatus Ædes incendio flagrarent: pluribus diebus direptiones, occisionesque Civium consecutæ frustra de pace actio a Religiosis Viris suscepta.

VI. Kal. Augusti quum Populus intelligeret eo rem jam inclinari; ut Borgiæ Civitas traderetur, tumultu excitato arma cepit, ac Vexillum præferens cujus in medio Crux rubeo colore depicta erat, & huc, atque illuc per Urbem excurrens, Ecclesiæ Nomen magna advocabat voce, atque clamore. Sed ei Præses literas Pontificis ostendit, in quibus illud erat, ut pacis gratia Borgiam accipere deberent. Eodem die Hercules Bentivolus (Borgiæ hic favebat) Arcem cum militum manu est ingressus. Quidam ex Civibus ad senatus Ædes tutandas, tormenta bellica apud eas comportavit, locavitque, quæ spingarde italica voce appellantur, sed ab Hispanis militibus abducta inde remotaque illa sunt. Gliscentibus Borgianorum viribus, plures, qui factionis erant Tibertis adversæ, & legitimo Apostolicæ Sedis Imperio subduci detrectabant patria, fortunisque omnibus relictis, noctu aufugerunt: Tiberti Urbem ingressi, veluti triumpho potiti, cæteros inimicos ejecerunt, diripueruntque multorum Domos: Ut aliquot autem non attingerent, Anselmi Dandini gratiæ datum: Plura illata incendia. Æris Campani sonitus, quo ad Arma sumenda Cives vocari solent, continenter exaudiebatur. Hieronymus Bertucciolus, Joannes Mantuanus, & quidam alius e Senatoribus ex Urbe aufugerunt. Publicis tabulariis injecto igne illa una cum Authographis, reliquisque Monumentis conflagrarunt; Tibertæ gentis, ejusque Amicorum Ædes ab igne intactæ inviolatæque.

Pridie Kal. Augusti senatus est habitus ubivis voluntati, ac libertati antelata, delecti quatuor, qui ad Pontificem legati mitterentur, ut ei significarent, statuisse Urbem Cæsenam Cæsaris Borgiæ imperio sese subjicere. Fuerunt autem legati Oddus Antonius Dandinus, Dominicus Rubeus, Joannes Absalonius, qui postea a Pontifice Comes Palatinus est creatus, & Nicolaus Masinus. Hos non procul ab Urbe Roma Columnenses, aliique Pontificis Inimici aggressi diripuerunt.

IV. Nonas Augusti Armatorum manus omnis in Forum coacta est: Eodem convenere Pontificius Rector, Bentivolus, ac Præfectus militiæ Tibertorum, omnibusque circum dispositis, Polydorus Tibertus medio in foro obequitans summa voce hæc protulit: Quod honori, salutique Populi hujusve magnificentissimæ Urbis Cæsenæ sit: Io vivat Valentiæ Dux Illustrissimus, meritissimusque sanctæ Ecclesiæ, summique Pontificis in hac Civitate Vicarius: Io Dux vivat. Tum omnes tubarum, tibiarumque sonitu comitante, eadem verba crebro pronunciabant. Multa edita lætitiæ indicia: Borgianæ excubiæ portis Urbis impositæ.

XV. Kal. Octobris Tibertos inter, inimicamque illis factionem Romæ coram Valentino Duce pax constituta. Pontifex beneficiis, ac muneribus utrosque donavit. Marcus Casinius Reatinam Præturam est nactus, Ea in Urbe animi mærore interiit, ipsius Cadaver Cæsenam delatum, ibique conditum.

Kal. Octobris gentilitia Pauli II. Pontificis dejecta insignia; Valentini Ducis suffecta.

IV. Nonas Octobris delatæ Alexandri Pontificis literæ Cæsenam sunt, quibus Valentino Duci Urbem Cæsenam concedebat; Britonorium præterea, alia-

aliaque Oppida; quintam Vectigalium partem Cæsenati Reipublicæ remittebat. Frumenti molis triti, quæ præstari solebant vectigalia, condonabat, Sacerdotia, ac cætera Beneficia, quæ in Cæsenati Territorio sita sunt, unis tantum Cæsenatibus tribui debere, dato Diplomate, sancivit. Legatis Cæsenatis Reipublicæ, qui Pontificem adierant, plura pollicitus.

Pandulphus Malatesta (is Arimino imperitabat) desertus a suis Cæsenam Oratores mittit, qui Roberto Bencinio Cæsenati, Ducis Borgiæ nomine Præfecto ipsam Urbem Ariminum, illiusque Arcem traderent. Pensionem tamen Pandulphus aureorum trium millium quotannis præstari sibi convenit, cujus præstationis Causa Robertus Bencinius eidem Malatestæ Marcum Antonium filium suum nothum obsidem dedit. Malatesta ob id indignatus interficere eum volebat. Sed Bencinius per Urbem excurrens, ac Ducis nomen pluries conclamans, Malatestæ conatum evasit. Ariminensium Arci Robertus postea præesse se jussus, firmo coopertum Antiochi Tiberti Cadaver invenit.

IV. Nonas Novembris Borgia Cæsenam venit æger, laboransque oculorum morbo: Roberto Bencinio Castella, quibus Leale, & Caminate sunt nomina; Vectigal præterea trajectus per Amnes Flumecinum, & Baleariam, latumque prædium donavit.

Pridie Nonas Novemb. Forumlivii Borgia profectus est. Discessurus Polydoro Tiberto dixit: Commendatum me tibi volo. Eum Achilles Tibertus cum vigintiquinque sagittariorum Equitum manu comitatus est.

Nonis Novemb. Borgiani Milites cum commeatibus, tentoriis, cymbisque pro construendis pontibus Faventiam versus per Urbem Cæsenam iter continenter habebant. Postridie pedites illius mille, & centum Equites transiere.

VII. Idus Novembris oppidum Brisighella Valentino sese dedit. Per agrum Cæsenatem copiæ, & commeatus continenter transeunt.

V. Idus Novembris Ramirus Orcus Borgianus Præses Pandulphatium Tibertum, aliosque, quod arma contra edictum gestassent brachiis funi alligatis torqueri jussit.

XVII. Kal. Decembris Polydorus Tibertus indignatus ob ignominiam, qua affectus fuerat Pandulphatius, in pagum ditionis suæ montem Giottonem dictum se recepit.

X. Kal. Decembris Polydorus Tibertus, & Achilles ejus frater Cæsenam reversi tum Præsidem, tum lictorum Ducem expellunt.

VI. Kal. Decembris Nivis copia ingens Borgiam coëgit, ut Castra e Faventina oppugnatione abduceret.

Pridie Idus Decemb. Borgiæ literæ delatæ, in quibus erat, velle se cum exercitu omni Cæsenam conferre, festosque ibi Christi Natales dies transigere, quo Nuncio accepto Civitas magno in mærore fuit.

XI. Kal. Januar. Borgia postea quam Forumlivii ita vexarat, ut desperati Cives, atque Incolæ ab ea vulgo discederent, alioque se conferrent, Cæsenam venit, in qua diebus quadraginta res agi militari licentia: Borgia voluptatibus dare operam, id unum curare scilicet.

In Pervigilio Natalis Christi, Proceribus, reliquisque Civibus Cæsenatibus Borgia Cœnulam magnifice paratam exhibuit: Postridie mane ducali ornatus chlamyde sacris interfuit, quæ in Divi Joannis Evangelistæ templo sunt peracta; totoque eo die Ædes, & Cubiculum etiam ipsius patuerunt iis, quibus lubebat illuc, ludendi gratia, se conferre: Spectacula quoque in foro, ac ludi apparatissimi visebantur.

VII. Kal. Januarii genus illud hastiludii celebratum cujus scopus est, ut eques citato gradu percurrens A *anulum e fune suspensum infixa lancea subducat.*

VI. Kalendas ludus exhibetur, in quo quis velociter equitans, statuamque ligneam nobiliori loco feriens, Victoriam nanciscitur. Item virorum colluctatio exercetur, & Victori sericum auro contextum præmio a Borgia propositum.

Idibus Januar. Borgia primo diluculo Forumlivii properat, ut Faventiam improviso aggredi possit, sed intelligens agnitum se esse, suumque Consilium jam patere, XIX. Kal Febr. Cæsenam regreditur. secessit ad Portum Cæsenaticum quo loco ingentem ostrearum copiam emit, quot scilicet navis ferebat, ac B *earum non exiguam partem Urbinatium regulo dono misit, accepitque mox ab illo par munusculum sylvestris venationis, quumque legato ad se illud afferenti vestem argento, auroque contextam donasset, publice affixa parietibus Urbis Cæsenæ legebatur pagella, in qua erat: Non tibi sed Petro, hoc est Urbini Ducatui.*

XVIII, & XVI. Kal. Feb. Borgia personatus per Urbem Cæsenam incessit, duobus adjunctis sibi sociis, qui omnes baculis lutum agitabant, fœdabantque illos, qui obviam se darent.

Borgia alienis vestibus sese occultans sæpe in Colles, ubi nunc insident Ædes, ac templum Capuccinorum secedebat, ibi cum villicis & Asinariis C *colluctabatur, quumque alteri e sociis suis mandasset, ut cum quodam rustico luctaretur, Victori Rustico a socio propriam jussit dari vestem, qua rusticus ornatus incedere omnino deberet, eaque perpetuo uti.*

Validus erat Borgia, ac lacertosus. Adeo velox ut currenti equo ferme par esset: Adolescentes aliquot ad stadium percurrendum quandoque invitabat, quibus longo ante se intervallo permittebat cursum inchoare, assequebatur eos ipse tamen mox etiam post se relinquebat. Manibus vel hastam infringere, vel funem recidere, vel digitis ferreas equorum soleas comminuere familiare ei fuit.

D *IV. Kal. Febr. in Foro spectaculum Tareri farentis jussu Borgiæ exhibetur.*

Puella quædam nomine Bona, Severi Pasolini filia, ne Borgianæ militiæ Præcursori nubere cogeretur, e mœnibus Civitatis dejecit sese, ac Ravennam aufugit.

Nonis Febr. Forumcornelii Borgia profectus est, & Cæsenam ingentem prædam transmisit. Catherina Ungariæ Regina, regisque Neapolitani soror per Cæsenaticum Portum iter habet, & a Borgia splendidissimo, ac regio donatur munere.

III. Idus martii Tormenta bellica, quibus Bombardis est nomen, ad Castra prope Faventiam per E *Cæsenatem agrum transvehuntur.*

IV. Kal. Aprilis Borgia e Forolivio Cæsenam venit.

IV. Idus Aprilis Borgiani vastatores agrorum mille, & quingenti transierunt.

Pridie Idus Aprilis Achilles Tibertus ad Borgiæ Castra prope Faventiam se confert, secum ex Urbe Cæsena adducens quinquaginta Plaustra doliis Cæsenatis vini onerata, ibique IX. Kal. Majas, grandioris tormenti bellici explosione ipse Achilles, atque una cum eo librator, Bombardiere italica voce di*citur, tum Borgiæ Tonsor, præterea Honorius Sabellus, aliique egregii militum Duces occubuerunt.*

F *VIII. Kal. Majas Borgia Faventiam cepit.*

VII. Kal. Majas Borgia Achillis Tiberti Cadaver Cæsenam deferri, ibique honorifice humari jubet.

IV. Nonas Julii Cardinalis Borgia legatus (alter hic fuit ab eo, cujus supra mentio facta est) senatu coacto, sacroque peragi jusso in templo D. Joanni dicato, edixit Cæsenatibus universis, mandavitque, ut jurejurando sponderent, se in Cæsaris Borgiæ reguli sui fide perpetuo futuros, utque trium dierum, vespertinis horis, publica lætitiæ indicia exhiberent. Denique edictum gravibus verbis proposuit de festis Christianæ religionis diebus rite, ac pie celebrandis.

Augusti mense Borgia Architecto suo id negocii dedit, ut a Cæsenatico Portu ad Cæsenæ usque Urbis mænia, quemadmodum alveus duci posset, lineamentis ostenderet. Præclarum opus summaque dignum laude illud plane fuisset.

Pyrrhum Vicedominum Patricium Cæsenatem misit, qui S. Archangeli Oppidum incenderet; abstinet is incendio, direptionibus tamen mulctat.

VI. Idus Septembris lætitia, ac pompis dies traductus ea de causa, quod Lucretia Alexandri filia Herculi Ferrariensium regulo nupsisset.

Oddus Antonius Dandinus, quum e Reatina Prætura, quam gesserat, Cæsenam rediisset, Borgiæ pulcherrimum cervum dono attulit.

Pridie Kal. Octobris. Ramirus Orcus Borgiæ Adulator, Præses Cæsenæ datur. Senatorum numerum imminuit, multaque tyrannice gerit.

Borgia Cæsenati Reipublicæ quintam vectigalium partem elargitur, instituit ut in Urbe Cæsena Tribunal, quod Rota appellatur constitueretur, & unicuique illius Tribunalis Judici centum aurei in quemque mensem attribui deberent.

Borgia, ut sororem suam, quæ Cæsenam quam primum erat ventura, officiis, atque honore prosequeretur, pondera quatuor millia ceræ nitidæ, pondera totidem bellariorum Venetiis curari, ad seque transmitti jubet; decem quoque Cretici vini dolia, Trebiani Cades viginti comparat.

IV. Idus Januarii vetusta Friderici Imperatoris Arx cæpit detrimentum facere, & collabescere.

Borgia Romam mittit constrictos vinculis Simeonem qui Pandulphi Malatestæ Medicus fuerat, Cæsarem Gerbottanum, Cæsarem Battaglinum, qui Malatestæ fuerat Aulicus, Hieronymum Faventinum, & Cassandram, quæ Galeoti Benci uxor, & Pandulphi rerum conscia fuerat.

IX. Kal. Febr. Cæsenam venit Lucretia Alexandri filia Borgiæ soror. Equo insidens ferebatur. Ramirus Cæsenæ Præses obviam ei centum pueros misit, qui vestium, & ornamentorum colore gentilitia ejusdem Lucretiæ insignia repræsentabant. Nobiles Cæsenates matronæ eam obsequio sunt prosecutæ, & magnis sumptibus pompam exhibuere.

Borgia Julio Albitio Florentino quadraginta aureorum millibus salinas in quinquennium locat.

III. Idus Martii Borgia acri edicto, e celebrioribus Urbis Cæsenæ locis Meretrices pelli jubet, & ad pristinum redigi obscuriorem, & infrequentiorem locum, qui Tavernelle appellatur. Gravem quoque in eos pœnam proponit, quibus consuetudo esset cum impudicis mulieribus.

Kal. Aprilis Ramirus Orcus edicit, ut non tuba, sed ære campano Senatores ad Comitia celebranda vocari debeant, Civitas ea de re conqueritur, Ramirus vias Urbis mundari curat, cloacas aperiri, præterea illud etiam jubet, ut exigui amnis, qui Vene dicitur, excurritque prope Cæsenaticum portum, alveus expurgetur.

XVII. Kal. Julii Dionysius Naldus cum peditibus tercentis Cæsenam venit, mox auctus militum Cæsenatium numero ad Urbinatem ditionem iter intendit, ut aditus ejus ditionis intercluderet.

XIII. Kal. Julii: Ramirus Borgiæ nomine edicit, ut e quaque familia unus arma capere, & vigesima prima diei hora cataphractus, si Civis quidem sit, in forum prodire; si rusticus, ad Pontem, qui petræ dicitur, debeat. Postridie mane ære campano ad arma capienda signum datum: delectu habito, pedites septingenti ad S. Archangeli oppidum missi.

XII. Kal. Julii Borgia Spoleti commoratur XI. Kal. Calli Oppidi deditionem accipit, eodemque die universa, qua potiebatur Urbini regulus, ditio ei deditur. Regulus Urbinatium ad Venetos fugit.

VIII. Kal. Julii Cæsenatem Rempublicam Borgia literis certiorem facit, sese Urbinum jam obtinere: Cæsenæ plurima hoc nuncio accepto publicæ lætitiæ indicia sunt edita.

Eorum, quæ in Urbinatium Reguli domo pretiosiora reperta sunt, partem Borgia Cæsenam mittit, ut in Arce Civitatis locetur custodiæ causa.

VII. Kal. Jul. Oratores Cæsenatis Reipublicæ ad se venientes, ut gratulationis officio fungerentur, excipere quidem Borgia publice noluit; sed vestium, & Ornamentorum mutatione occultans sese, clam eos alloquitur.

IV. Nonas Julii Borgia cum suis Urbino in Ethruriam proficiscitur.

Borgiam metuens Roverellus Ravennatium Archiepiscopus e pago subrivolo se Ravennam proripit.

XV. Kal. Augusti Camerinum a Borgia capitur.

III. Nonas Augusti inter viginti eos medicos, qui Ferrariam sunt missi, ut morbo laboranti Lucretiæ Uxori Reguli Ferrariensium, atque Alexandri filiæ, mederentur, Nicolaus Masinus Cæsenas Vir doctissimus adnumeratur, singulis aurei quadringenti attributi, Cardinalis Ferrariensis Urbinati Regulo ditione exuto; Nonantulæ Abbatiam elargitur.

XI. Kal. Septembris Antonius e Montepolitiano Cæsenam, ut Præses, & Auditor Rotæ illius esset, advenit.

VI. Idus Septembris Borgia Foro Cornelii degens, Cæsenæ plura ædificia construi jubet, inter cætera sunt isthæc splendidiora. Palatium videlicet, in quo Rotæ judicium habendum esset, Gymnasium, platea, in Arce, fons, Portus restauratio; denique mandat, ut magna vis frumenti in Arce condatur.

Kalendis Octobris quum in suburbanum Foricornelii agrum Borgia venatum esset profectus, in eum incidit explorator quidam a Bononiensibus missus, quem capi, & laqueo suspendi jubet.

XIII. Kal. Novembris in Urbe Cæsena militum copias Borgia conscribere, ac delectus habere incipit, ejus belli causa, quod parari adversum se intelligebat ab Urbinatum Regulo, amissam recuperare ditionem cupiente.

Qui adlecti sunt, ut in Cæsenati Rota sederent, ii fuere.

Præses Antonius Politianus.

Cæsenates, Urbinatesque suas eo in Senatu partes tribuerunt Oddo Antonio Dandino.

Ariminenses Galeoto de Grandis.

Forolivienses Gulielmo Bertucciolo.

Pisaurenses Joanni Matthei.

Fanenses Ludovico. . . .

Faventini Andreæ Negosantes.

Forocornelienses Hannibali. . . .

Borgiæ stabuli Præfectus cum Militibus Cæsenam venit, ac tercentos quidem, & septuaginta pedites, qui e valle Lamonis erant, in Civium Ædibus TROVAM viam incolentium habitarunt; Galli vero, alia habuere diversoria, in via scilicet, quæ dicitur apud Nostrates: ECCLESIA NOVA.

IV. Idus tumultuatum in Urbe Cæsena est adversus milites, qui injurias Civibus, detrimentaque inferebant.

Palmerius Tibertus quum intelligeret, Præsidem curare, ut in vincula ipse duceretur, Ravennam ad Venetos aufugit: Alii e gente Tiberta pagum Montem Jottonem Borgiæ dono dant. Cæsenates Milites ad eum accipiendum mittuntur, quumque rustici illius pagi eum tradere detrectarent, ex ipsis octo, atque una itidem octo principes viri e gente Tiberta in Arcem Cæsenatem traducti sunt. Hoc rusticis in causa fuit, ut Feleriorum partes sequerentur, ideo Palmerii Tiberti Census Fisco addictus. Palmerium IV. Nonas Decembris Magnasosa Borgianus miles, peditibus quibusdam aliis stipatus, assequitur, ac capit; tum XVIII. Kal. Januarias Palmerius, & Darius e gente Tiberta rebelles judicati. Pagus eorum solo æquatus.

III.

III. Idus Decembris Borgia Cæsenam venit cum exercitu omni, cujus pars quidem in Urbem recepta, pars extra mœnia collocata est: Magno hæ militum copiæ incommodo, & detrimento Cæsenates affecere. Multos quoque Borgia milites misit, qui Episcopi Sarsinatis pagos, atque Castella, solo æquarent.

Borgia ad alendum exercitum ex horreis privatorum Civium vi frumentum, hordeum, fabam eripi, atque exportari, sibique exiguo admodum pretio venundari jubet. Quæ crudeliter a Gallis in agro Cæsenati sunt gesta, exprimi verbis satis non queunt.

XI. Kal. Januarias choreis, aliisque ludis Borgia interfuit, quos ei Dominicus Ugolinus, Vincentius Casinus, Hieronymus Bertucciolus, Robertus Buccius, Robertus, Morus exhibuerunt. Borgia & ipse Choreas duxit.

Eadem die Borgia Ramirum Orcum Cæsenatis Arcis Custodem, Præsidemque Civitatis ab eo impositum, quum multa rapuisse Civibus, frumenta vi abstulisse, aliaque crudeliter egisse accusaretur, in carcerem conjici jubet, ac IX. Kal. Borgia edictum proponit, ut unusquisque quid sibi ab Orco deberetur, exponeret. In Pervigilio Natalis Christi Borgia lugubri excitato, ornatoque theatro, accensis facibus obtruncari Ramiro Caput ea falce mandat, qua laniones utuntur, ejusque Cadaver teggeti superimpositum, toto die spectandum relinqui: Decem millia aureorum, quæ Ramiri fuerant, Borgia fisco suo addixit; vasa item argentea, equos, aliaque: Non defuere, qui dicerent, hoc fecisse Borgiam suasione Lucretiæ sororis, cujus pudicitiam Ramirus tentasset.

VII. Kal. Januarias Borgia cum exercitu, in quo quatuordecim millia hominum merebant, Cæsena discessit. Illius exercitus partim intra mænia, partim extra receptus fuerit, diebus XV. enutritus. Quum Ariminum Borgia pervenisset, ex equo non descendit, adeuntes ad se equo insidens excepit, atque allocutus est.

Postquam Borgia discesserat quatuor millia peditum Cæsenam venere. Vascones laquearia incendunt; Centum, atque amplius Civium Ædes prorsus diruunt. Iidem Vascones VI. Kal. Ariminum versus iter aggrediuntur.

Borgiæ, antequam ipse Ariminensium Urbem ingrederetur, Reipublicæ illius legati obviam occurrerunt. Iis pro Civitate sua deprecantibus, respondit Borgia in hæc verba: Apud nos hasce preces adhibere, opus non est: Neque enim nos latet, si unius diei victum suppeditare exercitui nostro Ariminum posset, caram nobis Urbem Cæsenam mensis alimenta præbere militibus nostris levi damno, atque incommodo suo valituram.

V. Kal. Borgia ad pagum Gradaram profectus
IƆIII. *est. IV. Kal. Senogalliam cepit.*

Kal. Januariis Senogalliæ Vitellotium cepit Livertottum Firmanum, ac Paulum Ursinum; Anconitani Urbis suæ claves Borgiæ tradunt.

VII. Idus Januarii Hispanus quidam Dux Militum cum sexcentis peditibus Cæsenam venit, qui tamen pedites Urbem non ingrediuntur, sed in suburbiis collocantur.

VI. Idus Borgia literis victoriam a se partam Cæsenatibus nunciat: publicæ lætitiæ indicia in Urbe eduntur

Palmerius Tibertus quum Borgiæ jam partes omnino deseruisset, Oppidum, Arcemque S. Leonis in Urbinatium Reguli potestatem redegit, eidemque Arci Custos præficitur.

IX. Kal. Febr. Borgia fœdus ab se cum Joanne Bentivolo initum publice significari Cæsenæ jubet.

Pridie Kal. Febr. Petrus Vicentinus Episcopus Cæsenas in Arcem Urbis Romæ detrusus ea de causa fuisse dicitur, quod inimicus esset Alexandro Pontifici: grandi pecunia se redemit; aggressusque interiit anno CIƆIƆIV. *non sine epoti veneni suspicione.*

Borgia, ne Comes Nicolaus Carpineus ex Urbe Cæsena exire posset, edixit. sponsionis pœna proposita, ut si adversus præceptum iret, tria aureorum millia ab eo præstanda essent.

VI. Kal. Martii Borgia Romam cum exercitu proficiscitur: Cæsenæ in Ædibus Senatus lectissima comœdia agitur. Quum milites fere omnia stramenta consumpsissent, eorumdem stramentorum penuria pecudes Cæsenatis agri deficiunt, ac pereunt.

IV. Nonas Mart. Ex arce octo illi e gente Tiberta, quos memoravimus, datis prædibus, sunt dimissi. Cæsenatium Respublica fundi quædam bellica instrumenta curat, quibus falcunculis est nomen.

Dominicus Civennus Cæsenas Bononiensi gymnasio præficitur, vir plane doctissimus.

XIII. Kal. Aprilis Arx instaurata, pluribusque æneis tormentis grandioris molis communita. Pontifex Firmum, Asculum, Civitatem Castelli Borgiæ, feudi nomine, subjicit.

VIII. Kal. Julii die sacro Divo Joanni, in Foro coram Rotæ Judicibus spectacula exhibentur, literariis præterea multorum exercitationibus Borgiæ nomen celebratur.

Nonis Julii prima Cæsenatis Rotæ Comitia habita sunt. Sacrum in Cathedrali templo solemniter ab Episcopo Sarsinate peractum. Interfuerunt Judices Rotæ omnes iis togis induti, quas Itali Cappas appellamus, cucullis præterea, quæ ornamenta serico rubei coloris subsuta erant. Scribæ clavas in manibus gestabant. Pontificium diploma, quod Bullam vocant magna cum Cæremoniarum pompa ex scripto pronunciatum est, eodemque tempore tormenta omnia bellica, quibus Bombardis est nomen, continenti explosione intonuere: tympanorum, tubarumque sonitus simul etiam exauditus: post quæ trium mensium vacationes indictæ.

XV. Kal. Septembris Alexander VI. moritur.

IV. Kal. Septembris Cæsenam Borgiæ literæ a Tabellario perferuntur, quibus significatur, sacrum Cardinalium Collegium Borgiæ rata habuisse omnia munera, quæ ante obtinuerat. Hoc nuncio accepto in Urbe lætitiæ indicia edita; Tubicinem autem excurrere Urbis vias oportuit, ut Ducis Borgiæ nomine sæpe conclamato, tumultus, qui excitari in populo (post Alexandri scilicet Pontificis mortem) jam cæperant, sedarentur.

A Borgia Picenum deficit.

Dionysius Naldus Borgiæ nomine Cæsenaticum portum tuetur. Quoniam vero Epistolam quam obsignatam ferebat Venetorum tabellarius, Naldus dissolverat, atque inspexerat, Veneti ad Portum Cæsenaticum ex Oppido Cervia sese contulerunt, magnaque intulere detrimenta: at jam Naldus aufugerat: inciderunt hæc autem in Kalendas Septembris.

Nonis Septembris Urbinatium Regulus Palmerio Tiberto pedites septingentos, equites centum, & quinquaginta mittit, quorum ope Sancti Archangeli oppidum capit.

Eodem die Feltrienses miserunt, qui a Cæsenatibus peterent, ut quoniam Borgia ditione omni esset exutus Ecclesiæ nomen conclamarent: Sin hoc facere detrectassent eos venturos, ac depopulationibus omnia vastaturos esse. Respublica ad Feltrienses Franciscum Zanolinum, ac Thomam, qui cibaria iis offerrent, ablegavit: Sed nihil Feltrienses movit legatio, quominus ad viam D. Lazari dictam descenderent (videlicet prope Civitatem.) Respublica Cæsenas Nicolaum Masinium, Antonium Rossettum, & Franciscum Almericum misit nova legatione, sed neque isthæc profecit quidquam: Nam Feltrienses ad Carpinetam progressi, incommodis, ac detrimentis Cæsenates adfecerunt. Novos denique Respublica legatos decernit Antonium..... & Gasparem Fantagutium; iverunt hi quoque; at frustra eorum conatus ciderunt.

VII. Idus Septembris arma Populus arripuit, collectaque sexcentorum armatorum manu in Palmerium Tibertum profectus est: at contra Palme-

rium pugnare Nostrates Rustici noluere : tamen depulerunt e Carpineta Feltrienses. V. Idus Palmerius Tibertus Borgiæ edicto perduellis judicatus.

Pridie Idus Septembris, Veneti cum militibus ad Portas usque Urbis Cæsenæ pervenere : sed ære campano ad arma capienda dato signo, ipsi aufugerunt, duobus amissis ducibus: Ad Martoranum usque tria tormenta bellica majoris molis adduxerant. E nostris tres desiderati. Quum autem quorumdam opera factum esset, ut per Urbem Cæsenam Divi Marci, ac Palmerii Tiberti nomina personarent, e re Civitatis fore existimatum est, ut ejus portæ Cerviensis Romana, ac Trovensis occluderentur.

Ravennam ad Venetos legantur Petrus Arcanus, & Bernardinus Venturellius de injuriis apud eos conquestum.

Simeon Pauli Ugelini, Franciscus Arcanus & alii duo, quod accusarentur tentasse Venetis per Romanam portam aditum aperire, aufugerunt.

Hæc a Venetis legati reversi retulerunt, conatos illos esse quidem Cæsenam capere, sed ut Ecclesiæ Romanæ recuperarent; ob eamdem causam convenisse cum aliquibus, ut sibi per Romanam portam aditus in Civitatem præberetur, præterea questos graviter esse, quod Cæsenates Venetorum Comitem-stabilem ferro veneno imbuto sauciassent, quo ille vulnere interiisset; denique minarum plenos sagittam ipsam, quæ vulnus fecerat legatis ostentasse.

XVIII. Kal. Octobris Borgiani milites Cæsenam veniunt; pars illa Civitatis quæ murata dicebatur. communitur amplius.

XVII. Kal. Ludovicus Boschettus, & Mainardus, quod Sanctum Marcum conclamassent, Franciscus item Arcanus, quod convenisset cum Venetis, ignem se in sulphureum pulverem immissurum, eosque in Urbem introducturum, a quatuor præconibus, adhibito etiam clangore tubarum, Borgiæ jussu, proscripti pronunciantur.

Edicitur capitali pæna proposita, ne quis Ecclesiæ nomen conclamet, ideo Civitas ancipiti premebatur periculo, cujusnam imperio parendum ei esset, ignara.

A XV. Kal. Septembris, usque ad XIV. Kal. Majas Cives omnes armis instructi, ac parati ad omne periculum excubarunt.

X. Kal. Majas Carpinetæ, & Casalis incolæ in fide, atque officio Borgiæ sese futuros jure jurando pollicentur. Nicolaus a Balneo pagum Montebellum recuperat.

IX. Kal. Octobris Pio III Pont. Maximo creato multa publicæ lætitiæ signa Cæsenates dedere.

Ariminenses Pandulpho Malatestæ se tradunt.

Ab Urbe Cæsena Borgiani milites ad populandum Ariminensem agrum proficiscuntur.

Pandulphus Malatesta præconem mittit Cæsenam, postulatum, ut secum Respublica Cæsenas inire fædus amicitiæ velit.

III. Kal. Octobris Ludovicus Belmontes, Galeottus Bencius, Julius Marchesellus, aliique exules Ariminenses magna militum Cæsenatium manu stipati Ariminum contendunt, Pandulphumque Malatestam ejiciunt, qui Pisaurum versus cum sexaginta Equitibus tantum aufugit. Dionysius Naldus saxi ictu sauciatus Cæsenam in Ædes Fantagutiorum delatus fuit, ibique convaluit. Kal. Octobris Urbs Ariminum crudeliter direpta, ac miserabile sane visu spectaculum viginti, atque amplius nobiles matronæ præbuerunt, quibus, quum nihil præter subuculas ex direptione reliquum esset, immanem calamitatem publicis in viis ejulantes, alienam misericordiam implorabant.

IV. Nonas Octobris quum Marcus Casinius ab Ariminensi depopulatione præda onustus, secumque octo Cives Ariminenses captivos, obsidesque adducens, reverteretur, eum Pandulphus Malatesta aggressus præda omni spoliavit.

VIII. Idus Octobris Cæsenam redit is, quem Cæsenates Romam miserant exploratum, quo in statu Cæsaris Borgiæ res essent, quid ille ageret. Nunciat Borgiam vivere, pluries de fidis Cæsenatibus quæsiisse, iis gratias habere, quod in fide, atque officio perstarent, nunciumque ipsum aureis donatum dimisisse.

Eodem die Pii III. Pontificis maximi ad Cæsenates literæ perferuntur, quibus eos, ut fidem Borgiæ servarent, hortabatur.

VI. Idus in fossis, atque mænibus Urbis, Borgiæ commodo, opera quædam fiunt; Carolus Tibertus Feltriensium Equitum Dux a Nicolao Comite Balnei occiditur.

Eodem die Respublica Cæsenatium ad Urbinatem Regulum legat Nicolaum Masinium, Petrum Antonium Foropompiliensem, & Antonium Rosettum, qui apud illum quærerentur, depopulari a Feltriensibus Cæsenate Territorium. Legati redeunt, renunciantque Urbinatem Regulum a Cæsenatibus postulare, ut Urbem aut Ecclesiæ Romanæ, aut Venetis tradant. Coactis Comitiis in Divi Pauli Templo, senatus consultum factum, ut Borgiæ fides ex præscripto Pii III. servaretur. Itaque Feltrienses propius ad Urbem Cæsenam accessere, & Montem sanctæ Mariæ dictum, qui eidem Urbi imminet, occuparunt. Rustici nostrates quingenti, Borgiano Vexillo sumpto, ad tuendam Civitatem accurrerunt. Pluries consertæ manus, pugnatumque; Et tormenta bellica majoris molis vicissim detrimenta inferunt. Territorium a Rusticis deseritur. Rupti aquæductus. A tormento bellico Ædes Fantagutiorum, aliorumque labefactatæ.

Plurimæ Borgianorum militum copiæ, quarum duces Galli, Hispanique erant, ac tercenti vastatores adveniunt: in Augustinianorum ædibus locantur.

Idibus Octobris Feltrienses, qui e monte descenderant, manus cum nostris conseruere. E nostris duo tantum; ex Feltriensibus sex pedites, desiderati; quatuor præterea equites capti. Nostrates rustici hostes insecuti, ac recepto monte ad Maranum rivulum pugnam ineunt, profligantque hostes : Ex his tercenti, atque amplius interfecti : plures captivi Cæsenam adducuntur. Quod si Nicolaus Balnei Comes Carolum Tibertum dolo non interfecisset; quippe Caroli Tiberti mors, non nihil a pugnando nostros retardavit, nullus ex Feltriensibus prælio superfuisset : Neque tamen non summopere gloriosum Cæsenati militiæ habebatur, quum tres, aut quatuor captivi ab uno tantum pedite adduci conspicerentur. Omnesque Ducem, ac Valentiam perstrepebant.

XII. Kal. Decembris Cæsar Frabegola, ac Scipio Tibertus Borgianæ militiæ Duces creati, in Foroliviensem Arcem obsides Ariminenses adducunt, deinde secedunt ad Poggium Bernium, magnamque ex eo prædam referunt.

XI. Kal. Decembris. Ex Urbe Roma Borgiæ literæ Cæsenatibus perlatæ sunt, quibus significabat, quo loco ejus res essent, se in Arcem S. Angeli recepisse, tuendi sui gratia; quam primum in Romaniam cum militum copiis venturum.

Eodem die Præfectus Borgianæ Domus Arimino Cæsenam revertitur, atque una simul Ramiresius cum militibus; Respublica negat eos intra mænia Civitatis velle recipere, postridie mane recepti quidem, sed ea lege, ut pollicerentur se quamprimum abituros Forumlivii, in quam urbem rediisse Antonium Ordelaffum, ferebatur.

IX. Kal. Decembris populi cœtus vulgo fiebant; pluries Ecclesiæ adclamatum est, ac Nicolai a Balneo Ædes direptæ.

V. Kal. Decembris in foro Senatus habitus, in quo quum interesset Præses edixit, ut qui Ecclesiæ subdi præoptarent, alteram fori partem tenerent, ab-

alteram vero qui Borgiæ dominatum cupiebant; idcirco omnes Borgiæ nomen conclamarunt.

Pridie Kal. Decembris. Urbinatis reguli opera per Urbem Cæsenam non Borgiæ, sed advocari Ecclesiæ nomen pluries exauditum est.

V. Idus Decembris Urbs Cæsena Apostolicæ Sedis imperio, ac ditioni restituta. Profligato, atque exterminato Cæsare Borgia, Arcibusque recuperatis Julius II. Pontifex Maximus Tiburtinum Antistitem Cæsenam mittit. Hic quæ aut non recte sancita apud Cæsenates, aut pravis moribus usurpata essent, instituit corrigere. In Franciscanorum Ædibus novos Senatores creavit. Quum autem ille in Senatoribus creandis, illustrium Natalium rationem non duxisset, delectumque non habuisset, Cæsenates ad Pontificem provocarunt, qui corrigi a Præside factum istud suum jussit: Et Præses obtemperare Pontificiis dictis coactus, mandata perfecit.

Pulso Valentino Respublica Cæsenatium Legatos ad Pontificem misit, qui fidem, atque officium pollicerentur. Fuere autem Nicolaus Masinius, Dominicus Rubeus, Lambertus Borellius, Oddus Antonius Dandinus, ac Petrus Antonius Rosettus: hos benigne admodum, ac peramanter Julius excepit.

Primus Julii II. nomine Rector Cæsenatis Reipublicæ fuit Constantinus Comnenus Macedoniæ Princeps, qui Tibertos inter, & Nicolaum Comitem Balnei pacem composuit.

Hactenus Diarium.

Postquam *Cæsenates* ditioni sedis Apostolicæ, cui nunc etiam fauste, ac feliciter subduntur, a *Julio* II. sunt restituti, nullius tyrannidem senfere amplius, qui aut sua potestate, aut a Pontifice accepta, iis imperitarit. Atque a *Julio* quidem ipso *Cæsenates* constat efflagitasse, præclaro consilio, ut Pontificio edicto sanciret, ne Apostolica Sedes imposterum cuiquam Dominatum Urbis *Cæsenæ* concederet. Extant *Julii* literæ, in quibus quod *Cæsenates* postularunt, sancitur summa cum servatæ ab ipsis fidei laude, atque præconio; quæ literæ a Pontifice non privatim, sed in publice in Cardinalium Senatu, qui Consistorium dicitur, eorum rogatis sententiis, ut assolet in summis negotiis explicandis, decretæ fuisse deprehenduntur. Extant apud *Claramont.* pag. 768. Verba sunt.

Julius Episcopus servus servorum Dei Dilectis filiis Communitati Civitatis nostræ Cæsenæ salutem, & Apostolicam Benedictionem inconcussæ fidei constantia, & sinceræ devotionis affectus, quibus erga nos, & Romanam Ecclesiam vos clarere manifestum est, merito promeretur ut vos speciali dilectionis favore, & protectionis munimine prosequamur. Attendentes igitur, quod vos in tot perturbationibus, quæ proximis temporibus in Provincia nostra Romandiolæ, in illius Civitatibus, & Terris nobis, & idem Romanæ Ecclesiæ subjectis evenerunt, semper in fidei devotione, & constantia erga Nos, & eandem Romanam Ecclesiam perseverastis, & nulli alteri quam eidem Romanæ Ecclesiæ subjici voluistis, & a subjectione, qua felic. record. Alexander Papa Sextus prædecessor noster dilecto filio nobili viro Cæsari Duci Valentino, contra voluntatem nostram vos submiserat, quantum potuistis, reclamastis, & nunc, eisdem vestris devotione, & fide coadjuvantibus, ab hujusmodi subjectione præfati Ducis liberati, in eadem nostra, & Romanæ Ecclesiæ fide, & devotione, ac protectione, nec non immediata subjectione perseverare totis desideratis affectibus: Nos desiderium vestrum, quantum cum Deo possumus coadjuvare, etiam ex commisso nobis Pastorali officio cupientes, etiam felic. recordationis Pauli Papæ II. Prædecessoris nostri, qui vos sub immediato imperio, dominio, & ditione suis, ac dictæ Romanæ Ecclesiæ recepit, vestigiis inhærentes, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ac vobis concedimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, tamquam speciales devoti, & fideles ejusdem Romanæ Ecclesiæ Filii, nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus Canonice intrantibus, ac eidem Romanæ Ecclesiæ dumtaxat immediate subjecti existatis, ita ut alicui Vicario temporali, vel perpetuo Potentatui, & Comiti etiam Apostolica Auctoritate in Civitate ista Cæsenatensi, vel ejus territorio, & Dominio, ex quavis causa deputando, ex quacunque causa, vel titulo subjici non possitis, nec non etiam prætextu quarumcumque Censurarum Ecclesiasticarum, seu pœnarum, & mulctarum contra vos tam per nos quam successores nostros, aut Sedem Apostolicam, per literas Apostolicas desuper conficiendas, aut alias contra vos quomodolibet promulgandas, ad receptionem alicujus in Dominum vestrum temporalem, seu Vicarium in temporalibus inviti cogi, aut compelli, nec etiam voluntarie illum recipere vel admittere valeatis decernentes hujusmodi censuras vos non ligare, nec vos pœnas, & mulctas quomodolibet incurrere, sed vos coram nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus Canonice intrantibus, seu Legatis, aut delegatis Sedis Apostolicæ, vel Gubernatoribus Provinciæ Romandiolæ particulariter ac aliis Officialibus per Nos, vel successores nostros præsentes nunc, & pro tempore deputatis, & deputandis dumtaxat, & non coram aliis respondere debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam, quavis Auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, & si (quod absit) forsan contingeret, nos, vel successores nostros vos alicui Domino, vel Vicario, aut Dominio temporali subjicere: Nos ex ex nunc prout ex tunc, in vestra libertate ponimus, & constituimus, ita tamen quod per hoc alicui Dominio temporali quacumque dignitate fulgenti, seu Communitati, vel Universitati vos subjicere non possitis, & si secus feceritis præsentes literæ vobis in aliis supradictis nullatenus suffragentur, ac omnibus aliis privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus vobis ab Apostolica Sede quomodolibet concessis, absque alia declarati privati sitis eo ipso; non obstantibus prædictis, & quibuscumque aliis subjectionibus in Vicariatum de Civitate, territorio, & districtu prædicto, tam prædicto Cæsari, quam quibuscumque aliis personis cujuscumque conditionis existentibus tam per dictum Alexandrum, quam alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, seu ad hoc potestatem, vel facultatem habentes factis, & concessis, quas & illarum tenores, & causas in illis expressas, ac si de verbo ad verbum insererentur, ac etiam si ullæ de S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consilio, & assensu emanasse dicerentur, aut emanaverint, pro expressis habentes, revocamus, & cassamus, ac annullamus, ac pro non concessis habere volumus, nec non juramentum fidelitatis, & homagii, seu subjectionis dicto Cæsari, ac cuicumque alteri sub quacumque forma per vos, aut alios vestro nomine præstitis, a quibus juramentis homagii, fidelitatis, & subjectionis præstatione, & obligatione vos, & singulares personas Civitatis, Territorii, & districtus prædictorum absolvimus, & liberamus, dictumque juramentum penitus, & omnino relaxamus, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque volumus Auctoritate, & de consilio, & assensu simili declaramus, quod hujusmodi literæ nostræ irrevocabiles sint, illisque sub nulla expressione, conceptione, aut forma verborum ullatenus etiam per nos, vel successores nostros Romanos Pontifices valeat derogari; sed perpetuo in suo robore, & vigore remaneant, successores ipsos in Domino obtestantes, ut consideratis discriminibus, & periculis, quæ ex alienatione Civitatis nostræ prædictæ emanavere, vos

vos tamquam peculiares, & fidelissimos filios sub immediata protectione Sedis Apostolicæ retineant, foveant, & protegant, nec ullo unquam tempore, cuique Personæ Ecclesiasticæ, vel sæculari quacumque dignitate fulgenti in Vicaria, tum, vel alias quomodolibet tradant. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, concessionis, constitutionis, positionis, decreti, revocationis, cassationis, annullationis, absolutionis, liberationis, relaxationis, voluntatis, & declarationis, infringere vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quarto Octavo Kal. Julii Pontificatus nostri Anno primo.

Ego Julius II. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego O. Episcopus Hostien. & Cardinalis Via. manu propria.
Ego G. Episcopus Portuen. Cardinalis Portugal. manu propria.
Ego Hier. Episcopus Sabinen. Cardinalis Recanaten. manu propria.
Ego A. Episcopus Prænestin. S. R. E. Cardinalis S. Praxedis. manu propria.
Ego Joann. Ant. Episcopus Tusculan. Cardinal. Alexan.
Ego B. Tit. S. ✠ in Hierusalem Presb. Cardinalis. manu propria.
Ego Jo. Tit. S. Priscæ Presbyter Cardinalis Norigen. man. prop.
Ego D. Tit. S. Marii Presb. Cardinalis. man. prop.
Ego P. Tit. S. Cyriaci Presb. Card. Reginus man. prop.
Ego F. Tit. S. Ceciliæ Presb. Cardinal. Cusentin. man. prop.
Ego Jo. Tit. S. Balbinæ Presb. Card. Salernitan. man. prop.
Ego L. Tit. S. Agathæ Presb. Card. Beneventan. man. prop.
Ego Ant. Tit. S. Stephani Sabinen. Presb. Cardinalis.
Ego Joste Tit. S. Vitalis Presbyter Cardinalis.
Ego Jo. Tit. S. Navesti Presbyter Cardinalis.
Ego F. Tit. S. Susannæ Presb. Card. Vult: man. prop.
Ego N. Card. Ullis.
Ego F. Tit. S. Sergii & Bachi Presb. Card. Logienan.
Ego Adrianus Tit. S. Grisogoni Presb. Cardinalis.
Ego Clemens Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter. Cardinalis Mimaten.
Ego F. S. Theodori Diaconus Card. de Sancto Severino.
Ego Julius S. Angeli Diac. Cardinalis Cæsarinus.
Ego M. S. Mariæ in Porticu Diac. Card. Cornelius.
Ego F. S. Sabinæ Diac. Cardinalis Elnen.
Ego L. S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. de Aragonia.
Ego A. S. Nicolai in Carcere Julius Card. Diac. Dalbreto

Sigismundus.

Loco ✠ signi, in cujus circumferentia legitur. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.*

Et in medio Circuli Sanctus Petrus, Sanctus Paulus; Julius Papa Secundus.

A tergo. *Registrata apud me Sigismundum.*

XV. (XV.) *Duos videlicet retinens ordines Personarum.*]

A Recte *Brixius* postea quam publicum regimen, eosque, qui Urbi *Cæsenæ* dominati sunt, exposuit, ad privatam Civitatis moderationem, quæ apud senatum est, Urbanosque Magistratus, delabitur; quorum dignitatem, atque splendorem; munera item, ac potestatem quum paucis ipse indigitet, eadem persequi aliquanto uberiori sermone operæ pretium existimavi. Mihi autem nonnihil de *Cæsenatium* senatus, & magistratuum origine præfari cupienti, hanc jam inde ab ea ætate liceat repetere, quum *Cæsenam* veteres *Romani* Coloniam effecere. Nam ut erat in more positum, B a Trium viris *Romanæ* Reipublicæ decimam eorum partem, quos in Coloniam *Cæsenam* deduxerunt, conscriptam fuisse publici Consilii gratia, plane intelligimus. *L. Pupillus ff. de verb. signif. §. decuriones.* Eorum Cætus, qui ita coacti sunt publicis negociis gerendis, ac procurandis, Curia appellata: ii autem, qui Cætum illum conflabant, Decuriones sunt dicti. Quoniam vero Exemplo Urbis *Romæ*, reliquarum Civitatum gubernatio temperabatur, ut probe *Gellius* Noct. Attic. Lib. XVI. Cap. 13. observat, itemque *Justinianus* Cæsar sic inquiens. *Novel.* 38. de Decur. *Qui nobis olim constituerunt Rempublicam, ii* C *ex usu fore rati sunt, si ad imitationem regiæ Urbis, in unaquaque Civitate Nobiliores congregarent, & formam quamdam senatoriæ Curiæ constituerent, per quam & publica tractarentur, & omnia recte fierent, & ordine*, idcirco quemadmodum *Romæ*, præter senatum, erant quoque Magistratus instituti, ita *Cæsenatem* Coloniam suos jam inde ab initio, præter ordinem Decurionum, habuisse Magistratus recte opinamur; atque eorum quidem præcipuos fuisse Duumviros, Censores, Ædiles, ac Quæstores, quod hi potissime Magistratus in Coloniis constitui solerent, *Sigon.* de antiq. Jur. Ital. Lib. II. Cap. 4. Progressus autem dein- D ceps tum senatus, tum Magistratuum Urbis *Cæsenæ*, quamquam non singularum ætatum monumentis aperiatur; vindicant tamen satis illum ab oblivionis tenebris nonnulla, quæ præterea efficiunt, ut conjecturam capere possimus de iis etiam temporibus, a quibus exploratam, ac testatam literis memoriam non habemus. Igitur *Trajano* imperante, extitisse apud *Cæsenates* Ordinem Decurionum, ex eo perspicitur, quod in monumento ab ipsis posito eidem *Trajano* Cæsari (exscripsimus illud superiori capite) sunt extrema hæc verba: *Curatores viarum.* L. 2. §. *Sed etsi Curatores ff. ad municipal*, *Pancirol.* de Magistrat. Cap. E 4. Quamobrem quum vias curare munus esset, sitque Ordinis Decurionum, ex hujusce muneris ratione *Cæsenæ* Decuriones tum fuisse deprehenduntur. *Constantino* etiam Augusto inscriptum a *Cæsenatibus* lapidem, supra eodem loco recitavimus, in cujus lapidis postrema parte quum sit: *Monumentum posuere Decemviri*; sub ea scilicet nota *M. P. X. V.* liquet, *Cæsenatium* Rempublicam Magistratu Decemviratus usam, illo ævo, fuisse. Sed progressus hujus senatus ad ætatem, qua *Constantius Constantini* magni filius imperavit, luculentissimum atque illustre testimonium F suppeditatur ab ipsius *Constantii* Augusti epistola scripta *Ordini Cæsenatium*, quam supra commemoravimus. Extat. in Cod. Theod. de Decur. L. 42. Consequentibus temporibus nihil est, cur *Cæsenæ* senatum, ac Magistratus continuasse, quis neget. Monumenta vero, ut desiderentur, fortasse effecere crebræ barbarorum impressiones, qui præter illatas clades, densissimis tenebris omnem rerum memoriam offuderunt *Othonis* magni ætate italicas Urbes Civile *Regimen* instaurasse *Sigonius* in Bonon. hist. notat ex quibusdam *Guntheri* versibus, itaque hinc aliqua nobis lux affulget,

get, ut & *Cæsenatem* senatum idem fecisse existimemus, quod reliquæ *Italiæ* Urbes instituerunt. Verum postquam de pervetusta origine senatus, ac Magistratuum Urbis *Cæsenæ*, deque progressibus eorumdem ad hanc diem aliquid attigimus, locus postulare videtur, ut de illius splendore, ac nobilitate nonnihil enarremus; Atque ut seriem temporum sequamur, occurrit primo nobis ea, ut vult *Gothofredus*, pars Epistolæ, quam *Constantius* Augustus Ordini *Cæsenatium* dedit, miramurque a *Claramontio*, atque *Sigonio* prætermissam, qui tamen alteram partem recensent, quam supra retulimus, quæque extat in L. Vinum. *Cod. Theodos. de Annon*; hæc vero fortasse eos latuit, ut quæ alio loco collocata est in Codice *Theodosiano*, videlicet in *L.* 42. *Cod. de Decur.* Habet autem in hunc modum.

Imp. Constantius Augustus Ordini Cæsenatium salutem dicit.

Si qui ex Præsidibus, vel Perfectissimatus accessione cumulati esse noscuntur manentibus dignitatibus, quas suffragio meruerunt, nihilominus in sui ordinis consortio perseverent; fungantur officiis Curialibus, ac municipalium munerum cura, partito vobiscum obsequio, capiantur. Si quis autem Clarissimæ meruerit infulas dignitatis, nec indulti muneris gratiam Codicillorum allegatione percepit, impetratæ fructum dignitatis amittat. Et cuncti, qui, per officia diversa, nomina dederunt militiæ, si de Curialium numero originem trahunt soluti sacramentis, vestris cœtibus aggregentur. Dat. XI. Kal. Jan. Med. *Constantio* A. VII, & *Constante* III. Cæs. Coss.

Anno scilicet CCCLIV.

Honorificentissima profecto senatui *Cæsenatium* Epistola, quippe in qua *Constantius* Augustus edicit, ut ad *Cæsenatis* Reipublicæ obeunda munera revocentur etiam ii, quos ipse Augustus Rectorum, ac Præsidum Provinciarum honore decorasset; eosdem præterea jubens, ubi etiam restituti essent Ordini suo, in eo & acceptam dignitatem, & dignitatis titulum, qui Perfectissimatus appellabatur, retinere. Deinde ad illos progreditur, qui Clarissimæ senatoriæ dignitatis infulas apud eumdem Augustum consecuti essent, non tamen Codicillis Principis, sed verbo tantum impetratam: His quoque ad tam illustre fastigium ab Augusto evectis, redire ad patriam rempublicam administrandam, senatoriasque in ea functiones exercendas, præcipit. Eleganter, *Gothofredus* in suo ad eamdem legem commentario hæc omnia complectitur, cujus verba placet recitare: *Cæsenatium Ordini, seu Curiæ hoc tempore Curialibus exhaustæ consulit enixe hac epistola Constantius Imp. Tribus videlicet hominum generibus ad eam revocari jussis. Primo iis, qui dignitates honorarias sine administratione ex Præsidibus vel Perfectissimatus consecuti fuerant, ut dignitatis titulum eis conservet, pariter ut L.* 41. *ubi plura jam diximus.* Est lex 41. illa missa Ordini Carthaginensium.

Secundo revocari jubet Constantius eos, qui SENATORIAM dignitatem adepti fuerant, nisi Codicillis eam impetrassent: Senatoria scilicet dignitate Codicillis impetrata hoc tempore quis Curia liberabatur (ut exinde constat) quod alias, & frequentius, non ita obtinuit. Certe hac parte, quantopere jus variaverit, ostendunt viginti sex præterea leges hoc tit. quas repetere licet ex Paratitlo de eo jure, quod sub Constantio hujus Legis Auctore obtinuit; plura ad L. 58. *infra. Hac certe lege Constantius Curialem Senatorem factum liberari vult, si modo Codicillis quis commonstrare posset, eam dignitatem sibi collatam, nempe vel superna Codicillorum impressione vel scriptura interiore, ut docet Lex* I. *supra de honor. Codicill. ubi plene dixi. Non si verbo tantum id a Principe impetrasse diceret; Unde apparet duplicem fuisse conferendæ dignitatis a Principe rationem vel per Codicillos δέλτας, vel verbotenus: Quæ distinctio interea notanda etiam ad usum fori.*

Ex hoc interim loco duo discimus. Primo Senatoriam, seu Clarissimatus dignitatem majorem fuisse Perfectissimatus dignitate. Quod & ipsum plane testatur de his ipsis Constantii temporibus Ammianus Marcellinus Lib. II. pag. 216. *Ostensurus quippe, Constantium nunquam erexisse cornua militaria: Nec sub eo, inquit, Dux quisquam cum Clarissimatu provectus est: Erant enim, ut nos quoque meminimus, perfectissimi.*

Secundo hinc discimus Præsides, seu Rectores Provinciarum hoc ævo nondum Clarissimos fuisse, seu Senatorios, verum & ipsos Perfectissimos tantum. Et certe ita passim hoc ævo vocabantur Rectores Provinciarum, Viri Perfectissimi, de quo plene suo titulo Lib. 6. de Perfectiss. dignitate.

Tertio Constantius hac lege eos, qui ad officia diversa confugerant, seu ad Officialium militiam, Ordini Cæsenatium reddi, militiaque solvi jubet, si Curiali origine sint. Tandem observandum, hanc legem, partem esse prolixioris Constantii Imp. Constitutionis, ad Ordinem Cæsenatium emissæ: Unde alterum adhuc fragmentum superest in l. 6. supra de annona, & tribut. quæ proinde huic legi conjungenda venit: Nempe Constantius in Italia consistens, & Mediolani quidem peculiarem Italiæ Civitatum, & Ordinum rationem habuit, unde ipsi etiam subsidia annonaria, & cellariensia proveniebant, ut docet dicta Lex 6. Hactenus *Gothofredus.* Denique & illud pertinere ad summum Ordinis *Cæsenatium* decus videtur, *Constantium*, qui hæc anno reparatæ salutis CCCLIV. indulsit *Cæsenatibus*, eadem ipsa, superiore anno, concessisse Ordini *Carthaginensium*; hinc enim illorum Ordinum ea tempestate æqualitas quædam fuisse nobis ostenditur: *Carthaginensis* vero senatus magno in precio habebatur, de quo *Gothofredus* Comment. ad d. L. 41. Cod. Theod. de Decur. §. Cæterum, hæc ait: *Cæterum inscribitur hæc lex* 41. *Ordini, seu Curiæ Carthaginensium pariter, ut lex* 32. *Cujus sane, & Civitatis ipsius de quo alibi, magna dignitas fuit, ut apparet etiam ex Epistola senatus Romani ad Curiam Carthaginensem apud Vopiscum in Vita Floriani.* Post hanc *Constantii* Augusti Epistolam scriptam Ordini *Cæsenatium*, aliud extat honorificentissimum monumentum, quod & si longe posterius sit; satis antiquam tamen ducit originem. Est in more positum, ut Pontifices maximi quoties novos *Flaminiæ* Quæstores, seu Thesaurarios creant, iis illam tribuant honoris, & dignitatis notam, qua cunctis Urbium *Flaminiæ* Magistratibus antecellant. Quod quum concedunt Pontifices maximi, reliquorum magistratuum reticitis nominibus, *Ravennæ* tantum, ac *Cæsenæ* magistratus singillatim designare, atque adjicere illud solent velle se, *ut etiam Magistratibus Ravennæ, ac Cæsenæ* Quæstores Provinciales præeant. Verba sunt: *Atque ut Thesaurarius iis frui honoribus possit eamque dignitatem, & Auctoritatem tueri, quam suscepti muneris conditio postulat, utque dissidia omnia eos inter, & Gubernatores, ac Magistratus Civitatum tollantur, quæ ab honoris contentione proficisci possent, sancitur, ut Thesaurarius secundum a Vice Legato seu Præside obtinere locum; Gubernatoribus, & Magistratibus etiam Ravennæ, & Cæsenæ antecedere debeant.* Hæc ex Apostolici fisci Authographis decerpta, latineque a Nobis, quum italice scripta essent: sunt reddita. Ex quibus duo intelligimus, primo, peculiari hac judicatione majores eos magistratus

a Principe existimari, quam ut generalibus verbis comprehendantur; Deinde Magistratui *Cæsenatium* perhonorificum esse, quod unice cum *Ravennati* magistratu peculiari indicatione honestetur; Neque tamen mirum videri debet, quum totius Provinciæ Curia, quæ *Ravennæ* nunc est, fuitque etiam *Romanorum* temporibus *Cæsenæ* aliquando, ut prodit *Claramontius* Cæs. hist. Lib. XII. pag. 445. consederit; jamque plures a nobis alias commemorati sunt *Flaminiæ* Provinciæ rectores, qui Præfecturæ suæ sedem *Cæsenæ* collocarunt.

Præclara igitur isthæc, ac nobilis conditio senatus Urbis *Cæsenæ* efficit, ut quorum majores, paterni, maternique generis, senatoriam in illo dignitatem certo annorum spacio obtinuerint, ii plane sint idonei, qui in quemcumque equestrem, & nobilissimum Ordinem recipiantur; multosque jam satis constat in eos Ordines fuisse cooptatos. Itaque cum alii non pauci, tum *Fortunius Licetus* Januensis de anulis antiq. Cap. 43. de Familiarum splendore, quæ hoc in senatu sunt, late disseruit. Et *Joannes Blaeu*: loco alias citato: *Marchionum* (ait) *aliorumque Virorum illustrium*, *queis Cæsena decoratur*, *familias longo ordine recensere supervacaneum duco. Jodocus Hondius* in descript. Ital: de nobilitate Civium Urbis *Cæsenæ* hæc testatur: *Incolas habet nobiles*, *ingenio*, *opibus pollentes.* Hujus vero tuendæ Nobilitatis gratia senatus *Cæsenas* in novis creandis senatoribus curam, ac diligentiam adhibet singularem, & quemadmodum olim ab *Constantio* Augusto, ut supra adnotatum est, impetravit, summos, ac splendidissimos viros revocari ad senatoria munera obeunda, ne vulgari illa, cætu senatoribus exhausto, necesse esset; Ita nunc etiam nonnisi optime meritos Cives suum in Ordinem cooptare solet. In quibus hæc tria spectat, sint ne illi tanto mentis acumine præditi, ut ad publicam rem capessendam idonei existimari possint; Tum an ipsorum ea sit natalium origo, quæ Nobilium familiarum propinquitatibus etiam illustretur. Denique tantum ne census, ac facultatum habeant, quod ad vitam pro dignitate traducendam sit satis. Forma hujuscemodi habendi delectus in novis creandis senatoribus præscribitur, tum a patrio jure, quod scripto continetur; tum ab illo quod moribus introductum est; cohæretque etiam cum communis juris sanctione, quam elegantissime *Calistratus* In L. 14. §. 3°. ff. *De muner. & honor.* complexus est hisce verbis: *De honoribus*, *sive muneribus gerendis quum quæritur*, *in primis consideranda persona est ejus*, *cui defertur honor*, *sive muneris administratio*; *Item Origo Natalium*; *facultates quoque*, *an sufficere injuncto muneri possint.*

XVI. XVI. *Famuli præeunt nigra veste cui & alba ornamenta prætexuntur*] Locus hic postulare videtur, ut quoniam *Brixius* album, nigrumque colorem memorat, iisque vestes illorum distingui ait, qui *Cæsenati* Reipublicæ sunt in famulatu, adjiciatur a nobis quod a *Brixio* prætermissum est, videlicet, non in famulorum modo vestibus hosce colores, sed in publico stemmate etiam conspici. Id cur fiat, causam aperit monumentum quoddam manuscriptum a lectissimo Viro *Hectore Buccio*, cujus supra mentio sæpe facta est, mihi commodatum. Est autem eo in Codice, Albæ factionis homines, qui ex Urbe *Florentia* a *Nigris* ejecti fuerant, ac *Forolivii* ab *Ordelaffo* illius Civitatis Domino recepti, consederant, in spem abductos fuisse a *Roberto Andegavensi Neapolitanorum* Rege, fore, ut eos ipse in patriam restitueret: *Robertum* suscepisse quidem expeditionem, sed impeditum ab incæpto destitisse: negocium perfectum a *Cæsenatibus*, a quibus auxilium quum *Danthes Allighe*-

A *rius Alborum* exulum legatus postulasset, collectam fuisse peditum quinque millia, & quatuor centum equitum manum, duce *Georgio Tiberto*, & *Albos* strenue in patriam restitutos, ac pacem inter illos, atque nigros compositam, hisce de causis factum, ut *Cæsenates*, quo memoriæ rem gestam proderent, album, nigrumque colorem in publico stemmate usurpare voluerint. Extare literas *Florentinæ* Reipublicæ ad *Cæsenatem* Rempublicam scriptas, in quibus non modo grates aguntur, sed postulatur præterea ut *Cæsenates* in publico Stemmate tria lilia adpingi curent, quibus in suo stemmate Respublica *Florentinorum* utebatur. *Cæsenates* ea quoque in re morem gessisse *Florentinorum* postulationi, nunc etiam cernere licet.

(XVII.) *Franciscus Albitius*] Esset hic a me XVII. adnotandum aliquid de singulis quos *Brixius* memorat, sacra Infula honestatis viris, qui *Cæsenam* patriam novo splendore cumularunt, nisi *Bernardinus Manzonius Cæsenas* hanc Provinciam jam antea arripuisset, edita *Pisanis* typis prima Chronologiæ suæ parte (nam alteram partem ipse quidem pollicetur, sed neque Romæ, neque *Pisis*, neque *Cæsenæ* inveniri potuit) atque cum alia patriæ decora egregie profert, tum Antistites longo recenset Ordine, quibus natale solum Urbs *Cæsena* fuit: Itaque ipse ne videar actum agere iis me veluti cancellis circumscribam, ut aliqua solum attingam splendidissima sane, quæ neque in *Manzonii* Chronologia, neque in *Claramontii* historia legenti occurrunt, quæque in gravium virorum scriptis dispersa, lubet colligere, unoque sub adspectu ponere. Quum autem a *Brixio Francisci Albitii Ariminensium* Episcopi mentio habeatur, admonet me præsens locus, ut alterius *Francisci Albitii*, qui post illum floruit superiori sæculo inter Purpuratos Ecclesiæ *Romanæ* viros longe ornatissimus vitam, quam *Franciscus Oldoinus* in Ciacon. tom. 3. & si non satis pro tanti viri dignitate diligenter conscripsit, hic recitem, a quo tamen scriptore prætermissum est, Gentem *Albitiam* patritii Ordinis apud *Cæsenates*, originem suam referre ad *Albitios Florentinos*, qui vigente præsertim horum Republica, opibus, honoribusque potentissimi fuere: *Oldoini* verba sunt: *Franciscus Albitius Nobilis Cæsenas*, *Causarum patroni munere in patria functus*, *uxore defuncta*, *ex qua filios plures habuerat*, *relicta Cæsena*, *Romam se contulit*, *qua in Urbe eodem munere*, *quo in Patria cum laude aliquandiu functus est:* Ciacon. in *Vitis Pontif. de Innoc. X. magni enim ingenio*, *quo a Natura ditatus fuerat magnum optimarum Artium Studium conjunxerat. Nuncii Apostolici primum Neapolitani*, *deinde Hispanici Auditoris muneri præpositus*, *Provincias ipsas egregie administravit. In Urbe ex Hispania reversus S. Officii Assessor renunciatur. Hoc officio vix assumpto*, *Cardinali Ginnetto Germaniæ Legato magno legationis emolumento*, *Comes*, *veluti unus ex Prælatis*, *datus fuit. Post annum ad exercendum munus sibi pridem collatum revocatus*; *alia quoque adjecta fuerunt: Nam constitutus fuit secretarius Congregationis*, *quæ rebus hybernicis*, *tunc temporis præposita erat. At in Dignitate Assessoris*, *in qua strenue se gerebat*, *cum Innocentio X. summo Romano Pontifici*, *in controversiis Jansenianis præsertim*, *aliisque præclare satis fecisset*, *Purpura ab eodem ornatus est anno* 1658. *& Presbyteris Cardinalibus adscriptus*, *titulum S. Mariæ in via obtinuit*, *& adhuc anno* 1671, *quo hæc de illo narramus*, *retinet. Connumeratur inter Patres diversorum Cætuum*, *nimirum S. Officii*, *Concilii*, *Immunitatis*, *Indicis librorum prohibitorum*, *& Propagandæ fidei. Clarus in utroque Jure*, *Theologiam*, *sanctorum Patrum Doctrinam optime callet. Conciones sæpissime ad Populum doctas*, *& lepidas habet*, *scri*-

scriptum edidit de Cardinalium ditione in Ecclesia titulari. Interfuit semel, atque iterum Comitiis Vaticanis, illis videlicet, quibus Sacra Tiara ornati sunt Alexander VII. & Clemen. IX, ac X. Philothæi musæ juveniles hujusce viri virtutes summis laudibus commendarunt. Pistorum sodalitio Ecclesiæ patrocinatur in Urbe. Hactenus *Oldoinus*. Unius vero tantum libri a *Francisco* Cardinale *Albitio* conscripti hic auctor meminit, verum & alios ille eximia cum ingenii, doctrinæque suæ laude vulgavit. Fuere autem: *De Inconstantia in fide: De Inconstantia in Judiciis*, denique ipsius fertur esse historia sacræ Inquisitionis, qua *Fratrem Paulum servitam*, qui contra scripserat, confutavit.

XVIII. (XVIII.) Cardinalis *Hieronymus Dandinus* Hujus egregii Cardinalis vitam plures scripsere, *Ciacconius*, *Auberius*, *Ughellius*, aliique: Ego vero nonnulla tantum seligenda, atque recitanda hic mihi sumpsi, decerpta ex *Tridentini* Concilii historia, Auctore *Sfortia Pallavicino*, & e Commendoni vita, Auctore *Antonio Maria Gratiano*, viris probatissimæ fidei, quorum alteri ex Authographis monumentis veritas patuit; alteri ex consuetudine, ac vitæ conjunctione cum eo, cujus gesta prodiit memoriæ: fecique id eatenus nimirum, ut *Brixii* dicta de hoc Cardinali declararem, quæ videntur lucem historiæ aliquam desiderare; tum, ut exponerem, quæ a *Brixio* sunt prætermissa, demum, quo errores ostenderem, ac refutarem, in quos *Franciscus Oldoinus* scriptam a *Ciaconio* Vitam amplificans, seu verius immutans, incidit. Ac *Brixius* quidem Purpuratum hunc Virum laudat, quod Ecclesiæ *Romanæ* præclaram navasset operam, quum apud Regem *Gallorum* Nuncium Pontificium ageret, ad quem illius mittendi, quæ occasio fuerit, quæve Causa, *Pallavicinus* Cardinalis in Historia Tridentini Concilii Lib. IV. Cap. 16. n. 2. eleganter aperit. Itaque hujus scriptoris verba ex italico in latinum sermonem a me reversa, commode fieri putavi, si adscriberem. Quum enim Bellum inter Cæsarem, & Regem *Gallorum* arderet, *Paulus* III. *Pontifex* (inquit Pallavicinus) *ac Cæsar pacem aliquando tandem componendam, firmandamque decreverunt: Quum autem ad conditiones pacis ventum est, Cæsar certum sibi esse significavit, Mediolanum nolle tradere, daturum se inferioris Germaniæ partem homine dotis filiæ, quæ Francisci Regis secundo nato Aurelianensium Duci nuberet; Interea vero Cæsar id maxime curabat, ut induciæ cum Francisco Rege factæ ratæ essent. Itaque ob eam Causam Pontifex e vestigio in Galliam misit Hieronymum Dandinum, quem a secretis apud se habebat, quique postea a Julio III. decoratus purpureo galero fuit.* Hactenus *Pallavicinus*, qui non multo post alteram *Dandini* profectionem in *Gallias* jussu ejusdem *Pauli* III. Pontificis, & causam simul etiam enarrat Lib. v. Cap. 7. n. 6. in hæc verba: *Pontifex accepto Pacis Nuncio edixit, ut Deo publice Gratiæ a Christianis omnibus agerentur, quod etiam ipse in Urbe Roma ad sacra accedens Templa, & solemni, ac pia pompa sociatus effecit: Cæsari autem, Regique Gallorum, ut gratularetur, ad Cæsarem quidem misit Joannem Franciscum Sfondratum Archiepiscopum Amalphitanum: Ad Franciscum vero Regem Gallorum misit Hieronymum Dandinum, quem a secretis habebat, quique non multo antea Nuncius eodem se contulerat illius pacis componendæ gratia, cujus tum perfectæ gratulationem afferebat.* Verum quod a *Brixio* omnino prætermissum est, *Hieronymus* hic noster ad Cæsarem quoque Nuncius a *Paulo* Pontifice missus est ad Concilii res pertractandas, ut prodit *Pallavicinus* Lib. v. Cap. 51. n. 2. cujus verba sunt: *Hinc Pontifex opportune negotium transferendi Concilii proposuit. Quoniam autem Vega*(Cæsaris apud Pontificem Orator

A hic erat) *se in mandatis nequaquam hujus negocii tractationem habere dicebat, idcirco Pontifex ad Cæsarem mittere Nuncium instituit, qui hanc rem apud illum ageret: Dandinum Episcopum Casertanum delegit, cujus profectio speciem haberet officii, quo Pontifex Cæsari significabat, dolere se inclytæ fæminæ Hispaniarum Principis mortem; verum eo re ipsa spectaret ut Concilii negocium ageretur.* In *Gallias* *Dandinum* denuo commigrasse eas ob causas, quas prodiit *Pallavicinus*, est cur ad ea *Brixii* verba adnotemus, quibus ipse nullo adhibito temporum discrimine, perindeque ac si unica *Dandini in Galliam* missio fuisset, fortasse brevitatis studio rem

B exposuit. *In Galliam* (inquit *Pallavicinus*) *præterea migrare jussus est Hieronymus Dandinus Foro Cornelienſium Episcopus, specie quidem solum, ut nuptias inter Regis filiam, & Horatium Farnesium conciliaret; verius autem, ut res ad Concilium, & ad fœdus attinentes impense moliretur. Brixius Dandinum* a secretis *Pauli* III. fuisse memorat, *Julii* non memorat; Cum tamen, ut scribit *Pallavicinus*, apud *Julium* hoc eodem munere obeundo operam suam probaverit: *tametsi* (inquit Pallavicinus) *Innocentium*, quem Pontifex in familiam suam cooptatum, Cardinalem creaverat, *cognomento suo donasset, auxisset dignitate, bonis, ac fa-*

C *cultatibus: tamen non etiam tunc simul ei publicarum rerum administrationem impertiit:* Nam *Fabius Mignanellius Luceriæ Episcopus Pontificiæ ditionis. Hieronymus Dandinus Forocorneliensium Antistes, eorum omnium, qui apud Pontificem a secretis essent, regimini præesse jussi sunt: Utriusque spectata virtus, ac dexteritas, quod pluries ad Reges gravissimis de rebus missi fuissent, quodque præclara alia obiissent munera*: Quoniam vero *Brixius* positam a *Dandino* operam industriamque in bello *Mirandulano* commendat, neque tamen ullam præbet ejus belli notionem, idcirco operæ pretium ducimus Pal-

D lavicini verba Lib. xi. Cap. 13. n. 2. Causam hujus belli, rationemque explicantis recensere: *Animadvertens* (scilicet Julius Pontifex) *fore ut neque Octavius Cæsarianorum minis lacessitus continere se posset, quin custodiam Gallorum militum intra Parmæ Urbis mœnia advocaret; neque Galli occasionem hanc deserturi essent, tum aperire purpuratis Patribus consilium suum instituit, tum etiam aliquid de hac re cum Carolo Cæsare agitare. Purpuratis Patribus in senatu, quem Consistorium dicunt, significavit; sibi certum esse, si minus interdicto Octavius obtemperaret, velle armis illum com-*

E *pescere; simulque de intermisso Concilio Kalen. majis instaurando decrevit. Rem autem gerendam cum Cæsare, ut committeret Viro, cujus perspectam omnino, probatamque fidem, ac prudentiam haberet, quique gnarus esset probe Consiliorum Pontificis, ad Cæsarem misit Præfectum ipsum Pontificiis arcanis (nostri vocant secretarium status) Hieronymum Dandinum, cui in mandatis illud etiam adjecit, ut cum Cæsare nonnisi remotis arbitris colloqueretur.* Ad *Parmensem* quoque rem pertinet *Dandini* ad Urbem *Boniam* profectio, quam Pallavicinus Lib. xi. Cap. xvi. n. 4. enarrat in hunc modum: *Sed Julius mentis suæ magis conscium, ac majori faculta-*

F *te, atque arbitrio donatum Pontificis consilia interpretandi* (quum scilicet antea ad *Octavianum Farnesium* misisset *Alexandrum* illius fratrem *Joannem Angelum Mediceum*, & *Sanctaflorium* Cardinales) *Bononiam conferre sese Dandinum jussit, quem principi loco a secretis habebat, ut eodem tempore & curaret, quæ ad Bellum attinerent, & de pacis conditionibus ageret.* Pergit deinde idem scriptor laudabilia *Dandini* gesta enarrare, quæ ne longiores simus, facile prætermittimus. Quum autem a quo Pontifice *Dandinus* Purpuratorum Patrum Collegio adscriptus fuerit, *Brixius* non prodat, ad-

A notationum nostrarum ratio postulare videtur, ut quid *Pallavicinus* hac de re scribat Lib. XIII. Cap. I. n. 8. proferamus, qui adversus Suavem insimulantem prodigalitatis *Julium* Pontificem, quasi plus æquo Cardinalium numerum auxisset, sic ait, *Sed in primis neque numerus fuisse nimius videtur; & ii, qui inter Purpuratos Patres cooptati sunt a Julio Pontifice, tales profecto fuere, quos communi consensu Purpuratorum senatus omnis non probare non poterat; Quandoquidem constat, ea cooptatione Pontificem remunerasse præstantiores Aulæ suæ Proceres, ac præ cæteris de Romana Republica meritissimos, videlicet Saracenum Archiepiscopum Materæ, Riccium, Bertanum, Mignanellum, Poggium,* B *Cicadam, Dandinum paulo ante Bononia ad Urbem Romam, ab Armis ad Togæ negocia revocatum. Viros profecto, quorum præclara gesta vel cum Nuncios agerent apud Reges, vel in actionibus de Concilio, multis hujus historiæ in locis exponuntur.* Memoratur denique *Brixio Dandini* Legatio ad *Carolum* Cæsarem, *Julii* Pontificis jussu ab illo suscepta, cujus legationis capessendæ Causam quidve gestum fuerit, *Pallavicini* verbis in medium adferemus: Ac *Pallavicinus* Lib. XIII. Cap. 6. n. I. quidem habet in hunc modum. *Quum Nuncii nihil profecissent, cerneretque Pontifex dissidia inter Cæsarem,* C *atque Henricum Gallorum regem in dies magis augeri, tam grandem Orbis partem, non sine summo religionis detrimento, hisce perturbationibus implicari novis uti artibus instituit, legatione videlicet duorum ex purpuratis Patribus, qui experientia rerum cum iisdem Monarchis, ad quos tunc mittebantur, tractandarum, tum gratia quoque apud eosdem plurimum valerent: ii fuere Dandinus, quem a secretis principi loco habebat, & Capiferreus: hunc ad regem Gallorum, illum ad Cæsarem misit.* Hæc de Legationis suscipiendæ occasione scripsit *Pallavicinus*, a quo mox, & ab *Antonio Gratiano* accurate proferuntur ea, quæ in id tempus memoratu digna conti- D gerunt, quum negotium ageretur restituendæ in Amplissimo *Britanniæ* Regno Catholicæ Religionis, extincto tum *Odoardo*, & superstite *Maria Henrici* VIII, ex legitimo cum *Catharina* connubio filia, quæ perpetuo veræ cultrix religionis fuerat: *Calcaribus*, inquit Pallavicinus Lib. XIII. Cap. 7. n. 2. *non indiguit Julius Pontifex. Vix accepto Nuncio de Odoardi Regis Angliæ morte, deque contentionibus inter Britannos Proceres coortis, & prius quam etiam ad ipsum Poli Cardinalis literæ delatæ essent, ad eumdem Polum summo Purpuratorum Patrum consensu literas dederat* (Breve nostri appellant) *rogaveratque, quid Consilii ad Populorum* E *Britannici Regni salutem in tot rerum perturbationibus procurandam commodius duceret. Ac paulo dein, cum Mariam regno potiti jam intellexisset, eumdem ipsum Polum, communi etiam Purpuratorum Senatus adsensu, Legatum in Angliam decreverat, utpote qui & summa Auctoritate, quia originem regio e sanguine duceret; & exemplo, quod singularibus esset virtutibus ornatus, patriæ calamitatibus facile mederi posse existimabatur. Alteram præterea Epistolam hac eadem de re ad Polum conscriptam obsignari jusserat eodem ipso die, in quo a Polo literæ sunt ad Pontificem missæ: Itaque latores, qui Epistolas illas* F *deferebant, prope Bononiam alter alteri obviam facti sunt. Atque ille, qui a Polo mittebatur, retrogressus est. Polus accepto Diplomate, Sanlutum Abbatem Romam misit; significavitque, sese mandato munere libenter perfuncturum, sed opportunius esse sibi videri, ut Populorum animi pertentarentur, anteaquam Pontificia Auctoritas, ne frustra id fieret, explicaretur: Mittendum idcirco privatim aliquem, ac sagacem virum, qui exploraret, quemadmodum adfectæ essent eæ gentes. Hanc ob causam illuc proficisci jussit. Henricum Peningum familiarem suum, qui pluribus literas deferret, præsertimque Legato Dandino, atque Antonio Bonvisio Mercatori in Anglia commoranti; tum etiam ipsi Mariæ. Dandinus gravem negocii procurationem hanc esse animadvertens, Nuncium ad Reginam mitti oportere Nobiliorem, quam Peningus esset, existimavit, qui sagaci admodum ingenio polleret, possetque aditum sibi in Angustiis aperire dexteritate, ac prudentia, atque omnia cernere, tametsi atra caligine referta essent. Inter cæteros egregios sane viros, quos Dandinus Legatus in comitatu habebat, Joannem Franciscum Commendonum adduxerat, Pontificium Cubiculariumque: ei igitur, ut occultissime ad hanc rem excubaret, curam imposuit. Nihil tamen mandavit potissimum: Consilio, prudentiæque illius credidit omnia, cum plerumque in re præsenti evenire quædam soleant, quæ prævideri non possunt: hoc solum ei præcipue negocii dedit, ut quæ vera esset rerum conditio, qua majori diligentia posset, investigaret; atque, si aditum sibi parare posset ad Reginam, eam hortaretur, uti regno suo ipsa Dei, & Ecclesiæ gratiam reconciliaret &c. reversum Commendonum ad Urbem Bruxellas, Legatus jussit magnis itineribus Romam contendere; cumque ille diu, noctuque iter faceret, paucorum dierum intervallo pervenit, quamquam decedere nonnihil e via opus habuisset, ut Polum adiret, cumque eo ageret. Polus supra Benaci Lacum in Italiæ finibus consederat &c. ad Cæsarem præmiserat* (scilicet Polus ante Commendoni adventum) *Antonium Florebellum, quem a secretis habebat*; recenset inde Pallavicinus, quæ in mandatis Florebellus habuerat, mox ita pergit enarrare: *Commendonus Legati Dandini nomine Polo significavit, quod apertius eidem postea a Florebello scriptum est, cupere Cæsarem, ut tantisper a Legatione capessenda supersederet.* Prodit subinde *Pallavicinus* eod. Cap. n. 7. Consilia, quæ Cæsarem in eam mentem deduxerant, collecta ex literis, quibus accuratissime, & summa cum fide *Dandinus Julium* Pontificem omnibus de rebus certiorem fecit; Easque literas in pagellæ margine pro teste adhibet; ac tandem ita prosequitur: *In eam postea sententiam Pontifex, purpuratique Patres iverunt, tam immaturis rebus, nec valide satis adhuc optima illa Regina sceptrum in manibus gestante, videndum, ne præpropera festinatione aut negocium labefactaretur, aut novæ crearentur perturbationes, regnumque amitteretur. Itaque Polo Cardinali, antea quam legationem illam susciperet, expectandum esse quid Reginæ luberet, quem rebus gerendis aditum aperiret: Interea, ut propius accedere ad eas regiones alio, atque honorifico quidem nomine posset, apud Cæsarem, atque Henricum de Pace legationem obiret, revocatis idcirco, ex Germania quidem inferiore Cardinali Dandino, e Gallia vero Cardinali Capiferreo: usque adeo ad gravia negocia occulte gerenda (quippe similia videntur iis odoriferis liquoribus, qui ubi vasibus eos continentibus tegmen detrahitur, sensim evanescunt) opus est cum homines interdum, tum negocia quoque ipsa (ita dixerim) persona occulere.* Hucusque *Pallavicinus*: nunc verissimam quoque *Antonii Gratiani* in Jo. Francisc. Commendoni vita Cap. X. ac multa conditam elegantia, & venustate, narrationem placet recitare: *Dissidentibus, ut dictum est, atrocibus inter se odiis Cæsare, atque Henrico Galliæ Rege ac exitiabili bello Christianam Rempublicam dilacerantibus, Julius, quod sui in primis officii erat, de componendis rerum controversiis, reducendisque in gratiam eorum animis, Hieronymum Dandinum, paulo ante a se in Amplissimum Collegium cooptatum, ac tum præcipua apud Pontificem gratia, atque auctoritate florentem, Legatum ad Cæsarem misit. Is Commendonum, cujus ante ingenium nonnulla ejus Consuetudine probatum, perspectumque habebat, secum ducere cupivit, impetravitque a Julio. Celeriter juvenis gravitate, & mo-*

modestia morum, & omnium officiorum humanitate cum cæteris carus, jucundusque, tum longe acceptissimus Legato haberi est cœptus, atque optimis quoque consiliis adhiberi: Itaque ad Cæsarem quum venisset, & nunciata paulo post Edoardi Britannorum Regis mors esset, in Britanniam ab eo est missus; de qua profectione priusquam dicamus, causam paulo altius ab origine repetere operæ pretium fuerit. Causam enarrat: non longo intervallo post ita prosequitur. *Hieronymus Dandinus Legatus, quum Regni Nobilissimi paulo ante unius furore, atque amentia regis, a Catholica Religione, & fide Pontificis Maximi avulsi salus ageretur, & Mariæ conatus aut adjuvandi a Pontifice, aut confirmandi esse viderentur; vehementer Britannicis nunciis excubabat, qui ipsi cum nec certi, & secundi tamen venirent, aliquem in Angliam Virum industrium, intentumque, qui explorata, & certa omnia referret, mittere agitabat, cum ei a Julio literæ id ipsum jubentes redduntur: Nam Julius Edoardi morte accepta, Reginaldum Polum, qui tunc ad Lacum Benaci, haud satis firma valetudine, locorum salubritates sectabatur, mittere in Angliam decreverat, idque per literas Polum docuerat. Cui cum nihil propere agi, & certiora expectari placuisset, Dandinum de eo per celerem Tabellarium monuerat; Tum ille Comendonum, quem gerendis rebus peracrem, cupidum navandæ operæ, & consilio promptum cognoverat, appellat, hortaturque, ut rem ejus ingenio, & solerti studio dignam suscipiat. Haud cunctanter Commendonus, quamquam magnæ & in trajiciendo difficultates, & trajecto pericula proponerentur, operam profitetur. Collaudato Juvene, rebusque communicatis, Legatus ei propria nulla mandata dedit, nisi, ut diligenter omnia cognosceret, quæ agerentur, quique aditus, quæque spes recipiendi ejus regni ostenderetur: si locus cum Maria agendi daretur, eam ad sananda religionis vulnera, suumque Deo reddendum cultum hortaretur, Pontificisque ad id non solum studium, sed etiam opes polliceretur; Denique omnia pro fide, & prudentia gubernaret.* Non longo post intervallo de reditu *Comendoni* ad *Dandinum* Legatum, deque celeri ejusdem ad Urbem profectione, Legati jussu suscepta, ita scribit Gratianus: *Supplicio de Nortumbrio sumpto, Regina Commendonum cum literis, & mandatis, ut supra ostendimus, dimisit, jussum cum fide omnia ad Pontificem perferre, nec præterea cum ullo mortalium, præterquam cum Polo, communicare. Ille quum triduo in continentem transmisisset, Brusellis a Legato Romam dimittitur, quo per Equos, qui dispositi ad celeritatem sunt, continuato die, noctuque itinere, nono postquam a Legato discesserat die, pervenit, milliariis amplius mille prope incredibili cursu confectis, quamquam diverterat ex itinere ad Polum, ac mandata ad eum Reginæ pertulerat, nunciaveratque Dandini verbis, ut profectionem suam tantisper differret, donec tranquillæ in Anglia res, compositæque essent. Id Cæsarem magnopere rogare.* *Dandini* ad Urbem e legatione reditum hic Auctor non describit, propterea quod cum *Comendoni* gestis nihil commune habet. Ego vero in iis gravissimorum scriptorum Testimoniis recitandis longior fortasse cuipiam videbor. Verum id mihi consilii fuit, quod a nemine puto reprehensum iri, ut quanta fide, & religione *Dandinus* mandata sibi munera omnia obierit, liquido appareret, simul etiam constaret illico, *Franciscum Oldoinum* etsi animo a calumnia abfuerit, ut juvat existimare, re tamen ipsa imposuisse, quum tam eximii Cardinalis, ac de Catholica ecclesia optime meriti famam dilacerare minime veritus, scribit ipsum, ut Cæsari gratificaretur, *Polo* ad Religionem restituendam in Angliam proficiscenti iter impediisse, ob eamque Causam a *Julio* Pontifice, qui stomachatus idcirco fuerit, e le-

A gatione fuisse revocatum: Enim vero aperta res est, ut *Pallavicini* verba luculenter ostendunt quid in Causa fuerit, ut ab legatione *Dandinus* revocaretur, illud videlicet, cujus gratia *Hieronymus* quoque *Capiferrius* Cardinalis Gallica legatione fungens reverti simul est jussus: siquidem quum *Julius* Pontifex interea dum commodiorem Anglicanæ res aditum præberent *Polo* ad Religionis negotium capessendum, fungi legatione illum vellet apud *Carolum* Cæsarem, & *Henricum* Regem *Gallorum* specie obtenta pacis inter eos componendæ, necesse profecto erat legatis, qui apud eos Principes versabantur, ut redirent,

B præcipere; quo circa quemadmodum e *Gallia Capiferreus*, sic e *Germania Dandinus* reverterunt. Quis vero sana mente sibi in animum inducere unquam poterit, ut solo peccante *Dandino*, etiam *Capiferreus* eamdem pænam luere debuisset? lepide dictum illud Tullianum huc transferri posset: *Æmilius fecit, plectitur Rutilius.* quod quum ego animadverterem, cupide lustravi, quæ scribit *Oldoinus* in ejusdem *Capiferrei* Vita, ut quo pacto ex hisce tricis scriptor ille sese explicaret, dignoscerem. Mirum! revocatum illum a Gallica legatione reticet, quod tamen reliqui omnes, a

C quibus horum temporum historiæ scriptæ sunt, memoriæ prodiderunt. Sed qua in re *Dandinus* deliquerit, introspiciamus: *Polum Comendoni* opera fecit certiorem tam celerem adornari ab ipso profectionem in *Angliam*, Cæsari displicere. Verum enim vero quum id egit *Dandinus*, præstitit quod suarum partium esse probe intellexerat, ut *Polum* ea de re moneret, ne quum per Cæsaris Urbes, atque ditionem iter habendum ei esset, a Cæsarianis non sine summa dignitatis, Purpuræque ignominia, ac dedecore ultra progredi prohiberetur. Cur Florebellum etiam Virum Religione, ac omni politiori doctrina insi-

D gnem, ad Aulam Cæsaris, ut res exploraret, missum a *Polo*, cujus ab Epistolis erat, non criminatus est *Oldoinus*, ipsum Cæsari gratificatum fuisse, atque id etiam fecisse impensius, quam *Dandinum*: quandoquidem, ut supra adscripta *Pallavicini* verba ostendunt, disertius significavit id, quod *Dandinus* per *Commendonum* indicarat? Cur non sacrum Purpuratorum Patrum senatum, cur non ipsum *Julium* Pontificem Maximum *Oldoinus* Cæsari gratificari voluisse dicit, quum aliud in tempus Anglicanam *Poli* legationem differendam, communi consensu decreverunt? Dum hæc ego scriberem, ecce mihi defertur *Reginaldi*

E *Poli* vita ab Auctore, qui *Poli* non modo floruit ætate, sed etiam usus consuetudine fuit, conscripta, quique profitetur ea, quæ aut ipse vidit, aut a *Polo* accepit, se commemoraturum. Ut adspexi librum, illico incessit cupiditas illius legendi, cognoscendique, an hunc forte scriptorem *Oldoinus* secutus fuisset. Nihil tale comperii: verba sunt: *Tum Polus magnam in spem Ecclesiæ, ac patriæ suæ juvandæ erectus, iter mense Octobri parat, & Maguzano ad insulam Benaci lacus proficiscitur. Vix dum eo venerat, ecce tibi Franciscus Comendonus, quem Cardinalis Dandinus de Pace apud Cæsarem Legatus Romam ad Pontificem*

F *Maximum mittebat. Is Polo reddit Dandini literas, quibus ne in viam sese daret, monebat: ita enim Cæsari ob justas, & graves causas videri; tum ipse, quæ in Anglia gereretur, docet simul, & quam infensus esset Religioni Catholicæ, præcipueque Romani Pontificis nomini Londinensis Populus, demonstrat. Nam Comendonus, postea quam Maria capto Northumbriæ Duce, summo omnium consensu Angliæ Regina declarata fuerat, in Angliam subito trajecerat. Polus tum Dandini literis, tum etiam Comendoni oratione permotus, non ultra sibi progrediendum exi-*

stimavit, *priusquam Pontificem Maximum de tota re certiorem fecisset*, & *quid ille se vellet facere*, *cognovisset*. *Romæ Pontifex Senatu convocato alteram Polo legationem decernit de pace inter Cæsarem*, & *Gallorum Regem concilianda*; *quorum mutuis atque intestinis bellis Christiana Respublica jam pridem misere vexabatur*, *ad eosque paucis ante mensibus S. Georgii*, & *Dandinum Cardinales hoc ipso nomine Legatos alterum ad Cæsarem*, *alterum ad Galliæ Regem miserat*, *qui nihil adhuc profecerant*, *nec vero spes ulla ostendebatur*, *fore ut res pacari illorum opera possent*. *Ita Polus delato sibi dupli ci legationis munere iter ingreditur*. Non igitur quæ protulit *Oldoinus* ex hisce purissimis, quos indicavi fontibus hausisse deprehenditur. Quem autem Autorem habuit, ut ignominiam illam Viro Episcopo, præterea Cardinali legato, quique fidem suam tot obeundis muneribus *Paulo* primum, mox *Julio* præclare probarat, imponeret? quærenti mihi hac de re forte *Gallus* quidam ignobilis scriptor occurrit, cui *Ludovico Donio* est nomen, non sane *Dandini*, ac *Poli* temporum æqualis, sed longe posterior, ut qui anno 1660. *Flores Historiæ S. R. E. Cardinalium* edidit, quique nullo in pagellæ margine adducto Teste has nugas de *Dandino* Cardinali comminiscitur in *Poli* Vita; Illius verba ipsissuma, ut *Plautino* utar vocabulo, *Oldoinus* transcripsit, atque est usus pro suis, nomen tamen reticuit perinde ac si tam peregrinæ historiæ princeps auctor haberi ipse cuperet. Illud vero demiror *Oldoinum* ad oram pagellæ *Pallavicinum* testem adhibere; fortasse gravissimum hunc scriptorem non legit, nam si legisset, profecto ad confirmandas acceptas a *Donio* fabellas illum testem non citasset, quum ab iis nihil magis esse possit alienum, quam *Pallavicini* dicta, reliquorum, qui *Poli* ætate scripserunt, verbis consentanea, atque ab Authographis petita monumentis, non proprio marte conficta. Verum ea excusatione *Oldoinus* uti poterit, si in *Dandini* vita conscribenda non judicium ullum adhibuisse, sed calamum dumtaxat, quo aliorum dicta sine delectu transcriberet, idcirco factum etiam, ut quum *Ughellius* in Notis ad *Ciaconium* errore ductus *Hieronymum Dandinum* non *Forocorneliensem*, sed *Imolensem* Episcopum dici debere affirmasset (in quem tamen errorem *Ughellius* in Italia sacra non incidit) *Oldoinus Ughellii* erratum facili negotio secutus sit, nec viderit unam, eamdemque Civitatem esse quæ latino vocabulo *Forum Cornelii*, italico autem *Imola* appellatur. Nam a Barbaris inducta voce, *Imola* Civitas; incolæ vero illius *Imolenses* dicti sunt. Sed quid? ne illud quidam *Oldoinus* sciebat qua in Urbe *Dandinus*, cujus vitam conscribebat, ortus fuisset: Ait enim: *Hieronymus Dandinus Cæsenas ortu Senensis*, quum tamen satis constet, illum non *Senis*, sed *Cæsenæ* natum esse, ut *Bernardinus Manzonius* quoque in sua Chronologia de eodem Cardinale verba faciens, eum *Cæsenæ* Natalem diem habuisse testatur. Neque aliter narrat *Ciaconius* ab *Oldoino* non interpolatus: inquit enim: *Hieronymus Dandinus Cæsenas Anselmo Dandino*, & *Joanna Morattina Nobili stirpe Anno* 1509. *genitus*. At *Oldoinus* quum *Dandinam* gentem fortasse legisset oriundam esse ab urbe Senarum in *Ethruria*, ubi floruisse olim ipsam & honoribus, & potentia Auctores produnt, deindeque *Cæsenam* lares transtulisse, in eum errorem facile traductus est, ut quum oriundum Senis *Hieronymum* dicere debuisset, ortum crediderit: Neque enim putandum est, *Oldoinum* latini verbi vim ignorasse.

XIX. (XIX.) *Quod autem ad literas attinet*] Ingredior de literatis, quos *Cæsena* tulit, præstantissimis viris tractationem, in quam hoc loco me *Brixius* deducit, verum quemadmodum ne singillatim de Episcopis omnibus supra adnotandum aliquid mihi esset, effecit *Bernardini Manzonii* Chronologia, quæ de illis copiose agit; Ita ne de singulis etiam doctrinæ laude præclaris Viris, quos *Brixius* memorat verba faciam, eadem Chronologia abunde hos quoque enumerans, in causa est. Igitur id mihi sumsi, ut quorum apud graves Auctores aut vitas, aut laudationem ullam invenire licuit, quas neque *Claramontius*, neque *Manzonius* legenti suppeditant, ego in medium adferrem.

(XX.) *Franciscus Claramontius Juris Consultus*] XX. Ex Familia *Claramontia* patritii ordinis, & præclari generis apud *Cæsenates* prodiit superiori seculo *Scipio* Eques *Claramontius*, qui in gravissimis & philosophicis & mathematicis disciplinis egregie floruit; multisque editis voluminibus, quæ a *Bernardino Manzonio* in Chronologia recensentur, famam sibi paravit non vulgarem: literarias contentiones cum doctis viris habuit *Fortunio Liceto*, & anonymo quodam, qui librum edidit *Philolaum* inscriptum adversus quem *Claramontius* conscripsit *Antiphilolaum*, in quo *Copernici* præsertim de terræ mobilitate decreta examinantur, ac rejiciuntur. Cum *Petro Cassendo* Philosophorum suæ ætatis præstantissimo erat ei de rebus ad scientias attinentibus communicatio. Declarat hoc *Gabrielis Naudæi* Doctissimi Viri ad *Petrum Cassendum* epistola de obitu *Nicolai Peiresii* conscripta, in qua sic ait: *Provocatus non semel observationibus astronomicis*, *quarum per me copiam fieri voluisti celeberrimis hominibus Fortunio Liceto*, & *Scipioni Claramontio*. Extantque ejusdem *Naudæi* ad ipsum *Claramontium* summis laudibus refertæ Epistolæ: Tandem *Claramontius* mortua uxore cœtui Presbyterorum, qui D. *Philippi Nerii* disciplinam sequuntur, in Patria adscribi voluit, sacrisque initiatus est, & probe ante actam vitam senex piissime absolvit.

(XXI.) *Joannes Ludovicus Dandinus Jurisconsultus*] XXI. Hic locus postulat, ut de *Hieronymo Dandino* Societatis Jesu Philosopho, ac Theologo præstantissimo, cui *Hieronymus* Cardinalis Patruus fuit, nonnihil adnotemus, quem quum viveret, idcirco inter literatos *Cæsenates Brixius* non recensuit; quippe quum jam vita defunctos laudare tantum sese instituisse, in Epistola nuncupatoria profiteatur. *Manzonius* quidem eum commemorat, sed tamen placet cum ipsius vitam, quæ extat in libro, cui titulus Bibliotheca Societatis Jesu recitare, tum *Baili* in Lexic. verb. Dandini proferre verba, qui *Richardum Simonem* Gallum non vulgaris famæ scriptorem pro teste adhibet. Ac vita quidem in *Biblioth. scripta soc. Jesu pag. mihi* 338. *recen. edit.* sic habet: *Hieronymus Dandinus natione Italus*, *patria Cæsenas*, *cooptatus in societatem anno* 1569. *ætatis* 18. *vota quatuor solemnia nuncupavit: Decursis in ea humaniorum literarum*, & *Philosophiæ spatiis*, *hanc etiam professus est primus e nostris Lutetiæ Parisiorum*, *Theologiam vero Patavii: Diu nostris cum imperio præfuit in Collegiis Ferrariensi*, *Foroliviensi*, *Bononiensi*, *Parmensi*, *Mediolanensi Rector*. *In Provinciis Veneta*, *Tolosana*, *Aquitanica Visitator*; *In Polonica*, & *Mediolanensi Provincialis: A Clemente VIII. Pont. Maximo ad Maronitas*, *qui Libanum montem inhabitant olim missus est*. *Obiit demum Forolivii Octogenarius die* 29. *Novembris anno salutis* 1634. *scripsit de corpore animato libros* VIII. *qui est in Aristotelis tres libros de anima Commentarius Peripateticus. Parisiis apud Claudium Chapelet MDCXI. in folio. Post obitum prodiit posthuma ejusdem Ethica sacra*, *hoc est de virtutibus*, & *vitiis libri quinquaginta: Cæsenæ apud Nerium* 1651. *in folio*. Ricardi vero Si-

Simonis apud Bail verba e gallico sermone Latine a me reddita, hæc sunt: *Pater Hieronymus Dandinus ex nobili Italiæ familia ortus est, quæ etiamnum extat Comitis dignitate honestata, commoraturque Cæsenæ, quæ Urbs Pontificiæ ditioni paret, ubi hic liber typis editus fuit anno 1656. sic inscriptus Legatio Apostolica ad Patriarcham, & Maronitas Libanum incolentes &c. Auctor præstanti ingenii acumine præditus, solido item judicio, ac magna rerum experientia fuit: primus e societate sua Lutetiæ Parisiorum Aristotelis philosophiam docuit, reliquitque itidem in aliquot ejus Philosophiæ partes sapientes commentarios: Præter Scholasticam, Patrum quoque Theologiam apprime calluit, præsertimque moralem, in qua excellens opus, quod Ethica sacra inscribitur, composuit. Quare Pontifex neminem deligere poterat, cui rectius rei gerendæ apud Maronitas curam concrederet.* Hæc *Richardus*, sed & illud adjiciendum est, Divum *Franciscum Salesium Parisiis* hoc nostro *Hieronymo* philosophicis in studiis Præceptore usum esse, cujus cum insigni sanctimonia vitæ conjuncta doctrina ipsi etiam Præceptori gloriosa est.

II. (XXII.) *Nicolaus Masinius*] Gens *Masinia* patritii Ordinis apud *Cæsenates*, ac summopere illustris, plures tulit doctrinæ laude ornatissimos viros, qui in Philosophia præsertim, atque in naturalium rerum investigatione egregie versati sunt, neque a nobilitate sui generis alienum duxerunt, eam profiteri Philosophiæ partem, quæ ad humani Corporis curationem pertinet, quam artem *Julius Scaliger*, *Helmontius* toparcha, aliique præclaris orti majoribus exercere non erubuerunt. Ut autem ad *Nicolaum Masinium*, quem *Brixius* memorat, veniamus, hujus præstantissimi viri plura literaria monumenta haberemus, nisi quum peste correptus obierit, suspicio, scriptis quoque illius labem inhæsisse, effecisset, ut ea cremarentur. Floruit *Cæsaris Borgiæ* temporibus, memoraturque in Diario, quod supra attulimus, in quo illud est, *Nicolaum* a *Borgia* ad Urbem *Ferrariam* missum, ut illius sororem, quæ *Alphonsi Atestini Ferrariensium* Reguli uxor erat; ægrotantem curaret. Placet autem hoc loco *Borgiæ* epistolam hac de re ad *Nicolaum* scriptam recitare ex Italico in Latinum a me sermonem translatam.

Dux Romandiolæ Urbinique, & Valentiæ ac Princeps Adriæ, Dominus Plumbinis.

Magnifice, atque eximie vir fidelis noster dilectissime (retinuimus inscriptionem Latinæ, Italicæ epistolæ ab ipso Borgia præpositam.)

Quum primum nunciata nobis est recens ægritudo, qua Illustrissima Princeps soror nostra denuo afflictatur, e vestigio illuc misimus Reverendissimum in Christo Patrem Sanctæ Justæ Præsulem, quo ab intimis consiliis, ac Medico utimur, quoniam vero singularis de te, tuaque in hac arte peritia, omni ex parte probatissima nobis animo insedit, te hortamur, tibique committimus, ut ubi primum has literas acceperis, equum adscendas, desque operam, ut quam primum Ferrariæ sis, quo simul ac Præsul ille pervenerit, conjungere cum ejus industria tuam quoque, ad valetudinem Matronæ illustrissimæ curandam, valeas, eamque diligentiam, atque operam adhibeatis velim, quam vos præstituros spes nobis pollicetur. Datum Urbini xv. *Julii M.D.II.* Cæsar Borgia.

Superest ut de altero *Nicolao Masino*, qui post illum floruit, quem, quia vivebat, non recensuit *Brixius* (ut supra de *Hieronymo Dandino* adnotavi) verba faciam. Hujus clarissimi viri *Janus Nicius Eritbræus* in Pinacotheca part. 1. imag. 150. sic vitam describit: *Paucos, ac vix paucos proferre ex omnibus possumus, qui nostra memoria literarum studia coluerint, in quos plura virtutum omnium ornamenta convenerint, quam quæ in Nicolao Masino Cæsenate extiterunt, quibus ille non patriæ solum suæ, Æmiliæque; sed Italiæ etiam universæ, dignitatis, ac splendoris plurimum attulit. Etenim tum hæ politissimæ in eo literæ eminebant, quæ ab humanitate nomen invenerunt, tum illæ, quæ recondita in arte, summaque rerum in obscuritate versantur, Mathematicæ nimirum Philosophicæque disciplinæ se efferebant, ac medendi præsertim arte, in qua excellebat, complurium tum æqualium, tum superiorum, qui magnum in ea nomen habuerunt, famam, & gloriam æquavit. Quorum studiorum cupidissimus fere ab ineunte ætate, Patavium se contulit, atque præstantissimis magistris in disciplinam tradidit, a quibus omnium bonarum rerum instructu, ornatuque refertus, est dimissus in patriam, ut quæ in medicina didicerat, ad usum, utilitatemque suorum Civium, aliorumque transferret: in quo adeo erat felix, ut fere innumerabiles, periculosissimis implicitos morbis, ex ancipiti levaret. Quo fiebat ut non solum sui Cives sed alii etiam, ac viri præsertim principes, ad quos ejusdem virtutis fama emanarat, in dubiis suis ægritudinibus, ab eo opem, atque auxilium expeterent. Quamobrem in omnibus fere consultationibus medicis, una cum Mercuriali, Cardano, aliisque summis ætatis suæ medicis in consilium adhibitus, suam de re proposita dicebat sententiam. Sed in nemine magis, quam in illo id verum esse apparuit quod dicitur nullam esse sapientiæ vim tantam, in quam non aliquis stultitiæ rivulus influat, cum eaque permisceatur. Cujus rei plura possunt argumenta proferri. Sed illud numeratur in primis, quod quum Clemens VIII. ejus virtutis fama compulsus dandas ad eum literas curasset, ut quod ejus commodo fieret, Romam veniret: cupere enim se ejus opera in tuenda valetudine uti: ille sumpto spatio ad deliberandum, rem ad famulam, Sanctam nomine, detulit, cui ille magnam rerum suarum fidem habebat, & omnem rem domesticam, omnia consilia credebat; & quod illa dixisset, non famellam nescio quam, sed Delphis Apollinem locutum esse, arbitrabatur; cujus ea fuit sententia ut se loco non moveret, atque ubi juventutem habuisset, ibi senectutem ageret. Itaque de famulæ sententia rescripsit Pontifici, se maximas illi gratias agere; sed ea esse jam ætate, quæ cupidior esset quietis, quam laboris; otii, quam gloriæ: eam obstare, quominus ultro delatum sibi beneficium acciperet. Quod quum fecisset, non irridicule Urbani quidam homines dixerunt, apud Masinum plus Auctoritatis, ac ponderis habuisse Sanctam, quam Sanctitatem. In eo vero miros de se lusus dabat, quod si quando iter aliquod suscipiendum esset, simul ut in tabernam diversoriam veniebat, continuo sua manu accuratissimum conficiebat indicem, non rerum modo, quas secum ferebat, etiam vilissimarum, ut acus, ligulæ adstrictoriæ, & his similium; sed equorum quoque, Canum, hominumque, qui erant in Comitatu, quorum ipse erat princeps: deinde quum profectionis tempus instabat, sumpto in manus indice primum recensebat hominum capita, unumquemque magna voce appellans atque initium faciens a se ipso, clamabat: Nicolae, qui sibi respondebat adsum; & deinceps idem factitabant alii ab ipso vocati: Et quoniam equis, Canibusque nulla erat vox, qua responderent, adsumus, alius, cui hæc Provincia demandata erat, illorum partes gerebat, suamque illis ad respondendum, vocem accommodabat; tum ab animantibus veniebat ad sarcinas, ac multo majori diligentia sigillatim unamquamque rem suo ordine repetebat, cavebatque ne quid desideraretur: Risus etiam omnium excitatus est in eo, quod Cæsenæ quo anno erat Consul, omnibus audientibus dixit. Venerat ad eum questum Cetarius quidam tenuis, ac miser homunculus, quod vectigalium ejus Civitatis Re-*

Redemptor stateram ab ipso abstulisset, eoque nomine mulctam peteret, quod eam diceret obsignatam non esse, quum esset perspicuum illius in ea signum hærere. Masinus miseratus hominis inopiam accersiri ad se jussit redemptorem illum, rogavitque, cur stateram illam damnaret, quam suo obsigatam signo videret? Cui Redemptor non satis fuisse, respondit, semel imprimendam eam curasse, sed id quoque faciendum fuisse singulis annis, idque in suis privilegiis expressum contineri. Quæsivit ille rursus, quis nam iis eum privilegiis ornasset, Pontifex ait ille. Tum Masinus. Bene inquis, Ego quoque nihil ab eo rectius factum esse dico, tum conversus ad eos, qui ipsi assidebant, ne istuc quidem, inquit, apud Orcum a Diabolo committeretur. Nihil æque horrebat, ut aquæ, vinique nivati haustum, atque in ejus odium edidit: De gelidi potus abusu libros tres, Cæsenæ apud Bartholomæum Raverium 1587. *in* 4. *In quibus multis rationibus conatur ostendere, quam sit incommoda valetudini ejusmodi Consuetudo. Complura alia etiam docte, eleganterque conscripsit, sed eorumdem edendorum spatium illi non fuit, quæ una cum magno veterum numismatum numero, in ejus bibliotheca apud Hæredes ipsius jacent in tenebris.* Præter hanc ab *Erithræo* conscriptam vitam, extat præclarum de *Masinii* doctrina testimonium celeberrimi scriptoris *Hieronymi Rubei*, qui in Historia *Ravennati* ad annum CIↃIↃLXXXIII. hæc habet, *Et quum pleraque in singulis ædificari Civitatibus ad eorum commodum curasset (scilicet legatus) Cæsenates in primis aqua e pago Valeriano, altero ab Urbe lapide per aquæ ductus fictiles in forum deducta fruuntur, quum eam optimam esse, multis rationibus probet Nicolaus Masinus Cæsenas, præcellenti Medicus eruditione eo libro, quem scripsit de gelidi potus abusu.*

XXIII. (XXIII.) *Jacobus Mazzonius*] Tametsi *Jacobus Mazzonius Brixii* ætate vixerit, quum tamen sub initio anni CIↃIↃXCVIII, nimirum mense Aprili, obierit, quo anno typis edita *Brixii* descriptio apparet, licet existimare, ejus jam vita functi a *Brixio* mentionem ex instituto suo, quod supra memoravimus, esse factam: *Janus* vero *Nicius Erithræus* vitam hujus præstantissimi viri in omni genere doctrinæ exhibet in hæc verba. *Si Jacobo Mazzonio Cæsenati par ingenio ætas contigisset, non fuisset ille quidem Illustrior, sed pluribus egregiis doctissimi hominis ingenii monumentis literarum studia abundarent. Annos enim natus non amplius quinquaginta vivendi finem fecit. Nullum fere est in Italia celebre Gymnasium, ubi ille Aristotelis libros de moribus interpretatus non sit, vel aliud quidpiam ad Philosophiam pertinens non docuerit, Maceratense, Cæsenaticum, Pisanum, Romanum: quod docendi munus, qua ætate alii apud Magistros exercentur, ipse persolvit. Nec mirum: nam cursim, non ut alii pedetentim longum disciplinarum omnium spacium excurrerat. Annos natus tresdecim traditus est a Patre Sebastiano regulo humaniorum literarum magistro, qui Bononiæ ludum aperuerat, ab eoque celeriter, doctior quam ipse erat, dimissus, profectus est Patavium tamquam ad mercaturam omnium bonarum Artium, atque Pendasii, & Panciroli qui longe clarissimi per id tempus philosophiæ, & legum Antistites habebantur, se ad auctoritatem, ductumque applicuit, apud quos quantum profecerit, unicum Pendasii testimonium ostendit, qui oppugnatus ab Archangelo Philosopho, quum multi se ejus propugnatores futuros pollicerentur, non alteri quam Mazzonio defensionem suam committendam statuit, Duodevigesimum annum agens Patavio reversus est demum Bononiam, ubi illud primum sese specimen edidit, in quo qui illum noscerent, exhorrescerent; qui vero ex ingenio suo cæteros æstimarent, cachinnos efferrent. Nam Centum, & Nonaginta septem supra quinque millia, Platonis, & Aristotelis Placita, quorum ille libros diligentissime legerat, memoriæque mandarat, libello edito, in Controversiam, disceptationemque deduxerat, ut si quis vellet contra illum disserere, in scholarum frequentiam, tamquam in pulverem, & solem descenderet, secumque ut pugnantium mos est, manus consereret fortiterque dimicaret: fore enim, ut cujusvis argumentorum tela strenue exciperet, repelleretque, ac Platonem, & Aristotelem recte locutos esse defenderet. At primum Bononiam studiorum matrem locum certaminis esse voluit, doctoresque omnes in contentionem, disceptationemque vocavit: Sed quum responsum accepisset, fas esse nemini Disciplinarum Doctoribus literarum bellum indicere, nisi cui Philosophorum, Theologorumque libros publice interpretandi facultas tributa esset, dedit operam, ut in Doctorum earum facultatum numerum veniret. Qui interrogatus a Fratre Cyrillo servita summo theologo, qui tum studiis illis præerat, quot annos Theologiæ dedisset, respondit, menses non amplius sex in eo studio contrivisse: Sed quum gravissimis ab eo verbis hominis audacia, atque temeritas cohiberetur, quod sex mensium labore eo speraret ascendere, quo alter, qui paucis diebus ante rejectus, ut indignus eo loco, ac numero fuerat, septem annorum studio pervenire non potuisset: fac, Mazzonius inquit, periculum, & si minus idoneus tibi videbor, quiescam, ac cogitatione ista desistam. Expertus est ille; atque omnibus eum in rebus, quæ quidem essent in Theologiæ, ac Philosophiæ artibus, eruditum, ac doctum invenit: Quamobrem continuo illi animum explevit, ac de cæterorum Magistrorum sententia Doctoris locum, ac nomen attribuit. Ad omnia, quæ ponerentur, in percunctando homo abundanti doctrina copiose respondebat ex tempore, Gorgiæ Leontini more, non eadem elatione animi, qua ille, qui princeps ex omnibus, ut traditur, ausus est in Conventu poscere, qua de re quisque vellet audire; sed ingenio, studioque majore. Nullam enim rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit: Ut etiam Torquatum Tassum brevi, argutaque argumentatione inclusum fateri coegerit, Poematis Ariosti argumentum non multiplex, & varium, sed esse simplex, & unum: neque id incredibile videri debet in eo, cui nihil uspiam consignatum est literis, quod non legisset; nihil legisset, quod comprehensum memoria non contineret: unde tamquam ex promptuario aliquo, cum esset opus, singula proferret, & suo quæque loco collocaret. Quamobrem fiebat, ut in disputationibus, quum Auctoritatibus decertandum esset, integras ex Sanctorum Patrum, Platonis, Aristotelis, aliorumque Doctorum hominum libris paginas ita memoriter referret, ut ne unam quidem syllabam peccaret. Ea res in primis animos virorum Principum incendit studio ejus visendi; cum eo amicitias conjungendi, ac domos suas tanti viri ornamento decorandi: Sed Petrus Cardinalis Aldobrandinus, qui tum rerum potiebatur, tandem a Ferdinando Magno Etruriæ Duce impetravit, ut Romam mitteretur. Dici verbis non potest, quam eum Cardinalis carum habuerit, ut ejus ingenio delectatus sit, ut officiis, beneficiisque eum omnibus ornaverit; sua illi consilia credere, in oculis eum habere, solum ex familiaribus sibi convivam abducere, nam tenui, & parabili cibo contentus erat, mille aureorum stipendio conducere, ut Aristotelis de Philosophia libros in Gymnasio Romano extra ordinem interpretaretur. Sed tanta Principis gratia fuit ejus saluti incommoda maxime. Nam jussus ab eo se Ferrariam consequi, quo ad Bellum proficiscebatur, ibi demum lethali morbo ex cruditate contracto, consumptus. Ac simulac Nuncius de immaturo ejus interitu Romam pervenit, memini mihi aulicum in primis Nobilem, multis audientibus, dicere, Mazzonium*

zonium ob perpetuos studiorum labores, qui multum stomacho detrahunt, parce admodum, & tenuiter, usum esse cibo, ac potione, atque hanc perpetuam ejus vitæ Consuetudinem fuisse: Verum Romam adductum inter Aulæ plausus, & crebras invitationes ad prandia opipara, & pollucibiles cœnas, largius se epulis, vinoque onerare cœpisse, quam tenues imbecillis ejus stomachi vires ferrent, idque lethalis ejus morbi causam attulisse. Ajunt etiam magnum Etruriæ Ducem Ferdinandum, cum vehementissimis Cardinalis Aldobrandini precibus expugnatus permitteret, eum Romam abire, his vocibus prosecutum fuisse abeuntem: I Felix; sed vereor, ne tempestiva Aulæ tibi blanditiæ convivia frugalissimum te mihi virorum eripiant; ejusque audita morte exclamasse: Verum evenit, quod præsagiebat mihi animus, importunos istos tui admiratores non antea quieturos, quam tibi vitam ademissent. Danthis Poëtæ patrocinium adversus Castravillam, a quo oppugnabatur, duobus editis voluminibus, docte, eruditeque suscepit: in quibus cum occasione oblata Francisci Patritii viri doctissimi dictum quoddam ad reprehendendum arripuisset, non tulit ille, sed edito in Mazzonium libro, ab ejusdem reprehensionibus sententiam suam vindicare, conatus est; qua re sic Mazzonius exarsit, ut novo volumine loca centum demonstraverit, in quæ ille delapsus, in insigni aliquo ad reprehendendum vitio reperiretur. Sed dum Patritius alio libro se nunquam esse prolapsum, sed recto semper gradu stetisse ostendit, alterius contra ipsum voluminis edendi, Mazzonio causam objecit, ac nisi Patritius scribendi finem fecisset, nullus inter ipsos, neque accusandi, neque respondendi modus extitisset. Postremo, post multas Orationes ab se editas, anno antequam excessit e Vita, egregium volumen emisit, in quo doctissime, eruditissimeque concludit, Platonis, & Aristotelis inventa, ab uno, eodemque sapientiæ jugo, veluti plura ex uno capite flumina derivari atque defluere; ac propterea mire inter se convenire, congruereque: Hactenus Erithræus: sed plura alia a tanto viro edita volumina a *Bernardino Manzonio* recensentur.

XXIV. (XXIV.) *Darius Tibertus*] Me latet, cur *Brixius Antiochi Tiberti* non meminerit, cujus vita a *Paulo Jovio* in elogiis conscripta legitur. Vir fuit doctrina præclarus, fuissetque etiam magis, ni ob studium magicæ artis, cui restaurandæ fertur nervos omnes intendisse, suspicione aliqua, usum illum Demonis in vaticinando opelaboraret. Quamquam tamen non satis compertum est, huic ne arti, an prudentiæ potius ea, quæ prædicebat, sint tribuenda. *Jovii* hæc sunt verba: *Antiochus Tibertus Cæsenas, ingenuus puer a milite in ulteriorem Galliam perductus, amore literarum, Lutetiæ consedit non abnuente, hero ut docilis ingenii adolescens optimis literis imbueretur. Post aliquot autem annos inde rediens in Italiam, profiteri cœpit divinationis artes, magiæ proximas: eleganti enim libro de Chiromantia edito, tantum novæ famæ promeruit, ut insigni Concursu a curiosis, & anxiis de toto vitæ fortunæque eventu consuleretur; Nam ad corroborandam ejus disciplinæ auctoritatem opportuna bonarum artium præsidia contulerat. Usque adeo solerter, atque feliciter, ut viri doctissimi plane conscii de vanitate incertæ artis, id assseverarent, quod vulgi testimonio crederetur. Primus enim post Petrum Aponensem magiæ peri i celebrem, duobus sæculis jacentem, & a Cucullatis explosam artem excitarat, tribus etiam libris Physiognomia, & Pyromantia compositis: ea tamen opinione, ut nequaquam ex arcano artis, avidissimo cuique futura prænoscendi, rerum abditarum eventus prædiceret; sed ex miræ prudentiæ conjectura, tamquam illustri ratione demonstrare putaretur. Prædixerat Guidoni Balneo, cui in togata Gallia, propter inusitatum militaris animi vigorem, Guerræ cognomentum fuit, atque item Pandulpho Malatestæ Ariminensium Tyranno ex volæ manus lineis, futurum esse, ut hic pelleretur ex Patria, & dominatu, exulque in extrema egestatis miseria periret: ille vero ab insigni amico, perfidiæ suspicione, necaretur. Memorabili hercle non omnino incertæ artis argumento, nisi Antiochus imminentem vitæ suæ exitum ignorasset, de quo tamen, sed fatali deceptus hora, minime dubitarat. Interfecit enim Pandulphus suo metu, vel Bentivoli soceri jussu, nimium sævus, a suspecta virtute, virum fortem, quamvis amicum, & partium ducem, ac ipsum Tibertum custodiæ tradidit, ut ex eventu supplicio servaretur: Sed quum occultam exitio fata viam aperirent, captivus, & compedibus nexus, Custodis Arcis filiam mollis animi puellam ita orando, & blandiendo ad misericordiam, amoremque pellexit, ut ab ea restem impetraret, & in fossam demitteretur: Sed compedum sonitu prodita fuga, miser retractus, & pari sorte cum puella securi percussus interiit. Nec in Pandulpho prædicentis fidem eadem fata fefellerunt, quando omnium egestissimus in Hospitali diversorio desertus a liberis, sævitia infamis, ac egestate senex miser perierit.*

Floridi Sabini.

Exilium Domino quod vaticinare potenti,
Dira morte insons perderis Antioche:
O miseras artes, quæ non docuere salutis
Cum tibi monstrarint hæ quoque mortis iter.

Latomi.

Hos ego divinos aliquid sane esse putassem,
Et tantum humanum non superare modum;
Si non præ reliquis illos humana viderem
Enormi quadam cum nece, fata pati;
Adde quod est gravius, mala quum licet ante videre
Non æque ut caveas, ante videre licet:
Et tamen ac liceat, secum sine lumine pugnant,
Vimque suis fatis frustra adhibere student.
Hoc docet Antiochus, qui fata nisi ante scisset,
Innocuus poterat, & sine cæde mori
Hoc superest lector, si me patiare monentem,
Divinus fias, si miser esse velis.

(XXV.) *Carolus, & Marcellinus Verardi*] Caroli quidem *Verardi Cæsenatis* literaria quædam monumenta legere mihi licuit, *Marcellini Verardi* non licuit. Sed alium e gente *Verarda* cultum scriptorem invenio fuisse *Bartholinum*, scilicet *Caroli* Nepotem. Extat a *Carolo Regni Granatæ* dialogis satis eleganter descripta expugnatio, comicum in morem, & ad *Raphaelem Riarium* Cardinalem, qui *Xysti* IV. ætate floruit, inscripta *Bartholinus* vero perpolitis carminibus, & argumentum, & prologum præposuit. Consilium ejus operis, genus scriptionis, & quo in pretio habitum illud fuerit, produnt hæc pauca *Caroli*, & *Bartholini* etiam verba, quæ idcirco lubet proferre. *Unius* (inquit Carolus Cardinalem Riarium *alloquens*) *dumtaxat diei, quo videlicet Urbs Granata Baudelis Regis bello jam fracti, fameque fatigati deditione recepta est, acta complexus sum, historiamque interlocutoribus personisque ita contexui, atque disjunxi, ut totam rem, ita, uti gesta est, posset. Populus Romanus non solum auribus percipere, verum etiam oculis intueri.* Et paulo post: *Eam igitur quum tu magnopere probasses, confestim temporario in tuis magnificentissimis ædibus excitato theatro, recenseri, agique curasti. Tanto autem Patrum, ac Populi silentio, & attentione excepta est, tantusque favor, ac plausus subsecutus, ut jamdudum nihil æque gratum, ac jucundum auribus, oculisque suis oblatum fuisse,* XXV.

omnes faterentur. Quod ea potissimum causa contigisse crediderim, quod res erat per se ipsa gratissima, & excellentis virtutis, qua Rex, & Regina prædicti sunt, commemoratio, nobilibus & bene institutis animis non jucundissima esse non potest. Bartholinus autem Nepos argumentum omne ita cultis hisce carminibus prosecutus est.

Rebussius Rex Maurus cum diffideret,
Suos Amicos consulit, variantibus
Sententiis, quarum incertus dimittitur.
Mox Nuncii adventu Turcarum Principis
Spondentis, illum invasurum Trinacriam
Cum vere primo, confirmatur plurimum,
Diemque lætum hunc statuit in convivio
Luxu, paratu regio, traducere:
Sed illud omne perturbavit gaudium
Speculator, Hispanorum Regem, nuncians,
Urbem continuo decrevisse invadere:
Post paulo Regis Numidarum literis
Per magna pollicentis sibi auxilia,
Erectus animo, præfectum cum copiis,
Hostilem mittit, qui contundat impetum:
Sed territus postremo Uxoris somnio,
Exercitusque internecione cognita,
Bello, fameque fractus, ac demum omnibus
Rebus jam desperatis, ad clementiam
Confugit hostis, Urbem, seque tradidit:
Ferdinandus, & Conjux summa cum gloria,
Granata, & omni illius Regno potitur.

Tandem *Bartholinus* rationem hujus operis in extremo Prologi, quem ei præposuit, ita tuetur, atque defendit.

Vos itaque, Virtutem qui facitis maxumi,
Favere nostræ decet huic historiæ,
Animumque suum advertere cum silentio:
Requirat autem nullus hic comœdiæ
Leges ut observarentur, aut tragœdiæ;
Agenda nempe est historia, non fabula.

Hæc sunt, quæ de aliquibus literatis viris *Cæsenatibus* clarorum Virorum testimonia mihi occurrerunt, quæ ut initio dixi, adjicienda putavi, quum apud reliquos *Cæsenatium* rerum scriptores non legantur: Cæterum plures alii inter *Cæsenates* extitere doctrina, & libris editis illustres, quos *Bernardinus Manzonius* accurate exponit: De iis novum quidquam non suppetit mihi quod in meis adnotationibus adscribam: Ne autem eorum, qui bonarum artium studio in præsens e *Cæsenatibus* egregiam navant operam, laudes nonnihil atingam, *Brixii* exemplum efficit, qui tantum vita functos instituit commemorare. Quamquam *Josephus* quidem *Verzalia* Patritius *Cæsenas* & politiori literatura oppido excultum se, & mathematicarum rerum peritissimum, litterariis suis vulgatis monumentis, jam satis ostendit. superest ut de *Malatesta Strinato*, qui superioribus annis in *Urbe Roma* literariæ Reipublicæ ingens sui desiderium moriens reliquit, aliquid a me proferatur: Hujus Clarissimi Viri cum inter Arcadum elogia vita italico idiomate conscripta sit, *Franciscus Faccinus* partim ex ea illustrium gestorum narrationem accepit, fecitque latinam, partim adjecit alia quædam quæ primum illius vitæ scriptorem latuerunt, verba autem vitæ latino sermone conscriptæ hæc sunt: *Malatesta Strinatus Cæsenæ natus est e nobilissima Strinatorum familia, quæ suam refert originem ad Alferiam clarissimam apud Aquilanos gentem, ex qua celebrem, ac præclarum poëtam Seraphinum Aquilanum fuisse, non pauci existimant: Itaque de hoc nostro Malatesta Salvinus Salvinius Florentinus in præfatione*

A *ad Chronica Bonaccorsi Pitti, quæ proximis diebus Florentinis typis in lucem prodiere, quum mentio incidisset Chronicorum gentis Strinatæ Alferiæ, quæ ex Urbe Aquila Florentiam lares transtulit, in hæc verba disseruit. Ex iis Chronicis & potentiam hujus Familiæ, & Gibellinarum partium eam fuisse atque orbi illi, in quo erant primores Florentinorum, adscriptam deprehendimus. Translata postea Cæsenam fuit, ex qua nunc extat Malatesta celebris literatus; & juspatronatus in templo Divæ Mariæ sacro, quod in Capitolio dicitur, nostra hac in Urbe retinet ad hunc diem. Ineuntem ætatem Malatesta*
B *quum in studiis bonarum artium felici conatu traduxisset, Romam Imperii, ac virtutis Domicilium veniens, tanta cum laude, plausuque exceptus est, ut ab eruditis viris omnibus quamplurimum coleretur, atque apud ipsos summum existimationis locum obtinuerit. Erat autem in eo præter eximiam scientiarum omnium, atque eruditionis copiam, mirum adeo ingenii acumen, atque judicium, ut docti homines de literariis rebus, ipsius rogare sententiam non dubitarent: Latino, hebraico, ac puro Etruscorum sermone maxime claruit. Ad Urbem Neapolim Græcarum literarum causa se contulit, tantumque ingenio, ac assiduitate profecit, ut græce non modo sciret optime, sed etiam polite, luculenterque*
C *scriberet. Poëtices vero amore ductus in primis, ac delectatus est, in quo studii genere egregie sane floruit, idque eo mirandum est magis, quod cursum bonarum artium auspicatus sit illis temporibus, in quibus loquebantur fere omnes inepte, abjectissimis verbis, nullus erat Orationis ornatus, nullæ homine erudito dignæ sententiæ. In plurimos eruditorum hominum, ac præcipue in Arcadum cætus, magna omnium cum voluptate, ac consensu, cooptatus est; quod ingentem ei laudem, & gloriam peperit. Ipsius elucubrationes nonnisi paucæ quædam in præsens editæ sunt, in quibus tamen præ excellentem Viri*
D *doctrinam apertissime licet intueri: Quemadmodum etiam ex perpaucis Catulli, quæ extant, carminibus, quantum bonis artibus præclare ille fuerit imbutus, facile deprehendimus. Majorem vero affert admirationem, Malatestam summæ, qua præstabat, scientiæ, ac eruditioni mirabilem quandam morum integritatem, vitæque sanctimoniam adjunxisse, nulla eum ambitio titillabat, nulla capiebat honorum species; Christiana animi demissio ac modestia in eo summopere explendescebat; Ad Cardinalium, ac Principum Aulas nonnisi invitus accessit, quinimo, quum Clemens XI. Pontifex Maximus ipsum alloqui cuperet, ut Sanctissimum Pontificem adiret,*
E *adduci nunquam potuit. Quæ scribebat, in lucem hominum exire non facile patiebatur: A corporis voluptatibus prorsus alienus, Solitarius homo nullam ferme aliam ob causam domo discedebat, nisi ut ad Cæmeteria, aut alio ab Urbe longe proficisceretur, ubi Martyrum aliquorum excoleretur memoria; quibus in locis præclarum pietatis suæ specimen dabat. Quotidie ante sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum genibus flexis, integro quatuor horarum spacio preces, lachrymasque fundebat, idque noctu, ne a quopiam conspici posset: parcus adeo, & frugi, ut etiam senectute confectus modico tantum pane*
F *persæpe vesceretur: Præcipuo vero cultu Beatissimam Virginem Christi Matrem Malatesta venerabatur, quæ huic piissimo Viro (ut perhibent) augustissima specie, candida induta veste, nocte quadam sese spectandam præbuit, auxiliumque suum omnibus in rebus ei laturam esse, pollicita est. Ad hæc accessit haud leve ipsius Virginis beneficium: quum enim Malatesta solitariis in locis pedibus iter ageret, librumque, quem secum detulerat, totis animi viribus perlegeret in profundum, obscurissimumque hiatum terræ delapsus est. Duobus ibi diebus, ac noctе una expers omnis humani subsidii jacuit; sed tan-*

tandem Deiparæ Virginis munere, reperta quadam, arreptaque arundine, ea (mirabile dictu) vicinum fornicem perforavit, aditumque sibi patefecit, per quem e tenebricoso illo loco a Viatoribus quibusdam educi potuit. Tanta erat Hujus viri & Sanctitatis, & doctrinæ apud omnes opinio, ut etiam idem summus Pontifex Clemens XI. quum laborare illum infirmitate accepisset, ut suo nomine visitaretur, sæpissime jusserit. Extrema vitæ suæ hora quæ futura esset, Malatesta jam ante prænunciavit; ac VII. Idus. Decembris, CIƆIƆCCXX ex hac terrestri ad multo felicissimam, ut credere par est, migravit vitam.

XXVI. (XXVI) *Quod scilicet hac in urbe quotannis scientiarum prælectiones habeantur exterorum quoque Discipulorum frequentia non mediocri.*] Hujus etiam gymnasii apud *Cæsenates* multa cum laude meminerunt *Fortunius Licetus* & *Joannes Blaeu*, quorum ille sic habet: *Etenim Cæsenæ Civitas, ut antiqua, sic ab antiquo semper illustris; & insignis fuit, in qua publicum adhuc est omnium Disciplinarum gymnasium, omni tempestate præclaris ornatum, cultumque Lectoribus: Collegium amplissima facultate præditum promovendi Doctores tam in utroque Jure; quam in Philosophia, & medicina.* Bleau vero scribit in hæc verba *Academia est inclyta Civitas in qua Philosophiæ, Medicinæ, legum, & Theologiæ quotannis lectiones habentur*; Sed & *Janus Nicius Erithræus* in vita *Jacobi Mazzonii*, superius adscripta, nobilia inter gymnasia, in quibus publice *Mazzonius* professus fuit, *Cæsenate* gymnasium enumerat. Denique illud adjiciam, unum istud in Provincia esse, cui a Pontificibus sit facultas attributa, ut alios rite Doctores dicere, potestatemque ipsis publice interpretandi impertiri possit.

(XXVII.) *Vel quoad Hominum mores, & Comitatem*]. *Hæc Cœlii Calcagnini* eruditissimi viri dicta de humanis *Cæsenatium* moribus, quæ a *Brixio* proferuntur, confirmare etiam possum iis recitandis, quæ *Joannes Hollanderius*, Prodrom. de nobilit. pag. 82. enarrat, sic inquiens: *Libet hic narrare, observatum superiori seculo in Flaminiæ Urbe Cæsena morem mehercle memorabilem. Ibi quum publicorum diversoriorum nullus pene esset usus; accidebat, ut singuli illius Civitatis Patritii Cives, quum primum hospitem conspexissent, eumdem vellent in domum suam recipere: Hospitalitatis studio ita certantes, ut non raro res a rixis ad conflictum veniret. Quamobrem prospecta fuit via, quæ salva cuique humanitatis, & hospitalitatis fama, homines exciperentur. Locata enim fuit in fori umbilico Columna, ac in ea circumfusi tot Anuli ferrei, quot essent Nobiles familiæ; Utque forte sic omnis tolleretur controversia, cautum fuit, ut ad cujus familiæ anulum alligasset hospes equum (omnes enim notis distincti erant) in illam familiam, aut domum diverteret.* De hoc eodem *Cæsenatium* more, post *Hollanderium* late *Fortunius Licetus* de annulis ad Hospitalitatem disseruit in libro, quem de anulis antiquorum conscripsit Cap. 43. ubi etiam magnificentiam ac liberalitatem commendat *Anselmi Dandini* (Nuncium hic egit apud Regem Gallorum) qua *Clementem* VIII. Pontificem Maximum, cum Purpuratis Patribus, totaque Aula *Ferrariam* proficiscentem, in *Cæsenatico* portu propriis, atque ingentibus sumptibus hospitio excepit. XXVII.

F I N I S.



INDEX
NOMINUM ET RERUM
Tam in Cæſaris Brixii Deſcriptionem quam Elchrei Dinundæ Adnotationes.

Cæſar

D.

E.


F.

G.

H.

Her-

F I N I S.





FR. BERNARDINI MANZONII,

Ordin. Min. Conv. S. Francisci, Artium & Sacr. Theol. Doctoris, Inquisitoris Generalis Senarum,

CÆSENÆ CHRONOLOGIA,

Ab

HECTORE BUCCI,

Cæsenate,

Aucta iis, quæ post MANZONII ætatem sunt consecuta, & huic editioni immixta;

In qua

ECCLESIÆ CÆSENATIS ANTISTITES

Ex vetustatis tenebris excerpti memorantur;

CIVESQUE CÆSENATES,

Sanctimonia, Dignitate, Doctrinis & Virtutibus illustres Alphabetico ordine ab oblivione vindicantur.

Editio Novissima, accuratior auctiorque.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DOMINO COMITI

HERCULI

FRANCISCO DANDINO

VIRTUTIS SAPIENTIÆ ET MERITORUM
GLORIA INCLYTO

HANC

TYPIS DE NOVO DESCRIPTAM

BERNARDINI MANZONII,

URBIS CÆSENÆ

CHRONOLOGIAM

ANTISTITES CIVESQVE CÆSENATES VITÆ SANCTIMONIA
DIGNITATE DOCTRINIS ET VIRTUTIBUS
ILLUSTRES RECENSENTEM

IN

GRATI ANIMI TESTIFICATIONEM

PRO

SINGULARI ET PERHUMANA HUJUS NON MODO

CÆSENÆ CHRONOLOGIÆ

SED ET

CÆSARIS BRIXII

URBIS CÆSENÆ

DESCRIPTIONIS

COMMUNICATIONE

DONAT DICAT DEDICAT

PETRUS VAN DER Aa.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS
LECTORI ÆQUO
TYPOGRAPHUS S. D.


ÆSENAM hanc SACRAM a Fr. *Bernardino Manzonio* de *Cæsena* literis mandatam, & *Pisis* typis *Amatoris Massæ* & *Laurentii* de *Laudis* MDCXLIII. Superiorum permissu, in 4.to descriptam, eo sereniore fronte te accepturum spero; quia non solum admodum rara est, sed etiam quod ejusmodi exemplaris compos factus sum, quod *Hectoris Bucci* supplemento eorum, quæ post *Manzonium* sunt consecuta, est auctum, quæ a nobis suis locis, ut & ipsiusque *Manzonii* Appendix, sunt inserta, ut aliud quasi vestimentum induerit. Partis autem secundæ copiam te facere non queo, cum tamen *Manzonius* non solum in fronte suæ Chronologiæ, sed etiam hinc inde mentionem ejus injiciat, ut eam procul dubio extare putes, & studio vel negligentia nostra subduci. Sic igitur habeto, licet multam diligentiam, multumque laborem adhiberi curaverim, nusquam tamen neque *Romæ*, neque *Pisis*, neque *Cæsenæ* inveniri potuit: quare multi viri docti, ne quidem justis de causis in lucem prodiisse rentur. Forte quod auctor vel negotiis gravissimis sit præpeditus, causa officii, tum temporis oblati, ut ex præfatione ejus ad Lectorem Cæsenatem videre est, vel morte immatura præreptus. Si tamen eveniat, ut in latebris fortasse adhuc latentem, postea acquiram, sancte polliceor, me eam quoque publici juris facturum esse. Interim operam & studium huic editioni impensa æqui bonique consule. Vale faveque.

Illustrissimo, & Reverendissimo D.

D. FRANCISCO DE ALBIZIS
V. S. R.
SACRÆ INQUISITIONIS
Romanæ, & Universalis Assessori.


ÆSENÆ Patriæ charissimæ tuis sub fælicissimis auspiciis (Illustriss. & Reverendiss. D.) novissimè prodit Chronologia bipartita. Priorem hanc partem, cui titulus est CÆSENA SACRA, in qua veluti quodam in Theatro vetustissimæ ipsius Urbis Viri inspiciuntur Sacri illustres, cui aptius quam Tibi sacrarem, qui præcipuam hoc in Theatro geris personam? In ea tot præclari cernuntur Antistites, tum ad patriam regendam Ecclesiam aliundè evecti, tum ex Patria ad aliarum Urbium regendas Ecclesias assumpti, Concivesque multi, & Sanctimonia, & Virtutibus celebres sese intuentium oculis objiciunt; iique omnes ad tuum unanimes confugiunt conspectum, quo tui splendore Nominis, vetustam, totque annorum Sæculis jam obscuratam, denuo recipiant gloriam. Quod si cuipiam non adeò foret manifestum, clarissimum Stemma tuum gentilitium, tergemina Orbiculari effulgens Zona, dilucidè commonstrat; nempè quia Ecclesiastica coruscas Dignitate, summa morum enites probitate, omnigenaque

que exornaris Doctrina, ut in te uno jure merito omnium tum antiquorum, tum recentium Cæsenatum mirum in modum redivivæ conspiciantur virtutes. Porrò si Sacra non nisi Sacris debentur, unde Eleusina mysteria prophanos minimè admittebant, Crux Signum maxime Sacrum in celsissimis tuis prominens Insignibus, Sacrum hoc Opusculum historicum punctis omnibus exposcebat. Denique si Authorem ipsum (quantumcunque infimum) digneris aspicere, Sacer sum, atque tuo rogatu à Sanctissimo D. N. Urbano Papa Octavo, Septem abhinc annis, Sacro hoc Inquisitionis, in hac Serenissima Pisana Provincia, condecoratus Officio: unde, & me ipsum, & quicquid laudabile ex me prodire unquam poterit, totum, grati animi ergò, in te referendum esse profiteor. Vale. Pisis ex ædibus Sanctissimæ Inquisitionis die VI. Januarii 1643. Dominationis V. Ill. & R.

Humiliss. ac devinctiss. Servus

F. B. Manzonius, Inquis. Pisar.

CHRONOLOGIÆ DIVISIO,

DIVIDENDI RATIO, UTRIUSQUE PARTIS INSCRIPTIO.

Cæsenatum, aliorumque Authorum ex quibus excerpta est nota.

Antiquæ SENÆ nova prodit Chronologia, in duas partes divisa. Exiguo Amne Urbs cæditur ipsa (quasi CÆSA SENA hodiè nuncupata CÆSENA) duobusque *Sapi*, & *Rubicone* Fluminibus ejus dividitur Ager; Exiguum quoque cæditur Opusculum hoc meum, in quo & divisim *Cæsenates* enumerantur illustres. Chronologiæ igitur pars prima, CÆSENA SACRA inscripta, illius Antistites, Civesque Sanctitate, Dignitate, Virtutibus recenset conspicuos. Pars verò altera, appellata SENA REGIA, ejusdem Civitatis (*Senonum* olim Regiæ) Dominos, Virosque *Cæsenates* Generis nobilitate, militari arte, Successuum felicitate comprehendit præclaros. Horum nomina in vetustatis tenebris olim sepulta, quæ à *Theodorico Calisesio*, *Carolo Verardo*, *Josepho Bonzanellio*, *Francisco Uberto*, *Antonio Casario*, *Joanne Baptista Brissio*, *Juliano Fantagutio*, *Nicolao Masino* II., *Stephano Manzonio* de *Parthis* vocitato, aliisque Antiquitatum Patriæ Scrutatoribus erui potuerunt, & ex prædictorum Monimentis, Memorialibus, Relationibus, Fragmentis, Chronicis, Miscellaneis, Collectaneisque historicis manuscriptis à *Christophoro Manzonio* I. V. D. Equite, ac Senatore *Cæsenate Claudii* Patris mei Genitore diligenter excerpta fuere; in unum à me (simul cum nominibus aliorum quorundam insignium *Cæsenatum* ex diversis editis Scriptoribus) collata, distinctè enumerantur. Scio tamen me non potuisse omnes complecti claros *Cæsenates*, neque eorum nomina, cum ad posteritatis notitiam minime sint transmissa. Eos adnotavi tantum, quos ex prædictis, tum M. S. tum editis Scriptoribus collegi, & ex variis Bibliothecis, & Archiviis sumpsi, atque ex diplom. ac monimentis, vel à me præsente inspectis, aut certè absente Amicorum (& præcipuè *Lucæ Wadinghi Hiberni* Minoritæ, *Ferdinandi Ughelli* Abbatis *Cistercien.* notissimorum nostri ævi Scriptorum, *Scipionis Claramontii* Patriæ Patris clarissimi nominis Viri, *Aurelii Masinii* Doctissimi, aliorumque concivium) beneficio cognitis. Nulla enim res vel non planè ardua, quæ illustri non indigeat patrocinio. Hoc igitur habeatur, multo plures extitisse Illustres *Cæsenates*, qui fortè ab aliis, sine multo negotio, poterunt ab oblivionis injuria vendicari, interim si quorundam memoriam subticui, nemo mihi irascatur. Nam labori huic meo adjicere poterit *Cæsenatensis* quicumque alia ex iis amplius explorata habuerit, & ego ad Patriæ gloriam non invidè feram me quemcunque reperiisse consortem. Historici hujus opusculi me Authorem nemo existimet, sed præmemoratos, aliosque in marginibus adnotatos Viros, quorum inter enarrandum, ne dum nomina citavi, imo eorum ad verbum relationes subjeci, ne cui videar quicquam de mea protulisse Sententia, sed solum hinc inde dispersa in unum collegisse, ex oblivionisque eduxisse tenebris illustres *Cæsenates*, quos breviter adno-

notavi, non alto, mediocri potius ſtylo, ut etiam rudis quicunque lector interpretamentis non indigeat. Et literatus veniam dabit, ſcit enim quia *Sermo rudis* (ait S. Hieronymus) *cor penetrat*, *politus paſcit aures*. Interim quicunque *Cæſenas* legis, boni æquique conſule, & ad animi oblectationem, morumque, & ſtudiorum cultum, hæc tibi digna imitatione præceſſorum *Cæſenatum* exempla accommoda, & propone.

Ex his Virtutem, verumque addiſce laborem,
Daque bonus libro, ſi rudis eſt, veniam.

LECTORI CÆSENATI.

Vale Lector & meum hunc qualemcumque laborem æqui, boniquе conſule, errataque benignè corrige, in impreſſione enim Typogr. incuria, errores irrepſere intolerabiles in hac Cæſena Sacra, *ut vidiſti. Da tu veniam; & ego labore aſſiduo paro* Senam Regiam, *dum Sanctiſſimus D. N. Dominus INNOCENTIVS PAPA X. me (novem ab hinc annis Inquiſitorem Piſanum) nunc ſua benignitate delegat Inquiſitorem Apoſtolicum in ſeptem Civitatibus Sereniſſimi Dominii Senarum diſponente forte Domino, ut noſtræ SENÆ VMBRORVM Hiſtoria in alma Civitate SENÆ ETRVRIÆ* imprimatur. Piſis Die XV. Octobris 1644.

F. Bernardinus Manzonius de Cæſena Inquiſitor Piſanus,
nunc deputatus Inquiſitor Generalis Senarum.

Admonitio ad Lectorem, & proteſtatio Authoris.

Sacræ Congregationis S. R. & Univerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1631. confirmatum integrè atque inviolatè juxta declarationem ejuſdem Decreti à Fel. Record. *Urbano* Papa VIII. an. 1631. factam ſervari à me in hac mea *Cæſenæ* Sacræ hiſtorica narratione omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli ex Hominibus pietate illuſt. à me hucuſque quomodolibet vel in Hiſtoria, vel in Indice ſub Beati vel Sancti nomine vocitatis arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut martyrii inducere, ſeu augere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. iterumque proteſtationem à me factam ſupra pag. 36. toto corde facio. & hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui ſanctæ ſedis Apoſtolicæ obedientiſſimus cupit haberi Filius, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi. *Piſ.* Die 16. Octob. 1644.

Ego F. Bernardinus Manzonius Inquiſitor Senarum.

APPROBATIONES.

CÆSENAM SACRAM Reverendiſſimi P. M. Bernardini Manzonii Inquiſitoris Piſani, hoc eſt Chronologiæ Cæſenæ Primam partem vidi, perlegi, & conſideravi; quam Hiſtoricæ veritati, ſacriſque placitis conſonam reperi. ideo poteſt imprimi. In fidem &c. Datum Piſis die 20. Maji 1642.

Fr. Petrus Bandinus ſac. Th. Profeſſor Con. S. Fran. Guard.
& Commiſſarius Generalis Minorum Conventualium.

IMPRIMATUR
SCIPIO ARCHIEP. PISAR.

Imprimatur. Fr. Fabricius Ninius à S. Archangelo Vicarius Generalis Sanctiſſimæ Inquiſitionis Piſarum.

ALEXANDER Victorius Senator Sereniſſimi Magni Ducis Auditor.

Piſis anno Chriſti 1643. Urbani VIII. Pont. anno XX. Ferdin. II. Magno Hetr. Duce feliciter imperan. Sedente in Cathed. S. Piſanæ Eccleſiæ Illuſtriſſ. & Rev. D. Scipione Pannochieſcho nobili Patritio Senenſi ex Comitibus Ilcii Archiepiſcopo & Regnorum Corſicæ & Sardiniæ Prim. Legatoque nato.





3 BERNARDINI MANZONII,

Cæsenatis, Ordin. Min. Con. S. Francisci, Artium & Sac. Theologiæ Doctoris, in Civitate, & Dominio Pisano Inquisitoris Apostolici,

CHRONOLOGIA.

TITULUS PRIMUS,

ANTISTITES SANCTÆ CÆSENATENSIS ECCLESIÆ.

Cæsenam vetustissimam Civitatem ad Christi fidem convertit

SANCTUS TIMOTHEUS.



[a] SENA *Isapi Fluvio, & Rubiconi propinqua*, [b] inter *Umbros*, ad superum Mare Adriaticum [c] in octava *Italiæ* Regione sita [d] Collis Garampæ Apennini propaginis radici subjecta, in via Romana, in angulo littoris *Veneti* cum ipso Apennino, [e] ubi campi *Italiæ* terminantur [f] inter *Faventiam*, & *Ariminum* collocata, [g] exiguo intus amne cæsa, [h] à SENONIBUS Gallis sub Rege BRENNO ædificata, de ipsorumque nomine dicta *Sena*,

([i] *Et Rubico, & Senonum de nomine Sena*)

[k] Regia Civitas, primariaque Imperii *Senonum* Sedes constituta, quibus prostratis [l] Colonia Ro-
4 mana facta, & privilegio immunitatis insignita; [m] post centum deinde, & nonaginta annos [n] in civili inter *Syllam*, *Mariumque* bello à victoribus, contra quos steterat diruta, & accisa[o]; quasi *Cæsa Sena* propterea ex accisione, vel à *Cæsaula*, deinceps, nuncupata.

Urbs Cæsena, mihi Patria est, [p] *quam dividit unda Cæsis, & à Patrio Flumine nomen habet.*

In pristinum tandem (non tamen in pristinam amplitudinem) sub consulibus *Lepidi*, & *Munatii Planci* (quos Q. *Cicero* ad Tyronem scribens vix dignos vocat, [q] *quibus alteri Cæsenam, alteri Cossutianarum Tabernarum fundamenta*, [r] nimirum *Cæsenæ* reædificatio, crederetur) restituta; & quandoque ex situ ita descripto.

[s] *E quella, cui il Savio bagna il fianco,*
Così com'ella si è tra'l monte, e'l piano, &c.

[t] *Curva Cæsena* appellata [v], vulgo *CESENA*, *Urbs Flaminiæ Provinciæ*, *Christi Domini fidem suscepit ab initio fere Prædicationis Apostolicæ*: Imo tam [x] *Antiqua est Ecclesia Cæsenas*, ut ejus fundamenta jecerit [y] *SANCTVS TIMOTHEVS CÆ-*

A *SENATENSIVM APOSTOLUS* in antiquis fragmentis, & memorialibus vocitatus, [z] qui à *Paulo* Gentium Doctore ut Episcopalia munia, ubi opus esset per Orbem exerceret, ordinatus fuerat Episcopus (admodum juvenis, ut ex Epist. *Pauli* colligitur) unde antequam *Ephesinam* regeret Ecclesiam, alias erexit, & inter cæt. fundavit Episcopatum *Cæsenæ*, quæ Civitas (*Brissii* verbis utor) *Lascio l'Idolatria, e riceve la fede del nostro Signor Giesu Christo alle predicationi del Beato Timoteo Discepolo di S. Paolo nel tempo degli Apostoli come narra Cassiodoro &c.* quod confirmat Corbesc. Polonus dicens * *Cæsenam Origine, &*
B *Religione vetustissimam Civitatem ab Umbris ante ædificium Romæ ædificatam, & a Sancto Timotheo Beati Pauli Discipulo, degentibus adhuc Apostolis, ad Christi fidem conversam, &c.*

[z] Claram. lib. 4. hist. Cæsenæ.
5
Epist. 1. ad Timoth. cap. 4.
Cæsar Brissius in 2. par. Rel. ad Clem. VIII.
Cyril. Corbesc. in Epist. edita ad Franc. Alb.

De primo Episcopo Sanctæ Cæsenatis Ecclesiæ.

PHilemon in *Asia* natus, vir sanguine illustris, sanctitate clarior, Apostoli *Pauli* pariter Discipulus (ad quem *Romæ* scribit Epistolam inci-
C pientem: *Paulus vinctus Christi Jesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adjutori nostro &c.*) ordinatus fuit *Cæsenæ* Episcopus, primusque sedit in Cathedra Sanctæ illius Ecclesiæ post discessum Sancti *Timothei*, uti monimenta testantur antiqua, licet quædam pro *Philemone* dicant *Silemonem*, at *Claramontius* in sua Historia Cæsenæ ita subjungit: *Credidissem Philemonem pro Silemone scribendum ex lib. errore, ad quem Philemonem Divi Pauli extat Epistola, in qua ipsum quoque Timothei nomine salutat: nisi Philemon is Pauli discipulus Neronis tempore Collosses in Phrygia occisus in Martyrologio legeretur: hæc ergo potius confirmant, quam impugnent monimenta nostra, quæ tanti Patris nos in Euangelica vita sobolem faciunt &c.* Cæsena itaque,
D quæ sub Apostolorum temporibus *Timotheo* prædicante suave Christi jugum accepit, Apostoli *Pauli* Discipulum an. Christi 92. primum obtinuit Episcopum nomine *Philemonem*, cui in Episco-

Epist. Pauli ad Philemonem.
Anton. Cæsar.
6
Claram. lib. 4. pag. 128.
* *Cæsenatibus Euangelii lucem protulit S. Timotheus.*
* *Primus Cæsena Urbis Episcopus.*

* Secundus Episcopus ordinatus à Sancto Anacleto Papa.

palem Sedem an. 109. successit *Isidorus Græcus*, martyrio postmodum an. 150. coronatus. Hic ordinatus fuerat *Cæsenæ* Urbis Episcopus à *Petri* discipulo, & successore *Anacleto* Pontifice Maximo, qui in modicis Civitatibus, ex ejusdem Apostoli præcepto, non ordinabat Episcopos, ut *Paschalis* Papæ secundi ad *Gulielmum Melphien.* Antistitem ostentat Epistola, quæ incipit: *Per Apostoli Petri Discipulum, & successorem Anacletum, Apostoli Petri præceptum accepimus, ne in villis, aut municipiis, vel in modicis Civitatibus ordinentur Episcopi*, hinc apparet *Cæsenam* fuisse eo tempore, & deinceps præclaram Civitatem, cujus Episcopi per omnia Sæcula ab Apostolorum temporibus ad hæc usque tempora fuere conspicui, ut *Ignatius Salaminius*, qui anno 232. Jovis oraculum, quod erat in monte sacro, & aliud Minervæ, quod in *Garampeo Colle* exstabat *Cæsenæ* bonus Pastor destruxit; conspicuusque fuit inter cæteros priscos illos Antistites *Florianus Cæsenas*, qui (*Milevitano*, *Baronioque* testibus) cum fuisset, ex cæteris Italicis Episcopis, cum paucis an. 313. ad *Romanam* Synodum à Sancto *Miltiade* Papa vocatus, & secundo loco inter *Italos* Antistites à *Baronio* sic enumeretur: *Cum consedissent Meltiades Episcopus Urbis Romæ, Rethicius, & Maternus & Marinus Episcopi Gallicani, & Mirocles à Mediolano, Florianus à Cæsena &c. his decem, & novem consedentibus Episcopis &c.* apparet eo tempore magis floruisse *Cæsenatensem* Urbem, ejusque Ecclesiam fuisse conspicuam, cujus vetustissimam primam Cathedralem in Garampeo Colle, sive in Murata Divo *Joanni* dicatam, Sanctus *Eleutherius* Papa consecravit an. salutis 172, Et si *Carolus Sigonius*, libro tertio de Occidentali Imperio, verba faciens de præcitata Synodo à *Melchiade* Papa an. 313. coacta, *Florianum* prædictum Antistitem nostrum, nuncupat SENÆ Episcopum, dicens: *Consedere Miltiades Episcopus Romæ, Rethicius, Maternus, & Marinus Galliæ, ex Italia vero Mærocles Mediolani, FLORIANVS SENÆ, Zoticus Quintiani, Stemnus Arimini, Felix Florentiæ, Gaudentius Pisarum, Constantinus Faventiæ, Proterius Capuæ, Theophilus Beneventi, Sabinus Terracinæ, Secundus Prænestis, Felix Triumtabernarum, Maximus Ostiæ, Euander Ursini, & Donatianus Fori Claudii*, non sequitur propterea ipsum *Florianum* (ut in Additionibus Ciacconianis legitur) fuisse Episcopum Urbis *Senarum* in *Etruria*, cujus Civitatis, (ex testimonio *Orlandi Malavolti* Civis *Senensis*) ordinatus fuit *Vitilianus* solum anno 676. primus Episcopus; Unde anno 313. ut ex Divi *Antonini*, *Joannis Villani*, *Leonardi Aretini* historiis habetur) Civitas ipsa *Senensis* nondum habebat Cathedram Episcopalem. Et ideo cum *Optatus*, & *Baronius* dicant *Florianum Cæsenæ* Episcopum interfuisse an. 313. sub *Melchiade* Papa præfato *Romano* Concilio, in quo nullus alius sedit Episcopus nomine *Florianus* nisi iste, quem *Optatus*, & *Baronius Cæsenæ* Episcopum dicunt, *Sigonius* vero *Senæ* Episcopum cognominat, hinc clarior elucet clarissimi nostri *Claramontii* Sententia de nomine SENAE, quo fuit etiam sic à Strabone: *SENA Isapi Fluvio, & Rubiconi propinqua* descripta, ita quoque à Silio Italico: *Et Rubico & Senonum de nomine Sena* decantata, olim enim fuerat Imperii *Senonum* Regia Civitas constituta; & licet ex accisione, post *Syllæ Mariique* (contra quos steterat) bellum, quasi *Cæsa Sena* dicta sit postmodum *Cæsena*, quandoque tamen prisco nomine adhuc à recentioribus (etiam ante *Claramontii* Historiam) vocitatur SENA, ut à *Sigonio*, & aliis gravissimis Scriptoribus, cum quibus hanc ipsam de nomine *Senæ* sententiam summopere probat præclarus Abbas *Celsus Rosinus*, ex cujus. m. s. Codice, cui tit. est *Avenimenti della Città di Cesena lib.* XIIII. *dell' Abb. D. Celso Rosini*, tres expiscati sunt Civitatis nostræ Episcopi, videlicet *Eusebius*, *Concordius* II. & *Gisulphus*, quorum memoria suo loco subjicitur.

Paschal. Papæ Diploma dat. Beneventi an. 1102. Pontificatus sui an. 3. rel. à Ferd. Ughel. tom. 1. Italiæ sacræ pag. 996.

* Cæsena conspicua Civitas.

* Ignatius Cæsenæ Episcopus.

* B. Florianus Cæsenas Episc.

Baron. tom. 3. Annal. ad an. 313. num. 25. Opt. Milevitan. Martyrolog. Rom. in Not. die 20. Januarii.

* Consecratio prima Cathedralis Cæsenæ.

Sigonius de Occidentali Imperio lib. 3. pag. 45.

Alph. Ciacon. tom. 1. impressione secunda in Vita Joan. 18. Orland. Mal. Seven. lib. 2. primæ par. pag. 17. Hist. Senen.

* Confirmatur Claramontii sententia de nomine Senæ. Strab. lib. 5. Sil. Ital. lib. 8.

* Cæsena olim Sena Regia Senonum Civitas.

De Isidoro Cæsenæ Episcopo.

ISidorus natione Græcus, sub *Hyginio* Papa fuit *Cæsenatis* Ecclesiæ Episcopus; hujus meminit *Claramontius* post prædictum primum *Cæsenæ* Antistitem, cui tamen immediate non successit, sed (ut Historici verbis utar) *Anno solum ab ortu itidem Redemptoris centesimo quinquagesimo Isidorum Græcum sedisse pariter in Chronicis nostris legimus.*

Claram. lib. 4. Hist. Cæs.

De Ignatio Episcopo.

IGnatius de Salamina erat *Cæsenatensium* Antistes anno post Christum natum ducentesimo trigesimo secundo, hic (*Verardo* teste) destruxit Oraculum *Jovis Horcii*, seu *Ossirii*, cujus templum 7
erat in Monte Sacro (qui postea Saltus *Spatiani* à *Spatiano* Cive *Cæsenate*, Mons deinceps *Mauri* à Sancto *Mauro* Episcopo, tandem Mons Sanctæ *Mariæ Cæsenæ*, nuncupatus est) hæc ex libro *Urbanorum* Memorialium *Caroli Verardi* sunt excerpta: & in M. S. Codice existente in *Bibliotheca Malatest. Cæs.* in Cænobio Minor. inter Author. *Cæsenatum* libros, quod sequitur exstat monimentum: *Ante Adventum Domini in Monte, ubi est modo Monachorum Sancti Benedicti Cænobium erat Templum Jovis Horcii, cujus oraculum destruxit Ignatius Græcus Salaminius Cæsenæ Episcopus, qui Ephesino Concilio interfuit tempore Pontiani Papæ.*

Carolus Verard. lib. Urb. memor. pag. 103.

Cod. M. S. in Biblioth. Cæs.

De Floriano Episcopo.

FLorianus *Cæsenatensis* Episcopus anno Christi trecentesimo decimo tertio sub *Melchiade* Papa, *Romanæ* Synodo in domo *Faustæ* in Laterano celebrato interfuit, cum tribus Episcopis *Gallis*, & Sexdecim præcipuis *Italis*, ut refert *Optatus Milevitanus* citatus à *Baronio*, cujus gravissimi Authoris verba subjicio: *cum consedissent Miltiades Episcopus Urbis Romæ, & Rheticius, & Maternus, & Marinus Episcopi Gallicani, & Mirocles à Mediolano, Florianus à Cæsena &c. his decem, & novem confidentibus Episcopis, causa Donati, & Cæciliani in medium missa, &c.* hæc Baronius. 8

Opt. Milevit.

Baron. Tom. 3. Annal. sub an. 313. num. 25.

De Concordio Episcopo.

COncordius *Tarvisinus Floriano* prædicto successit, non tamen immediate, cum anno 326. sederit in Cathedra *Cæsenatis* Ecclesiæ quidam *P. Cæsenas Episcopus* ut in vetustissimo M. S. tabulario habetur. *Concordius Cæsenatibus* anno trecentesimo quinquagesimo, ita scribit *Brissius*, cujus verba sunt quæ sequuntur. *Eusebio nella sua Historia Ecclesiastica racconta, che l'anno 350. Concordio da Trevigi fù Vescovo di Cesena al tempo di Papa Liberio.*

Cæsar Briss. in sua Relat. Cæs. pag. 12.

De Gregorio Episcopo.

GRegorius de Papia, sub eodem *Liberio*, post *Concordium*, Sanctam rexit *Cæsenatensem* Ecclesiam, ut ex *Claramontio*, cujus nota est talis: *Post Florianum, qui tempore Melchiadis sedit, duo numerantur, Gregorius Ticinensis anno 361. & Ignatius, &c.* 9

Claram. post 5. lib. Hist. pag. 435.

De Ignatio II. Episcopo.

IGnatius *Cæsenas* secundus hujus nominis Episcopus, in fragmentis antiq. *Cæsenæ* his verbis memoratur: *Anno CCCCIII. sub Innocentio primo, Gre-*

Gregorio Antiſtite Cæſenate è vivis ſublato, eidem ſufficitur Ignatius de Cæſena, qui diutiſſime ſedit. Hic cum *Ignatio* Græco *Iſidori* ſucceſſore confunditur in annotationibus poſt X. Lib. Hiſt Cæſ. eſt autem nota, quæ ſequitur. *Gregorius Ticinenſis anno* 361. *& Ignatius Græcus ex Salamina anno* 403. *aliqui tamen ſed minori fide anno* 232.

Claram. loc. cit.

A

De Verano Epiſcopo.

VEranus ſub *Hilario* Papa fuit *Cæſenæ* Epiſcopus, ſicuti de eo teſtatur *Caſarius*, cujus verba ſubjicio. *Cæſenatis Eccleſiæ Pontifex anno* 465. *eligitur venerabilis Pater Flavianus Etruſcus, per tranſlationem Verani Cæſenatis Epiſcopi, qui Romano Concilio ſub Hilario Pontifice Summo celebrato, una cum Aſterio Forolivienſi, & Juſto Faventino Epiſcopis interfuit, ut ejuſdemConcilii acta demonſtrant.*

Anton. Cæſar.

B

De Euſebio Epiſcopo.

EUſebius, qui *Calcedonen.* Concilium ſuo ſuffragio implevit, & inter ſacros Antiſtites anno 468. aſſedit: inter *Cæſenates* Epiſcopos à prædicto *Celſo* Abbate *Roſino*, qua ſequitur ſententia reponitur: *l'anno* 468. *Euſebio intravenne al Concilio Calcedonenſe ſotto Illario Papa, e lo ſottoſcriſſe; Ferdinando Ughelli lo fà Veſcovo di Siena in Toſcana, con Ceſare Orlandi, & Agoſtino Dathi, mà non havendo Siena havuto Veſcovo ſe non l'anno* 676. *e neceſſario che Euſebio foſſe Veſcovo de Ceſena. Se mi rεſpondeſſero che fù Veſcovo di Sinigallia, dico che Venantio Veſcovo di Sinigallia ſi ſottoſcrive &c.*

* Euſebius Cæſen. Epiſcopus. — Celſ. Roſin. Cod. m. ſ. Hiſt. Cæſ. — * Euſebius Epiſcopus Senæ, id eſt Cæſenæ, non Senarum, neque Senogalliæ. Tom. 2. Conc. pag. 459.

C

De Flaviano Epiſcopo.

FLavianus Cluſinus, cujus meminit *Briſſius* in ſua Relatione dicens. *Si conferma l'antichita di queſta Chieſa trovandoſi che Flaviano dà Chiuſi Veſcovo di Ceſena ſi trovo, &c.* male ab eo & à *Galeſino* confunditur cum *Floriano Cæſenæ* Epiſcopo qui *Romano* concilio interfuit ſub *Melchiade*. *Flavianus* enim iſte, de quo agimus, *Caſario* teſte, ſedit *Cæſenæ* ſub Papa *Simacho*, & vixit uſque ad annum 499.

Briſſ. 2. par. pag. 21. — Pet. Galeſin. in not. pag. 34.

D

De Concordio II. Epiſcopo.

COncordius II. qui Conciliis duobus Romanis ſub *Symacho* Papa, ſubſcriptus reperitur, *Cæſenatis* Eccleſiæ Epiſcopus fuit anno 502. ut infra aſſeritur à Roſino: *Concordio ſecondo intravenne è ſottoſcriſſe alla* 3. *è* 5. *Sinodo Romana, ſotto Simaco Papa, ſe bene ivi ſi legge in vece di Cæſenatis, Mæſenatis.*

* Concordius II. Epiſcopus Cæſ. — Celſus Roſin. avenimenti della Citta di Ceſena.

E

De Ignatio III. Epiſcopo.

IGnatius III. *Cæſenatenſis* Epiſcopus, quem *Briſſius* in ſecunda parte ſuæ Relationis Civitatis *Cæſenæ* commemorat dicens: *Si difeſe dall'aſſedio di Totila Rè de' Gotti, per ſervarſi a Santa Chieſa, & all' Imperatore Giuſtiniano nel qual negotio non potendo con l' armi riſpondere à ſi numeroſo eſſercito, mando il ſuo Veſcovo Ignatio, che con preghiere moſſe il crudeliſſimo flagello dal ruinare la Città, &c.* recenſetur a *Caſario* poſt *Flavianum* ſub anno 539. tempore *Vigilii* Papæ.

Cæſ. Briſſius pag. 25. — Ant. Cæſar.

F

De Giſulpho Epiſcopo.

GIſulphus Gothus *Totilæ* Regis Filius, ex ſequenti ejuſdem graviſſimi *Roſini* teſtimonio, Sacræ *Cæſenatenſis* ſedis (inter *Ignatium* III. & N. . . . de N. Divi *Severi* præceptorem, & præceſſorem Epiſcopos Cæſenates) an. 554. gubernacula tenuit. *l'An.* 554. *Giſulfo figlivolo di Totila Re de Gotti in queſt' anno fù Veſcovo di Ceſena. Cron. pic. in* 8. *Volater. com.* 7.

* Giſulphus Epiſcopus Cæſ. — Abbas Celſus Roſinus.

De Sancto Severo Epiſcopo.

11

SEverus de *Cæſena*, Diaconus *Ravennas*, *Cæſenæ* in Eccleſia S. *Joannis* Evangeliſtæ in Murata (ſupra cujus minorem portam hæc adhuc leguntur verba in marmore ſculp. *Vetuſtiſſimum EccleſiarumCæſenæ Domicilium*, (erat enim tunc Cathedralis Civitatis) anno Domini 565. eligitur; ſigno Columbæ cælitus dimiſſæ, ſuæ Patriæ Epiſcopus; tandem vita, & miraculis clarus ad cæleſtem patriam evolavit anno 571. die 6. Julii, & inter Sanctos relatus, Sacrum ejus corpus ad Parochialem ſuo nomini dicatam tranſlatum eſt anno 1602. die prima Decembris. Sanctum hunc Epiſcopum *Cæſenatem* collocat *Ferrarius* in Catalago Sanctorum Italiæ ſequenti nota:

Philip. Ferr. Alexandrinus die 6. Julii.

De Sancto Severo Epiſcopo Cæſenate
& Protectore ejuſdem Urbis
Severus Cæſenæ natus, &c.

De quo *Baronius* in notat. Romani Martyrol. ait: *Accepimus à Cæſenate Eccleſia acta Sanctorum Mauri, & Severi ejus Civitatis Epiſcoporum, &c.* Sancti *Severi* vita per extenſum legitur in fine quarti libri Hiſtoriarum *Claramontii.* incipit: *Sanctorum geſta Præſulum.*

Baronius in not. die 20. Januar.

De Florio Epiſcopo.

12

FLorius Epiſcopus *Cæſenas*, quem *Claramontius* Beati *Severi* ſucceſſorem dicit in ſua hiſtoria (cujus verba ſunt: *Sub hæc tempora quæ fuerit EpiſcoporumCæſenæ ſeries præſtat exponere; poſt Divum itaque Severum, qui anno* 571. *obiiſſe dicitur, fuit Florius, &c.*) alter eſt à *Floro Cæſenate* Epiſcopo, qui ſub *Agathone* Papa anno Chriſti 679. ut infra dicemus, ſedit. *Florii* hujus Beati *Severi* ſucceſſoris meminit *Caſarius* ſub anno 572.

Clar. pag. 165.

De Natali Epiſcopo.

NAtalis Utinenſis, poſt *Florium*, ut *Caſarius* notat, præfuit Eccleſiæ *Cæſenati* circa annum 590. Epiſcopus iſte, *Fortunatum* de *Cæſena*, Monaſterii Sanctorum *Laurentii*, & *Zenonis*, tunc exiſtentis in murata (*quæ ſuperior pars ſitu, & munitione Arcem, & Caſtrum Civitatis repræſentabat, & dicebatur*) Abbatem præfecit, ut demonſtrat Epiſtola, quam Sanctus Pontifex *Gregorius* Maximus, *Mariniano Ravennatum* Antiſtiti ſcribit, cujus verba ſubjicio: *Fortunatus itaque lator præſentium in monaſterio SS. Laurentii, & Zenonis, quod in Cæſenati Caſtro eſt conſtitutum, à Natali quondam Epiſcopo officium quondam Abbatis ſibi aſſerens eſſe commiſſum, &c.*

Anton. Caſar. — Clar. pag. 166.

13

S. Greg. in Regeſt. lib. 12. Epiſt. 1.

De Concordio III. Epiſcopo.

COncordius Tertius Epiſcopus *Cæſenatenſis Natali* ſucceſſit, uti colligitur ex tenore ejuſdem Epiſtolæ Divi *Gregorii* ad *Marinianum*, quæ ita proſequitur: *à Natali quondam Epiſcopo officium Abbatis ſibi aſſerens eſſe commiſſum, nunc ſe à ſucceſſore ejus Concordio, nulla exiſtente cauſa, aut culpa exinde remotum, atque alium in loco ſuo quæritur eſſe ordinatum, quod etiam, &c.* ex quo habetur *Concordium* Eccleſiæ *Cæſenatenſi* præfuiſſe tempore Divi *Gregorii.* obiiſſeque *Cæſenæ* anno 614. legimus. Hic diu rexit, & fuit antea Abbas SS. Joan. & Stephani in opido Claſſe, ſuffectus *Claudio* de voluntate Sancti *Gregorii* Papæ, qui ipſo *Claudio* mortuo, *Joanni Raven.* ſubdiacono ſcripſit, ut de *Mauro* noſtro *Cæſenate* tunc Monacho diligenter cognoſceret, ſique ad id muneris aptum reperiret, curaret, ut à *Mariniano* Archiepiſcopo Abbas dicto Cænobio præficeretur, ſicuti factum eſt.

D. Greg. Papa in Regeſt. lib. 12. ep. 1. — Regeſt. Divi Greg. Papæ. — Rub. Hiſt. Rav. lib. 4. — * *B. Maurus ex Abbate fit Epiſcopus Cæſenæ.*

est. ex Abbate postmodum eligitur à Clero Patriæ Episcopus.

De Mauro I. Episcopo.

14 MAurus primus *Cæsenæ* Episcopus, post annum 614. electus, ad Romanam Synodum sub *Martino* Papa mittitur a *Mauro* Archiepiscopo *Ravennatensi*, ut suo nomine Pontif. Maximum agnosceret. in actibus dictæ Synodi post *Deusdedit Caralitanum* Episcopum nominatur *Maurus Cæsenæ Episcopus Locumtenens Mauri Episcopi Ravennatis.* Hic est *Maurus* ille, cujus meminit *Baron.* tom. 8. Annal. Eccles. sub anno 649. num. 13. at confundit eum cum Sancto *Mauro* Episcopo, & Protectore, de quo infra suo loco dicemus.

Tom. 3. Conc. gener. & Prov. in later. Synodo sub Mart. 1. Papa.

De Floro Episcopo.

FLorus Urbis *Cæsenæ* Episcopus sedit sub *Agathone* (qui electus fuit Papa anno Domini 679.) Hujus Episcopi meminit *Baronius* in Martyrologio Romano, ubi de antiquitate *Cæsenatensis* Ecclesiæ loquitur; verba sunt: *Florus præsens fuit Romanæ Synodo habitæ sub Agathone Papa, ut ejus acta declarant, quæ sunt inserta in sex: Synodo*, in qua se subscripsit inter *Victorem Bononiæ*, & *Vitalem Faventiæ* Episcopos in hunc modum:

Baron. in notat. Martyrol. die 20. Januarii.

Victor Episcopus Sanctæ Eccles. Bonon.
Florus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Cæsenatis.
Vitalis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Faventin.

Tom. 3. Conc. pag. 68.

15 *De Constantino Episcopo.*

COnstantinus Theologus *Cæsenas* Episcopus anno Domini 690. recensetur à *Cæsario.* hunc etiam commemorat *Parthus* in suis monumentis, at confundit eum cum Episcopo *Constantio* Sancti *Mauri* Nepote. est autem monimentum, quod sequitur. *Il Beato Constantino Romano Nipote, e successore di S. Mauro nel Vescovado di Cesena gran Teologo adoperato da Papa Leone Secondo, mori in Cesena l'anno* 690. ex his constat *Constantinum Cæsenæ* Episcopum *Flori* successorem à *Cæsario* nominatum, diversum esse à *Constantio S. Mauri* Nepote, qui

Cæsenatia monim. Parthi.

CAndidum, cujus in Archivio Sanctæ Mariæ de *Monte Cæsenæ* exstat memoria, successorem in *Cæsenaten.* sede excepit.

* *Candidus Episc. Cæsenæ.*

MArcellus vero anno 709. *Candido Cæsenati* Antist. subrogatur, deinde successive *Cæsenatensem* Episcopatum tenuere

CLAVDIVS de *Cæsena* an. 742.
M. . . . . vero an. 780. &

Joannes Lucensis an. 804. quorum 4. Episcoporum mentio extat in Fragm. hist. *Cæsarii*; At quo nomine fuerit dictus Episcopus ille M. cujus nec nudum nomen exprimit *Cæsarius*, non satis constat; erit is forte.

* *Marcellus. Claudius. M. . . . & Joannes Episcopi Cæsenæ.* Ant. Cæsar. in Fragm. hist. Cæsenæ.

MAncius, cujus omnino cum nomine ipso intercidisset memoria, nisi in sacro Minorum *Cæsenæ* Archivio adhuc extaret antiquissimi sigilli impressio Beatum *Severum* civitatis protectorem repræsentans cum his verbis circumcirca: *SIGILLVM MANCII EPISCOPI CESENE.*

* *Mancius Cæsenæ Episcopus.*

ROmani etiam Episcopi *Cæsen.* an. 826. prædictis subrogati memoria omnino periisset, nisi Abb. *Ughelli* nota ejusdem nudum nomen ad nos transmisisset.

* *Romanus I. Episcopus Cæsenæ.* Ferd. Ugel. tom. 2. Ital. Sac.

De Florio II. Episcopo.

FLorius de *Neapoli* Episcopus *Cæsenæ* notatur à *Claramontio* post decimum lib. Hist. est autem nota: *Anno* 898. *erat Episcopus Florius Neapolitanus ex Collenutio, hujus meminit Rubeus sub eodem anno, dicitur assensum esse donationi à Joanne Archiepiscopo Cœnobio D. Vitalis factæ.*

Clar. pag. 246.

De Sancto Mauro II. Episcopo. 16

MAurus Ordinis Sancti *Benedicti* Monachus, & Summi Pontificis (forte *Joannis* XI.) Nepos (ex testimonio *S. Petri Damiani*) fuit; hic Patria *Romanus*, in *Cæsenatensis* Ecclesiæ Cathed. ab eodem Pontifice Max. collocatur circa annum Christi 934. quam Ecclesiam cum Sanctissime duodecim annis rexisset, migravit in Cælum die 21. Novembris an. 946. & Sacrum ejus corpus conditur apud Basilicam S. Mariæ de Monte hodie nuncupatam extra „ & prope *Cæsenam*, in loco nunc crucicula appellato, cum sequenti epitaphio:

HIC MANET ANTISTES TVMVLATVS MARMORE SANCTVS
FVLGIDVS INSIGNIS MIRANDIS NOMINE MAVRVS.

Joseph. Bonzanellus Cæl. Monach. Callin.

Deinde anno 1340. *Franciscus Ordelaphus* convenit cum *Cæsenatibus*, ut illius Sac. Corpus *Cæsenam* solemniter duceretur, & in Eccles. S. Joan. Euang. sicuti factum est, collocaretur; anno tandem Christi 1411. corporis Sancti *Mauri* translatio secunda facta est ad Ecclesiam Cathedralem *S. Jo. Baptistæ*, in qua sub ara ipsi Sancto Episcopo dicata devotissime asservatur. in Romano Martyrologio ejus memoria ponitur die 20. Januarii ob translationem sunt autem Martyrologii verba quæ sequuntur: 17

Cæsenæ Sancti Mauri Episcopi
Virtutibus & miraculis clari.

Martyrol. Rom. die 20. Jan.

De Constantio Episcopo.

COnstantius Nepos Sancti *Mauri*, ejusque in Episcopatu *Cæsenæ* successor, & Sanctimoniæ æmulator, sedit anno Christi 946. Hujus meminit S. *Petrus Damianus* his verbis: *Quidam autem antiquus admodum Senex, & corpore marcescente jam tremulus nostris nuper temporibus extitit, qui se vidisse hujus Beati Mauri Nepotem, Constantium videlicet nomine, Episcopum Cæsenatis Ecclesiæ testabatur.*

S. Pet. Dam. in vit. S. Mauri Episc. Cæsenatis.

De Gonfredo Episcopo.

GOnfredus *Cæsenas* Episcopus, *Constantio* successit anno Redemptionis nostræ 954. Extat *Claramontii* quæ sequitur annotatio: *Alter Episcopus fuit Gonfredus anno* 954 *qui eo anno, asserente Rubeo, interfuit Conventui Ravennæ a Petro Archiepiscopo convocato, &c.*

Claram. post. 10. lib. Hist. Cæsenæ.

De Sergio Episcopo. 18

SErgius *Cæsenæ* Episcopus anno 997. memoratur a *Ferdinando Ughello* Abbate Cistercien. in sua Italia Sacra, nondum edita, sequenti nota: *Sergius Cæsenatis Ecclesiæ Episcopus Concilio Ravennati interfuit sub Geberto Archiepiscopo anno* 997, *Kal. Maji Ind.* XI. *Imperante Othone ex Codice Vatic. numero* 5838.

Ferd. Ughel. tom. 2. de Episc. Ital.

De Romano II. Episcopo.

ROmanus secundus Urbis Episcopus nominatur a *Cæsario* post annum 1000. At *Ughellus* accuratissimus Scriptor, omnique fide dignus nu-

Anton. Cæsar.

numerat inter Episcopos *Cæsenates Romanum* anno 826. si duo talis nominis Antistites hujus Ecclesiæ fuerunt: *Romanus Cæsenæ Episcopus*, *qui sedit anno Domini* 826. ut notat *Ughellus*, est reponendus inter *Constantinum*, & *Florium* II. supra pag. 15.

Ughellus in Ital. Sac. tom. 2.

De Marinacio Episcopo.

M*Arinacius Cæsenæ* Episcopus ante *Joannem* infrascrip. ut in quadam donatione facta ab eod. *Jo.* Canonicis suæ Ecclesiæ anno 1042. in Archivio capituli *Cæsenæ*, exist. Verba sunt. *In die anniversarii nostri*, *& Marinacii Antecessoris nostri.* mem. antiq. Cæs. apud me pag. 521.

De Joanne II. Episcopo.

Jos. Bonzanellus.

I*Oannes* de *Cæsena* Monachus Episcopus *Cæsenæ* anno Christi 1042. memoratur à *Josepho*
19 *Bonzanellio* viro in antiquitate pervestiganda accuratiss. in suis memor. M. S. *Joanni* Episc. Cæsen. Divus *Petrus Damianus* inscripsit opusculum cujus titulus est:

S. Pet. Dam. tom. 3. opusc. 8. pag. 81.

* *Opusculum VIII. de Parentelæ Gradibus Ad Joannem Episcopum Cæsenatensem, & D. Archidiac. Raven. Reverentissimis in Christo Viris Joanni Cæsenati Episcopo*, *& D. Archid. Raven. Petrus Peccator Monachus digni famulatus obseq. Ravennam ut nostis*, *nuper &c.* Episcopus *Joannes* erat, & electus fuit de anno 1042. mense Junii, & in præcitata donatione ab eodem facta Canonicis suæ Ecclesiæ liquet. memor. antiq. Cæs. apud me Pag. 516. *Johannis* hujus, *Cæsenatis* Ecclesiæ Antistitis acta subjicio, ex invida antiquitate tandem expiscata è monumentis Archivii secreti Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, cujus mihi copiam postremo fecerunt *Petrus Bonaventura* Episcopus & Canonici, quorum Camerario Canonico *Balthassari* de *Eternis* nob. *Cæsen.* præsertim plurimum me deberi fateor.

Antiquorum Antistitum Cæsenatum Acta.

Joannes II. Episc. Cesen. [cleric]orum ad [re]gulariter [et] communi[ter] viven[dum] cogit. Ex Archivio Canonic. [...]um antiquissimi characteris Diploma [...]atum [...] III.

I*N nomine Dei & Salvat. nostri Jesu Christi anno Deo propitio Pontificatus D. N. Benedicti Sum. Pont. & universalis Papæ in Apostolica Sacratissima B. Petri Apostoli Domini sede anno Decimo, die secundo mensis Junii indictione decima, & anno ab incarn. Domini Mille quadraginta duo, post obitum Conradi Imperatoris Cæsenæ. Diversa licet in se membra retineat Ecclesia mater universalis, unita tamen est, & ratione fidei, & operatione virtutis, nam secundum Apostoli sententiam in uno corpore diversa sunt membra*, *omnia autem non eundem actum haben. & in Ecclesia diversi sunt ordines &c. sed ad unum caput quod Christus est generaliter referuntur. Constat Ecclesiam &c. aliter tamen in Ecclesia sancta Monachi*, *aliter Clerici*, *ac longe aliter laici conversantur &c.*

Et ideo EGO IOHANNES divini respectus operatione Episcopus Cæsenas. Clericorum nostri Episcopatus vitam in melius reformare, Domino inspirante volentes &c. cum consilio GEBEARDI senioris & Magistri nostri Ravennatis Sedis Archiepiscopi, aliorumque confratrum nostrorum tam Episcoporum, *quam etiam religiosorum Abbatum, aliquantos Sacerdotes, nec non & Diacones, cæterosque ecclesiastici status in unum collegimus qui ad honorem Domini*, *& Sancti Joannis Baptistæ communiter in uno loco conveniant*, *ubi communiter vescantur*, *& dormiant*, *& ad serviendum Domino sine intermissione consistant*; *& ut solummodo divini cultui mancipentur à populari conversatione removeantur*, *nam sicut ait Apostolus*, *qui militat Domino non implicet se negotiis secularibus &c. Ideo cum consilio nostrorum*

A *tam majorum quam minorum totiusque populi nostri &c. Ego prædictus Johannes Episcopus Cæsenas trado & ordino & in perpetuum dispono vobis Johannes Archipresbyter*, *Petre Presbyter*, *Johannes Presbyter*, *& per vos vestris confratribus*, *& successoribus in perpetuum qui canonico more ad serviendum nostræ ecclesiæ sunt permansuri*; *id est plebem unam integram cum omnibus sibi pertinentibus cui vocabulum est Sancti Victoris in Valle &c. Monasterium unum integrum cui vocab. est SS. Laurentii & Zenonis &c. ut &c.*

B *Debeatis etiam orare assidue pro mea*, *& meorum Antecessorum*, *& successorum anima*, *& non liceat nobis*, *& nostris successoribus hæc omnia quæ largiti sumus per ullum modum abstrahere*, *vel minuere &c. quod si quis suprad. ordinationis*, *& dispositionis statutum temerarie &c.*

Ego Gebehardus Dei gratia Archiepiscopus.

Ego Johannes gratia Dei Episcopus Cæsenatensis Ecclesiæ sic disposui, *sic decrevi*, *& in perp. valere præcepi.*

Ego Bernardus quondam Ottardi Judicis Not. in hac decreti pagina testis rog.

Ego Griso in hac decreti pag. testis rog.

* *Ego Donnus Gebizo huic Decreto interfui.*

C *Joannes scriptor.*

* *Gebizo iste test. idem est ille Gebizo de Cæsena Abbas postmodum SS. Bonifacii, & Alexii, demde Episcopus Cæsenas ann. 1083. & tandem S. R. E. Cardinalis. nobili Ottardorum Cæsenæ genere ortus, cujus alias meminis.*

De Desiderio Episcopo.

D*Esiderius Cæsenas* Episcopus anno salutis 1057. *Joanni* successit, asserente eod. *Bonz.* qui in antiquis tomis se vidisse commemorat annotatos duos Monachos *Cæsenates*, Patriæ Episcopos, videlicet anno 1046. *Joannem*, & anno 1057. *Desiderium*, cui *Gerardus Bertinorii* Comes in testam. suam Mulam anno 1062. legavit. Hujus Episcopi (cui mula legata) constantiam erg. Pont. commendat *Clar.* his verbis: *Pseudopontificis Honorii*

Jos. Bonzanel.

D *tempore vivebat is noster Episcopus*, *cui Mulam Comes Gerardus legaverat*, *qui constanti fide adhæsit vero Pontif. ut etiam reliqui Prov. Episc.*

Claram. lib. 6. Hist. Cæsenæ pag. 219.

De Illebrando Episcopo. 20

I*Llebrandus* inter Episcopos *Cæsenates* reponitur à *Ferdinando Ughello* Scriptore accuratissimo, cujus nota est talis: *Ill. forte Illebrandus Cæsenæ Episcopus*, *cujus meminit Leo Ostiensis in Chronic. Cassinen. ad annum* 1065.

Ughel. Abbas Cister. de Episc. Italiæ tom. 2.

De Gebizone Episcopo. & Card.

E G*Ebizo* Monachus Sancti Benedicti, Abbas Sanctorum *Bonifacii*, & *Alexii*, Episcopus *Cæsenæ* creatus à *Gregorio* VII. qui ei legationem summi momenti injunxerat anno 1076. ut ex codice Bibliot. Vaticanæ, qui *Cencius* camerarius dicitur, citatus & notatus à *Baronio*, est autem titulus: *Ex Synodo habita in Dalmatia à legatis Septimi Papæ Gregorii*, *scilicet à Gebizone tunc Monasterii Sanctorum Bonifacii*, *& Alexii Abbate*, *nunc vero Cæsenate Episcopo*, *nec non à Fulcoino Forosempronii Episcopo &c.* narratio vero ita incipit: *In nom. Sanctæ*, *& individuæ Trinitatis*, *anno Domini* 1076. *indictione* 14. *Mense Octobris. &c.* ex qua

Baron. tom. XI. annal. sub anno 1076. num. 66.

F constat *Zebizonem* hunc Monachum de *Cæsena* in tanta re, quanta Regni traditio est, Ministrum 21
fuisse, & legatum *Gregorii* VII. Summi Pontificis, qui cum deinde Episcopum *Cæsenæ* Patriæ suæ constituit, & S. R. E. Presbyterum Cardinalem creavit anno Domini 1084. GEBIZONIS S. R. E. Cardinalis de *Ottardis* nobilis Patritii, ac Episcopi *Cæsenatis* qui an. 1083. sedit, acta in Episcopatu Patriæ licet non inveniantur, ejus tamen Acta in apostolica sua legatione in *Dalmatiam*, & *Illyricum* sub an. 1076. ex Regest. Greg. VII. & ex Annal. *Baronii*

Alph. Ciacon. in Hist. Pont. & Cardinalium S.R.E. anno 1084. Ex Rom. Eccl. Archiviis Bibliot. Palatina, & Regist. Greg. VII. Alph. Ciacon. in Vita Greg. VII. pag. 377.

ronii ego hic & pag. 58. & 76. breviter adnotavi, A
modo subjicio nomen, & brevissime Acta *Ugonis*, qui *Gebizoni* Cardinali successit.

De Ugone Episcopo.

* *Ugo de Caesena Episcopus Caesenae.* Ugonis Episcopi Caes. Donationis monumentum ex Archivio Canonici Caes. signatum num. 21.

VGo *Cæsenas* Episcopus in demortui Cardinalis nostri *Ottardi* Antistitis *Cæsenatis* locum electus, anno 1106. capitulo Canonicorum Patriæ diversas concedit Ecclesias, & Capellas in Civitate, & diœcesi, & inter cæt. eccl. S. Lucæ in burgo, ut diffuse legitur in donationis, & concessionis privilegio, cujus originale à canonicis asservatum ita incipit: *In nomine Domini nostri Jesu* B
Christi salvatoris anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo sexto, die sextodecimo mensis Julii indictione quartadecima Cæsenæ. Ego UGO Divini respectus operatione Episcopus Cæsenas. Clericorum nostri Episcopatus &c. & dirigitur *Laurentio* ARCHIPRESBYTERO, *Leoni* presbytero, *Petro* Presbytero, *Ceconvello* Diacono, *Rainerio* Subdiacono, cæterisque ecclesiastici status congregatis ad serviendum Deo, & Divo *Joanni Baptistæ* in eccl. *Cæsenæ*. Subscribitur autem sic.

* *Archipresbyter Cathed. Caesenae an. 1106.*

Ego Ugo Cæsenæ Episcopus mea manu subscripsi.
Rodulphus Tabellio.] C

De Bennone Episcopo.

BEnno de *Cæsena* S. R. E. Cardinalis, ex nobili *Coelitorum* familia, Episcopus Cæsenatensis sedit sub *Honorio* secundo anno 1126. hunc notat *Ughellus* inter Episcopos Cæsenates, ita: *Benno Cæsenæ Episcopus reperitur subscriptus cuidam Bullæ Ecclesiæ Pisanæ indultæ ab Honorio II. anno* 1126. in Archivio Reformationum *Florentiæ* legitur dicta Bulla, cujus tenore Archiepiscopo Ecclesiæ *Pisanæ* nova confirmatione Pallii usus, & delatio Crucis conceditur cum potestate consecrandi *Corsicæ* Episcopos. adest *Bennonis Cæsenatis* Episcopi subscriptio, & insuper subscribuntur Sum. Pontifex *Honorius*, & triginta sex Cardinales, ut refert Reverendiss. *Paulus Troncius* Illustrissimi D. Archiepiscopi *Pisani* Vicarius Vir multæ lectionis, & in antiquitate pervestiganda accuratissimus, in suis annalibus manuscriptis; ex cujus copiosissima nova Bibliotheca pariter varia monimenta excerpta sunt ad hanc chronologiam attinentia.

Ughel. de Episc: Italiæ tom. 2.

Ex Bibliotheca Troncia.

22

De Oddone Episcopo, & Card.

Rub. lib. 5. Hist. Rav. pag. 334.

ODdo Episcopus *Cæsenatensis*, cujus meminit *Rubeus* in suis historiis sub anno 1151. nominatur Cardinalis à *Casario*, qui ex veteri catalogo M. S. Præsulum *Cæsenatum Oddonem* ita describit: *Oddo Cæsenas S. R. E. Cardinalis ab Innocentio Papa Secundo anno* 1130. *creatus, diu fuit Cæsenæ Episcopus, at Romæ obiit anno Æterne salutis* 1159. *Cardinalisque Sancti Georgii nuncupatus est.* Electus fuit Episcopus anno 1155. die XIX. Maji ex Archiv. Capituli Cæsenæ. Fuit ignotæ familiæ, ejus adhuc extat in Canonicorum Tabulario concessionis privilegium directum D. *Sergio* Presbytero, & Priori ecclesiæ *Cæsenaten. Andreæ*, & *Ugono* Presbyteris, *Joanni Almerico*, & *Joanni* de *Galeata* Diaconibus, atque *Henico* & *Martino* subdiaconibus; dicti privilegii initium tale est: *In nom. Dom. Anno M. C. L. V. regnante Federico & imperante Adriano Papa primo die nonodecimo Madii in Claustro Canonicæ Cæsenæ. Diversa licet &c.*

Anton. Casar. ex Vet. Catal.

Ex Archivio Canonic. Cathed. Cæs. nu. 21.

Subscriptio vero est talis.

Ego Oddo Cæsenas Episcopus &c. qui hoc fieri jussu manu mea firmavi.

De Leonardo Episcopo.

LEonardus in Sede *Cæsenatis* Ecclesiæ *Oddonem* de *Cæsena* S. R. E. Cardinalem sequutus est. Ejus meminit *Rubeus* in Ravennati Historia, in qua habetur; quod *Litteris Gerardi subscripsere Albericus Regiensis, Ugo Mutinensis, Henricus Corneliensis, Alexander Liviensis, Albertus Bobbiensis, Leonardus Cæsenas Episcopi.* pervenit *Leonardus Cæsenæ* Episc. ad annum 1182. de eo etiam Ughellus, cujus nota est quæ sequitur: *Leonardus Cæsenæ Episcopus interfuit Concilio Lateran. sub Alexan. III. anno* 1179. Ejusdem electio fuit anno 1175. mense Novembri. ex Archiv. Capituli. Cæsen. Privilegium extat apud Canonicos, quod incipit: *In nom D. an. ejusd. incarn.* 1175. *temp. F. gloriof: Imperat. & Sanctiss. Alex. sum. Pont. & universalis Papæ die* 7. *mensis Novemb. indict.* 8. *in Eccl. S. Jo: Bapt. diversa licet in se &c. & ideo Ego Domnus Leonardus Sanctæ Cæsenaten. Eccl. Episcopus. Tibi Domno LETONI ejusdem Eccl. ven. Præposito tuisq. confratribus &c.* quibus multæ conceduntur Ecclesiæ, & inter cæt. (ut propriis Diplom. verbis utar) *Eccl. S. Joannis in Ruffio, S. Mariæ in Bulgaria, & S. Martini in Rubicone.*

Rub. Lib. 6. Hist. Rav. pag. 350.

Ughel. in Ital. sac.

* *Concessio Canonicis Caesenat. facta ab Episcopo Leonardo I.* Ex Arch. Canonic. num. 11.

* *Leto iste Praepositus successit Leonardo in Episc. sede Caesena.*

Subscribitur autem privilegium sic.

Ego Leonardus Episc. in hoc privilegio à me facto SS. Ego Fulcerius Cæsenas Tabellio &c. in presentia D. Letonis præpositi, & presbyteri Dominici, Magistri Viviani & Alberi. subdiaconi.

Leto præcitatus ipsius *Leonardi* successor fuit, cujus memoria ab invida antiquitate inter monumenta Canonicorum hucusque sepulta, postremo à nobis expiscata, in memoriam revertitur hominum, ut infra.

De Letone Episcopo.

* *Leto Civis & Episc. Caes.*

D LEto de *Cæsena* ex Præposito *Cæsenatensis* Ecclesiæ, ejusdem per obitum *Leonardi* adlectus est Episcopus, qui ann. 1186. per amplissimi privilegii paginam (cujus adhuc extat in Scrinio venerandæ vetustatis Canonicorum Patriæ originale) concessit *Ugoni* ejus Præposito, cæterisque Clericis Plebem integram S. *Victoris* in *Valle*, cum titulis & Capellis (utor propriis privilegii verbis) nec non oblationibus, & decimationibus, & Aquasancta, & unctionibus vivorum & mortuorum, cum vineis, arbustis, arboribus &c. à capite Pontis *Sapis*, & quantum undique exten-
E ditur &c. Ecclesiam S. Martini prope pontem Fluminis, Ecclesiasque S. Lucæ, S. Joan. Euangelistæ, S. Severi, S. Geminiani, SS. Laurentii & Zenonis in fundo Calanca, S. Stephani in fundo Pozolo, S. Petri in Strada, S. Vitalis, S. Egidii, S. Bartholomæi, S. Mariæ in Bulgaria, & S. Martini in Rubicone, uti fusius legitur in eodem privilegio concessionum, cujus initium est

Acta Letonis Episcopi.

In nom. Dom. An. ab incarn. ejus Millesimo centesimo octuagesimo sexto die 13. *Mens. Martii, indict.* 4. *Cæsenæ in dormitorio Canonicorum, temporibus Sanctissimi Urbani summi Pont. & gloriosiss:*
F *Federici Imper. semper Augusti. Diversa licet in se membra retineat &c. & ideo ego Domnus LETO Sanctæ Cæsenatensis Ecclesiæ Episcopus tibi Domno Ugoni ejusdem Ecclesiæ ven. præposito, tuisque fratribus vid. Presbytero Enrico, Mag. Viviano Diacono, & Matheo Subdiacono &c.* & sic terminat, *hoc nostræ dispositionis decretum maneat irrefragabiliter in perpetuum.*

Ex Arch. Canon. Caesen. num. 13.

† *Ego Leto Episcopus sup. scriptæ concessioni, & confirmationi à me facte subscrisi.* Obiit *Leto* an. 1207. eique successit Oddo secundus qui an. 1208. dictum privilegium confirmavit, & ampliavit.

Duos

Duos habuit, Episcopus noster *Leto*, Nepotes; alter fuit *Leto* legis Doctor, alter vero *Andreas* test. rog. prædictarum concessionum, & donationum. Et quoniam in Actis dicti Episcopi *Letonis* existentibus in Archivio Canonicorum memoratur quidam *Joannes Bonus*, dicerem *Letonem* nepotem Episcopi legis Doctorem prædictum eundem esse *Letonem* cujus extat in vita B. *Joannis Boni* (qui in Agro Cæsenati per annos 40. mirabilem fecit pænitentiam) hæc memoria quam prout ibi jacet, subjicio. *Il Beato Gio: Buono un giorno passeggiando fu à caso incontrato da un Dottore legista addimandato LETO da cui interrogato d'un dubbio importantissimo in materia del matrimonio, & da lui santamente sciolto, Leto non acconsentendovi, anzi talri sposta per ragioni oppugnando, & quanto diceva offerendo di mostrare nel Decretale che in mano teneva (ma in vano che non vi seppe mai trovare cosa à proposito) Gioan' buono fattosi dare il libro, & apertolo à pena, ritrovo la medesima risoluzione che già data gli haveva, senza haver per l'adietro mai letto si mil sorte di libri, resto il Dottore stupefatto.*

23 *De Oddone II. Episcopo.*

ODdo Secundus *Cæsenæ* Episcopus nominatur à *Rubeo* in eadem Ravennatensi historia sub anno 1223. cum aliis quibusdam Episcopis: *Albertus Sassinas*, *Albertus Forolivienfis*, *Oddo Cæsenas*, *Ubertellus Foropompilienfis*, *Rusticus Cerviensis*, & *Albertus Fanestris Episcopi.* Ab *Oddone* hoc secundo *Letonis* successore, ac etiam à *Manzino*, qui *Oddoni* suffectus est, confirmata fuerunt Præcessorum Antistitum Privilegia Canonicis Cæsenatibus concessa; *Manzinus* enim anno 1233. die decimo sexto intrante Madio indictione sexta amplissimum fecit eis privilegium scriptum manu *Alberici Frenaroli*; idem quoque fecit *Manzini*, qui sequitur successor.

De Manzino Episcopo.

MAnzinus Episcopus *Cæsenas*, cujus meminit *Rubeus* sub anno 1234. concessit F. *Alberto Faventino* licentiam ædificandi Conventum Fratrum Minorum S. Francisci in Civitate *Cæsenæ*; Extant in ejusdem Conventus Archivio Apostolicæ literæ, quæ incipiunt: *Alexander Episcopus servus servorum Dei Dilectis filiis fratribus Minoribus Cæsen. &c. Cum à nobis petitur, &c. Dat. Lateran.* 3. *idus Febr. Pontif. anno III.* in quibus literis insertum est publicum super tali concessione instrumentum jam confectum, cujus tenor est talis: *In nomine S. & ind. Trinitatis anno Domini*
24 1258. *die Maji intrante indict.* 8. *Cæsenæ in Domo Domini Episcopi, testes ad hoc rogati fuerunt D. Berardus Patri Gastoni, Artusius, &c. & alii plures, in quorum præsentia D. Manzinus Episcopus Cæsenas pro se, suisque successoribus, de voluntate, & licentia D. Archiep. Rav. dedit, & concessit plenam licentiam, & potestatem F. Alberto de Faventia de Ord. Minor. ædificandi, & faciendi locum fratribus Minoribus in Civitate Cæsenæ incontrata Trovæ in possess. dicti Episcopatus censuali, qui locus jam emptus erat pro fratribus Minor. &c.*

De Michaele Episcopo.

MIchael eligitur Episcopus *Cæsenas* anno 1259. die 14. Maji, cujus extat, in Archivio Min. Con. *Cæsenæ* adhuc antiquum Sigillum Sancti Patris nostri *Francisci* imaginem repræsentans cum sequenti inscriptione. *Sigillum Fratris Michaelis Episcopi Cæsenæ* (ex quo deducitur ipsum fuisse nostri Seraphici Minoritani ordinis instituti professum) Capitulo Canonicorum *Cæsenæ* dat amplam paginam diversarum concessionum, cujus initium est.

In nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti Amen. Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono indictione 2. *die quartodecimo intrante madio Cæsenæ in Domo Episcopatus præsentibus Presb. Petro de Lovoleto Bonon. Diœcesis, & P. Fratre Bartholomæo Capellano Domini Episc.*

Arch. Canonic. Cæs. num. 24.

Fratre Bene &c.

Ego F. Michael Episcopus Sanctæ Cæsenatensis Ecclesiæ vobis DD. Ugolino, Bartolino &c. Canonicis ejusdem Ecclesiæ &c. concedo, trado & confirmo per hujus privilegii paginam quicquid &c. terminat vero sic: *Item largior, & concordo, & confirmo vobis, vestrisque successoribus in perpetuum tres charitativas comestiones, quas habere consuevistis in anno, scilicet in Nativitate Domini; in Paschate Resurrect. & in festo S. Joannis Baptistæ.*

Ego Leonardus Timidei Zicchæ Notarius prædictis omnibus interfui, & mand. D. Episcopi suprad. quæ supra scripsi & publicavi.

Michaelis hujus successor fuit, qui sequitur cujus memoria fuerat omissa.

De Francisco Episcopo.

FRanciscus Cæsenas Episcopus ex sacro Divi Dominici ordine assumptus anno 1263. Eum *Jo. Michael Plodius* ex *Taegii* testimonio enumerat inter illustres Ord. Prædicatorum viros sequenti nota.

* Franciscus Episc. Cæsenæ. Ambros. Taegius in lib. monum. ord. Prædic. Jo. Mich. Pio Bonon. par. 2. lib. 3. pag. 30.

Fra Francesco di natione Italiano fù Vescovo di Cesena in Romagna, & resse il suo gregge con sodisfazione commune, essendo huomo scienziato, prudente, & d'onestissimi costumi &c.

De Henverardo Episcopo.

HEnverardus è *Saxonia*, Fratri *Francisco* successit in Cathed. *Cæsen.* Ecclesiæ. Ejus meminit *Claramontius*, cujus verba subjicio. *Anno sane* 1270. *fuit Henverardus Cæsenas Episcopus, interfuit Conventui Ravennæ habito in Sacrario Eccles. D. Vitalis die festo ejusdem Sancti. Convenerunt autem (ita Rubeus) Michael Cymaclensis, Gratia Sassinas, Henverardus Cæsenas, Rodulphus Forolivianus, Ravaldinus Foropompilianus, &c.*

Claram. lib. 9. pag. 343.

De Aymerico Episcopo.

AYmericus Sanctæ *Cæsenatensis* Ecclesiæ Pontifex, anno 1290. die Dominicæ Passionis
adstitit F. *Bonifacio Lavaniæ* gentis *Gallo* ordinis 25
Prædicatorum Archiepiscopo *Ravennati* consecranti Ecclesiam Fratrum Minorum sub titulo Sancti *Francisci* magnifice à *Cæsenatibus* ædificatam, cujus Dedicationis anniversariam diem futuris temporibus celebrandam dicti Archiep. & Episc. statuerunt Fer. 2. post Dominicam in Albis. *Aymerici* hujus meminit *Ghirard.* in Bonon. Hist. sub an. 1286. dicens: *A Forlì nella Chiesa di S. Mercuriale Bonifacio Arcivescovo di Ravenna alli 8. di Luglio celebrò il Sinodo Provinciale; essendo presenti Rinaldo Forlivese, Taddeo da Forlimpopoli, Amerigo da Cesena &c. & Bonifacio Adriano, Vescovi.* Electus fuit Episcopus *Aymericus* anno 1274. mense Septembris, ut in mem. Antiq. Cæs. apud me pag. 560. Et ex Diplomate ejus existente apud Canonicos *Cæsenates* apparet ipsum fuisse Patriæ electum anno 1274. ita enim incipit: *In nomine P. & F. & SS. Ego Aymericus electus Cæsenas licet immeritus vobis DD. Ugolino nunc Camerario, Michilino, Erro, Alberico, Presb. Jacobo, Guidoni, & Leonardo* (hic Leonardus Canonicus Cæsenas ei postea successit in Episcopatu Patriæ) *Canonicis Eccl. Cæsenat. recipientibus &c.* terminat vero: *Acta sunt hæc anno Domini millesimo*

Ex Archivio Minor. Conventualium Cæsenæ.

Cherub. Ghirardacius lib. 8. pag. 268.

Arch. Canonic. Cæs. num. 14.

mo ducentesimo septuagesimo quarto indictione secunda die III. sept. Cæsenæ in Domo Episcopali præsentibus Presbytero Riccobene Capellano Domini Electi, presbytero Benvenuto Rectore eccl. Sancti Anastasii, & Bene Canonico Plebis Bulgariæ ad hæc testibus convocatis. Ego Leonardus Timidei Ziche Not. *&c.*

De Leonardo II. Episcopo.

Leonardus de *Cæsena* electus Patriæ Episcopus anno 1291. per obitum *Aymerici*, confirmatur à *Nicolao* IV. Pontif. Max. ex Ordine Minorum Conventualium assumpto. *Leonardum* hunc collocat inter *Cæsenates* Episcopos *Ughellus*, cujus notam subjicio; *Leonardus ex Canonico Cæsen. à Capitulo postulatus, confirmatur à Nicolao IV. an.* 1291. 15. *Kal. Junii Pontif.* 4. *ex Reg. Vatic. c.* 303. *f.* 60.

Fer. Ughel. de Episc. Ital.

26 *De Leonida Episcopo.*

Leonidas Cæsenæ Episcopus fuit anno nostræ salutis 1295. nam sub id tempus in Ravennatium Historiis *Rub.* nominatur sequenti nota: *Acta autem hæc in agro sunt prope Ravennam, Tadeo Foropompilii, Leonida Cæsenæ, Henrico Sassinæ Episcopis, &c.*

Rub. lib. 6. Hist. Rav. pag. 488.

De Oddone III. Episcopo.

Oddo hujus nominis *Cæsenaten.* Urbis III. Antistes anno 1303. memoratur à *Joanne Nauclerio.* habeo apud me sequentem etiam *Ughelli* notam: *Oddo Burgundus Benedicti XI. Secretarius ad Cæsenatensem sedem vocatus ab eodem anno* 1303.

Ferd. Ughellus de Episc. Ital.

De Leonardo III. Episcopo.

Leonardus tertius Ecclesiæ *Cæsenatis* Episcopus anno 1309. primam Diæcesis suæ Synodum celebravit; rei testis est *Claramontius*, cujus refero testimonium: *Archiepiscopus ergo Provincialem Synodum indixit, & Episcopus Cæsenas Leonardus Diœcesanam, quæ 6. Idus Octobris in Episcopium Civitatis convenit.* fides est apud Equ. *Claramontium.* Erat Episcopus Cæsenæ Leonardus iste anno 1305. ut liquet ex Archivio Canonicorum ejusdem Civitatis. Memor. antiq. Cæs. m. s. apud me pag. 566.

Claram. lib. 11. pag. 459.

De Joanne III. Episcopo.

Joannes de *Ricciardellis Ariminensis* eligitur *Cæsenæ* Episcopus VII. Kal. Aprilis an. 1313. per tres electores specialiter à toto Clero deputatos, hi enim *Claramontio* referente: *Joannem Præpositum Ariminensem, Cæsenatem Canonicum, in locum Leonardi prædicti Episcopi elegerunt, eodemque die in Episcopali sede magno omnium plausu collocarunt.* Hic per amplissimi privilegii existentis in Archivio Cathedralis paginam omnium præcessorum suorum concessiones confirmavit, est autem privilegii pagina, seu instrumentum authenticum apud eosdem Canonicos adhuc existens infrascripti tenoris.

Claram. lib. 12. pag. 477.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Nos Johannes Dei gratia Episcopus Cæsenaten. Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, & confidentes quod idem Prædecessores pro animabus suis suorumq. Prædecessorum, & successorum multas favorabiles largitiones, donationes, exemptiones, indulgentias, concessiones, & privilegia Dominis Præpositis, Canonicis, & Capitulo nostræ majoris Cæsenaten. Ecclesiæ obtulerunt &c. * *de quibus apparent, & nobis fuerunt exhibita & ostensa publica, & authentica instrumenta non vitiata, & non cancellata, neque abolita in aliqua parte sui. & maxime instrumentum concessionis factæ D. Præposito, & Capitulo per venerabilem patrem bonæ memoriæ D. JOHANNEM divini respectus operatione Episcopum Cæsenatem sub annis Domini Millesimo quadragesimo secundo indictione* 10. *die* 2. *Junii scriptum manu Johannis Notarii. Item instrumentum Concessionis factæ eisdem Dom. Præp. & Cap. per. b. m. Ven. Patrem D. VGVM divini respectus operatione Episcopum Cæsen. sub an. Domini millesimo centesimo sexto per Bonsilium Notarium. Item instrumentum concess. factæ præd. D. D. Præp. & Cap. per b. m. D. ODDONEM sanctæ Cæsen. Ecclesiæ Episcopum sub an. D. millesimo centesimo quinquagesimo quinto die* 19. *mensis Madii indictione* 3. *scriptum manu Joannis Tabellionis. Item Instrumentum Concess. factæ eisdem D. D. Præposito & Cap. per b. m. D. LEONARDVM Sanctæ Cæsenat. eccl. Episcopum sub an. D. millesimo centesimo septuagesimo quinto die* 7. *mens. novemb. indict.* 8. *scrip. manu Petri Turrien. Cæsen. Tabellion. Item aliud instrumentum traditionis, confirmationis, & concessionis factæ præfatis D. D. Præposito, & Capitulo per bo. mem. D. LETONEM Sanctæ Cæsen. ecclesiæ Episcopum sub an. Dom. millesimo centesimo octuagesimo sexto die* 13. *mens. martii indict.* 4. *scriptum manu Conversi Tabellionis. Item aliud Instrum. confirmationis, renovationis, translationis, concessionis, & perpetualis transactionis factæ præmisso Capitulo per b. mem: D. ODDONEM II. Sanctæ Cæsenatensis ecclesiæ Episcopum sub anno Domini millesimo ducentesimo octavo die ultimo mensis Julii indict.* 11. *per manum Ugolini Cæs. Tabell. scriptum. Item Instrum. traditionis, & confirmationis atque concessionis factæ prædictis præposito, & Capitulo per b. m. Dominum MANZINVM Sanctæ Cæsenat. Ecclesiæ Episcopum sub annis Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio die* 16. *intrante madio indictione* 6. *scriptum manu Alberici Frenarelli. Quæ omnia & singula, & in eis contenta ex certa scientia approbamus, ratificamus, confirmamus, & etiam innovamus, & insuper per nos, nostrosque successores in perpetuum vobis Dominis Bulgaro Præposito Reali, Rainaldo Albertino, Michaeli & Henrico Canonicis eccl: Cæsen. &c.* Hoc Diploma ab Archivio Capituli nunc deest.

Ex Archivio Capituli Canonicorum Cæsenæ.

Et prosequitur ibi concessio, & confirmatio diversarum Ecclesiarum, Capellarum, Orator. & Hospitalium, & aliarum rerum pro ut alias per prædictos Episc. & insuper *per Venerabilem Patrem* (utor propriis Instrumenti verbis) *D. MICHAELEM Episcopum Cæsenatem sub anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono indictione* 2. *die* 14. *intrante madio, &c.* atque *per b. m. Ven. Patrem Dominum AYMERICVM Ecclesiæ Cæsenatensis electum. sub anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto indict.* 2. *die* 3. *exeunte septemb. &c.* fuerat prædictis Præposito, & Canonicis *Cæsenatibus* concessum, salva, & reservata una parte Vacchæ pro se, & successoribus quam Plebs Sancti *Mauri* annuatim solvere tenebatur Episcopatui Cæs. & salvo quod Rectores, & Clerici Ecclesiarum possent ad Episcopum appellare; & & cum obligatione celebrandi anniversarium in Ecclesia *Cæsenæ* in perpetuum pro Episc. ut in dicto patet diffuse instrumento publico per manum *Petri* de *Aquarola*, & *Zuccii* ejusdem Episcopi *Joannis* Notariorum, atque *Guidonis de Monleone* Notarii publici confecto sub an. Domini 1315. indict. 13. die 5. mensis Martii; cujus & aliorum Episcoporum præcedentium Instrumentorum exemplaria per extensum huic chronologico opusculo non accommodarentur, compensabitur præsens brevitas ab uberiore stylo celeberrimi *Ferdinandi Ughelli*, in cujus *Italiæ* Sacræ 2. tomo mox imprimendo de Sancta *Cæsenaten.* Ecclesia fusior erit sermo, ipsi enim (qui me in hoc, & in aliis historicis opusculis conficiendis benigne juvit)

juvit) ego quoque prædictorum & aliorum, quæ ad manus meas pervenere, copias amice misi dum vitandi ocii caussa, sacra Patriæ pervolverem Archivia anno elapso. 1643.

Additiones, & correctiones nonnullæ subjiciuntur.

De Gerardo Episcopo.

GErardus electus *Cæsenatensis* Antistes anno 1323. ut in lib. Provis. Prælatorum, eodem anno post consecrationem *Cæsenam* venit, ut ex sequenti nota à *Petro* tunc temporis Episcopali Notario dictata, liquet: *Sub anno 1323. indict. 6. die 16. Augusti Venerabilis Pater Dominus Geraldus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Cæsenæ intravit Episcopatum ejus præsentialem tenutam accipiendo, & omnium singulorumque ejusdem jurium.* Post paucos menses obiit *Cæsenæ* die sexta Octobris 1324:

28

De Thoma Episcopo.

THomas de *Marro* ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Theologus, quondam Eminentissimi F. *Joannis* Cardinalis de *Murro*, assumpti ex eodem seraphico ordine Nepos, post *Gerardum*, qui brevi sedit eligitur Episcopus *Cæsenas*, cujus meminit *Ferdinandus Vghellus* his verbis: *Frater Thomas de Murro Ordinis Minorum electus Cæsenæ Episcopus anno 1324. ex eodem lib. Provis. Prælatorum.*

De Ambrosio Episcopo.

AMbrosius Episc. *Cæsenæ*, anno 1326. Hunc *Vghellus* post F. *Thomam* notat inter Episcopos *Cæsenatensis* Ecclesiæ in hunc modum: *Frater Ambrosius Cæsen. Episcopus electus anno 1326. die 27. Julij memoratur in eodem Provisionum libro.* Eminebant in Conventu Sancti Francisci Min. Conventualium *Cæsenæ* hac tempestate plures in sac. Theologia Magistri, & præcipue F. *Michael* Generalis Minister Ordinis, F. *Azzolinus* ejus nepos, F. *Amissinus*, & Frater *Ambrosius* de *Cæsena* omnes; hic inter cæteros Jo-
29 anni Max. Pontifici summe charus fuit, ab ipsoque Episcop. creatus. Forte idem est Frater *Ambrosius* electus *Cæsenatensis* Ecclesiæ Episcopus anno 1326. de quo in lib. provision.

De Francisco II. Episcopo.

FRanciscus *Brevia Venetus*, qui (uti scribit *Augustinus Crudelis* de Viris illust. Venetis) Episcopus *Cæsenæ* anno 1330. creatus fuit commendatur in Historia Venet. *Sansovini* à *Joanne Stringa aucta*, *Venetijs* an. 1604. cum hoc titulo *Venetia Citta nobilissima* impressa; hist. verba sunt ista: *Francesco Brevio, cheleffe in Padova, e poi in Roma in ragione civile, & fatto Auditore di Rota, fù creato Vescovo di Cesena, lasciò un trattato de Auctoritate Pontificis.*

De Joanne Baptista I. Episcopo.

JOannes *Baptista Acciajolus Florentinus Cæsenæ* electus Episcopus anno 1333. recensetur à *Claramontio* sequenti memoria: *Anno 1334. Kal. Maji Cæsenam venit Joannes Acciajolus Flo-*
30 *rentinus Civitatis Episcopus, rexerat vero eam Ecclesiam absens per Vicarium, & Procuratorem annum, & ultra.* decessit an 1342.

De Theodorico Episcopo.

THeodoricus de *Faventia* Ordinis Fratrum Prædicatorum *Cæsenæ* Episcopus, *Joannis Baptistæ Acciajoli* an. 1338. successor, memoratur à *Plodio* in suo libro Bonon. 1615. impresso, cui tit. est: *Della nob. e generosa Progenie del Padre S. Domenico in Italia libri due.* Historici verba sunt, quæ sequuntur. *Fra Theodorico da Faenza, che secondo il Taegio fu Vescovo della propria Patria, & huomo discreto e prudente. Vero è che Antonio Sanese Lusitano nella sua Chronica dell'ordine mette in dubbio, s' egli fosse Vescovo di Faenza, o di Cesena, & io altre volte seguendo il Taegio lo feci Vescovo di Faenza, ma da piu certe Relationi havute, e dalle memorie del Convento ritrovo ch' egli fù Vescovo di Cesena.* hæc Plodius. huic successit F. Ber.. Jo. Mich. Plod. Bonon. lib. 2. pag. 489.

De Bernardo Episcopo. Ex Reg. Vatic. Clem. 6. c. 39. anno 1.

BErnardus *Martellinus* nobilis *Florentinus* ord. Eremitarum Sancti *Augustini* eligitur *Cæsenatis* Ecclesiæ Episcopus anno 1342. 15. Kal. Augusti, rexit dictam Ecclesiam usque ad annum 1348. ut sequens indicabat sepulchralis inscriptio in ædibus S. Augustini.

M. CCC. XXXXVIII. DIE XXVIII. JULII.
OBIIT VENERAB. IN CHRISTO DOMINUS
F. BERNARD. DE MARTELLINIS DE FLORENTIA
DIVINA MISERAT. CÆSENATENSIS EPISCOPUS
ORD. FRAT. EREMITARUM DIVI AUGUSTINI,
HIC EST INERO TUMULATUS,
SPIRITUS AUTEM, ETC.

Epitaph. not. a Clar. pag. 576.

De Mario Electo.

MArius de *Tibertis* nobilis *Cæsenas* anno 1348. * *Marius Electus Cæsenas.*
ex testimonio *Nicolai Masinii II.* & aliorum antiquitatum *Cæsenæ* peritorum electus fuit à Canonicis, & Clero Patriæ Episcopus, at quoniam sum. Pont. *Clemens VI.* qui *Cæsenaten.* Ecclesiam, vivente Episcopo *Bernardo*, sibi dum vacaret, pro ea vice, reservaverat, electio *Marii Tiberti* à Clero Cæsenate (talis reservationis inscio) facta, non fuit confirmata, sed creatus fuit *Cæsenæ* Episcopus Frater *Gulielmus* de *Mirolis* Ord. Minorum Con. S. Francisci quinto nonas Octobris, ut plumbeæ ejusd. *Clem.* literæ, quæ incipiunt *Dum ad universas* ostentant. & quoniam Frater *Gulielmus Cæsenas* à Pontifice electus Episcopus, officii Inquisitoris, quod tunc temporis in Marchia *Tarvisina* exercebat, negotiis impeditus munus consecrationis non recepit infra tempus de consecrandis Episcopis à Canonibus diffinitum, *Cæsenam* non venit (ut demonstrant literæ ejusdem *Clementis* Papæ sub Dat. Avenion. 10. Kal. Feb. quibus Papa de gratia speciali ei remisit; prædictarum literarum tenorem vide supra pag. 78.) ideo *Marius Tibertus* pro Episcopo *Cæsenæ* se gessit per annum, & ultra. Luc. Wading. tom. 3. Annal. Min. pag. 371.

De Gulielmo Episcopo.

GUlielmus *Mirolius* Magister in Theologia Ordinis Minorum Conv. S. Francisci, Inquisitor Marchiæ, eligitur Episcopus *Cæsenæ* anno 1348. ut literæ plumbeæ *Clementis* VI. *Avenion.* V. nonas Octob. Pontif. sui anno 7. datæ demonstrant: *Dum ad universas &c. postmodum vero Ecclesia Cæsenatensis in eadem Provincia consistente per obitum bo: me: Bernardi Episcopi Cæsenatis, qui nuper in partibus illis infra tempus ultimæ prorogat. nostræ decessit Pastoris solatio destituta, &c.* quæ in summa continent ob mortem *Bernar.* eam Ecclesiam ipsi traditam. *Gulielmi* hujus *Cæsenatis* Episcopi meminit *Claramontius*, cujus verba sunt. *Fuit autem Gulielmus Minoritanæ sodalitatis Sacerdos, & Monasterii Bononiensis Alumnus, cumque fuit ad Cæsenatem Ecclesiam assumptus Marchiæ (ut vocant) Tarvisinæ Inquisitorem agebat.* Fratris

Luc. Wading. tom. 3. Annal. Minor. an. 1348. num. 9. pag. 559.
31
Ex Regest. Pontificio post tom. 3. dictor. Annal. pag. 371.
Claram. lib. 13. Hist. Cæs. pag. 587.

Gulielmi Minoritæ Antiſtitis *Cæſenatis* prædicti extat in Canonicorum *Cæſenatenſium* Archivio authenticum diploma quo *Nicolaum Canedonum* Archipresbyterum Plebis *Buſſani* electum *Cæſenatenſis* Eccleſiæ Canonicum confirmat. Sic incipit diploma: *In Chriſti nomine amen. Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo tertio in dictione ſexta tempore Sanctiſſimi P. & D. N. D. Innocentii Papæ VI. die 2. menſis Julii poſt tertias Cæſenæ in Sacriſtia Eccleſiæ S. Johannis Euangeliſtæ de Burgo Cæſenæ, præſentibus teſtibus ad hæc vocatis & rogatis D. Joanne de Fabriano Archipresbytero Plebis Rubiconis Cæſen. Diœceſis, FRATRE VITALE DE CÆSENA, & F. Bernardo de Arimino ORD. MINORUM &c. coram quibus Venerab. in Chriſto P. & D. FRATER GULIELMUS Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Cæſenæ. Viſo &c.* Hoc diploma ab eodem Archivio nunc deeſt.

Arch. Canonic. num. 10.

* Hic. Frat. Vitalis de Cæſena ord. min. fit Epiſc. Cæſenæ poſt F. Gulielmum an. 1358.

De Vitali Epiſcopo.

VItalis de *Cæſena* ejuſdem ordinis Minorum Conventualium, Franciſcani Cœnobii *Cæſenatis* Alumnus, per obitum fratris *Gulielmi*, eligitur à Clero, & iterum à Pontifice Maximo, tunc *Innocentio VI. Cæſenæ* Patriæ ſuæ Epiſcopus anno 1358. ut ex Apoſtolicis ejuſdem *Innocentii* literis, quarum tenor ſubjicitur, patet.

Dilecto Filio Vitali de Cæſena Electo Cæſenati. Inter cætera, quæ ſuperna &c. dudum ſiquidem bo:
32 *me: Gulielmo Cæſenaten. regimini Cæſenaten. Eccleſiæ præſidente, nos cupientes, &c. reſervandam &c. decernentes ex tunc &c. poſtmodum vero prefata Eccl. per ejuſdem Gulielmi obitum, qui extra Romanam curiam deceſſit, paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccl. &c. Te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, in eorum, & dictæ Eccleſiæ Epiſcopum concorditer elegerunt, &c. Nos igitur attendentes, &c. Demum ad te litterarum ſcientia præditum, vitæ, & morum honeſtate decorum, prudentia ſpiritualium, & providentia temporal. &c. laudabiliter inſignitum direximus, &c. quibus omnibus, &c. Dat. Avenio. idibus Aprilis an. 4.* Vitalis Epiſcopi Cæſenatis meminit Wadingus his verbis: *An. 1358. Aſſumpti ſunt ad Eccleſias regendas hoc anno F. Petrus, &c. ad Cæſenatem vero Eccleſiam ſub Archiep. Ravennæ, per obitum Gulielmi etiam Minoritæ, Frater Vitalis de Cæſena.*

Reg. Vatican. lib. commun. Epiſt. 17. Innoc. 6. an. 6. & Wading. poſt 4. tom. pag. 62.

Tom. 4. Annal. Minor. an. 1358. num. 5.

De Bencivenno Epiſcopo.

BEncivennus de *Bononia* anno 1363. eligitur Epiſcopus *Cæſenatenſis* per obitum Fratris *Vitalis*. Ughelli nota eſt quæ ſequitur: *Bencivennus Bononienſis Epiſcopus Cæſenas Vicariuſque Americi Epiſc. Bonon. an. 1363.*

Ex Reg. Vatic.

Ferdin. Abbas Ughel. tom. 1.

De Lucio Epiſcopo.

33 LUcius de *Callio* Canonicus *Paduanus* poſt *Bencivennum Bononienſem* Eccleſiæ *Cæſenatis* electus eſt Epiſcopus 3. idus Decemb. an. 1364. Deinde decennio elapſo ad *Volaterranam* translatus eſt Eccleſiam anno 1374. ut *Scipio Amiratus* junior in ſuis addit. aſſerit, & non 1369. ut *Amiratus* Senior ſcripſerat; nam *Lucius* hic *Cæſenæ* Epiſcopus Apoſtolicus in *Thuſcia* Nuncius, deputatur Viſitator Eccleſiæ *Piſanæ* à *Gregorio* XI. anno 1370. ut ex Diplom. Pontificio *Piſis* exiſtente, quod incipit: *Gregorius &c. Ven. Fratri Lucio Epiſcopo Cæſenaten. Apoſtolicæ Sedis Nuncio ſal. & Apoſt. bened. Ad Eccleſiarum omnium ſtatum ſaluhriter dirigendum, &c. Dat. Avenio. 3. Kal. Januar. Pont. an. 1.* Acceſſit *Lucius* Epiſcopus *Cæſenas* ad viſitandam *Piſanam* Eccleſiam an. 1372.

Ex Reg. Vatic.

Lib. de Epiſcopis Feſulanis, & Volaterranis.

Ex Archivio Capitnli Primitialis Eccl. Piſ. ſub an. 1270.

A die 10. Martii. ut ex actibus Capituli ejuſdem Eccleſiæ. Hoc eodem Anno *Gregorius* Papa XI. conceſſit facultatem Fratribus Ordinis Minorum Conventualium accipiendi habitationem, Eccleſiamque Cæmeterium, Domus, & alias officinas neceſſarias pro eorum uſu recipiendi, fundandi, & conſtruendi, & perpetuo retinendi in loco, 34
ſeu Terra Portus Cæſenatici, Cæſenatenſis Diœceſis. Diploma autem Apoſtolicum hujus conceſſionis (quod incipit *Gregorius Papa XI. Dilectis filiis Miniſtro Provinciali, & Fratribus Ord. Minorum Provinciæ Romanulæ, &c.* Dat. *Avenio.* 2. idus Decembris anno 2. ſui Pontificatus, Chriſti
B vero 1372.) extat in Regeſt. Pontif. poſt. 4. tomum Annalium *Lucæ Wading.*

Poſt. tom. 4. Annal. Minor. Wading.

De Lucio II. Epiſcopo.

LUcius Sabellius in Romana curia Prælatus per tranſlationem *Lucii Callienſis*, in Præſulem *Cæſenatis* Eccleſiæ aſſumitur anno 1374. *Lucium* hunc antiquum quoddam monimentum, cujus initium eſt: *In diebus illis dum ab ortu Chriſti Domini, & Domini noſtri mille trecentorum ſeptuaginta quinque annorum laberentur curricula, &c.* valde
C commendat, & nominat *Epiſcopum Civitatis, Sanctitatis virum, ſacrique juris Pontificii Doctorem &c.* & infra ſubjungit: *præter hoc autem, & vix anni completo curriculo eundem Lucium Epiſcopum pro ſuæ Eccleſiæ opportunis arduiſque agendis Romam ire oportuit, & viſitatis maximo Pontifice, & ſacro cœtu Cardinalium, Sanctæque ſedis Apoſtolicæ Prælatis præſentibus, de quorum Collegio in* 35
Præſulem Cæſenatis Eccleſiæ fuerat aſſumptus, &c. Hoc monimentum prædictum in Rememoratione quorundam omiſſorum poſt 15. Hiſtoriarum *Cæſenæ* librum repoſitum à *Claramontio*, cujus graviſſimi Authoris ita poſt monimentum proſe-
D quitur narratio: *Si tum Lucius Epiſcopus foret, utque aliqui dicunt ex nobiliſſimo Sabelliorum genere, fuiſſent duo Lucii Epiſcopi Cæſenates, alter Callienſis, qui anno . . . . ex hac ad Volaterranam Eccleſiam tranſiit, & Lucius poſtea Sabellius.*

Monim. apud ſeptuaginta Antea q. Martini Baſtardi Not. Cæſenat.

Clar. pag. 708.

De Joanne IV. Epiſcopo.

FRater *Joannes* Epiſcopus *Cæſenæ* anno 1375. ut habetur in ſubſcriptione trium Notariorum facta in collatione ſententiæ latæ à *Petrocino* Archiepiſcopo *Raven.* anno 1369. inter Epiſcopum *Lucium*, & Capitulum *Cæſen.* quæ ſententia in
E hædina pagina ſervatur in Archivio Canonicorum *Cæſenæ*. Mem. antiq. Cæſen. apud me exiſt.

De Aloyſio Epiſcopo.

ALoyſius *Cæſenæ* Epiſcopus conſecratus anno 1376. cujus memini ſup. 3. tit. hujus Chronol. eſt collocandus poſt *Lucium II.* tit. 1. pag. 35. hic conſecravit Altare S. Crucis exiſtentis *Piſis* in Prioria S. *Sixti*, ut alias dixi ex Teſtimonio *Jo. Bapt. Totti.*

* Aloyſ. Epiſc. [illegible]

De Jacobo I. Epiſcopo.

F JAcobus *Cæſenas* Epiſcopus ex Ordine Servorum Beatæ Virginis Mariæ aſſumptus eſt ad patriam regendam Eccleſiam poſt *Aloyſium* an. 1379. ſed paulo poſt vita functus eſt; ejus Generalis Vicarius fuit *Laurentius* majoris Eccleſiæ *Cæſenæ* Præpoſitus, ut ex authentico exemplari Apoſtolicarum literarum *Urbani* Papæ ſexti exiſten. in Archivio noſtro S. *Franciſci*, quarum tenore Ancianis & Conſilio Civitatis *Cæſenæ*, idem Pontifex concedit facultatem mittendi duos Scholares *Cæſenates* ad Collegium *Bononienſe*, & præcipit Rectori

* [illegible]

ctori Collegii, ut dictis Scholaribus *Cæsenatibus*, sicut aliis ejusdem Collegii Alumnis, provideat, & sincera eos in Domino charitate pertractet. incipiunt Apostolicæ literæ sic: *Urb. Ep. Ser. Ser. Dei Dilectis filiis Ancianis & consilio Civit. nostræ Cæsenatum Sal. & ap. ben. D. eximiam vestræ fidelitatis constantiam diligenter attendimus, libenter ea concedimus, quæ in vestrum commodum &c.* terminant autem ut infra: *Si quis &c. se noverit incursurum. Dat. Tibure 4. non. Augusti Pont. nostri an.* 1. quibus litteris, seu cui exemplari hæc subjicitur recognitio ex rog. Notarii. *In Dei nomine amen anno à nat. ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo nono indictione secunda tempore S. in Christo Patris D. N. Urbani &c. an. 2. die 8 Octob. hoc exemplum lit. Papalium per me Bartolum Notarium &c. ex veris, & integris lit. Papalibus &c. coram Ven. viro D. Laurentio majoris Ecclesiæ Cæsen. Præposito, Reverendique Patris, & Domini FRATRIS IACOBI Dei, & Apost. sedis gratia Episcopi Cæsenatis, in spiritualibus & temporalibus Vicario Generali &c.* Et 4. Notarii subscribuntur videlicet *Giliotus*, *Petrus*, *Minus*, & *Bartholus*, ut ibi.

Arch. Min. Con. Cæs. num. 38.

De Averardo Episcopo.

Averardus Episcopus Cæsenæ, *Jacobi I.* Successor (cujus meminit *Casarius*, sub anno 1383.) fuit de *Brixia* oriundus ordinis Fratrum Prædicatorum professus, nam inter illustres Viros ejusdem sacræ familiæ numeratur à *Seraphino Razzio* in sua Historia, tit.

Vescovi dell' ordine de' frati Predicatori.
nu. 67. *F. Gregorio Fiorentino Vescovo di Faenza.*
68. *F. Averardo Bresciano Vescovo di Cesena.*
69. *F. Ugone da Rimini Vescovo di Senigallia.*

Razzius in Hist. Viror. illust. sacri Ord. Præd. pag. 90. num. 68.

Hunc *Plodius* in suo libro inscripto *della Progenie di S. Domenico in Italia* commemorat dicens: *F. Averardo de Brescia, che per le sue virtù fù creato Vesc. di Cesena nella Romagna &c. di cui fà honorata mentione Ambrosio Taegio ne suoi monumenti in questa maniera. Frater Everardus Brixianus ex Prov. Lombardiæ, Episcopus Cæsenatensis in Romandiola, vir discretus, & prudens, & doctus plurimum &c.*

De Julio Episcopo.

Iulius de *Malesardis* nobilis *Cæsenas* Patriæ Episcopus an. 1385. ejus meminit tit. 3. lectorem illuc remitto.

[1] Julius Episc. Cæs. tit. 3. Chronol. pag. 85.

De Jacobo II. Episcopo.

Iacobus ord. Carmelitarum professus *Cæsen.* Episcopus,[1] est reponendus sup. pag. 36. inter *Julium* scilicet[1], & *Johannem* à *Bonif. IX.* elect. Habetur enim usque in hodiernum diem *Cæsenæ* in sacro Fratrum Eremitarum Archivio diploma, quo *Jacobus Cæsen.* Episcopus nominatur anno 1391. post quem eligitur an. 1394. Episcopus *Johannes IV.* incipit autem Diploma prædictum, ut infra. *In Christi nom. amen anno à nativitate ejusdem millesimo trecentesimo nonagesimo primo indictione 14. tempore S. in Christo P. & D. D. Bonif. Divina provid. Papæ noni die 3. mens. Aprilis. Venerab. Vir Dom. Sanctes Archipresbyter Plebis S. Mauri, Reverendique in Christo Patris, & Domini Frat. Jacobi Carmelitæ Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopi Cæsenatis in spiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis &c.*

[1] Jacobus Episc. Cæs.

Ex Archivio F. S. August. Cæs.

36 *De Joanne V. Episcopo.*

Ioannes Quintus hujus nominis *Cæsenatis* Urbis Antistes numeratur sub anno 1394. inter Episcopos *Italiæ* à *Ferdinando Ughel.* qui sic cum

A notat: *Joannes Cæsenæ Episcopus anno 1394. ex libro Obligat. Prælator. sub Bonif. IX.*

Ughellus tom. 1. Ital. sac.

De Jacobo III. Episcopo.

Iacobus de *Boschettis* Episcopus *Cæsenas*, post *Joannem* prædictum, recensetur ab *Ughello* sequenti nota: *Jacobus Boschettus Mutinensis Episcopus Cæsenas cum ad eam dignitatem pervenisset an. 1398. videreturque Antipapæ Benedicto XIII. hæsisse, ita resipuit &c.*

Ferd. Ughel. ex lib. oblig. Prælat.

De Jacobo IV. Episcopo.

B Iacobus de *Esculo*, cujus extant acta adhuc in Archivio Canonicorum *Cæsenæ*, successor fuit *Boschetti* an. 1398. hic est *Jacobus* ille de *Saladinis* nobilis *Asculanus Picenus* de quo supra pag. 81. qui obiit *Asculi* an. 1405. & apud Nicolutium Patrem apud Fratres Minores tumulatus est.

Jacobus 4. Ep. Cæs.

De Gregorio II. Episcopo.

Gregorius *Malesardus Cæsenas*, Ordinis Prædicatorum, Magister in Theologia, hæreticæ pravitatis Inquisitor, per mortem *Jacobi* eligitur à Summo Pontifice anno Domini 1405. Episcopus *Cæsenæ*: Memoria à *Gabriele Naudeo*
C missa, & à *Claramontio* relata est quæ sequitur: *Gregorius de Cæsena ordinis Fratrum Prædicatorum eligitur ab Innocentio VII. in Episcopum Cæsenatensem per obitum Jacobi, 4. non. Decemb. Anno 1405.* 37
Plodius ejus sic meminit: *Fra Gregorio Malesardi nobile di Cesena, & Maestro in Teologia, hebbe il Vescovado della propria Patria &c. è mentre fù Vescovo diede principio alla fabrica del Duomo, e del Palazzo Episcopale.* Ejusdem ossa anno 1681. reperta fuere in quodam concavo muri Chori Cathedralis *Cæsenæ*, dum Fr. *Vinc. M. Ursinus* S. R. E. Card. Episcopus Cæsenæ, Chorum ligneum, sive stallos, quos dono dedit fratribus
D servorum, ab eadem Cathedrali, & Choro removere fecit. Ab eodem Card. in Capsula plumbea in limine medio ejusd. Cathed. extra Presbyterium quinque circiter cubitus tumulantur.

Ex lib. de Regularibus, & provis. Prælat. an. 2. Innoc. VII. fol. 204.

De Victore Episcopo.

Victor *Ariminensis*, Ordinis Divi Augustini, Doctor Theologus, eligitur à Papa *Cæsenæ* Urbis Episcopus anno 1419. per obitum Fratris *Gregorii Malesardi*. Hæc est nota ab eodem *Naudeo* missa: *Victor de Arimino Ordinis Eremitarum Sancti Augustini præficitur à Martino V. in Episco-*
E *pum Cæsenatem per obitum Gregorii. sub Dat. Florentiæ 3. Non. Julii Anno 11. Martini V. fol. 248.*

Lib. 16. hist. Cæs. pag. 725.

De Sebastiano Episcopo.

Sebastianus de *Cæsena* vir literarum scientia præditus, vitæ, & morum honestate decorus, per obitum Fratris *Victoris*, cujus fuerat Vicarius Generalis, eligitur Episcopus *Cæsenæ*, ex Præposito Cathedralis ejusd. ut sequens *Ughelli* indicat nota: *Sebastianus Cathedralis Præpositus ad Cæsenatem dignitatem assumptus est anno 1425. die 27. Februarii. decessit eodem anno. ex lib. Provis.*
F *Prælatorum.*

Fer. Ughel. de Episc. Ital.

De Paulo Episcopo. 38

Paulus *Ferrantes* à *Meldula Martini V.* Datarius, ab eodem Pontifice electus est Episcopus *Cæsenas* anno 1426. die 27. Febr. ut ex sequenti nota habemus: *Paulus Episcopus Cæsenatensis die 27. Febr. 1426. anno IX. Martini V. provisa Camera Apostolica, pro ut &c.* Hunc aliqui *Paulum* à *Meldula*, alii *Paulum* à *Caminate* vocant; sicuti etiam a *Caminate Joannes II. Cæsenæ* Episco-

Ex lib. oblig. Prælat. sub Mart. V. fol. 525.

A pus qui sedit anno 1313. ab *Ughello* dicitur: *Jo. Ambonus à Caminate.*

De Augustino Administratore.

AUgustinus *Romanus* Generalis Ord. Eremit. S. Augustini, Archiepiscopusque *Nazarenus*, anno 1431. *Cæsenatensem* administrandam suscepit Ecclesiam, ejusque Commendatarius fuit usque ad 1435. quo tempore libere cessit, & tandem *Prati* obiit an. 1443. & apud Frat. sui Ord. quiescit, ejusque Imago in Sac. Teat. *Romæ* impresso inter Illust. Viros Ord. Erem. visi-

Sac. Teat. Hist. Erem. Augustin.

B tur cum sequenti inscriptione. *Beatus Augustinus Romanus Episcopus Cæsenatensis, quiescit Prati in*
39 *ædibus Sancti Augustini.*

De Petro Episcopo.

PEtrus *Vallius*, seu a *Valle* Anno 1435. creatur Episcopus, perpetuusque Administrator Ecclesiæ *Cæsenatis* designatur. Hunc *Claramontius* pariter inter *Augustinum*, & *Antonium* collocat, verba sunt: *Ut Augustinus anno 1431. fuerit, sed ei adhuc viventi suffectus fuerit ante Antonium, Petrus Vallius, seu à Valle, &c.*

Claram. in Hist. pag. 736.

C *De Antonio Episcopo.*

ANtonius *Malatesta* Comitis *Philippi* de *Ghiaggiolo* filius, mortua uxore, Clericalem assumpsit habitum, Præpositusque Forosemproniensis Ecclesiæ fuit, deinde *Cæsenæ* Episcopus creatus est Nonis Decemb. ejusdem anni 1435. Hic œcumenicæ Syn. Floren. Sess. 25. interfuit anno 1439. & in hunc modum se subscripsit: *Ego Antonius Episcopus Cæsenatensis me subscripsi.* Requievit tandem in pace Servus Dei Episcopus *Antonius Malatesta* anno Domini 1463. & in Cathedrali sepultus est.

Lib. oblig. Prælat. sub Mart. V. & Eugen. IV. fol. 212.

Tom. 4. Conc. pag. 586.

40 *De Joanne VI. Episcopo.*

IOannes *Venturellius Amerinus Umber*, an. 1475. *Romæ* consecratus, fuit Episc. simul, & Gubernator Civitatis *Cæs.* Arcisque Præfectus, cui *Sixtus* Papa IV. ex ordine Minor. Conventualium assumptus, amplissimum regimen usque ad *Isaurum* concessit suo Diplomate *Romæ* Dat. Pontificatus sui anno v. sub signo Plumbeo, ita incipiente: *Sixtus Episc. servus servorum Dei Venerabili F. Joanni Episc. Cæsenati, Civitatis nostræ Cæsenaten. aliorumque Civitatum Terrarum, Castrorum, & Locorum Provinciæ nostræ Romandiolæ usque ad Flumen foliæ, &c. Generali Gubernatori salutem, & Apostolicam benedictionem. Cunctorum Christi fidelium, &c.* obiit Joannes Romæ anno 1486.

Lit. Pontif. Sixt. Papæ Quarti.

41 *De Petro II. Episcopo.*

PEtrus *Mentius* Vicentinus Cameræ Apost. Gen. Auditor, an. 1486. 5. id. Maji ab *Innocen. VIII.* Episc. *Cæsenæ* electus est. tandem obiit *Romæ*, ubi sepulchrum ejus magnificum, & inscriptio ipsi *Petro de Vicentia Pontifici Cæsenati* visitur in D. Mariæ de Ara cæli.

Elogium Sepulch. marmor.

De Fatio Episcopo, & Card.

FAtius *Sanctorius Viterbiensis* Episcopus *Cæsenas* S. R. E. tit. Sanctæ Sabinæ Presbyter *Cardinalis Cæsenatensis nuncupatus* anno 1504. *Mentio* successit. *Romæ* postmodum decessit die 22. Martii 1510. *Cæsenæ* vero obiit anno 1511. die 22. Sept. *Petrus Isuallies* S. R. E. Cardinalis S. Cyriaci.

Ciacconius, & Platina.

Alph. Ciaccon. in fine vitæ Julii Papæ II.

De Christophoro Episcopo.

CHristophorus *de Spiritibus Viterbiensis* in Episcop. Cathed. *Cæsenatis* Ecclesiæ successit Cardinali prædicto anno 1510. Interfuit sub *Leone X.* Lateranen. Concilio, anno Domini 1513.

Tom. 4. Concil. pag. 140.

De Joanne Baptista II. Coadjutore. 42

IOannes *Baptista* de Spiritibus Viterbiensis Christophori Nepos, ejusque in Pastorali cura Cæsenatensis populi Coadjutor electus anno 1545. 20. Novemb. usque ad annum 1556.

Claram. in Hist. Cæs. pag. 757.

De Adovardo Episcopo.

ADovardus *Gualandus* nobilis *Pisanus* vir omnigena doctrina, summa prudentia, morumque integritate nunquam satis laudatus, anno Domini 1557. post Christophorum, creatur Episcopus *Cæsenæ. scripsit XVI. libros de Civili facultate.* obiit in Urbe anno 1597. die 17. Martii.

Tract. de Civili facult. Romæ impress.

De Camillo Episcopo.

CAmillus *Gualandus Pisanus*, Nepos *Adovardi* prædicti, cui viventi, & se ultro abdicanti suffectus est, die 30. Martii an. 1588. sub *Sixto V.* Pont. Max. ex ord. Min. Con. assumpto; Obiit *Camillus* anno 1609. *Pisis.*

Monim. Gualand. Pis.

De Mich. Angelo Episc. & Card. 43

MIchael *Angelus Tontus Ariminensis* S. R. E. tit. Sancti Barth. in Insula Presbyter Cardinalis Nazarenus nuncup. creatus fuit *Cæsenæ* Episcopus à *Paulo Quinto* Pontifice Maximo per mortem *Camilli Gualandi*, die 22. Febr. 1609.

Ciaccon. inter Card. Pauli V.

De Francisco III. Episcopo, & Card.

FRanciscus *Sacratus Ferrariensis* S. R. E. tit. Sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis, per obitum Cardinalis *Nazareni*, creatus
D fuit Episcopus *Cæsenatensis* à *Gregorio Decimo quinto* Summo Pontifice anno 1622. die 15. Junii.

Idem inter Card. Gregor. XV.

De Laurentio Episcopo.

LAurentius Comes *Campeggius Bononiensis* post obitum Cardinalis *Sacrati* eligitur Episcopus *Cæsenatensis* Ecclesiæ die 18. Decembris 1623. à Sanctissimo Domino N. *Urbano* Papa *Octavo*, & post quinquennium ad *Senogalliensem* translatus est Ecclesiam.

Clar. pag. 757.

De Petro III. Episcopo. 44

E PEtrus *Bonaventura* nobilis *Urbinas* anno 1629. per translationem *Laurentii* prædicti assumitur ad regendam Sanctam *Cæsenatensem* Ecclesiam, quam adhuc regit anno 1642. Pastor vere bonus, qui ut primi Pastoris (cui suas Christus commisit pascendas oves) possidet nomen, sic æmulatur vigilantiam, & probitatem, populumque *Cæsenatem* sibi ab *Urbano Octavo* ejusdem Christi Vicario commissum sollicite gubernat; & ut Seraphici *Bonaventuræ* sortitur cognomen, ita vita, moribus, & conversatione Angelicus omnium in se trahit amorem. Obiit *Petrus Bonaven-*
F *tura* anno 1653. Pridie Nonas, seu Nonis Julii.

De Flaminio Episcopo.

FLaminius *Marcellini* Sanctissimus Ecclesiæ *Cæsenatis* Episcopus successor *Petri Bonaventuræ*, ab anno 1655. usque ad 1677. quo pridie Idus Martii, universo, nullo excepto, dolente Populo, obiit cum fama, & opinione Sanctitatis: Tumulatur in Choro Cathedralis *Cæsenæ*; ubi etiam tumulatus est *Petrus Bonaventura.* Nobilis erat *Romanus*, licet originarius à Monte Politiano. Pro ejusdem Canonizatione *Jo. Fontana Cæsenæ* Epi-

Episcopus de anno 1714. vel 1715. inceperat Processus, quem non absolvit interveniente ejusdem morte. Super ejus Sepulcrum multoties inventi sunt Cerei, Lampades, & Vota argentea.

De Jacobo V. Episcopo.

I*Acobus Fantuci*, sive *Elephantuci* Patritius *Ravennatensis* ab *Innocentio XI.* creatur Episcopus *Cæsenæ* anno 1677. de Mense Julii. Obiit *Ferrariæ* anno sequenti, Duodecimo Kalendas Decembris.

De Fratre Vincentio Maria Episcopo, & Cardinali.

Frater *Vincentius Maria* tituli S. Xisti Presbyter Cardinalis *Ursinus*, *Romanus*, ex Ducibus *Gravinæ*, Ord. Prædicatorum, anno 1680. sexto Idus Februarii à Summo Pontifice *Innocentio Undecimo* à *Sipontino* Archiepiscopatu ad hanc transfertur Episcopalem Ecclesiam, quam rexit per sexennium: Deinde anno 1686. quintodecimo Kalendas Aprilis ab eodem Pontifice transfertur ad Archiepiscopalem *Beneventi*.

De Joanne Casimiro Episcopo, & Cardinali.

IO. *Casimirus* tituli Sancti Jo. ante Portam Latinam S. Rom. E. Presbyter Cardinalis *Denhoff*, *Polonus*, ab eodem Pontifice duodecimo Kalendas Septembris anni 1687. Sanctæ *Cæsenatis* Ecclesiæ deputatur Episcopus; cui cessit, sic jubente Pontifice Maximo *Innocentio Duodecimo*; sed cooperavit ut crearetur in ejus locum infrascriptum.

De Joanne VII. Episcopo.

IOannes *Fontana* à *Mutigliana Romandiolus*, sed Status *Etruriæ*, Generalis Vicarius ejusdem Em. *Denhoff*, qui hanc Sedem Episcopalem tenuit à tert. nonas Junii 1697. usque ad Sext. Nonas Martii 1716. in qua die obiit. tumulatur in Cathedrali in Choro.

De Marco Episcopo.

M*Arcus Bartaglini Ariminen.* à *Nuceriana* Sede ad hanc *Cæsenat.* translatus est Ecclesiam Tertiodecimo Kal. Julii 1716. ad quam accessit Octavo Idus ejusdem mensis. *Cæsena* diu non meruit frui tali Pastore Virtutibus omnibus ornato: quia decessit in Castro, sive Villa S. Mauri prope *Sabinianum* tertiodecimo Kal. Octobris; Decimo vero Kal. tumulatus fuit in Cath. *Cæsenæ*, sociatus lachrymis omnium.

De Francisco Xaverio Episcopo.

F*Ranciscus Xaverius Guicciardi Rheticus* de *Valle Tellina*, Patria *Sundria* à *Clemente XI.* Sum. Pont. à *Narien.* ad hanc transfertur Episcopalem Ecclesiam Tertiodecimo Kal. Aprilis, ad quam regendam personaliter venit tertio Idus ejusdem Mensis anni 1718. Feriam secunda majoris hebdomadæ. Pastor vere dignus nedum tali, verum etiam excelsiori gradu, & dignitate: diu vivat. Hunc, ejusque Prædecessores, ex vetustatis tenebris hinc inde excerptos, & ordinate sub titulo Antist. Sanctæ *Cæsenatensis* Ecclesiæ in unum collatos, ante illustres quoscumque Viros *Cæsenates* collocavi, cum dicat Apostolus *Paulus* scribens ad *Timotheum* ejus discipulum (qui *Cæsenam* vetustissimam Civitatem ad Christi fidem convertit)

qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.

Epist. 1. ad Timoth. cap. 5. num. 17.

Monumenta, aliaque Diplomata Cæsenatensis Ecclesiæ exhibentur.

ANno 192. Prima Cathedralis *Cæsenæ* consecratur à Sancto *Eleutherio* Papa, ut alibi dixi ex testimonio *Rosini*, & aliorum.

Ant. Cæsar. Rosin. & alii.

Anno 426. Sancta *Cæsenatensis* Ecclesia, quæ uni soli Romano Pontifici, à suis incunabulis parebat, ab Imperatore *Valentiniano* subjicitur Archiepiscopo *Ravennati*, Episcopusque *Cæsenas* ab anno 426. & deinceps semper fuit suffraganeus dicti Archiep.

Rub. lib. 2. Hist. Rav. pag. 97. & Clementinus lib. 2. Hist. pag. 176.

An. 649. Episcopus *Cæsenas* in Lateranen. Concilio sub *Martino* Papa celebrato tenet locum Archiepiscopi *Ravennatis*, primusque post Pontificem Maximum loquitur.

Tom. 3. Concil.

An. 788. *Carolus* Magnus Episcopum *Cæsenatensis* Ecclesiæ suffraganeum declarat Metropolitani *Ravennatis*.

Hieron. Rub. pag. 231.

An. 1224. *Honorius* Papa III. in Apostolicis litteris directis *Simoni* Archiepiscopo *Ravennati*, enumerat loca Episcopatui *Cæsenati* subjecta dicens: *In Episcopatu Cæsenaten. Castrum Subrivolæ, Castrum montis Cuchi, Castrum Sagliani, Castrum Montis Girardi, Castrum Sergiani, & Flaibannum, Castrum Deolaguardæ, Castrum Casalechi, & Rudiliani, Castrum Stagnani, Villam Rontæ, Castrum Riversani, Castrum de Monte, & Castrum Ranchi, cum jurisdictione, & pertinentiis suis, & locum qui vocatur Mercatum Saracenum &c.*

Bul. Honor. III. cit. à Rub. pag. 390.

An. 1378. *Urbanus* Papa *Sextus* sequenti diplomate concedit licentiam ædificandi, & erigendi, * novam Ecclesiam Cathedralem.

* *Nova Cathedralis Eccl. Cæs.*

Urbanus Episcopus Servus servorum Dei. Ven. Frat. Episcopo Bretinorien:

Justis petentium &c. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpositi, & Capituli, ac Civium, & communis Civitatis nostræ Cæsenaten. petitio continebat, quod cum Ecclesia Cathedralis ipsius civitatis eo quod posita sit & inclusa in Citadella, seu Fortalitio alias vulgariter murata nuncupato &c. difficulter adiri queat &c. sitque in Civitate ipsa quædam Ecclesia Parochialis Crucis marmoris appellata &c. ubi &c. fuit nobis humiliter supplicatum, ut ædificandi, & erigendi in loco ejusdem Ecclesiæ Parochialis novam Ecclesiam Cathedralem in honore, & sub vocabulo S. Joannis Baptistæ, sicut antiqua Ecclesia erat, licentiam &c. concedere dignaremur. Nos igitur &c. Fraternitati tuæ &c. mandamus quatenus ad nostram civitatem Cæsenæ personaliter te conferas &c. & si inveneris ita esse; dictis præposito, & capitulo, civibus, & communi &c. construendi, erigendi in eodem loco Ecclesiam Cathed. hujusmodi in hon. & sub vocab. S. Joannis Baptistæ &c. autoritate Apostolica licentiam postulatam, quodque Ecclesia nova postquam ædificata, & consecrata fuerit, ac personæ degentes in ea omnibus immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, & donationibus & privilegiis, quibus antiqua Ecclesia gaudere solebat, gaudeant, eadem auctoritate concedas. Const. Apost. non obstant: quibuscunque. Dat. Tibure 4. non. Augusti Pont. nostri an. 1.

Ex Arch. Canonic. Cæs.

Valramus.

Privilegia Canonicis Cæsenatibus ab Episcopis concessa, ab Alexandro Papa tertio confirmantur Diplomate sequentis tenoris.

A*Lexander Episcopus servus servorum Dei. Dilectis Filiis Canonicis Cæsenatensis Ecclesiæ sal. & Apost. bened. Justis petentium desideriis dignum est nos facile præbere assensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectum prosequi, & complere; Ea propter dilecti in D. Filii vestris justis postu-*

Diploma desumptum ex Archivio Canonic.

postulationibus grato concurrentes assensu Privilegia, quæ vobis Cæsenatenses Episcopi rationaliter indulsisse noscuntur, authoritate vobis Apostolica confirmamus, & rata manere sancimus, statuentes ut nulli hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere &c.

Immunitates, libertates, & exemptiones à Principibus, Regibus, *Romanis*que Pontificibus S. *Cæsenatensi* Ecclesiæ concessas, confirmat *INNOCENTIVS PAPA SEXTVS.*

Extat originale hujus apud Canonicos Cæs. in Archivio secreto.

Dilectis Filiis Capitulo Ecclesiæ Cæsen. sal. & Apost. benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est &c. ea propter dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensui, omnes libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Rom. Pontificibus sive per privilegia, sive alias Indulgentias vobis, & ECCLESIÆ vestræ concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis, & eidem Ecclesiæ indultas, sicut eas juste, & pacifice obtinetis, vobis, & per vos, eidem Ecclesiæ authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Dat. Avenion. II. idus Aprilis Pont. nostri anno primo.

P. de Alliana.

FINIS PRIMI TITULI CHRONOLOGIÆ CÆSENÆ.

45

TITULUS SECUNDUS.

SANCTORUM, ET BEATORUM CIVITATIS CÆSENÆ RECENSIO.



Cæsena, cæteræque Regionis nostræ *Romandiolæ* Urbes, ab *Apollinare Petri*, & *Timotheo Pauli* Apostolorum Alumnis, Christi Fidem nondum acceperant, quando unus ex nostris nomine

* *S. Mancius Christi Discipulus primus Ebora Episc. & Martyr.*

MANCIUS ex *Romandiola* audiens famam miraculorum Domini IESV prædicantis in *Hierusalem*, statim relictis Idolis, spretisque falsis sacrificiis, quæ in Garampeo *Cæsenæ* Colle Kal. Maji Minervæ, & in Monte sacro prope Cæsenam Kal. Augusti Jovi fiebant, abiit *Hierosolymam*, ibique ejusdem Christi Filii Dei vivi factus Discipulus, *fuit unus* (ait Vasæus) *ex hiis qui Christo eunti Hierosol. substraverunt vestimenta in via, & in Cena cum Discipulis recubuit, & Domino lavanti pedes Apostolorum sedulo pro suo modulo ministravit, & cæteris Dominicæ Passionis, ac Ressurrectionis mysteriis interfuit*; de quo sic Cacinii Ecclesiastica subjungit Hist. *Nell' anno* XXXVI. *della nostra salute S. Pietro Apostolo mando in Portugallo San Manzio per primo Vescovo d'Ebora Città di quel Regno*; *è egli dà certi contato frà i Discepoli di Christo, e come scrive il P. Mariana alcuni credono ch'ei fosse per nazione Romagnuolo*, cujus Vita (quæ ita incipit: *La Vida de San Mancio Discipulo de Christo y Martyr Fue S. Mancio natural de la Provincia de Romagna en' Etalia &c.*) legitur apud *Villegas*; At certius in lectionibus ejus officii, quod accepimus ab Ecclesia *Eborensi*, apparet quis, & qualis fuerit Sanctus hic noster *Mancius*, cujus etiam meminit Romanum Martyrologium ad diem 15. mensis Maji, qua ad Cælos centenario major evolavit anno 106. martyrio coronatus. Quot præterea *Cæsenates* tradiderunt corpora sua in mortem ne servirent Idolis? certe in Chronicis nostris hanc legimus notam: *Giulio Capitolino narra nelle sue Istorie come l'Imperatore Diocletiano diede grande afflizione alla Città di Cesena per essere i suoi popoli già convertiti alla fede di Christo, ne volendo essi venerare il culto degl' Idoli, fu causa, che molti Cesenati fossero martirizati*; hæc ideo adnotavi, *ut constet* (verbis loquor Claramontii) *nostram etiam Ecclesiam CÆSENÆ, una cum propinquis gratas litasse Deo, Christoque victimas, neque enim hæ ipsæ Ecclesiæ, sine semente sacri Martyrum sanguinis adolescere adeo potuissent.*

Joan. Vasæus Burgen. in Chron. rerum Hispan. pag. 512.

Thom. Caccin. Flor. volum. 1. lib. 7. Hist. Eccl. pag. 472. num. 5.

Alph. Villegas in lib. Flos. Sanctorum. Hispan. lingua descrip. fol. 426.

Antiq. Chron. Cæsen. pag. 21.

Hist. Cæs. lib. 4. pag. 129.

* *S. Timotheus Cæsen. Apost.*

CÆSENA (quam ad Jesu Christi fidem convertit SANCTVS TIMOTHEVS CÆSENAT. Apostolus) *ornatur* (Authoris Ariminensis verbis utor) *Sanctissimis Confessoribus, pudicis Virginibus, aliisque qui pro defensione Christianæ Fidei magnos cruciatus corporis sustinuerunt.*

Angelus Maria Torsanus Ariminensis in Volum. orat. de laud. Urbium Romandiolæ pag. 103.

* *SS. Martyres Cæsenates.*

SANCTORVM ne MARTYRVM *Cæsenatensium* Civium Sanguinis, an Aquarum suarum diluvio celebratur noster *CÆSENATENSIS RVBICON?* idem sane ARIMINENSIS SCRIPTOR (reddens quæ sunt Cæseris Cæs.) hæc verba subjungit: *IN AGRO CÆSENATI EST AMNIS RVBICON, MAXIMIS SCRIPTORVM RVMORIBVS CELEBRATVS.* At Cæsenatensis *Rubicon* diluvium non patitur aquarum; Sacro potius Martyrum Civium *Cæsenatum* forte sub *Diocletiani*, & alijs Christiani nominis persecutoribus fuit ditatus Sanguine, quo nedum Sancta *Cæsenatensis* adolescere potuerit Ecclesia, verum Ager *Cæsenas* tam uber sit factus, ut ipsemet ARIMINENSIS Orator dixerit: *Nullus est propterea Ager feracior, uberiorque Agro Cæsenati.* De Martyrum *Cæsenatium* rubro Sanguine profuso, quod sequitur in Historia *Cæsenæ* extat Claramontii Testimonium: *Hæc ideo scripsi ut constet nostram etiam Ecclesiam una cum propinquis gratas litasse Deo, Christoq. victimas, neque enim hæ ipsæ Ecclesiæ sine semente Sacri Martyrum Sanguinis adolescere adeo potuissent.*

46

Idem Torsan. Ariminen. ibidem pag. 103. B.

Idem Torsan. Ariminensis loc. cit. de laud. Cæs.

* *S. Philemon primus Episc. Cæsenæ.*

SAnctæ *Cæsenatis* Ecclesiæ (cujus primus Episcopus fuit *SANCTVS PHILEMON* Discipulus Apostoli *Pauli*) plures etiam Sacri Antistites admirandæ Sanctitatis nomine insignes essent hoc loco celebrandi, at nonnullis omissis, memoretur, qui sequitur

47

* *S. Maurus Episcop. & Protector Cæsens.*

S.Pet. Dam.

SANCTVS MAVRVS *Cæsenæ* Episcopus circa annum 934. creatus, cujus vitam à S. *Petro Damiano* descriptam (quæ incipit: *Vita S. Mauri Episcopi Cæsenatis, & Confessoris ex ordine S. Benedicti Cupientes aliquid scribere ad Gloriam Domini Nostri de Beato Mauro Pontifice, &c.*) in calce quinti libri Hist. Cæsenæ reponit *Claramontius.* illuc pium lectorem remitto. De eo etiam agitur in primo titulo hujus Chronol. pag. 16. Ibi dicebam Sacrum ejus Corpus, post secundam Translationem, asservari in Cathed. *Cæsenæ* sub Ara ipsi dicata. nunc subjicio Relationem gravissimi & religiosi *Aurelii Masinii* antiquitatum Patriæ studiosissimi, cujus diligentiam plurimum facio. ipse dum hæc adnotarem mihi conscripsit literas hujus tenoris. *Hiersera a due ore di notte se-*

Epist. Antenii Masini Cæsen. ad Bernardinum Manzonium de Cæsena Inquisitorem Pisanum dat. die 17. Augusti 1642.

cretamente alla presenza di Monsignore Illustrissimo Vescovo, del Sig. Archidiacono, mia, e delli Signori Cavaliere Genari, e Pasolino Abbati eletti dalla Communita per la translatione da farsi del Corpo di S. Mauro, fu aperta la cassa, & alzato il Coperchio di essa, e vedessimo esserui tutto il Corpo, & in particolare la testa del Santo, la quale era commune oppinione fusse stata ritenuta dalli Padri del Monte nella sua prima translazione. &c. Essendosi rissoluto dal publico di collocarlo sopra l' altar maggiore,
48 *e con questa occasione si fara anco la translazione di S. Severo. &c.* Cesena li 17. Agosto 1642.

Di V. S. Reverendissima

Aff. & oblig. Serv. *Aurelio Masini.*

Translatio hæc paratur S S. *Mauro* Episcopo, & Protectori Civitatis, & alteri Protectori, qui est

* S. Severus Episcopus, & Protector Cæsenæ.

SANCTVS SEVERVS Civis, & Episc. *Cæsenas*, signo Columbæ cælitus dimissæ anno 565. electus, cujus vita per extensum legitur in Hist. Cæsenæ post quartum librum. Initium est: *Vita Sancti Severi Cæsen. Episcopi ut apud Canonicos. Sanctorum gesta Præsulum, quæ Domini donante gratia &c.* in primo tit. hujus Chronol. pag. 11. Sanctum hunc *Severum Cæsenatensem* dixi fultus testimonio antiquorum memorialium *Cæsenaten.* & Chronic. manuscripti *Jo. Baptistæ Brixii* à *Claramontio* citati, ac etiam Catalogi Sanctorum *Italiæ Philippi Ferrarii* Alexandrini ord. Ser., cujus nota est talis. *De Sancto Severo Episcopo Cæsenate. & Protectore ejusd. Vrbis. Severus Cæsenæ natus.* Natus est etiam (non *Cæsenæ*,) sed in Vico Territorii *Cæsenatis*, qui sequitur

Ferrar. in Catal. SS. Ital. pag. 416.

49 * S. Aldobrandus de Cæsena Episcop. Forosempronii.

SANCTVS ALDOBRANDVS *Cæsenas.* Hic Canonicorum Regularium adolescens in Monasterio *Portuensi* Civitatis *Ravennæ* Institutum suscepit, inter quos sanctissime vitam duxit. *Ariminenses* autem Canonici, cum à *Portuensibus* peterent (ut moris erat) unum ex illorum Conventu in præpositum præfici, *Aldobrandum* de *Cæsena* omni virtute præstantem obtinuerunt, qui cum publicis concionibus, quas de more ad Populum habebat (erat enim vir eloquens, & omnium virtutum genere exornatus) quosdam bona ecclesiastica occupantes acrius objurgaret, illorum in se odium concitavit, & tumultum, unde ab ipsa Civitate è sugesto clam fugere coactus est: In ipso Civitatis egressu (ob magnam Dei Providentiam) invenit Civitatis *Forosempronienfis* Legatos, qui Infulam ei obtulerunt, & precibus, ne ipsam recusaret, egerunt: fuerat enim ipso inscio à toto Populo, & clero, in Episcopum ejusdem Civitatis electus. Ipse divinæ voluntati reluctari non audens, officium Pastorale suscepit, populumque sibi divinitus commissum verbo pavit, & exemplo. Vere fuit Pater pauperum, pupillorum tutamen, & viduarum defen-
50 sor; sibi rigidus, & austerus, in alios vero mitissimus: ab esu Carnium perpetuo abstinuit: singulis festivis diebus conciones ad populum habebat: Hirundines quadam die obstrepentes, cum prædicationem impedirent, ad ejus nutum siluerunt: Coturnicem coctam in cibum sibi morti proximo oblatam, signo crucis (ne propositum suæ abstinentiæ mutaret) coram adstantibus avolare fecit. Tandem cum *Forosemproniensem* Ecclesiam plures annos sanctissime gubernasset, Centenario major, Kal. Maji obdormivit in Domino, cujus vita, & mors innumeris fuit collustrata miraculis. In hora obitus illius Campanæ antiquæ Ecclesiæ Cathedralis (quam ipse à fundamentis prope Arcem erexerat) nullo movente sonitum de-

A dere. Ejus festum *Forosemproniensés* 1. die Maji, & per totam octavam maxima cum solemnitate, tanquam præcipui illorum Patroni, celebrant: Translationem vero die 13. Martii. Hæc ex lectionibus officii hujus Sancti *Aldobrandi Cæsenatis*, quem Canonici Regulares die x. Maji sub ritu duplici recitant, excerpta sunt. De eo etiam meminit *Gabriel Pennottus* in Hist. Tripartita §. de Canonicis Lateranensibus in Sanctorum numerum relatis inter quos Sanctum hunc commemorat sub his verbis: *Sanctus Aldobrandus Natione Flaminius, Patria Cæsenas, ex Canon. Monasterii Portuensis, primo Præpositus Ecclesiæ Ariminensis &c.*

Penottus lib. 2. c. 47. & lib. 3. cap. 16. & 50.

51 Gab. Penottus in Hist. Tripartita pag. 771.

B Floruit circa annum 1119. ejus meminit *Ferarius* in Martyrologio Novissimo in Catalogo Sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt, cujus Authoris opera omnia exstant in Bibliot. (Historiarum & omnis generis antiquitatum copiosissima) *Rainerii Blanchii* Canonici *Pisani*. Ad Cælos evolavit pridie Kal. Maji anno 1198. ut notat *Henricus Spondanus* in Epit. Annalium Ecclesiast. *Baronii* tom. 13. Aucto a Bzovio. Alter Sanctus Cæsenæ Civis in Relatione Brissii recensetur, qui est

Bibliot. ornatissimi viri Rainerii Blanchii Conf. S. Officii Pisar.

Annal. Eccl. Abraham Bzovii in Epit. redac. à Spond. tom. 13. fol. 974.

* S. Urbanus de Cæsena ord. S. Benedicti.

C SANCTVS VRBANVS *Cæsenæ* in *Flaminia* natus, qui in adolescentia sua sæculo abrenuncians Deo se dicavit in ordine Sancti Benedicti, in quo se totum divinæ dedit contemplationi, Sacræque scripturæ, & Sanctorum Patrum lectioni mancipavit, ut Relationis verba, quæ sequuntur, indicant: *Sant' Urbano da Cesena Monaco gia di S. Benedetto come si hà dalle Historie di Gio: Batista Tardonense Monaco di Monte Casino, nella memoria del qual Santo donatami alcuni anni sono dal P. Antonio Casario nostro Cittadino mentre visse Giesuita in Roma, ho trovato ch' egli fù grandemente dedito allo studio delle Sacre lettere, & alla divina contemplatione.*

Cæs. Brixius in 2. par. Relat. Cæs. ad Clem. VIII. P. M. pag. 23.

D Sancti *Urbani* de *Cæsena* effigies suis expressa coloribus, cum mitra, sub tribuna Ecclesiæ S. *Severi* in Patria, visitur his verbis infra subjectis, SANCTVS VRBANVS CÆSENAS MONACHVS CASSINENSIS.

Post Sanctum Urbanum est recensendus.

* B. Christophorus Cæsenas ord. Minorum S. Francisci.

BEATVS CHRISTOPHORVS in *Cæsenati* Agro natus, qui Sacerdos factus, Parochus fuit cujusdam Ecclesiæ, tunc temporis Sanctæ Mariæ *Valverdis* appel. in Diæcesi *Cæsenaten.* ibique curam animarum sub *Oddone* secundo *Cæsenæ* Episc. habuit. Deinde Seraphicum Minorum Patriarcham adhuc viventem sequutus est, à quo ad *Aquitaniæ* partes transmissus fuit. inerat ei perfecta, & columbina simplicitas, profunda humilitas, orationi, & lectioni semper intentus sibi unam Cellulam ex Virgis constructam habuit. Missam singulis diebus celebrare consueverat cum lacrymis, & maxima devotione. ferunt Columbam super ejus caput descendisse dum quadam mane celebraret; plurima fecit miracula, præsertim in Civit. *Caturci* in *Guasconia*, ubi tandem ex hac vita fere centenarius abiit in Cælum cum Sanctis perpetuo regnaturus anno Domini 1272. 52

E

F in Vigilia Omnium Sanctorum. Hunc in Annalib. Minorum, & Chronicis ab omnibus vulgo appellatur Beatus *Christophorus Romandiolus*, quem tamen antiqua nostra monimenta à *Casario*, *Bonzanellio*, & aliis citata *Beatum Christophorum Cæsenaticum S. Francisci Discipulum* vocant, & propterea Incolæ Terræ Portus *Cæsenatici* suum dicunt, natumque affirmant in eo loco qui tunc parvus Vicus erat, ubi anno 1302. *Cæsenates*, Portu effosso, castrum muris munitum ædificarunt, ex hoc loco Beatus *Christophorus* iste fuit oriundus, e *Cæsena* autem oriundus fuit sequens 53

Marc. Vlissipon. Petr. Tossinian. Luc. Wading. &c. Cæsen. Monim.

BEA-

** B. Bartholomæus de Cæsena Ord. Servorum.*

BEATVS BARTHOLOMÆVS de *Cæsena* Ord. Servorum, de quo in suis Annalibus *Archangelus Gianius* ita scribit: *Quemadmodum contigit Beato Bartholomæo Cæsenati qui mortalitatis onere tunc deposito ad perennem, & tranquillam Vitam evolavit &c.* Sanctitatem *Bartholomæi Cæsenatis* enarrant *Paulus Florentinus* in Dialogo. *Michael Florent.* in Chron. *Brissius* in Relatione Cæsenæ ad *Clementem Octavum*, & *Claramontius* in Historia Cæsenæ, ad Cælos evolavit B. *Bartholom.* Cæsenas die 24. Novembris anno Domini 1329. *qui sane venerat in hunc mundum* (Pauli Florentini verbis utor) *ut suam Cæsenæ Patriam illustraret.* illustravit & *Cæsenam* Patriam alter

Annal. ser. Centur. 1. lib. 7. c. 13. Paul. Flor. Dial. Mich. Fl. Chron. Briss. pag. 23. Clar. pag. 714.

Paul. Fl. in Dial.

** B. Bartholomæus de Cæsena ord. S. Hieronymi.*

BEATVS BARTHOLOMÆVS *Cæsenas* vir Sanctitate, & Doctrina conspicuus Ordinis Eremitarum S. *Honuphrii Romæ* nuncupatorum, alias fratrum S. *Hieronymi*, hujus Ordinis institutor fuit Beatus *Petrus* de *Gambacurtis Pisanus*, cui ipse Beatus *Bartholomæus Cæsenas* in Generali Præfectura immediate successit, dictæque Religioni cum sanctissime præfuisset, ex hac ad Cælestem Patriam transiit circa annum Christi 1450. De eo extat inter memorias Religionis quod sequitur monimentum à *Claramontio* etiam notatum: *Beatum Bartholomæum à Cæsena fuisse inter Beatos adscriptum habemus ex præteritorum testimonio, ac ex ejus antiquis imaginibus multis in locis depictis, & præcipuè Romæ, Venetiis, & Ferrariæ. Floruit tempore Eugenii Quarti, ac post Beatum Petrum Gambacurtam à Pisis Fundatorem extitit primus Generalis.* Idem Beatus *Bartholomæus* anno 1432. Locum S. *Hieronymi Scolchæ* in *Ariminensi* Agro obtinuerat à *Galeoto Ruberto Malatesta*, qui

54

Lib. 15. pag. 731.

Clementinus in vita B. Roberti Malat.

** B. Rubertus Princeps Malatesta, tertii ord. S. Franc.*

BEATVS RVBERTVS Malatesta, dictus *Galeotus Rubertus* Princeps optimus, tertii Ordinis Seraphici S. Francisci professus, eodem anno 1432. die decima Octobris in ipso solis exortu ad Solem justitiæ Christum evolavit cum Sanctis perpetuo regnaturus. de eo Chron. Ord. Minorum, *Petrus Rodulphius* in Historia Seraphica, & alii; & postremo *Claramontius* in Historia Cæsenæ post memoratum Beatum *Bartholomæum* de *Cæsena* Ord. S. *Hieronymi*, commemorat Beatum *Galeottum Rubertum Malatestam*, & concludit his verbis: *Ipseque inter Beatos numeratur, dicitur etiam ejus sanctitas miraculorum signis confirmata. Anno 19. patruum amisit, & principatum obtinuit, collato ei per Martinum V. Vicariatum Ariminense, Cæsenatense, & Fanen. aliisque feudibus Ecclesiæ.* & infra in eisdem Annalibus sic legitur, *huic piissimo viro successit in Principatu Sigismundus frater germ. moribus dissimilis, etsi re bellica illustris, qui cum nimia feretur Zelotypia, Minoritam quendam* CÆSENATEM (quem Casarius Fratrem Anonimum de Cæsena Franciscani instituti nuncupat Theologum) *pium & doctum suæ uxoris Confessarium trucidavit, quia sacræ confessionis sigillum aperire, & quæ pridie sub sacramenti arcano innocentissima conjux dixerat noluit revelare; non immerito hunc inter martyres numeraverim.* hæc *Wadingus.* Jure ergo inter Beatos viros *Cæsenates*, imo inter Martyres posset hic Frater noster enumerari, *multi enim* (ait Augustinus) *mortui sunt, & martyres sunt, quia peccata hominum dicebant in eos, & eorum iniquitatibus resistebant, & habentur inter martyres; quicquid namque pro testimonio veritatis, vel justitiæ homo pertulerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit.* pro testimonio igitur justitiæ mortem pertulit minorita iste Cæsen. an. 1436. Inumera etiam miracula in salutem *Cæsenatensium* fecit. Qui sequitur inter Beatos *Cæsenates*

55

Clar. pag. 731.

A *tes* propterea (licet è *Mantua* oriundus) recensendus, scilicet

** B. Joannes Bonus qui in Agro Cæsenate floruit.*

SANCTVS IOANNES BONVS Eremitani Ordinis in Cisalpinis partibus Instaurator, qui in Agro *Cæsenati* per annos quadraginta pœnitentiam egit. Hic anno Domini 1209. *Cæsenam* venit, ut antiqua testantur memorialia Civitatis, à qua duobus circiter milliariis distat Eremus, quem tunc *Butriolum*, nunc *Elmum* corrup. Eremi voce dicimus, ubi in specu quodam se abdidit, ibique sub *Oddone*, & *Manzino* Episcopis *Cæsenatibus* mirabilem per annos quadraginta circiter fecit pænitentiam. Tandem miraculis clarus ad Cælestem Patriam evolavit die 23. Octobris anno 1249. & inter Beatos relatus est. 56

De eo Scriptores omnes Augustiniani ordinis.

B Post Beatum *Joannem Bonum* etiam

BEATVS LEO, antea *Leonardus* dictus, vir Sanctus, & quasi alter Elias Dei Spiritu fervens, Canonicus Regularis, & Prior *Cæsenæ* obiit, ut quæ sequitur indicat tripartitæ historiæ particula, *Beatus LEO de Carate &c. juris canonici Doctor unus de primis authoribus nostræ reformationis vir fuit admirabilis sanctitatis &c. qui tandem post multos labores in congregatione desudatos circa annum humanæ salutis 1438: ad dominum migravit Prior Sanctæ Crucis Cæsenæ*, in qua Abbatiali Domo vitæ

C debitum solvit Beatus *Augustinus* de *Pisis* Canonicus pariter Regularis.

** S. Petrus Martyr. ord. Prædic. Cæsenæ moratus est.*

SANCTVS PETRVS Inquisitor Ord. Prædicatorum, vulgo S. *Petrus* Martyr. *Cæsenam* venit ibique diu moratus est. Sanctum hunc sæpe venientem, magno excipiebant honore, & honestissimo comitatu abeuntem insequebantur, & magno concursu, summaque devotione concionantem audiebant *Cæsenates*; qui tandem hujus Sancti Martyris Digitum (sacram, &

D diu optatam reliquiam) obtinuerunt, cujus solemnis Translatio facta est *Cæsenæ* anno 1519. repositusque fuit in Ecclesia Fratrum ejusdem Ord. Prædicatorum, in cujus S. honorem dicata est, & quot annis *Cæsenates* ejus festum die 29. Aprilis solemniter celebrant. adventus S. *Petri Martyris Cæsenam*, ejusque Prædicatio, & Mirac. in Cæsenaten. Hist. in Rememoratione quorundam omissorum, à *Claramontio* recensentur, sicut ibidem recensetur

Clar. pag. 714.

** B. Rocchus tertii ord. S. Franc. Cæsenam venit.*

BEATVS ROCCHVS, qui fuit ex tertio ordine Seraph. S. Francisci. *BEATVM ROCCHVM* (*Claramontii* verba sunt ista)

E *Cæsenæ fuisse plura nostra monimenta testantur, inter cætera vero est Icon ejus ad vivum in Ecclesia Monachorum Cælestinorum, cui hæc verba subscribuntur. Imagine di S. Rocco nobile Francese ritratta dal naturale, mentre fu in Cesena, e servi a gl' infermi nell' Hospital, &c.* *Cæsenam* etiam à magna peste (ex testimonio *Wadding.* & aliorum scriptorum) solo Crucis signo liberavit Divus iste *Rocchus*, qui sicut & S. *Petrus* Mart. Beatusque. *Joan: Bonus* præmemorati, & alii Sancti, & præcipue Sanctus *Franciscus* Minorum Patriarcha (post sui Ordinis fundationem, & Regulæ

57

Wading. Tom. 3. Annal. Minor.

** Sancti qui viventes in carne commorati sunt Cæsenæ.*

F confirmationem) in carne viventes *Cæsenæ* sunt commorati, magnas virtutes, & multa miracula operantes in salutem *Cæsenatum*, pro quibus hodie ad Dominum in Cælis intercedunt ipsi, & qui sequuntur, scilicet

** Sancti quorum Corp. requiescunt Cæsenæ.*

Sanctus *Evagrius* Martyr.
Sanctus *Firmus* Martyr.
Sanctus *Genesius* Martyr. &
Sancta *Concordia* Martyr.

Quorum Sanctorum Corpora *Roma Neapolim* primum, deinde ex ea Civitate *CÆSENAM* translata sunt à *Celso Rosino Cæsenate* Canonicorum

rum Regul. Abbate, tunc Visitatore, & Commissario Viro præclarissimo, de quo suo loco erit sermo.

58 Horum Martyrum nomina in Recensione Sanctorum, & Beatorum Civitatis *Cæsenæ* collocavi, cum eorum Corpora solemni publicatione, & religioso ritu (ut audivi) sint anno sequenti 1643. duo in Abbatiali Basilica S. Crucis extra & prope Civitatem, alia vero duo in Ecclesia novi Monasterii ab ipso *Rosino* ædificati S. *Mariæ* de Consolatione nuncup. in Civitate *Cæsenæ* collocanda.

Collocandi essent insuper inter Divos *Cæsenates* duo ex ord. Sancti Benedicti, unus est

SANCTVS GEBIZO Monachus *Casinensis*, cujus occurrit memoria die 21. Octobris in Generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt Catalogo. At num sit idem ille *Gebizo* de *Cæsena* Monachus *Casinensis*, quem *Gregorius* VII. Episcopum constituit *Cæsenatem*, Sanctæque *Romanæ* Ecclesiæ creavit Cardinalem, parumper sustineo judicium; alter vero est

BEATVS TEVZO Monachus cujus meminit S. *Petrus Damianus* in vita S. *Mauri* Episcopi *Cæsenatis* dicens: *idem prædicti Cœnobii Monachus Teuzo videlicet nomine* (idem scilicet an-
59 tiquus admodum Senex, paulo ante descriptus) *qui se vidisse Beati Mauri nepotem, Constantium videlicet nomine Episcopum Cæsenatis Ecclesiæ testabatur*, de quo Teuzone ait Claramontius: *Ætas descripti senis ut descripta pingitur, & potius nonagenaria quam minor, ut videre & observare suæ Patriæ Episcopum potuerit circiter an. quinquages. supra noningentesim. &c.* Hunc *Teuzonem* inter Beatos Cives *Cæsenates* esse collocandum non dubitarem; Ipsi enim Divus *Petrus Damianus* scribit Epistolam incipientem: *Teuzoni &c. Minus se proximum amare convincitur.* & concludentem: *Rogo autem, Venerabilis Pater, ut pro me peccatore semper orare digneris, &c.* cujus Epistolæ extat *Constantini Caetani Syaracusani* argumentum quod incipit: *Teuzonem Monachum mox sanctitate insignem*, & in margine notat sic: *Teuzo iste Beatorum virorum numero mox aggregari meruit.* Post Sanctorum, & Beatorum *Cæsenatum* Recensionem, subjiciuntur (alphabeticó ordine servato) Sanctorum nomina, quorum *Cæsenæ* in Cathed. & in aliis Ecclesiis asservantur

RELIQVIAE

A.

S. Alexii Romani Conf. habetur Pes in Cathed. Civitatis Cæsenæ.
S. Agapiti Martyris.
S. Agathæ Virg. & Mart.
60 *S. Anastasiæ Martyris.*
S. Andreæ Apostoli.
S. Aniani Episc. Alex.
S. Anicieti Martyris.
S. Annæ Matris V. M.
S. Anselmi Martyris.
S. Antreji Martyris.
S. Antoninæ Martyris.
S. Apollinaris Martyris.
S. Apollonii Martyris.

B.

S. Barnabæ Apostoli.
S. Bartholomæi Apostoli.
S. Benedictæ Virg. Mart.
S. Benigni Martyris.
S. Bonifaciæ Virg. & M.
S. Bonifacii Martyris.
S. Boni Martyris.
S. Blasii Epis. & Conf.
S. Blasii Epis. & Mar.

C.

S. Candidi Martyris.
S. Cassiani Martyris.
S. Castissimæ Virginis.
S. Castuli Martyris.
S. Celsi Martyris.
S. Christinæ Virg. & M.
S. Christini Martyris.
S. Cipriani Martyris.
S. Claricis Monialis.
S. Claudiæ Martyris.
S. Columbæ Virg. & M.
S. Concordii Martyris.
S. Constantii Martyris.
S. Constantini Martyris.
S. Cornelii Martyris.
S. Constantis Martyris.
SS. Cosmæ, & Dam. M.
S. Constantiæ Martyris.
De Ligno SS. Crucis.

D.

S. Deifontis Martyris.
S. Desiderii Martyris.
S. Diodori Martyris.
S. Dionysii Martyris.
S. Domnini Martyris.
S. Dorotheæ Virg. Caput.

E.

S. Eleuterii Mart.
S. Elisabeth Viduæ.
S. Eufrasiæ Mart.
S. Euphemiæ Mart.

F.

S. Fabiani Mart.
S. Federici Mart.
S. Feliciani Mart.
B. Felicis Conf. ord. Cap.
S. Felicissimi Martyris.
S. Fortunati Regis.
S. Franciscæ Rom. Vid.

G.

S. Gasparis Martyris.
S. Gaudentii Martyris.
S. Georgii Martyris.
S. Gregorii Papæ Ecclesiæ Doctoris habetur Manus in Cathed.

H.

S. Hieronymæ Virg. & M.
S. Hilarii Episcopi.
S. Honorati Martyris.

I.

S. Jacobi Apostoli.
S. Ignatii Soc. Jesu Fund.
S. Isidori Martyris.
S. Joannis Papæ.
S. Innocentii Martyris.
S. Iterzeræ Monialis.
S. Justæ Virg. & Mart.
S. Justinæ Virg. & Mart.
S. Januarii M.
S. Juliæ V. & M.

K.

S. Karoli Borromæi Car.

L.

S. Laurentii Martyris.
S. Lazari Martyris.
S. Leontii Martyris.
S. Lucii Martyris.
De Ligno SS. Crucis.

M.

S. Macarii Eremitæ.
S. Mansueti Militis.
S. Mariæ Ægyptiacæ.
S. Martini Episcopi.
S. Mauri Abbatis.
S. Mennæ Martyris.
S. Musæ Martyris.
S. Mantii de Cæs. Ep. & Mart. Christi Discipuli.
S. Metrodoræ Virg. & M.

N.

S. N. Unius ex Sociis S. Ursulæ Corpus in Eccles. Frat. Præd. Cæsenæ.

O.

Ophrii Confessoris.
S. Onorati Martyris.

P.

S. Pastoris Martyris.
S. Paulini Martyris.
S. Persii Martyris.
S. Petri Apostoli. 61
S. Petri M. ord. Præd.
S. Philippi Martyris.
S. Philippi Nerii Confess.
S. Placidi Martyris.
S. Plautillæ Martyris.
S. Prisci Martyris. 62

R.

S. Relati Martyris.

S.

S. Saturnini Martyris.
S. Scholasticæ Viduæ.
S. Sebastiani Martyris.
S. Sempronii Martyris.
S. Sergii Martyris.
S. Sinphorosæ Martyris.
S. Severi Martyris.

T.

S. Theclæ Virg. & Mar.
S. Theodori Martyris.
S. Thomæ Apostoli.

V.

S. Valerii Martyris.
S. Ubaldi Epi. Eugub.
S. Vincentii Martyris.
S. Vitalis Martyris.
SS. Viti & Modesti M.
S. Victoriæ Martyris.

X.

S. Xisti Papæ Mart.

Z.

S. Zachariæ Martyris.
S. Zenonis Episc. Veron. & Mart. Brachium in Ecclesia Parochiali suo nomini dicata.

Cœteræ SS. Reliquiæ publice venerantur in Ecclesiis Cathed. ut diximus, Abbatiali S. Crucis, Conventuali Fratrum Capuccinorum Sancti Francisci, Monialium Sancti *Blasii*, Spiritus Sancti, & Sanctæ *Claræ*, & sororum Capuccinarum, quæ sorores postremo insign. Reliquiam obtinuerunt unius ex Sociis S. *Ursulæ*, & alterius ex iisdem XI. Mill. Virginibus Reliquia insignis extat in Cathed. postremo ex Colonia *Cæsenam* translata. In aliis etiam Ecclesiis Civitatis Sanctorum diversorum habentur Sacræ Reliquiæ, sicuti etiam in Basilica Sanctæ *Mariæ de Monte* 63 extra, & prope *Cæsenam*, in qua magno populorum concursu veneratur Beatissimæ Virginis Matris Dei *Mariæ* devotissima Statua, anno Domini 1318. à *Joanne Ambronio* de *Ricciardellis* nuncupato *Cæsenæ* Episcopo ex Parochiali *Montis Regalis* Ecclesia translata ad dictam Basilicam, & Cœnobium, quod *Cœnobium Sanctæ Mariæ prope Cæsenam olim Cluniacensibus, nunc Casinensibus*

* *Aliorum Sanctorum Reliquiæ.*

* *B. V. Mariæ de Monte Cæsenæ Sacra Imago miraculosa.*

Const. Caetan. Tom. 2. operum S. Pet. Dam. pag. 223. in marg.

D. N. Jesu Christi Sanctissimæ Spinæ tres asservantur Cæsenæ.

paret, ait Conft. Caëtanus. Ex facratiffimis etiam SPINIS Domini noftri Jefu Chrifti tres extant *Cæfenæ*, una in Ecclefia S. Francifci Fratrum Minorum Conventualium, alia in templo Sanctimonialium Divi *Blafii*, tertia in Bafilica S. Crucis Lateranenfium Canonicorum.

Reliquiæ SS. in Eccl. S. Jacobi Portus Cæsenatici quarum solemnis Translatio facta est die 22. Julii 1639.

In curata tandem Ecclefia Sancti *Jacobi* Portus Cæfenatici hæ affervantur Reliquiæ

Cofta integra Sancti *Theodori* Martyris
Pars Capitis Sancti *Laurentii* Martyris
Dens molaris Sancti *Rocchi*. &

B. Barthol. de Albizis, Pisis in Eccles. S. Francisci sepultus jacet.

Pars de Tunica Sancti *Francifci* Minorum Patriarchæ, ex ea, quæ à Generali Capitulo *Affifii* congregato, dono data fuit Beato *Bartholomeo* de *Albizis*.

64 *Quorundam Antiftitum, Principum, & Civium Cæfenatum pietate infignium Chronologicus Indiculus.*

Antist. Cæs. Cæs. Card. Baronius Tom. 8. Annal. Eccl. sub anno 649. num. 13.

MAurus Cæfen. Antiftes poft annum 640 electus (qui in concilio *Romano*, fub *Martino* Papa primo, locum tenuit *Mauri* Archiepifcopi *Ravennatis*) à nonnullis, & præcipue à *Baronio* nuncupatur Sanctus, alter eft à *Mauro Cæfenæ* Epifcopo anno 934. electo, nunc Civitatis Protectore, cujus memini in recenfione Sanctorum, & Beatorum Civitatis *Cæfenæ* pag. 47. ifte autem *Maurus* primus inter *Cæfenates* Antiftites, pietate infigniores numeratur, non enim eft confundendus cum *Mauro fecundo* inter Sanctos relato.

Cæsenatia Monimenta Parthi.

COnftantinus Cæfen. Epifcopus Beatus nominatur à *Partho* in fuis monimentis dicente: *Il Beato Conftantino &c. gran Teologo adoperato da Papa Leone fecondo morì in Cefena l' anno 690.* at confunditur cum Antiftite *Conftantio Romano* Sancti *Mauri* Nepote, & Succeffore, qui *Cæfenæ* fedit (ut fupra pag. 17, dicebam) anno 946 & fanctiffimæ vitæ Præful fuit, bonufque in populo Paftor.

Sac. Teat. Mist. Erem. Augustin. Rom. Impress.

65 AVguftinus Epifc. *Cæfenas* anno 1431. inter Beatos Ordinis Divi Auguftini reponitur, ejufque Imagini hæc fubfcribuntur verba: BEATVS AVGVSTINVS ROMANVS EPISCOPVS CÆSENATENSIS, QVIESCIT PRATI IN ÆDIBVS DIVI AVGVSTINI.

Brisl. in Relat. par. 2. pag. 23.

ANtonius Malatefta Sanctæ *Cæfenatenfis* Ecclefiæ Epifcopus memoratur a *Briffio* in fua ad *Clementem Octavum* relatione inter Antiftites *Cæfenates*, ejus verba funt: *Antonio Malatefta &c. che è fepolto nella Catedrale, & per le fue buone opere da molti è tenuto per Beato.*

Princip. Cæs.

Scip. Claram. lib. 10. pag. 383.

GVido Comes *Montefeltrius*, *olim magnæ Flaminiæ partis, & Cæfenæ Princeps* à *Claramontio* nominatus, militaris artis perītiffimus pænitentia ductus eorum quæ factionis ftudio in Deum, & Ecclefiam peccaverat anno 1296. die 17. Novemb. Religionem Fratrum Minorum, & Sancti *Francifci* habitum induit, & in ordine ad finem ufque vitæ humillime & exemplariter vixit, & tandem non fine fanctitatis opinione 3. Kal. Octobris 1299. (dicat quid vult *Dantes* Poëta) ex hac ad meliorem tranfiit vitam, & *Anconæ* in Ecclefia S. *Francifci* fuit tumulatus.

Claram. in sua Hist. pag. 739.

66 VIolanthes *Cæfenæ* Princeps *Malateftæ Novelli* pientiffima uxor legibus foluta connubialibus, totam Chrifto, cujus nuptias diu defideraverat, fe dicavit, & inter moniales Corporis Chrifti *Ferrariæ* fe inclufit, *ibique fancte vivens* (ait Claramontius) *anno 1493. obiit, an ad æternitatem revixit?*

Cives Cæs. — *Claram. in Rememorat. quorundam omissorum pag. 715.*

A PEtrus Calicius de *Cæfena Ragufii* Archiepifcopus, Beatus & ipfe in noftris monimentis vocitatus, memoratur à *Claram. feq.* nota: *Poft Petrum hunc Sanctum memoretur Petrus Sacer S. Pet. Calice, feu Calicius Cæfenas Ragufii, five Epidauri Dalmatarum Archiepifcopus.*

Eques Scipio Manzonius nuncup. in Parthi Collectan. Patriæ.

AMbrofius Pedronius *Cæfenas*, Epifcopus *Forolivienfis* recenfetur à *Stephano Partho* in Collectan. cujus memoria eft quæ fubjicitur. *Li Pedroni vennero dà Milano, de quali fù Ambrofio Vefcovo di Forlì Huomo Santiffimo che morì nel Concilio di Bafilea.*

B

Eques Scipio Manzonius ibid.

ANtonius Morus *Cæfenas* eximiæ probitatis Vir, in Collectan. *Parthi* memoratur fequenti nota: *li Mori vennero da Brefcia à Cæfena, quefti defcendano dà nobiliffima ftirpe, quali feguitorno la fortuna di Pandolfo Malatefta. di detta famiglia de Mori fù il Beato Antonio. &c.*

Biblioth. Carmel. Pet. Lucii pag. 72. impress. 1593.

SEbaftianus Avezzanus de *Cæfena* ordinis Carmelitarum, commendatur à *Petro Lucio Belga Bruxellenfi* in Carmelitana Bibliotheca his verbis: *Sebaftianus Avezzanus de Cæfena, &c. morum, & vitæ Sanctimoniæ opinione clarus &c.* in 67
C Domino mortuus eft anno menf. Jul. in Conventu Carmel. Arimin.

Rodulph. lib. Seraph. Relig. ... Archiv. Monaster. Cæsen.

CLarina de Candolis ex Villa *Licciani*, feu *Lizzani* agri *Cæfenatis* pietate fuit infignis. Ei ex feniorum traditione Beatiffima Virgo *Maria* apparuit in dicta Villa *Liciani* in fundo tunc appellato *Fontana Vecchia.* ubi poftea parentes dictæ *Clarinæ* jure perpetuo anno 1535. (quo Filiolæ *Clarinæ* B. V. apparuit) donaverunt Fratribus Minoribus locum pro conftruenda Ecclefia, & Conventu, quem modo fratres retinent Conventuales Sancti Francifci, *Clarina* autem
D cum in habitu Regulari Sanctæ *Claræ* in Monafterio *Cæfenæ* diu Sanctiffime vixiffet, obdormivit in Domino anno 1583.

BArtholomæus Cacciaguerra nobilis *Cæfenas* ordinis Fratrum Sancti Francifci Capuccinorum Sacerdos, & Beatus, & alter

Bover. Tom. 1. Annal. ... anno 1535.

BArtholomæus *Cæfenas*, nuncupatus *Bartholomæus* de *Cæfena* Eremita, ejufdem Inftituti profeffor, & Sacerdos, admirandæ pietatis viri floruerunt circa id tempus. Hos pluribus celebrat
E *Zacharias Boverius* in Annalibus Capuccinorum. Lectorem pium illuc remitto, ibi enim eorum vita per extenfum legitur.

S. MAncius *Cæfenas* Jefu Chrifti Difcipulus, & cui contigit, quando Dominus lavavit pedes Difcipulorum, miniftrare facram Pelvim. Primus fuit *Eboracenfis* Epifcopus, Martyriique palmam obtinuit. Ex breviario Eboracen.

Protestatio Authoris.

POffem & alios enumerare *Cæfenates* vitæ Sanctimonia memorandos, at multorum omitto 68
nomina, quæ in libro vitæ fcripta funt. Interim
F licet quofdam Antiftites, Principes, & Cives *Cæfenates* probitate infignes qui nos præcefferunt, & in fomno pacis dormiunt, Sancti, vel Beati nomine hucufque appellaverim, non ideo hoc à me factum eft, ut eis Sanctitatis lumen, vel Beatitudinis radios audeam temere præfcribere, fed folum quia (ut patet) tali nomine ab aliis quoque Scriptoribus vocitantur. Ego enim ut Sanctæ *Romanæ* Ecclefiæ obfequentiffimus Filius, & Catholicæ Fidei in hac *Pifana* Provincia Judex, Sanctiffimi Domini Noftri *Urbani* Papæ Octavi Decreto, quod incipit: *Sanctiffimus*

mus Dominus Noster sollicite animadvertens &c. habito in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Feria quinta die decimatertia Martii 1635. in totum me submitto; nec præmemoratos in hoc Indiculo ut Beatos enumeravi, sed quia *Viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.* Ecclesiastici cap. 44.

FINIS SECUNDI TITULI CHRONOLOGIÆ CÆSENÆ.

TITULUS TERTIUS.

69

CIVIUM CÆSENATUM AD INFULAS PONTIFICIAS ALIASQUE ECCLESIASTICAS DIGNITATES ASSUMPTORUM ENUMERATIO.



Albertus Civis, & Præpositus *Cæsenas* ac V. S. Referend. per translationem Fratris *Thomæ* nostri Antistitis ad Episcopatum *Anconitanum* 16. Kal. Augusti an. 1326. deputatur à Papa Vic. Apostolicus Civitatis *Cæsenæ*. (Vic. Apost. Cæsenæ.)

A*ldobrandus Cæsenas*, Episcopus *Forosempronii*, ex Canonicorum Regularium ordine assumptus, inter Sanctos numeratus, bonum omen secum afferens, nobis fit obviam inter primos, secundumque ei locum in Alphabetica Virorum *Cæsenatium* ad Ecclesiasticas dignitates evectorum enumeratione tribuimus. alias suo loco de S. hoc *Aldobrando* egimus. (* Episcopus Forosempronii. — Sup. tit. 2. Chronol. Cæs.)

A*lexander Tibaldeus Cæsenas*, Episcopus in *Scotia* a *Leone* X. creatus enumeratur inter
70 Cives *Cæsenates*, qui aliis Ecclesiis præfuerunt, in fine Historiæ *Claramontii*, cujus nota subjicitur. *Alexander Tibaldeus Episcopus in Scotia à Leone Decimo constitutus &c.* (* Episc. in Scotia. — Hist. Claram. pag. 717.)

A*loysius* Civis, & Episcopus *Cæsenatensis* interfuit anno 1378. consecrationi Altaris, & solemni Benedictioni devotissimæ Crucis existentis *Pisis* in Prioria S. *Xisti*, in qua Ecclesia legitur dictæ Benedictionis memoria in vetust. Tabulario, cujus tenor est talis: *Anno Dom. MCCC. LXXVIII. del mese di Ferraio la prima Domenica di quaresima furno consecrati, e benedetti l' Altare, e la figura della Santissima Croce qui presenti per li sottoscritti Vescovi, Monsignore Francesco Arcivescovo di Pisa, Mons. Gregorio Arcivescovo Venensis d' Armenia, Mons. Crasino Vescovo Ciballensis de Frati Minori, per Mons. Gualtiero Vescovo Augustensis Vicario in Pisa per lo Imperatore, e per Monsignore Luisi Cesenate Vescovo di Cesena. Aloysius* iste Antistes *Cæsenas*, Patriam rexit Ecclesiam anno 1376. seditque inter *Lucium Sabellium*, & fratrem *Averardum* de Brixia Episcopos *Cæsenates*. (* Episc. Cæsenæ. — Jo. Bapt. de Tottis olim Canon. Pis. in M. S. Codice in Biblioth. Troncia. — Vetust. Tabul. in Eccl. S. Xysti Civit. Pisar.)

71 A*mbrosius* de *Cæsena* Ordinis Minorum Conventualium Theologus, Magisterque *Parisiensis*, Episcopus à *Joanne* XXII. Pont. Max creatus, de quo in primo Tit. dicebatur: *Eminebant in Conventu S. Franc. Cæsenæ hac tempestate plures in sac. Theol. Magistri, & præcipue F. Mich. Generalis Minister Ord. F. Azzolinus ejus nepos, F. Amissinus, & F. Ambrosius de Cæsena omnes; hic inter cæteros Joanni Max. Pont. summe charus fuit, ab ipsoque Episcopus creatus. &c.* (* Episcopus Cæsenas. — Chronol. Cæs. Pag. 21. ex Wading. tom. 3. Annal. & ex Arch. Minorum Cæsenæ.)

A*mbrosius Pedronius* nobilis *Cæsenas* Episcopus *Forolivii* (de quo nulla alia habetur memoria) ita recensetur à *Partho* in Collect. Cæsenæ: *li Pedroni vennero dà Milano, de quali fu Ambrosio Vescovo di Forli, &c.* (* Episcopus Forolivii. — Steph. Parthus in collectan. Cæsenæ.)

A*nastasius* de *Ubertis Cæsenas* Monachus S. Benedicti, cujus regulæ solemnem emisit professionem in Cænobio S. *Mariæ* de monte *Cæsenæ* die 9. Martii an. 1533. Huic præmemorati Cænobii Decano, eminentissimus Cardinalis *Dandinus Forocornelienſem* Ecclesiam tradendam curavit ex testimonio *Ughelli*, cujus additio ad Cardinalis ejusdem *Dandini* vitam à *Ciacconio* olim breviter adnotatam, est tenoris subsequentis: *Imolensem Ecclesiam Anastasio Uberto Benedictino Monacho suo ex Sorore Nepoti tradendam curavit, illoque vita functo, iterum eam moderandam suscepit, & Cardinalis Imolensis nuncupatus est.* Anastasius iste Cæsenas Sancti Benedicti Monachus electus est Antistes Imolensis Ecclesiæ an. 1552. die 11. Junii à Julio III. Pont. Max. & cum per integrum quinquennium eam rexisset, mortuus est anno 1558. (* Episcopus Imolensis. — Ferd. Ughel. Abb. Cistерc. — Alph Ciaccon. tom. 2.) 72

A*nselmus Dandinus* Episcopus *Cerviensis* ab anno 1662. usque ad annum 1664. Mense Martii. Tumulatur in Ecclesia Sancti Francisci *Cæsenæ*.

A*rnulphus* de *Cæsena* Episcopus Catanzarii Urbis Calabriæ, ex Præposito Ecclesiæ Cæsenatis creatus ab *Urbano* V. anno. 1366. quinto Kalendas Maji, & paulo post consecratus. (Episc. Cathecensis. Ex regest. Vatic. Urb. V. an. 7.)

A*rnulphus* alter *Cæsenas* ex ord. Prædic. assumptus Episcopus Humanæ in *Piceno* an. 1267. memoratur à *Taegio*. Hic mortuus est *Viterbii*, & in communi fratrum ossuario in Eccl. S. Mariæ ad gradus sepultus est cum brevi hoc epitaphio: (* Episc. Humanatensis. — Ambrof. Taeg. ord. Præd.)

VEN. P. F. ARNVLPHVS EPISC. HVMANAS ORD. PRÆD. HIC CVM FRATRIBVS SVIS SEPVLTVS JACET, QVI OBIIT AN. DOM. MCCLXXIX. DIE XX. AVG.

A*ymericus* Civis, & Episcopus *Cæsenatensis*, nedum memoratur in fragm. antiquo Patriæ a *Cæsario* nostro, verum à *Chirardaccio* sequenti recensetur nota: *à Forlì nella Chiesa di S. Mercuriale Bonifacio Arcivescovo di Ravenna alli 8. di Luglio (1286.) celebrò il sinodo Provinciale essendo presenti Rinaldo &c. Amerigo dà Cesena, & Bonifacio Adriano, Vescovi.* (* Episc. Cæsenæ. — Cherubinus Ghirardaccius in Bonon. Hist. lib. 1. pag. 268.)

B*artholomæus Malatesta, Pandulphi Malatestæ Soliani* Comitis (qui anno 1391. Patritius, Consiliariusque *Cæsenatensis* Urbis erat) germanus frater, ordinis Minorum Conventualium professus, *Rodulphio* teste, Episcopus *Dragonariæ* fuit anno 1397. (* Episco. Dragonariæ. — Parth. in principio Collect. Cæsenæ. — Pet. Rodulp. Tossin. lib. 2. hist. seraph. Relig.)

B*arzellinus* de *Barzellinis* à *Cæsena* V. S. R. Sanctæ *Senensis* Eccles. Archiepisc. Vicarius generalis, Abbasque S. *Barbaræ Mantuæ* fuit, 73 (* Episc. Campaniæ.)

deinde à *Paulo* Papa V. anno 1607. die 14. Maji. creatur Episcopus *Campanien.* tandem bonus in populo Pastor moritur septuagenarius anno Christi 1618. ex eadem *Barzellina* gente memoratur à *Rodulphio* Antistes quidam, alterius tamen ecclesiæ, videlicet Frater *Bartholomeus* de *Barzellinis* Episcopus *Reatinus* ex ordine Minorum S. *Francisci* assumptus, quem nostra non vidit ætas, sicuti vidit *Barzellinum Cæsenatem Campaniæ* Episcopum.

Rodulp. in Hist. Seraph. C. de Episcopis ex ord. Minor. assumptis. *Barth. Barzellinus episc. Reatinus.*

Episcopus Cæs. & S. R. E. Cardinalis.

BEnno *Cæsenas* Episcopus, cujus sequens extat inter Antistites *Cæsenatensis* Ecclesiæ nota: *Benno Cæsen. Episcopus reperitur subscriptus cuidam Bullæ Ecclesiæ Pisanæ indultæ ab Honorio II. anno* 1126. ab eodem *Honorio* summo Pontifice in secunda octo Cardinalium creatione habita in quatuor temporibus mens. decemb. anno. 1126. creatur S. R. E. Presb. Cardinalis; eum notat *Casarius* dicens: *anno* 1126. *quidam Benno Cæsenas, Rodulphus Imolensis, Chunradus Romanus,*
74 *Robertus Capisuccius, & alii quatuor viri egregii creantur S. R. E. Cardinales à Papa Honorio.*

Ferd. Ughel. tom. 1. de Episc. Italiæ. Alph. Ciaccon. in vit. Pont. & Card. tom. .1

Episcopus Laudensis, seu Lavellensis. Collect. Cæsenæ Steph. Parth.

CAmillus de *Verardis Cæsenas*, quem *Parthus* Episcopum fuisse *Laudensem* asserit in Collectaneis *Cæsenæ* dicens: *li Verardi vennero di Lombardia, dove dominorno molti Castelli, di questi furno famosi Camillo Vescovo di Lodi Baldassare &c.* non reperitur in serie Antistitum *Laudensium*, ut mihi scripsit postremo Ferd. Abbas *Ughellus* præteritæ veritatis sacrorum Antistitum Urbium *Italiæ* diligentissimus indagator, cui plurimum me teneri fateor, unde potius adhærerem assertioni *Casarii*, qui in suis fragmentis Antiquitatum *Cæsenæ* commemorat quendam *Camillum de Cæsena Episcopum Lavellensem*, *Camillum*que *Verardum* crederem Episcopum fuisse non *Laudensis*, sed *Lavellensis* Ecclesiæ, cui hodie præest Frater *Cherubinus Manzonius* (*Ambrosio Manzonio*, & *Lucretia* de *Mayellis Neap.* genitus) qui Ordinem Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Ref. in Cœnobio S. *Luciæ Neapolis* professus, Theologus, & Concionator evasit, ex eoque Instituto assumitur ad Episcopalem dignitatem anno 1635. à Sanctissimoque D. N. *Ur-*
75 *bano* Papa octavo creatur ejusdem *Lavellensis* Ecclesiæ Pontifex, & die 26. Augusti ejusdem anni 1635. consecratur per eminentissimum D. *Franciscum Mariam Brancatium* S. R. E. tit. SS. XII. Apostolorum Presb. Card.

F. Cherubinus Manzonius Episcopus Lavellensis.

CAndidus *Cæsenæ* civis & Episcopus anno 702.

Episcopi patriæ.

CLaudius de *Cæsena* Episcopus Patriæ anno. 742.

COncordius III. Civis & Episcopus *Cæsenas* anno 614.

Episcopus Patriæ. Ex Chronol. hujus tit. 1.

COnstantinus Theologus *Cæsenas*, cujus alias memini, *Leoni* Papæ secundo gratiosus fuit, seditque (*Casario* teste) in Cath. Patriæ anno 690.

Episcopus Cæsenæ.

DEsiderius à *Cæsena* Sancti Benedicti Monachus, cujus memini in Serie Antistitum Sanctæ *Cæsenatensis* Ecclesiæ ex testimonio Bonzanelli, *qui in antiquis tomis* (verba repeto) *se vidisse commemorat annotatos duos Monachos Cæsenates, Patriæ Episcopos, videlicet anno* 1046. *Joannem, & anno* 1057. *Desiderium &c.*

Joseph. Bonzanelli. Chron. Cæs. tit. 1. pag. 19.

Episc. Campaniæ.

FLaminus de *Roverellis Cæsenæ* natus Episcopus *Campaniæ* (ante *Barzellinum* pariter de *Cæsena*) obiit Subrivoli in territorio Patriæ.

FLorianus qui anno 313. eandem patriæ suæ *Cæsenæ* Ecclesiam regebat.

A FLorus *Cæsenæ* Episcopus, qui (ut notat Baronius *præsens fuit Romanæ Synodo habitæ sub Agathone Papa*) *Cæsenatensis* Civis, eodem *Bonzanellio* asserente, & ipse fuit.

Episc. Patriæ Baron. in not. Mart. Rom. die 20. Januarii.

FRanciscus à *Cæsena* ordinis Prædicatorum qui inter frat. *Michaelem*, & *Hevverardum Cæsenæ* sedit, ut in primo titulo dixi ex testimonio *Joan. Mich. Plodii.*

FRanciscus de *Albizis* nobilis *Cæsenas* (quem *Gregorius* XIV. Pont. Max. anno 1591. Episcopum destinavit *Ariminensis* Ecclesiæ à *Nicolao* 76
B *Masinio* II. Phis. sequenti commendatur testimonio: *Di Gio. Batista de gli Albizi nacque Francesco Albizi Dottore di legge, e Sacerdote, che havendo con prudenza incomparabile governata per quattordici anni la Citta, e Diocesi di Cremona Visitatore, e Reformatore di essa deputato da Papa Gregorio XIV. (mentre egli prima Vescovo, e poi Cardinale teneva quella Chiesa) fu l' anno* 1591. *eletto Vescovo di Rimini, e di gia anco eletto Cardinale nella mente di sua Beatitudine, si come nel medesimo anno si compiacque di palesare à me, mentre mandato à Roma Ambasciatore della communita, m' occorse ragionare seco in materia di varie indispo-*
C *sitioni, dalli quali era sua Santita gravemente afflitta &c.*

Episc. designatus Ariminen. Nic. Masin. in Relat. Familiæ Isseorum Cæsen.

GEbizo de *Cæsena* Monachus, & Abbas Sanctorum *Bonifacii*, & *Alexii*, quem inter Patriæ Antistites suo loco reposui anno 1076. & *Casarii* fultus testimonio *Zebizonem hunc Monachum de Cæsena in tanta re, quanta regni traditio est, ministrum fuisse*, (dicebam) *Gregorii VII.* Apostolicæ sedis legatus in *Dalmatiam*, & *Illyricum* ad earum provinciarum Ducem *Demetrium* fuit, prædictoque anno 1076. Episcoporum, &
Abbatum *Illyricorum* synodum *Salonis* convocavit, 77
D Cleri statum restauravit, & auctoritate Pontificis, nomen, jura, & ornatum Regis solemniter dedit ipsi *Demetrio*, qui ipsius *Gebizonis Cæsenatis* suasu, Regnum suum *Romanæ* Ecclesiæ beneficiario jure vectigale fecit, fideique Sacramento obstrinxit *Romano* Pontifici, qui propterea ipsum *Gebizonem* Civem, & Episcopum *Cæsenatem* S. R. E. creavit Presbyterum Cardinalem, quartoque loco inter XI. Cardinales ab eo creatos à *Ciacconio* collocatur.

Episcopus Cæs. & S. R. E. Cardinalis. Chron. Cæs. tit. 1. pag. 20. & seq.

ex Rom. Eccl. Archivis. Biblioth. Palatina, & Regist. Greg. VII. Alph. Ciaccon. prim. impress. pag. 377. Alph. Ciaccon. in Vita Greg. VII.

Episcopus Cæsenæ.

GOnfredus qui *Cæsenæ* Patriæ nostræ Sacrum
E jus dixit an. 954. ut ex Actibus Concilii Provincialis existentibus in Biblioth. Ursiana *Ravennæ* charactere Longobardico conscriptis habetur.

GRegorius *Malesardus* nobilis *Cæsenas* ord. Prædicatorum, ex Inquisitore hereticæ pravitatis creatur an. 1405. Episcopus *Cæsenatensis* Ecclesiæ. Eo sedente, *Cæsenam* mense Januarii anno 1410. venit *Alexander* Papa Quintus ex ord. Minorum Conventualium assumptus, qui postea *Bononiam* migravit ad Dominum eodem anno, V. non. Maji, *Gregorius* autem Episcopus *Cæsenæ* obiit anno 1419. 1681. reperta fuerunt ejusdem
F ossa in concavo muri Chori Cathedralis Cæsenæ & ab Eminentissimo R. E. Card. Vincentio Maria Ursino Ord. Prædic. in arcula plumbea in limine medio ejusdem Cathedralis quinque cubitus procul a Presbyterio tumulantur.

Ex lib. de Provis. Prælat. an. 3. Innoc. VII. fol. 204.

Episcopus Cæsenæ.

GUlielmus *Mirolius* Ordinis Minorum Conventualium, ex Inquisitore Marchiæ *Tarvisinæ* an. 1348. Episcopus *Cæsenæ* electus, me- 78
moratur à *Claramontio* his verbis anno 1350. *Episcopus noster erat Guilielmus Mirolius Cæsena ortus, Bononia autem Oriundus. &c.* Et à *Clemente* Pa-

Scip. Claram. in Hist. Cæsenæ lib. XIII. pag. 586.

pa

pa VI. condonatur pæna nimis tardæ consecrationis, ut ex sequentibus liquet. *Clemens Papa VI Dilecto Filio Gulielmo Electo Cæsenaten. Exigit sinceræ devotionis affectus &c. Nuper siquidem Cæsenatensis Ecclesiæ tunc vacanti, de persona tua, nobis, & fratribus nostris tuorum exigentia meritorum &c. præficiendo te ipsi Ecclesiæ in Episcopum, & Pastorem &c. Cum autem tu pro eo quod hujusmodi provisio de te facta, ad tuam notitiam tarde venit, & alias Officii Inquisitionis hereticæ pravitatis, quod tunc temporis exercebas negotiis impeditus pro recipiendo consecrationis munere infra tempus de consecrandis Episcopis à Canonibus diffinitum &c. non potueris &c. tibi remittimus de gratia speciali &c. Dat. Avenion. 10. Kal. Febr. Pont. nostri an. 7.*

Ex lib. 4. Epist. 230. & ex Wading. 3. Annal. Min. in Regest. Pontificio fol. 376. anno 1349.

Hieronymus Dandinus *Anselmi Dandini*, & *Joannæ* de *Moratinis* filius *Cæsenæ* anno 1509. natus, à pueritia litteris instructus. post datam juris prudentiæ, & sacris literis operam, inter Canonicos *Cæsenatenses* adscriptus, paulo post Præpositus fit ejusdem Cathedralis sub *Christophoro* 79 de Spiritibus Patriarcha Hierosolymitano *Cæsenæ* Episcopo, factus deinde Protonotarius Apostolicus de numero participantium, anno 1542. fuit à Secretis *Pauli* Papæ III. Nunciusque Pontificius ad *Franciscum Gallorum* Regem, Episcopus *Carsertanus* anno 1544. creatur, ad Ecclesiam deinde transfertur *Imolensem* anno 1546. in *Parmensi*que obsidione, & *Mirandulana* Generalis in Exercitu destinatur Comissarius, demum maximis ornatus meritis, & virtutibus, dum *Bononiæ* summa cum authoritate degeret, a *Julio* III. in tertia quatuordecim purpuratorum Principum creatione decimo tertio Kalend. Januarii die Veneris anno Domini 1551. creatus est S. R. E. presbyter Cardinalis tit. S. *Matthæi*, postmodum S. *Marcelli* designatus est. Monachorum Olivetanæ Congregationis, & Fratrum Servorum Ordinis Protector fuit. Ad *Carolum* V. Imperatorem pacis cum *Henrico* I. *Galliæ* Rege componendæ causa legatus de latere fuit, quo tempore *Petrus Beusardus* ipsi *Dandino Cæsenati* Cardinali legato librum cui titulus est *Annuli Astronomici usus* dedicavit. tandem *Paulo* Papa *Quarto* extincto; in Conclave ingressus *Dandinus* noster, gravique morbo inde eductus, die 4. Decem-80 bris anno 1559. moritur, cujus mortis sequens postilla extat in Relatione nobilissimæ Dandineæ Gentis: *Morto Paolo Quarto in un Conclave longhissimo fu Girolamo Dandini Cesenate Cardinale assalito dà febbre maligna, di dove uscito semivivo, ancorche con grande aura portato al Pontificato, passò à miglior vita il giorno seguente, che fu il di 4. di Decembre 1559. e fu sepolto in Roma nella Chiesa di S. Marcello*, in qua Ecclesia, ejusdem Imagini ad vivum expressæ hoc subscribitur marmoreum monumentum.

Cardinalis S. R. E. * Episc. Casertanus. * Episc. Imolensis. In sua vi... [illegible]

D. O. M.
HIERON. DANDINO CÆSENATI S. R. E.
CARD. HVIVS ECCLESIÆ TITVLARI
ANSELMVS PROTONOT. APOST. ET
V. S. E. PATRVO OPT. MERITO ANNVO
REDDITV FRATRIBVS ASSIGNATO,
VT PRO EIVS ANIMA PRID. NON.
DECEMB; QVO DIE OBIIT ANNIVERS.
CELEB. OBIIT MDLIX. ÆTATIS L.

In Eccl. S. Marcelli [illegible]

Cæsenæ autem in ecclesia Fratrum Minorum sculp. extat in Cappella Dandinea elogium quod incipit.

HIERONYMO DANDINO S. R. E. CARD.
VITÆ INTEGRITATE, GENERIS,
ET MORVM NOBILITATE
ORIS FACVNDIA, PECTORIS FIDE,
SVCCESSVVM FÆLICITATE
SVMMIS PONTIFICIBVS GRATIOSO.
QVI ETC.

In Eccl. S. Franc. Cæsenæ.

De eo *Lancellottus* in suis Comment. Inst. *Jovius*, 81 *Villanus* in vita *Ferrantis Gonzaghæ*, & alii, ejusque per extensum vitam m. s. postremo mihi misit *Hercules Dandinus* nobilis *Cæsenæ* Patritius, Patriæque ornamentum, dicti Eminentissimi Principis Pronepos.

Jacobus de *Boschettis* Episcopus *Cæsenas* qui ad extremum anni 1398. obiit, certe origine *Mutinensis*, sive *Regiensis* fuit, tamen inter Cives *Cæsenates* in quibusdam nostris m. s. reponitur, cum ex ejus familia *Julius* de *Boschettis* jam anno 1379. esset de 72. *Cæsenatum* Consiliarium numero à *Gregorio* XI. deputatorum, ut in *Vespesiani Tiberti* Collectan. excerp. ex Hist. rerum Provinciæ *Romandiolæ* olim conscripta à T. *Calisesio Cæsenate* liquet. *Jacobus* hic de *Boschettis* sedit *Cæsenæ* in Episcop. Cathed. inter *Joannem* III. & *Jacobum* II. duo enim *Jacobi* nomine Antistites successive præfuerunt Ecclesiæ *Cæsenati*, scilicet *Jacobus* hic *Boschettus* per obitum *Joannis* electus, qui, ut dixi, obiit anno 1398. & *Jacobus* de *Saladinis* nobilis *Asculanus Picenus*, qui cum *Cæsenatensem* rexisset Ecclesiam, post *Boschettum*, usque ad annum 1405. obiit *Asculi*, & apud *Nicolutium* Patrem in Ecclesia S. Franc. 82 fuit tumulatus *Jacobus* hic *Saladinus* Episcopus *Cæsenas* est reponendus inter *Jacobum Boschettum*, & F. *Gregorium Malesardum*.

* *Episc. Cæsenas.* Vespesian. Tibert. Collect. post Collect. Parthi. pag. mihi 14. ex test. ejusd. Jacobi Saladini Episc. Cæsen. Asculi stipulato anno 1401.

Jacobum quendam de *Cæsena* Episcopum *Ariminensis* Ecclesiæ commemorant monimenta Patriæ. Obiit anno. 1945.

* *Episc. Arimini.* Nicol. Masinius secundus.

Ignatius hujus nominis II. Patriæ & ipse Antistes, qui sedebat an. 403.

Ildebrandus, qui *Cæsenatensi* throno nobilitatus est an. 1065. *Cæsenatensis* Civis fuit.

Joannes de *Cæsena Monachus* Sancti Benedicti, cui Divus Petrus Damiani opusculum inscripsit de Parentelæ gradibus, cujus subjicitur inscriptio. *Reverentissimis in Christo Viris Joanni Cæsenati Episcopo; & D. D. Archidiacono Raven. Petrus Peccator Monachus digni famulatus obsequium, Ravennam ut nostis &c.* præfuit Cæsenati Populo anno 1042. post Marinacium Episcopum Cæsenaten. ut affirmat in suis memorialibus Bonzanellus *qui in antiquis tomis se vidisse commemorat annotatos duos Monachos Cæsenates Patriæ Episcopos, videlicet anno* 1046. *Joannem, & anno* 1057. *Desiderium.*

* *Episc. Patriæ.* S. Pet. Dam. tom. 3. opuscul. 8. pag. 81. Joseph. Bonzanel. Monach. Casinen.

Joannes de *Cæsena* Ord. Minorum Episcopus *Tiburtinus* creatus an. 1320. tertio novas Martii ex Regest. apostolico obiit anno 1337.

* *Episcopus Tiburtinus.*

Joannes Baptista Bartucciolus nobilis *Cæsenas*, ord. S. Benedicti, & Cænobii S. Mariæ de Monte prope *Cæsenam* dignus alumnus, ibi enim emiserat solemnem regularis illius instituti professionem die 8. Septembris anno 1479. ab *Alexandro* deinde Papa VI. Episcopus *Fanester* creatus est anno 1499. de eo in Collectan. Parth. ita legimus. *li Bertu ciolli vennero da Siena à Cesena l' anno* 83 1418. *Gio: Battista di tal famiglia prima Monaco di S. Benedetto, poi fatto Vescovo di Fano fù huomo di grandissima integrità, e morì l' anno* 1521.

* *Episc. Fani.* Equ. Steph. Parth. in Collectan. pag. mihi 4.

Ughellus autem in sua Italia sacra nondum impressa ejus mortem ponit anno 1518. tanti Scriptoris (qui nonnulla de Episcopis quorum notitiam tam distinctam non habebam, benigne, & amice mihi *Romæ* mensibus elapsis tribuit) notam subjicio *Joannes Baptistà Bartucciolus Cæsenas Monachus, ac Prior S. Mariæ de Monte ord. S. Benedicti Congregationis Casinensis ab Alexandro VI. Papa Episcopus Fani creatus est die 11. Septemb. 1499. sub Leone deinde decimo Lateranensi Concilio interfuit. in sua Cathedrali tumulatus est anno 1518.* *Bartucciolus* hic *Cæsenas*, *Fanensis* Urbis Antistes, pontificalia (ut ait *Parthus*) exercebat *Cæsenæ* pro *Fatio* Civitatis Episcopo S. R. E. Cardinale de *Cæsena* nuncupato, quando *Bononiam* recuperaturus *Cæsenam* venit ibique dies octo moratus est mens. Octob. anno 1506. *Julius* Papa Secundus, qui adolescens Ordinis fratrum Minorum Conventualium Novitius *Perusii* fuerat per octo menses, tempore quo F. *Franciscus* de 84 *Ruvere* ejus Patruus (qui postea fuit Papa *Sixtus Quartus*) erat ejusd. ord. Generalis Minister.

Abbas Ferdin. Ughel. Cistercien. tom 1. lib. 2. ital. sac.

Cæsenatia monim. Parthi.

Gabr. Faber.

IOannes Baptista Braschius Cæsenatensis, ab *Innocentio* duodecimo anno 1699. Episcopus creatur *Sarsinæ*, annos natus triginta septem: Resignat Episcopatui circa kal. Junii an. 1716.

IOannes Bonus *Cæsen.* erem. per an. 40. cultor, vir Beatus, Reformator ord. Eremitarum S. Augustini, primusque eorum Eremit. Reformatorum Generalis fuit, ex sequenti nota Joannis Marquez *La successione de Generali della Congregazione di S. Gio. Buono &c. Della Congreg. di S. Gio. Buono che correva nel medesimo tempo con superiori da se fù il primo Prelato Generale il medesimo S. Giovanni, come consta &c. il 2. fù il P. F. Matteo, a cui S. Gio Buono rinunciò il Generalato, il 3. il P. F. Ugone Mantoano, che quella Congregazione elesse in Ferrara havendo rinonciato il P. F. Matteo contro la Volontà di molti, li quali se n' andorno à Cesena, e pretendendo, che il Priore di quella casa per ragione era prelato universale della sua Congregatione, elessero in Priore di quella F. Marco dà Cesena che primieramente confirmò il Vescovo di quella Diocesi, e da poi il sommo Pontifice.*

* *Generalis Erem. Ref. S. Augustini.*

Jo. Marquez &c. de Origine Erem. Aug. cap. 13. pag. 206.

IOannes Franciscus ex Comitibus *Guidiis* à *Balneo* (Senatoria Urbis *Cæsenæ* Familia ab anno 1490.) Archiepiscopus *Patranus* creatus est primo, ad *Cerviensem* deinde translatus est Ecclesiam, & dum esset Nuncius Apostolicæ sedis apud Regem *Galliæ*, à Sanctissimo D. N. *Urbano* Papa Octavo die 30. mensis Augusti anno 1627. creatur in scrinio pectoris sui, deinde anno 1629. die 19. mensis Novembris in Consistorio publicatur S. R. E. Cardinalis, Episcopus post modum fit *Reatinus*, & Cardinalis à Balneo nuncupatus est, titulus ejus fuit Sancti *Alexii* unusque fuit ex supremis in tota Rep. Christiana Inquisitoribus. obiit *Romæ* an. elapso 1641. post cujus mortem, ejus germanus Frater *Nicolaus* Marchio à *Balneo* Patritius Senatorque *Cæsenas* militaris artis peritissimus post *Voltureniam* administratam; *Ferrariæ*que armis Pontificiis suprema authoritate cum fideliter præfuisset, relicta militari vita, Clericalem assumpsit habitum, & ordinem, à summoque Pontifice *Urbano*, cui gratiosus semper fuit, Abbas effectus est hoc anno 1642. eique majora in dies parantur. Horum meminit *Claramontius* in Hist. Patriæ his verbis: *stemmatis hu-* 85 *jus Ildobrandini, Romenæque Comitum propago familia est Guidiorum, qui ab Joanne Francisco Mantua Cæsenam profecto descendit, & nunc præsertim floret insignita Joanne Francisco Cardinali amplissimo, & Nicolao armorum Urbani VIII. Pontificis Ferrariæ præfecto.*

* *Archiepiscopus Patranus. Episc. Cerviens.* * *Episc. Reatinus. S. R. E. Presb. Cardinalis.*

Marchio Nicolaus à Balneo Abbas.

Hist. Cæsenæ impressa apud Nerium an. 1641. pag. 380.

IOannes Venturellus, cujus in serie Antistitum *Cæsenæ* memini, hoc loco enumeratur, non ut Civis *Cæsenas* (*Amerinus* enim fuit) sed quia nobilis ejus Familia Venturellia *Cæsenam* descendit (*Parthi* verbis utar) *con l' occasione che Giovanni Venturelli fù fatto Vescovo, Governatore, & Castellano di Cesena l' anno 1475. questi vennero dalla Città di Amelia, & descendano dà nobile Prosapia.* ex ipsamet Familia fuerat *Philippus Venturellus* Urbis *Amerinæ* Episcopus sub *Martino* V. creatus, & consecratus. Senatorium adhuc locum possidet clara hæc prosapia in Civitate *Cæsenæ*, hodie enim Senator est *Armodius Venturellus*.

Episco. Cæse.

tit. 1. Chronol. pag. 40. Eq. Steph. Parth. Collectan. pag. 4. B.

Philippus Venturelius Episcopus Ameriæ.

ISidorum *Fulginatis* Ecclesiæ Antistitem creatum anno 1547. dicunt fuisse Civem nostrum; at certe is fuit *Brixianus*, non *Cæsenas* de eo enim agit *Possevinus* in apparatu fol. 291. & postremo *Ughellus* qui asserit Isidorum in Castello ditionis *Brixianæ Clario* nuncupato obscuris parentibus natum, Monachum Benedictinum, virum doctissimum, ex Abbate Sanctæ Mariæ de Monte *Cæsenæ* ad *Fulginatem* sedem fuisse à *Paulo tertio* subvectum.

Isidorus Abbas S. Mariæ de monte Cæsenæ creatur Episcopus Fulginas.

IUlius *Malesardus* nobilis Civis, & Pastor Patriæ successor fuit *Averardi*, inter quem, & *Joannem* III. sedit *Cæsenæ* anno Domini 1385. ut sequens Chronic. indicat monimentum: *alli 21. di Genaro l' anno 1385. morse Galeotto Malatesta* 86 *nella Citta di Cesena &c. per suo ultimo legato si cominciò à edificare il nuovo Duomo nella parocchia della Croce del marmore, e ciò fù al tempo di Urbano sesto, & era Vescovo di Cesena Giulio de Malesardi Cittadino nob. di Cesena.*

Episco. Cæse.

Antiq. Chronic. Cæsenæ pag. 57.

IUlius *Tibaldeus* à *Cæsena* Episcopus, & Apostolicæ sedis Nuncius nominatur à Partho dicente: *Li Tibaldei vennero di Toscana a Cesena l' anno 1379. Giulio di detta Casa Theologo grandissimo fatto Vescovo, mori nella Città di Venetia essendo Nuncio del Papa.* at forte confunditur cum *Alexandro Tibaldeo* Episcopo.

Episco. Nuncius que Apostolicus.

Steph. Parth. in Collect. pag. 4.

IUlius *Tibertus* nobilis *Cæsenatensis* ab eodem *Partho Cerviensis* Antistes in illustrium virorum præclarissimæ *Tibertorum Cæsenaten.* gentis recensione memoratur, ejus verba refero. *Successe Giorgino grandissimo Guerriero, che liberò la Patria posta in estrema necessità. & Giulio Vescovo di Cervia, quale fù sapientissimo filosofo, Astasio Priore di S. Pietro prestantissimo Theologo, Tiberto Abbate della gloriosa Madonna del monte famoso Matematico, seguito Dario Dottissimo, Polidoro prudente &c.*

Episcopus Cerviæ.

Eques Steph. de Parthis in Collect. Cæs. pag. 4.

LEonardus de *Cæsena* II. hujus nominis Patriæ 87 Episcopus anno 1291. notatur ex regest. Vaticano sub *Nicol.* IV. ab *Ughello* in sua Italia sacra, cujus verba repono. *Leonardus ex Canonico Cæsen. à Capitulo postulatus confirmatur à Nicolao IV. anno 1291.* at *Leonardus* iste cum *Leonida* (qui *Cæsenæ* Episcopus fuit electus anno 1295.) confunditur in Chron. antiq. *Cæsenæ*, cujus verba placet exscribere: *l' anno 1295. Leonardo Siciliano da Ragusa fu fatto Vescovo di Cesena da Papa Honorio quarto, e poi Cardinale di Santa Chiesa*, in alio autem m. s. memoriali Episcoporum *Cæsenæ* eodem anno 1295. *Cæsenæ* sedisse legitur *Leonidas Siculus* de *Ragusia*, Cardinalis deinde S. Praxedis creatus à Pontifice Maximo

Episco. Cæs.

Ferd. Abbas Ughell. Ex Reg. Vatic. C. 303.

Antiq. Chron. Cæsenæ pag. 33.

Leonidas Cæs. Episcopus S. R. E. Card.

LEto de *Cæsena* Episcopus *Cæsenæ*. anno 1186.

Episc. Cæs.

Mancius

MAncius Episcopus Eboræ & Martyr sanctus anno. 106

MAnzinus, qui anno 1234 in patria sede fulsit.

MArcus de *Cæsena* Generalis Frat. Erem. Beati *Joan. Boni* memoratur in Apostolicis lit. *Innocentii* Papæ IV. Dat. *Perusii* 17. Kal. Maji an. 2. Pont. directis Universis Prioribus & Fratribus ord. erem. quarum tenor est: *Admonet nos cura &c. Fratres vero de Cæsena, & quidam alii de Romandiola coherentes eisdem apud Cæsenam convenientes in unum &c. Fratrem MARCUM Cæsenatensem in priorem dictæ Domus, & per hoc in Generalem Priorem totius ordinis elegerunt &c. ac electionem quam de ipso fecerant obtinuerunt confirmari per Episcopum Cæsenaten. &c.* in cujus Diæcesi magna eremitarum multitudo erat ut *Constantius Laudensis* asserit in vita Beati *Joannis Boni*, dicens, *IL BEATO GIO: BUONO se n'andò in Romagna non molto lontano dalla Città di Cesena, e qui dentro d' un eremo si ascose in una spelonca &c. non passò moltò che per la divulgata sua santità cencorrevano à lui da ogni lato huomini risolutissimi di lasciare il mondo ad essempio suo, e per seco poter servire à Dio, frà i quali non è da tacere, che fosse il serafico FRANCESCO institutore poscia dell' ordine de Minori, già che taciuto non l' hanno il Petrarca, il Sabellico &c. di modo che in meno di duoi anni crebbe tanto il numero degl' Eremiti in quella Provincia, che più non ve ne capiva.* At quid scripsi de B. Francisco? (certe in favorem est prætensi Monachatus Augustiniani S. Franc, . Quid igitur modo faciam ne contradicere videar seraphicæ Religionis matris meæ gravioribus scriptoribus; & ne tanti Patris honorem detraham Patriæ meæ *Cæsenæ*? & præsertim contra pacificam, quæ sequitur, Hereræ responsionem, *Potuit enim* (ait Herera) *Beatus Franciscus semel assumpto habitu in Eremo Cæsenatensi de licentia Prælati, qui ab eo nosset revelationem ipsi factam de Ecclesia S. Damiani reparanda redire Assisium, postea vero, post impletum an. Novitiatus potuit redire Cæsenam, ut professionem emitteret, vel in aliquo ex propinquis monasterii profiteri nomine Conventus Cæsenatensis?* Ego *Cæsenas* sum, sed Franciscanus, & cum Augustinianis non disputo, Patrias vero antiquitates hinc inde dispersas in unum colligo, ideo non quod factum est, sed quod scriptum est, dico.

MArcus Agrippa Dandinus nobilis *Cæsenas* ex *Pompejo Dandino* Comite *Palatino*, & *Violantha Sacromora* natus, Episcopus fuit *Æsinas*, in eaque sede à *Clemente Octavo* collocatur post *Camillum* Cardinalem *Burghesium* ejusdem *Æsinatis* Ecclesiæ prius Antistitem, ad summum deinde Pontificatum evectum: extat in Cappella
88 Dandinea apud Minores *Cæsenæ* ut infra monimentum marmoreum Episcopi hujus Dandini.

MARCO AGRIPPÆ I. V. CONSULTO
EPISCOPO ÆSINO
VIRO GRAVI, ET RELIGIOSO.
QUI CÆSENÆ OBIIT ANNO D. MDCIII.
XIII. KAL. NOVEMBRIS
ÆTAT. SUÆ XLVI.

MArius de *Tibertis* electus patriæ anno 1343.

MAurus primus, qui tenuit sedem Episcopalem post annum 614. *Cæsenas* & ipse fuit.

MIchael *Cæsenas* quidam in fragmentis *Casarii* Episcopus nominatus; idem erit (ut opinor) *Michael Cæsenatis* Ecclesiæ Antistes, cujus nullam habui hucusque notitiam, nisi sequentem, mihi postremo missam ab *Aurelio Masinio* nobili, doctoque Sacerdote *Cæsenat.* antiquitatum Patriæ diligentissimo scrutatore, qui in hoc opusculo conficiendo me benigne, & amice juvit, mihique nonnulla haud distincte perspecta liberaliter tribuit. Epistolæ familiaris ejusdem mihi elapsis diebus conscriptæ particulam ad verbum subjicio: *trà le Scritture che si conservono nel Capitolo de Signori Canonici della nostra Città, si ritrova in forma autentica una Concessione, & donatione di molte Chiese, e beneficii nella Città, e Diocesi che già fece un tale Michele Vescovo di Cesena à favore de Canonici della detta Citta dell' anno* 1259. *per rogo di Leonardo Timidei Zicha, il quale instrumento è in una carta edina grande con l' approvationi di tre Notarii &c.* Sedit *Michael Cæsenas* in Cathed. Patriæ inter *Manzinum*, & *Henverardum* Episcopos *Cæsenates*. 89

Ex Archivio Capituli Canon. Cæsenæ.

Additio ad 1. tit. Chronol. hujus pag. 24.

MUtius Dandinus, *Anselmi* Episcopi *Cerviensis* frater, XVI. Kal. Novembris an. 1685. ab *Innoc.* XI. Pont. Max. eligitur Episcopus *Senogalliensis*.

NIcolaus de *Arcanis* Card. *Francisci Albitii* ex filia nepos successit in episcopatu *Comaclensi Sigismundo* ex Comitibus *Gotifredis* de *Iseo* etiam *Cæsenati*.

NIcolaus ex comitibus *Guidiis* Patritius, Senatorque *Cæsenas*, Cardinalis à Balneo f. m. germanus Frater, Mat. Domini Abbas, cujus sup. pag. 84. memini, creatus est his diebus, & consecratus Archiepiscopus *Atheniensis* à Sum. Pont. *Urbano Octavo*, & Nuncius ordinarius Apostolicæ sedis mittitur in Galliam.

Archiepiscopus Atheniensis, & Nuncius Apostolicus in Galliam.

ODdo *Cæsenas* qui Patriam Ecclesiam diu rexit, ex veteri m. s. Antistitum ejusdem Catalogo ita ab *Antonio Casario* describitur: *Oddo Cæsenas S. R. E. Cardinalis ab Innocentio Papa II. anno* 1130. *creatus, diù fuit Cæsenæ Episcopus, & Romæ obiit anno* 1159. *Cardinalisque Sancti Georgii nuncupatus est. Oddonis* hujus Vicarius seu Locumtenens *Cæsenæ* fuit quidam *Hector* ejusdem Cathedralis Sacerdos præclarus, quem idem *Casarius* asserit fuisse ex pervetusta *Fattibonia* gente *Cæsenæ* plantata à strenuo Viro Germano Bono nuncupato, qui in *Italiam* venerat cum *Henrico* IV. anno 1112. Adhuc floret nobilissima hæc Familia, Senatorque *Cæsenas* ex ea vivit hodie Comes *Mutius Fattibonus*, qui Uxorem habuit filiam Comitis *Laurentii Roverelli*, suo loco erit sermo de nobilitate tam *Fattibonia*, quam *Roverellia*, nam hæc etiam (quæ innumeros peperit viros illustres, & inter cæteros *Bartholomæum Roverellam* S. R. E. Cardinalem) *Cæsenatensis* Gens Senatoria Patriam illustrat, Patritiique duo ex ea supersunt videlicet Comes *Aurelius*, & Comes *Alexander*; vivit quoque *Cæsenæ Fabritius Roverella* Comes &c. 90

Cardina. S. R. E.

Ant. Casar. cit. tit. 1. pag. 22.

Hector Fattibonus S. E. Cæsenatis Rector pro Card. Oddone Episcopo Civitatis.

Bartholomæus Roverella S. R. E. Cardinalis & Archiep. Raven. an. 1461.

P. de Cæsena anno 326. patriæ pastor.

Episc. Cæsenæ

PAndulphus Malatesta *Cæsenas* Archiepiscopus *Patranus* à *Nicolao Masinio* II. memoratur, at tempus quo floruerit ignoratur.

Archiep. Patranus.

PEtrus Calice nobilis *Cæsenas* Archiepiscopus *Ragusii*, sive *Epidauri* Urbis *Dalmatarum* anno 1375. consecratus, qui eam Metropolitanam rexit Ecclesiam per quinquennium, ut sequens illius Præsulum indicat series impressa in fine libri inscripti *Copioso ristretto degli Annali di Rausa.* Authore *Jocobo Luccaro*, est autem seriei titulus tenoris subsequentis.

Archiepiscopus Ragusinus.

Compend. Annal. Ragus. Jacobi Luccari lib. 4. pag. 170.

Ar-

Arcivescovi di Rausa.

L'anno 980. *Giovanni &c.*
1360. *Ugo Cigala dà Genova*
1375. *Pietro Calice di Cesena*
1380. *Maffeo di lago di Garda &c.*

Episcopus Faventiæ. Steph. Par. Collectan. pag. 11.

PEtrus Malesardus *à Cæsena Faventinæ* Urbis Episcopus posterum memoriæ commendatur à *Partho* nota sequenti. *Li Malesardi che dominorno la Città di Fermo, privati del Dominio venero à Cesena, Pietro di detta Famiglia fù Vescovo di Faenza.*

Episcopus Sutri, & Nep. Ferd. Ughell. Collect. Parthi pag. 4. Cæsen. monimenta m. s.

91 PEtrus Antonius *de Angelinis Thomæ* Filius nobilis *Cæsenas*, Protonot. Apostolicus, Romanæ Urbis sub *Paulo* III. Pont. Max. Gubernator, ac etiam Vicecamerarius fuit, Episcopusque *Sutrinus*, & *Nepesinus* die 7. Mensis Augusti anno 1542. creatus. de eo etiam *Parthus* sic ait: *Gli Angelini vennero di Alemagna à Cesena l'anno* 1466. *di questa fù Pier' Antonio Vescovo di Nepe che con gran prudenza governò Roma molti anni.* Chron. aliud m. s. ita habet. *Pietro Angelini Cesenate Vescovo di Nepi creato l'anno* 1533. *fù Governatore di Roma del* 1540. Quomodo hæc *Angelinorum* nob. Familia *Mastricum Brabantiæ* Urbem reliquerit, & *Cæsenæ* sedem fixerit anno 1466. in 2. parte erit sermo. Obiit Epis. *Angelinus* 1553.

Episc. Forolivii. Simon Epis. etiam Forolivii.

PEtrus Joannes Episcopus *Forolivien. Cæsena* ex pervetusta *Ambronia* Familia oriundus, cui viventi, & se ultro abdicanti suffectus est *Simon* ex eadem *Ambronorum* propagine natus *Forolivii* in qua Urbe, *Ambronia Cæsenatensis* gens proseminata, à cujusdam *Aleoti Ambronii* nomine, cognominata est *Aleotta*, hinc *Petrus Joannes*, & *Simon* (qui Trident. Synodo interfuit)
92 *Foroliviensis* Ecclesiæ Antistites, de *Aleottis* nuncupantur. ex eadem Familia *Ambronia* (quæ una est cum *Belmontia* seu *Ricciardellia*) fuerat *Ubertus Ariminen.* Antistes consecratus anno 1061. postmodum S. R. E. Cardinalis creatus anno 1069. Episcopusque *Prænestinus* designatus, & Apostolicæ sedis legatus de latere in *Germaniam* anno 1074. missus ad *Henricum* Imperatorem. Hujus meminit *Ubertus* in oratione *Malatestæ Cæsenæ* Principis dicens. *Familiæ quondam Cæsenatum fuere non ignobiles &c. Gangaridum &c. Valerianorum, Acclariorum & Ambronum, quæ stirps adhuc perdurat &c.* Senatorque ex ea vivit hodie *Joannes Baptista Ambronius Cæsenas.*

Ubertus S.R.E. Card. Prænestinus. De eo multa in regist. Greg. VII. Franc. Ubertus in orat. Malat. Novelli.

Electus Archiep. Ravennæ.

RAmbertus ex eadem familia eligitur Archiepiscopus *Ravennas* per obitum *Bonifacii* in Comitiis Provinciæ an. 1295. 9 Kal. Febr. sed à *Bonifacio* Papa non confirmatur.

Episcopus Mutinæ: Cæsar. Brissius in relat. Cæs. par. 2. pag. 24.

RUbertus *Malatesta Cæsenas* reponitur à *Brissio* inter Cives *Cæsenates*, qui aliis Ecclesiis præfuerunt; ejus verba refero: *Conseguirno medemamente molti Cesenati l'Episcopali d'altre Città, e nel servitio di quelle operorno con grande carità, e virtù. Ventura degli Abbati &c. Roberto Malatesta fù Vescovo di Modena.*

Episcopus Cæsenæ. Ex lib. Provision. Prælatorum. Vicedominus Papa, de Vicedominis, ex ord. Min. Con. assumptus.

SEbastianus de *Cæsena* sedem Episcopalem Patriæ ascendit per obitum fratris *Victoris*, an-
93 no 1425. eum enumerat Ugellus inter Episcopos *Cæsenates* his verbis: *Sebastianus Cathedralis Præpositus ad Cæsenatem Dignitatem assumptus est anno* 1425. Monimenta nostra asserunt *Sebastianum* hunc Episcopum, fuisse ex nobilissima Vicedominorum (vulgo *Visdomini*) Familia, *quæ* (Placen. Chronicon verba recito) *est magna Domus, & nobilis, nam de ista Domo fuit unus Papa qui non stetit in Papatu nisi unum diem, & mortuus est Frater Minor.* fuit is Frater *Vicedominus* de *Vicedominis* ord. Min. Conv. Professus Beati *Gregorii* Papæ X. ex Sorore Nepos, ab ipsoque anno 1274. Cardinalis creatus, quem *Petrus Maria* Campus Canon. *Placentinus* rerum Historicarum studiosus diurnum nuncupat Pontificem Maximum, qualem appellat etiam *Andreas Victorellus* in additionibus ad Vitas Summorum Pontificum Ciaccon. *Unum memoro, quem Pontificem fuisse nunquam audisti, narrant m. s. Placentinæ Civitatis monumenta, ex nobili Visdominorum familia Pont. Max. extitisse, quem dies una creavit, & extinxit.* hæc autem fuit dies VI. mensis Septembris anni 1276. qua obiit *Viterbii*, & in Ecclesia Sancti *Francisci* sui ordinis sepultus fuit. Hæc eadem *Vicedominorum* Gens ex *Lombardia* (*Partho* teste) in *Flaminiam* Lares transtulit, & 94
inter Patritias *Cæsenæ* Familias cooptata, subinde semper destinatum inter Senatores *Cæsenates* retinuit locum, quem hodie possidet *Silla Vicedominus* Vir perspicacis ingenii.

Chronic. m. s. Placen. cit. ab Andrea Victorello in addition. Ciaccon. pag. 255. post vitam Steph. 2. Pontificum Hist. Alph. Ciacc. noviter impress. pag. 255. Collectan. Steph. Parth.

SEverus Sanctus, *Cæsenæ* Antistes signo Columbæ anno 565. per obitum. N. Episcopi Cæsenatis (*qui eum Sanctitatis amore, quasi proprium filium gubernaverat*) electus, non *Alemanus*, sed *Italus*, *Cæsenas*que fuit, in Sanctorum enim *Italiæ* Catalogo reponitur à *Ferrario* sequenti rubrica. *De Sancto Severo Episcopo Cæsenate, & Protect. Ejusdem Urbis. Severus Cæsenæ natus &c.* habeo etiam apud me ejusdem Sancti Vitam secundum rudem illam antiquitatem manuscriptam (quam mihi dono dedit germanus meus Frater *Carolus Franciscus Manzonius Cæsenas* Sacerdos ord. Minimorum *Pisis* mecum vitam ducens hoc an. 1642.) ita autem incipit: *Vita di Santo Severo Cittadino, & Vescovo di Cesena. Severo nacque in Cesena del* 537. *&c.*

Episcopus & Protect. Cæsenas. Ex ejus Vita nuper impressa. Ferrar. in Catal. SS. Ital. pag. 410. Vita S. Severi m. s.

SIgismundus ex Comitibus *Gotifredis* de *Iseo Cæsenat.* Episcopus *Comaclensis* ab anno 1655. usque ad annum 1670. Tumulatur in Ecclesia S. Francisci *Cæsenæ* in sepulcro familiari suæ Domus.

THeodoricus Calisesius nobilis *Cæsenas*, *Brissio* referente, Archiepiscopus fuit S. Metrop. Eccl. *Ravennæ*, exscribo relationis ejusdem *Bris.* verba: *Conseguirno medemamente molti Cesenati* 95
l'Episcopali d'altre Città &c. inter quos numerat Archiepiscopum hunc *Ravennatem* (qui sedit anno D. 1228.) *Theodorico Calisesi il quale fù Arcivescovo di Ravenna.* Sub hæc tempora *Joannes Berna* Rex Hierosolymitanus tertii ord. S. *Francisci* professus mittitur à Pontifice ad regendam *Æmiliæ* Provinciam. Hic *Cæsenæ* plerumque mansit.

Archiepiscopus Ravennæ. Cæsar Brissius in relat. Cæsenat. ad Clem. VIII. pag. 24. Hist. Seraph. 2. 2. & Hist. Cæs. pag. 291.

THomas de *Albizis* Ordinis Prædicatorum Episcopus *Calliensis* electus anno 1513. Nepos fuit illius *Rainaldi Albizii*, cujus meminit *Claramontius* in sua Hist. dicens: *Quæstor Pontificius, vel ut vulgo dicitur Thesaurarius Cæsenæ residebat; Sixto Quarto imperante fuit Franciscus Albizius, sive de Albicis ex Rainaldi Albizii olim Cosmi magni Medicei de Florent. primatu competitoris propagine, hic Pontificius Quæstor Cæsenæ sedem fixit, & Familiam Senatoriam, & claram proseminavit:* e *Nicolao* igitur de *Albizis*, *Castoreaque Blonda* filia illius *Blondi* celeberrimi Historici Foroliv. natus est *Thomas* iste de *Albizis* Episcopus *Calliensis*, quem *Parthus* in Collectan. *Cæsenæ Masum* ut infra vocat: *Gli Albizi antichissima fameglia essendo sforzati à lasciare la Patria con Rinaldo loro Parente, se ne vennero à Cesena l'anno* 1481. *di questa Casa fù Maso Vesco-* 96
vo di Cagli &c. interfuit F. *Thomas* Concilio Latera-

Episcopus Calliensis, deinde ... Hist. Claramontiana Cæsenæ pag. 74. Steph. Parth. Collect.

teranen. libertatem Ecclesiasticam acerrime defendit; tandem Bethlemitanus Episcopus factus quievit in pace, obiit *Cæsenæ*, in suo nativo Conventu, ut asserit *Joan. Michael. Plodius* lib. IV. partis 2. Virorum illustrium ord. ejusd. cujus ad verbum subjicio historicam narrationem: *Frà Tomaso degl' Albizi nob. Fiorentino d'origine, nacque in Cesena di Niccolò figlivolo di Maso, figl. di Rinaldo che primo uscì di Fiorenza del 1454. & di madre che fù sorella del Biondo famoso per l'Istorie d'Italia, giovinetto prese l'habito in Cesena, e divenne dotto Maestro in Teologia, hebbe da Leone X. il Vescovado di Cagli l'anno 1513. dieci anni lo tenne, & oprò molte cose à favore della sua Chiesa, come racconta Iapolito Innocentii &c. bramoso poi di servire il Signore nel suo Convento, tentò la permuta del Vescovado, nel Vescovado, e Contea di Betleme, così ottenutela l'anno 1524. se ne tornò al suo Monastero originale di Cesena, dove morendo vi lasciò la sua suppelletile &c.* adhuc vivebat an. 1528. ut legitur in Archivio ejusdem Conventus S. *Petri* Martyris *Cæsenæ*.

VEntura de *Abbatibus* ex Canonico *Cæsenæ* Patriæ suæ à *Martino* V. an. 1428. id. Aprilis evehitur ad regendam *Brittinoriensem* Ecclesiam, vir enim erat literarum scientia, munditia vitæ, honestate morum, & aliis multiplicium virtutum donis conspicuus, ut ipsemet Pontifex asserit in Bulla ad Clerum *Brittonorii*, cujus Civitatis modernus Antistes D. *Isidorus Robbia Florentinus* ex ord. S. Benedicti, germanus frater, & in eodem Episcopatu F. *Joan. Robbiæ* ex ord. Præd. assump. Successor misit elapsis diebus mihi sequentem *Vecchiatiani* relationem: *Mons. Ventura degli Abbati ritrovandosi Canonico di Cesena sua Patria fù dichiarato Vescovo di Bertinoro, e Forlimpopuli dà Martino Quinto. &c. questo Vescovo nel 1445. affittò li beni del Vescovado che giacciono tutti nel territorio di Forlimpopuli sua prima Sede. &c.* fuit *Ventura* Commissarius Apostolicus in causa unionis Abbatiæ S. *Laurentii* Mensæ Episcop. *Cæsenæ*. Consecravit *Jacobum Palatium* in Episcopum *Forolivien.* an. 1463. die
97 27. Novemb. decrepitæ ætatis excessit è vivis anno 1477. cum *Brittonoriensem* Ecclesiam rexisset an. XXXXIX.

VItalis de *Cæsena* Ordinis Minorum Conventualium, antiqui Cænobii S. *Francisci* Patriæ Alumnus ex Inquisitore hæreticæ pravitatis eligitur, & consec. Episcopus *Cæsenæ* anno 1358. ut notat *Wadingus* accuratissimus Annalium Minorum Scriptor amicus meus charissimus, cujus verba subjicio: *Anno 1358. Assumpti sunt ad ecclesias regendas F. Petrus &c. ad Cæsenatem verò Ecclesiam sub Archiep. Raven. per obitum Guglielmi etiam Minoritæ Frater Vitalis de Cæsena*; In Ædibus autem Sancti Officii Pisar. hæc adest Inscriptio à me posita.

F. VITALI DE CÆSENA EPISCOPO
CÆSENATI EX ORD. MIN. CON.
S. FRANC. ASSVMPTO
INQVISITORI PRIVS IN TVSCIA,
DEINDE IN FLAMINIA CONTRA
HERETICAM PRAVIT.
ACERRIMO ETC.
HOC MNEMOSYNON IN PATRIAM,
ORD. ET CONVENTVM DEVOTIONE
POSVIT MENSE JVLII ANNO
MDCXXXVI.
F. BERNARDINVS MANZONIVS
CÆSENAS EX COLLEGIO ROMANO
SANCTI BONAVENTVRÆ S. T. D.
GENERALIS PROVINCIÆ HVJVS
PISANÆ APOSTOLICVS INQVISITOR
A SANCTA SEDE APOSTOLICA
DELEGATVS.

UGo de *Cæsena* Clero vocante, applaudente populo, *Paschale* vero secundo Pontifice Maximo ejusdem assumptionem approbante Patriæ consecratur Episcopus an. 1106.

(* *Episcopus Cæsenæ.*)

CAESENAT. PRÆLATORVM In Romana Curia viventium hoc anno MDCXLII. Alphabetica Nota. 98

FRANCISCVS de ALBIZIS nobilis *Cæsenas*, Pontificii, Cæsareique Juris Scientia, dicendi arte, & eloquentia conspicuus, inter Patriæ Senatores primo adscriptus res civiles laudabiliter tractavit, *Flaminiæ* Provinciæ generalis Locumtenens fuit; defuncta Uxore ad res Ecclesiasticas adjiciens animum, Apostolicæ Sedis Nuncii fit in Regno prius *Neapolitano*, in *Hispan.* deinde generalis Auditor; mox à S. D. N. *Urbano* VIII. opt. Max. Pontifice ob singularem morum probitatem, omnigenam Doctrinam, fidei ardorem, Ecclesiasticæque libertatis zelum Utriusque Signaturæ factus Referendarius, ad per ardua Christianæ Reipublicæ negotia missus, ad gravissima Catholicæ religionis muniaadscitus, *Romanæ*, & Universalis Sanctissimæ Inquisitionis Assessor deputatus, aliisque Sacris in Urbe oneribus, & honoribus condecoratus, ibidem vivit; Eum *Mariottus* in suo libro Miscellanea exornationum Phi- 99
lologicarum inscripto commendat sequenti Elogio ad stemma Gentilitium allud.

Venerare Religiosa mortalitas Præsulum Decus
Franciscum Albizium Cæsenatem,
cujus gentilitiis spheris, &c.

(Bened. Mariottus pag. 24.)

Et *Claramontius* in recensione originis præclarissimæ *Albiziorum* gentis in Urbe *Cæsenæ* ejus ita meminit: *Quæstor etiam Pontificius vel, ut vulgo dicitur, Thesaurarius Cæsenæ residebat. Sixto Quarto imperante fuit Franciscus Albitius, sive de Albicis, ex Raynaldi olim Cosmi magni Medicei, de Florentiæ primatu competitoris propagine. Hic Pontificius Quæstor, qua occasione hic sedem fixit, Familiam Senatoriam, & claram proseminavit, ex qua nunc Franciscus S. Officii Assessor, V. S. R. Romæ floret magno cum Familiæ, & Patriæ gloriæ incremento &c.* Creatur Cardinalisab *Innocentio* Decimo Pont. Max. anno 1654. die secunda Martii. Obiit an. 1684. quarto nonas Octobris ætatis suæ 92. Erat unus ex supremis inquisitoribus in Republica Christiana, & in omni scientia peritissimus.

(Scip. Clar. lib. XVI. Hist. Cæsenæ pag 740)

IOannes Ghinius Juris Consultus gravissimus hodie *Romanæ* Cameræ Commissarius memoratur sequenti nota in Hist. Cæsenæ, *Adulphorum Domus erat, quæ Cæsenæ in via Cerviensi adhuc est in angulo, quo ad Divi Zenonis flectitur, fuit olim Montefeltriorum, postremusque eorum Guido Antonius Comes possedit, eam Cristophoro Manzonio Equiti aurato vendidit, nunc Ghiniorum Familia obtinet, quorum Joannes Ghinius Cameræ Romanæ Commissarius Cæsenæ Civis ac singulare ornamentum.* hæc Claram.

(Scip. Claram. lib. XV. pag. 706. * *In qua Domo die 13. Martii an. 1605. ex Claudio Manzonio dicti Equitis Christophori Filio Senatore Cæsenate, & Clara de Rotulis natus est Chronol. hujus Author.*)

MArcus Aurelius Maraldus *Cæsenas*, nunc 100
Sanctissimi D. N. *Urbani* Papæ Octavi Brevium Secretarius, olim *Pauli* Papæ Quinti Datarius, Prælatus notissimus, qui in paranda boni nominis gloria certans, quantum ingenio, doctrina, dexteritate, consilio, & prudentia valeret, quanto veræ pietatis, & Reipublicæ Christianæ studio flagraret, in his, & aliis gravissimis muniis sibi commissis expressit. de eo *Claramontius* in fine Hist. Cæsenæ sic ait: *Fuit Maraldus Pauli Quinti Datarius, & nunc Urbani Octavi à*

(Cæsenæ Hist. pag. 758.)

Brevibus (ut vocant) quod propinquissima, & meritis, & destinatione Purpura caruerit, externo quidem ejus fulgore privatur, at constantis animi inferendo tranquillè casum perpetua laude cumulatur. Sicuti & CÆSENA mater, quæ in solum obsequium Ecclesiæ Romanæ (quemadmodum olim & Romani Imperii) dat proprios fœtus. Exscribere propterea liceat quod *Ubertus* cecinit.

Franciscus Ubertus Poeta lib. 1. de temporibus suis.

Consuluit Cæsena sibi: quæ semper Alumnos
Romano Imperio fida Ministra dabit.

101 QVORVNDAM PRÆLATORVM *aliorumque in Rom. Eccl. obsequium, vel ad Apostol. munia assumptorum (qui præcessere) Cæsenatum alphabeticus Index.*

A*Nselmus Dandinus* nobilis *Cæsenas* ex Canonico Ecclesiæ *Imolen.* fit Abbas S. *Barthol. Ferrarien.* & Protonot. Apost. de num. participantium, ac V. S. R. à *Pio* V. Urbis veteris Gubernator à *Greg.* XIII. cujus fuit etiam residens Nuncius apud *Gallorum* Regem; & sub *Xisto* V. generalis *Umbriæ* Rector cum potestate Legati, *Bononiensis*que Legationis cum omnimoda facultate pro Eminentissimo *Alexandro Peretto* Card. Montalto Sanctitatis suæ Nepote amplissimus Præses; à *Clemente* VIII. deputatur Sanctæ Romanæ Inquisitionis Consultor, aliarumque Congregationum Prælatus, & Ecclesiæ Civitatis Plebis Visitator Apostolicus, ac Generalis Commissarius; prædictorum 4. *Romanorum* Pontificum Domesticus fuit Prælatus, qui his & aliis in urbe, & orbe functus laudabiliter muniis, sub *Paulo* V. moritur.

Anselmus alter *Dandini* Prælatus V. S. Ref. sub *Clem.* XI. Summo Pont. adhuc vivens hoc anno 1717. & est signaturæ Justitiæ votans, Sacræ Congregationis Indicis consultor, & sacræ Visitationis Ponens. Vide tit. IV. in voc. *Anselmus.*

102 *Agamemnon Buccius Cæsenas* Prælatus gravissimus Reatinæ Urbis Gubernator fuit, Provinciarumque Piceni, & Umbriæ pro Pontifice Romano Præsidens *.

Andreas de *Pilastris* Emin. Card. Littæ, Archiepiscopi *Mediolan.* Vicarius Generalis anno 1675. ad an. 1677.

Antonius Romaninus, qui *Firmanæ* Civitatis Gubernator obiit, recensetur in Collectaneis Patriæ.

Ascanius Ugolini Cæsen. Patritius *Mutii Dandini* Episcopi *Senogal.* Vicarius generalis ab anno 1686. ad annum 1689.

Astasius Tibertus præstantissimus ibidem cognominatus Theologus, & Prior S. Petri, Prælatus fuit venerandus.

Aymericus Galeffus I. V. D. Protonot. Apostolicus, *Canutii* Abbas, *Clementis* Papæ Octavi intimus cubicularius, obiit anno 1612. ut epitaphium in Eccl. Servorum *Cæsenæ* positum indicat.

Bartholomæus Fortibonus Abbas Sancti *Celsi*, Domesticus Prælatus *Nicolai* V. Pont. Maximi.

Bartholomæus Vetaranus Clem. VII. intimus Prælatus, *Cæsenam* Patriam illustravit.

* Errat Author dicens *Agamemnonem Buccium* fuisse Prælatum, dum post se reliquit Uxorem *Allegram de Morris*, & filios ex ea natos. Obiit occisus in Ecclesia Sancti Francisci *Cæsenæ* à *Nardo Masonio* anno 1538. Fuit tamen Gubernator *Ameriæ*, *Fulinii*, & *Interamniæ*, ut ex litteris patentibus apud me extantibus, nec non etiam Rotæ *Januensis* Auditor, & in *Piceno* locumtenens generalis.

Blasius Baroni *Cæsenas* SS.[mi] *Clementis* Septimi Cæremoniarum Magister, diaria, variaque alia conscripsit, ut patet ex manuscriptis memoriis nostratibus.

Bonifacius Martinellus Prælatus, cubiculariusque *Eugenii Quarti* summi Pontificis.

Carolus Verardus primus Cathedralis Patriæ Archidiaconus, *Romæ* in Ædibus Divi *Augustini* tumulatur cum sequenti Epitaphio.

KAROLO VERARDO ARCHIDIAC.
CÆSENATI HVJVS IN PATRIA
DIGNITATIS AVTHORI.
HVMANARVM, DIVINARVMQVE
RERVM PERITISS. IIII. PONTIF.
MAXX. A CVBICVLO,
LITERIS APOSTOLICIS DICTANDIS
VLTRA, CISQVE ALPEIS
HONORIBVS AMPLISSIMIS
HONESTISSIME FVNCTO.
VIXIT AN. LX. ABIIT, NON OBIIT
ANNO M. D. IDIBVS DECEMB. ETC.

Carolus de Albizis, *Francisci* præstantissimi Jurisconsulti Patritii *Cæsenatis*, ac post Uxoris obitum V. S. Referendarii Sanctique Officii Assessoris Filius, optimi ipsius Parentis industria tam litteris, quam virtutum omnium ornamentis decoratus merito fit Nuncii Apostolicæ Sedis in *Neap.* Regno Advoc. Fiscalis, at in ipso juventutis, speique flore ab invida morte hoc anno 1642. rapitur.

Christophorus Pasolinus Protonot. Apostolicus fuerat Cathedralis Patriæ Præpositus.

Dominicus Ugolinus Prælatus fuit (ut notat *Parthus* in suis Collectaneis) Papæ Thesaurarius. 103

Franciscus Ugolinus Vir solide prudens obiit Gubernator Civitatis *Ariminensis.*

Hyacintus Nicola de *Pilastris* V. S. R. Prælatus vivens, & adolescens hoc anno 1699. Gubernavit magna cum laude *Ariminum*, *Imolam*, *Tudertum*, *Reate*, S. *Severinam*, *Asculum*, *Viterbium*; & anno. 1721. Gubernator Generalis Marchiæ.

Hector Fattibonus Sanctæ *Cæsenatis* Ecclesiæ diu Rector, & Locumtenens Card. Oddonis Patriæ Antistitis.

Hieronymus Belettus obscur. Parent. *Cæs.* natus Abbas & in *Lusitania* Bullarum & Brevium Apostolicorum expeditor, & internuncius circa an. 1670.

Hieronymus ex pervetusta *Valerianorum Cæsen.* Familia Utriusque signaturæ Referendarius inter graviores Prælatos *Cæsenates* memorandus obiit *Pisis.*

Hieronymus Dandinus, Cardinalis *Hieronymi* nepos, Sacerdos societatis Jesu, legatur à *Clemente* Papa VIII. ad Patriarcham, & Maronitas Montis Libani Apostolicæ sedis Nuncius, præfuit Synodis à se convocatis, & in eis locum tenuit Pont. Max.

Jacobus Buccius Martini V. Prælatus, & Sanctitatis suæ Generalis olim Thesaurarius.

Joannes Baptista Romaninus S. T. D. Jurisque Consf. Cathed. Patriæ suæ *Cæsenæ* Præpositus fuit, & in Romana curia Prælatus.

Joannes Jacobus ex nobilissima *Augusellorum* Patritia Familia Protonot. Apostolicus, quem vidit nostra ætas, fuit vir doctus.

Joseph Isæus Comes à *Gregorio* XIV. Canonicus S. Petri factus, pluribus in Urbe Congregationibus adnumeratus est.

Lucius de *Arcanis* Eminentissimi Cardinalis *Albitii* ex filia Nepos *Clementis* X. & *Innocen.* XI. Pont. Max. Cubicularius vulgo, d'onore. 104

Lu-

Ludovicus Pasolinus Martini Papæ Quinti intimus cubicularius, domesticusque Prælatus.

Ludovicus Ugolini Eminent. *Josephi Ulissis* Cardinalis *Gozzadini Imolensis* Episcopi Vicarius generalis ab anno. 1710. ad annum. 17.

Lucas Masottus Clementis Papæ VIII. à cubiculo obiit *Romæ* an. 1599. & in Campo Sancto cum eleganti elogio marmoreo sepelitur. aliud quoque in Eccl. servorum *Cæsenæ* extat epitaphium quod incipit.

105 LVCÆ MASSOTTO CÆSENATI AVLICO INTEGRIS, INGENVISQVE MORIBVS CLEM. VIII. PONT. MAX. SECRETIORI CVBICVLARIO ETC.

Pandulphus de *Cæsena* Archidiaconus *Bononiensis*, unus fuit ex XXX. Electoribus selectis ex singulis nationibus, qui una cum Cardinalibus intrarunt Conclave, quo *Martinus* Papa V. *Constantiæ* anno 1417. creatus est.

Pompæus Dandinus Utriusque signaturæ Sanctissimi D. N. Papæ Referendarius, intimus, domesticusque Summ. Pontificum *Gregorii* XV. & *Urbani* VIII. Prælatus fuit, tandem obiit in Patria.

Raynaldus Albizzi Eminent. *Francisci* ex filio Nepos Prælatus vivens, judex de propaganda fide, Vicelegatus *Urbin.* an. 1689. deinde *Fabriani*, & *Tuderti* Gubernator fuit. obiit *Ravennæ* anno 1710. Decimo Kal. Septembris.

Rubertus Martinellus maximus Prælatus nominatur in Collectan. *Cæsenæ*.

Rubertus Morus Innocentii Papæ Octavi Prælatus memoratur ibidem.

Santes de *Pilastris* V. S. R. *Clementis* IX. & X. Pontificum sublatarius, deinde sub *Innocentio* XI. Cam. Apost Comiss. Generalis, eidemque Pontifici ob insignem in gerendis negotiis solertiam, & sinceritatem charissimus, & intimus: Obiit tertio Kal. Novembris anni 1688. ætatis suæ. 73.

Tobias Fantagutius Jurisconsultus Episc. *Veronensis* Urbis, & Diæcesis Generalis Vicarius, creatur à Sancto *Carolo Borromeo* anno 1565. tunc Card. legato Protonot. Apostolicus, ut ex Sancti *Caroli* ejusdem Cardinalis, liquet diplomate cujus notam tandem misit Comes *Joseph Fantagutius* inter primarios *Cæsenates* hodie merito collocandus.

Vespasianus Tibertus Abbas, & Prælatus gravissimus. & alii Prælati *Cæsen.* omittuntur.

106 VIRI CÆSENATES
Præfecti Generales Religionum.

Hist. Cæsenæ lib. 15. pag. 731. Bartholomæus *Cæsenas*, vir Beatus, cujus alias memini, Ordinis Eremitarum S. *Hieronymi* primus Generalis, post B. *Petrum Gambacurtam* Fundatorem, extitit. Obiit circa annum 1450.

Steph. Part. Collectan. pag. 11. Basilius de *Berardis*, Præmonstratensis Ordinis Generalis, memoratur in recensione dictæ *Berardorum* Familiæ, quam inter nobiliores Civitatis *Cæsenæ* enumerat *Parthus* in Collectan. Patriæ dicens: *Li Berardi vennero di Toscana, de quali fù Basilio Monacho che morì Generale dell' Ordine Premonstratense.*

Simon Marinus Ravennas in lib. Venetiis impresso. Hieronymus de *Malusellis* primus Pater, & Fundator Religionis nuncup. del *Buon Giesu*, natus est in Agro *Cæsenati*, ut ex ejus Vita in libro *Venetiis* an. 1617. impresso cui titulus est: *Vite gloriose delle due Beate Margarita, e Gentile, e del P. D. Girolamo Fondatori della Religione de Padri del buon Giesu di Ravenna, raccolte dal R. D. Simone Marini dà Ravenna*, colligitur; incipit autem, ut infra: *Vita del P. D. Girolamo primo Padre, e Fondatore della Religione del buon Giesu di Ravenna: In questa ultima età dell' invecchiato Mondo fiorì Girolamo della Christiana, e devota famiglia de Malusselli dà Mensa, Territorio di Cesena, huomo se non di sangue illustre, almeno di chiara bontà, e fama; suo Padre hebbe nome Giovanni, e la Madre Antonia &c.* & infra prosequitur de eodem dicens: *ritiratosi in Cesena attendeva all' essercitio delle sante orationi, e continue mortificationi di se stesso &c.* factus autem Sacerdos *Hieronymus* hic *Cæsenas*, de licentia *Christophori* Episcopi *Cæsenatis* (qui eum ad sacros ordines promoverat, & tanquam filium diligebat) *Ravennam* inspirante Domino petiit, ibique anno 1530. die 23. Septembris Fundamenta jecit Ecclesiæ & Religionis, quæ appellatur del *Buon Giesu* di *Ravenna*. cætera de eo apud Authorem supra citatum legito. 107 (Simon Marinus pag. 59.; Idem pag. 62.)

Luc. Wadingus tom. 3. Annal. ... Vide etiam Cæsenæ pag. 7... & seq. Michael de *Cæsena* XVII. post Sanctum Patriarcham *Franciscum* universi Ordinis Minorum Generalis Minister *Neapoli* prid. Kal. Junii anno 1316. electus, Seraphicam Religionem canonice rexit usque ad annum 1328. quo absens iterum pro quinta vice eligitur à Patrum 108 Capitulo *Bononiæ* congregato Generalis die 22. Maji, sed antequam suæ electionis litteræ pervenirent, fugit à facie *Joannis* XXII optimi Pont. qui justitia exigente damnavit ipsum bulla incipiente *Quia vir &c.* quam plumbeam bullam *Venetiis* in Bibliot. *Grimani* se vidisse asserit *Rodulphius*; qui de Conventu S. Francisci Min. Con. *Cæsenæ* verba faciens sic ait: *De hoc loco exiit F. Michelinus Generalis, quem superius memoravimus: Joannes XXII. anathemate hunc locum percussit, ut dicunt; quare alii Pontifices Paterna benedictione prosequuti sunt, & Clemens VII. in itinere Bononiæ tempore coronat. Caroli V. sua benedictione bene precatus est.* postremo etiam *Urbanus* Papa VIII. idem urbane fecit anno elapso 1641. suo diplomate impetrato ab Eminentissimo Principe *Francisco* Card. *Barberino* cujus familiarem Epistolam ad me scriptam subjicio ad verbum: *Al M. R. P. il Padre F. Bernardino Manzoni Inquisitore di Pisa* (Hist. Seraph. Relig. Petri Rodulphi Tossin. pag. 269.; * Benedictio Conventus S. Francisci Cæsenæ.)

M. R. Padre Horappresentato à Nostro Signore il desiderio di V. P. di havere la sua Santa Beneditione per la sua Persona, e per il suo Convento, e Frati di Cesena, e suo beni. Sua Beatitudine in riguardo della buona, e fedele opera, che V. P. hà impiegato, & impiega in servitio di questa Santa Sede, si è contentata d' inviarla à lei per mezzo della presente, & alli Padri del suo Convento di Cesena, e suoi beni con l' aggiunto Breve; il che mentre io significo à V. P. la certifico congiuntamente del grandimento col quale ho ricevuto l' augurio della felicità inviatomi per le passate Feste di Natale, e la saluto di cuore. Roma 19. Gennaio 1641. Al piacere di V. P. 109

F. CARD. BARBERINO.

Petrus autem *Bonaventura* Sacer Antistes auctoritate, & nomine summi Pontificis *Urbani Octavi* juxta Diplomatis tenorem, solemni ritu Benedictionem fecit die XXX. Junii anno 1641. Cæterum *Michaelis* olim Generalis successum ex annalibus Minorum celeberrimi *Wadinghi*, aliisque autenticis monumentis à me excerptum, breviterque descriptum clarissimus *Claramontius* reposuit per extensum in calce XV. libri Histor. *Cæsenæ* apud *Nerium* impress. (Ex Archivio Episc. Cæsenæ.; Vide Hist. Cæs. Claram. à pag. 715. ad 722.)

Paulus de *Angelinis Cæsenas*, *Romæ* electus universi Ordinis Fratrum Capucinorum Sancti Francisci Generalis Minister, per sexennium lau-

dabiliter præfuit sub *Paulo Quinto* Pontif. Maximo.

Mag. *Placidus Fantini* de *Villa* Sancti *Christophori* territorii *Cæsenat.* Tertii Ordinis Sancti Francisci Minister Generalis eligitur anno 1707.

Fr. *Stephanus Claramontius* Equitis *Scipionis Claramontii* filius universi Capuccinorum Ordinis Sancti Francisci Generalis Minister per novennium, astitit morti imperatricis *Eleonoræ* Uxoris *Leopoldi Ignatii* electi Imperatoris anno 1675. sive, 76.

110 *Regularium insignium Cæsenatum qui ex una quaque Religiosa Familia Cæsenæ hodie domicilium habente & nostra ætate, & majorum nostrorum temporibus prodiere enumeratio.*

CAnonici Sanctæ *Cæsenatensis* Ecclesiæ quorum aliqui ad Infulas usque Ecclesiasticas, & ad Purpuram olim (ut sparsim hucusque diximus) pervenere, non sunt inter Regulares adnumerandi, licet antiquitus usque ad annum 1335. communem habuerint *Cæsenæ* in murata habitationem, quo anno Albertus Præpositus, & Canonici omnes *Cæsenates* à *Francisco Ordelaffo* Tyranno jussi sunt ab iisdem communibus Ædibus recedere, & in inferiorem partem Civitatis descendere.

CAnonici Regulares Lateranenses Abbatialem Basilicam, & Conventum habent extra & prope *Cæsenam* sub tit. Sanctæ Crucis. Sacri hujus Instituti dignus Alumnus fuit.

111 Sanctus *Aldobrandus Cæsenas* Episc. *Forosempronienfis* Ecclesiæ.

Abbatialemque ipsam Domum plurimum exornat hodie.

D. *Celsus Rosinus* vir eximiæ Doctrinæ, Abbas, Diffinitorque Generalis, ac olim Visitator, & Commissarius Religionis; cum eo vivit quoque

D. *Sebastianus Cellius* Abbas, vir solide Doctus; & alii concives præcesserunt eadem dignitate in Religione insigniti, videlicet

D. *Deodatus Manzonius* Equitis *Christoph.* Patritii *Cæsenatis* Filius Abbas. S. Crucis;

D. *Franciscus* ex nob. ac vetusta *Augusellorum* familia, & alii.

D. *Franciscus Maria Pondi* Abbas Sanctæ Crucis.

BEnedictini Monasterium possident magnificum, devotissimamque Basilicam sub tit. S. Mariæ de Monte prope *Cæsenam*:

Ex Monastico S. Benedicti Instituto plurimi Cæsenates prodierunt illustres.

S. *Urbanus* de *Cæsena* }
B. *Teuzo* de *Cæsena* } quorum memini sup. tit. 3.

D. *Zebizo* de *Cæsena* S. R. E. Cardinalis anno 1084.

D. *Joannes* an. 1042. }
112 D. *Desiderius* an. 1057. } Cæs. Patriæ Episc.

Don. *Joannes* Bapt. *Bartucciolus* Episcopus *Fanensis*.

D. *Anastasius Ubertus* Episcopus *Imolæ*.

D. *Domitius Cæsenas* an. 1400. ejusdem Monasterii (tunc *Cluniacensibus*, nunc *Casinensibus* paret) præclarus Abbas.

D. *Tibertus* de *Tibertis* pariter Abbas, memoratur in Collectan. *Parthi.*

D. Maurus *Columbus* de *Cæsena* Abbas ibidem, qui obiit an. 1637.

D. *Sebastianus Lancettus* litteris, & moribus ornatissimus dicti Monast. Decanus laudatur in Melpomene *Ambronii Cæsenæ* apud *Nerium* impressa.

D. *Ambrosius Chiaramonti Cæsenæ* Patritius, Abbas *Castrovillæ* per totum annum. 1721. deinde moritur morte miserrima in eodem Monasterio *Castrovillæ* in *Aprutii* regione.

D. *Cæsarius* de *Funettis* Nobilis *Cæs.* & Abbas.

D. *Modestus Vendimini Cæs.* Patritius, ultimus ex sua stirpe, Abbas Sanctæ Mariæ de *Monte Cæsenæ*, & S. *Vitalis Raven.* & Generalis Visitator sui Ordinis anno 1688.

D. *Ambrosius Chiaramonti* Abbas.

CÆlestini in Urbe *Cæsenæ* Monasterium obtinent cum Ecclesia cui tit. est S. Hieron. Ad Abbatialem in Cælestino Ordine Dignitatem nonnulli evecti sunt *Cæsenatenses* Monachi, & inter cæteros.

Don. *Dionysius* à *Cæsena* Generalis in Romana curia Procur. qui adhuc vivit.

D. *Hieronymus Venturellus* Abbas Monasterii *Faventini*, & S. Hieronymi *Cæsenæ* Cælestinorum, & S. Stephani *Bononiæ*.

CAmaldulenses retinent *Cæsenæ* Monasticam domum, & Ecclesiam Divo *Paulo* sacram (est tamen membrum Monasterio Classen. unitum) ex hac Beati *Romualdi* Familia Cives quidam nostri fuere præclari. 113

D. *Christophorus* de *Cæsena* S. Laurentii Abbas, in quem *Cæsenatensis* Ecclesiæ Clerus anno 1313. jus transfudit eligendi Episcopum Patriæ.

D. *Michael Leonardellus* S. T. D. Abbas Fabriani, deinde Bertinorii, Procuratorque in curia Romana Generalis Ordinis, &c.

DOminicani Cænobium habent in Civitate *Cæsenæ*, ac Templum Divo *Petro* Martyri Sacrum. Residet ibi Vicarius S. Officii Locumtenens Inquisitoris Generalis Provinciæ. Ex Illustrissimo hoc Prædicatorum Ordine Viri *Cæsena* Oriundi Illustres fuere.

F. *Gregorius Malesardus* S. T. D. ex Inquisitore hereticæ pravitatis anno 1405. Episcopus Patriæ electus.

F. *Thomas* de *Albizis* S. T. D. Episcopus *Calliensis* anno 1513. consecratus.

F. *Angelus Brissius* S. T. D. Inquisitor Mutinensis à *Clemente* Papa VIII. delegatus, & Provincialis Utriusque *Lombardiæ*.

F. *Julius Iseppius Cæsenas* lector *Patavinus*, cujus erit mentio in Albo Scriptorum *Cæsenatum*.

FRanciscani Fratres Minores, Conventuales ab ipsius quasi surgentis Religionis Seraphicæ primordiis (anno 1212.) apostolica auctoritate appellati (quod nomen adhuc retinemus) templum S. Francisco Patriarchæ dicatum, magnificumque *Cæsenæ* possidemus Cœnobium à F. *Alberto Faventino* acceptum anno 1248. in quo adest insignis Bibliotheca Basilicæ instar duplici Columnarum Corinthiarum ordine intersepta, egregiis libris manu diligentissime conscriptis à *Malatesta Novello* anno 1449. magnifice exornata, cujus indemnitati & conservationi sollicite animadvertunt Urbis Conservatores, unica vero Clavis ejusdem semper stat pœnes digniorem Magistrum, & Patrem ejusdem Conventus. *Cæsenates* (*Wadingo* teste) plures prodiere illustres ex Ordine hoc Franciscano, videlicet 114

Beatus *Christophorus* in *Cæsenati* agro natus, qui *Caturci* fere centenarius ex hac vita migrans Cælo evolavit anno 1272.

F. *Gui-*

F. *Guido* Comes *Montefeltrius* olim magnæ *Flaminiæ* partis, & *Cæsenæ* Princeps, qui Religionem Fratrum Minorum, & S. Francisci habitum induit anno 1296.

115 F. *Ambrosius* de *Cæsena* Episcopus anno Incarnationis Dominicæ 1326.

F. *Gulielmus Cæsenatensis* Episcopus anno 1348.

F. *Vitalis* de *Cæsena* Episcopus Patriæ an. 1358. per obitum ipsius *Gulielmi* electus.

F. *Bartholomeus Malatesta Cæsenas* Episcopus Dragonariæ an. 1397.

F. *Michael Fuscus* de *Cæsena* Generalis Ordinis an. 1316.

F. *Azolinus* de *Cæsena* S. T. D. ejusdem *Michaelis* Nepos, & Vicarius Generalis

F. *Amissinus* de *Cæsena* S. T. D. sub eodem *Michaele* Religionis Præfecto, Generalis in Romana curia Procurator.

F. *Franciscus Bulnensis* S. T. D. præcipuus Ord. Gymnasiarcha, celebrisque verbi Dei proclamator anno 1486. sub *Francisco Sanson* Gener. Relig. Visitator fuit.

F. *Christophorus* de *Barberiis Cæsenas* S. T. D. Minister Provincialis fuit *Bononien.* Provinciæ anno 1553.

F. *Pellegrinus Fantagutius* Cæs. S. T. D. quem *Rodulph.* in Hist. Seraphica virum eruditum appellat eadem floruit tempestate.

F. *Joannes* de *Cæsena* S. T. D. eximiusque Concionator floruit an. 1556.

116 F. *Ludovicus* de *Arardis Cæsenas* S. T. D. anno Domini 1570.

F. *Pius Fantagutius* S. T. D. Concionator politissimus, Provinciæ *Bonon.* perpetuus Diffinitor obiit *Aretii* an. 1610.

F. *Octavius Corvarius Cæsenatis* & ipse Franciscani Cænobii Alumnus, Doctor Collegii Romani S. *Bonaventuræ* obiit an. 1615.

F. *Sixtus Gallus Cæsenas* Magister Musices qui modulationes quasdam laude dignas composuitTypisque dedit dum esset Præfectus Musicæ in *Forosemp.* Eccles. Et postremo obiit in Patria

F. *Valerius Leonardellus* S. T. Magister.

Doctorum vero in Sacra Theologia *Cæsenatum* viventium hoc anno 1643. ejusdem Conventus Alumnorum sequitur nota.

Magister *Bernardinus Manzonius* ex Romano S. *Bonaventuræ* Collegio Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, Provinciæ *Bononiensis* Pater, perpetuusque Diffinitor; anno Domini 1636. die 11. Junii, ætat. an. XXXI. Inquisitor Civitatis, Status, Dominiique *Pisani* à S. D. N. *Urbano* Papa VIII. delegatus.

Magister *Petrus Fuscus* ad Doctoratus gradum anno 1602. promotus, vivit plenus dierum in perscrutandis antiquitatibus, in sacrorumque Canonum lectione diligentissimus.

117 Magister *Bonaventura* de *Cæsena Benedicti Bragadini* Minoritæ Archiepiscopi *Corcyrensis* Vicarius Generalis.

Magister *Michael Angelus Tontus* ex Romano Collegio Doctor Theologus, *Ariminensis* Gymnasii Regens.

Magister *Antonius Albertinus* in Scotico Patriæ Gymnasio Regens, &

Magister *Joseph Razzanus*; &c.

Mag: *Nicolaus Raphaelli* ejusdem Conventus Alumnus insignis Theologus, & Provinciæ *Bonon.* Provincialis.

AVgustiniani, ex angusta Butrioli eremitica Domo in Civitatem *Cæsenæ* traducti anno 1252. Templum Divo *Augustino* dicatum, adjunctumque obtinuerunt Cænobium, quod plurimum exornat hodie

Magister *Bonifacius Vecchi* Conv. Augustiniani *Cæsenæ* Alumnus maximus Divini Verbi Præco, Provincialisque *Romandiolæ.*

Frater *Angelus Felicani* ejusdem Conventus Alumnus, dictæque Provinciæ Provincialis circa annum 1694.

Magister *Leonardus Valentinus* eximius Theologus, Oratorque politissimus, Ordinis sui Gymnasiarcha, deinde *Romandiolæ* Provincialis; ex Augustiniana Familia *Cæsenates* nonnulli præclari fuere, ut

F. *Petrus Ferrettus*, de quo infra inter scriptores *Cæsenates* suo loco, & alii.

Mag. *Camillus* de *Lanceitis Cæs.* Patritius *Romandiolæ Provincialis.*

Mag. *Antonius Bagnoli* ejusdem Conventus Alumnus, & Provincialis *Romandiolæ* hoc an. 1721. Priorque eodem tempore Conventus S. Augustini *Romæ*: infeliciter *Spoleti* decessit ex vulneribus sibi ipsi illatis Decimo Kalendas Novembris anni 1722.

SErvitæ celebrem habent *Cæsenæ* Conventum, & Ecclesiam B. V. M. sacram. Plures *Cæsenates* ex eo Conventu prodiere illustres:

Beatus *Bartholomæus Cæsenas*, qui ad Cælos 118
evolavit an. 1329. cujus devota imago antiquitus depicta apparet *Spoleti* in Eccl. S. *Lucæ* Euangelistæ.

Mag. *Nicolaus Schiavina Cæsenas* anno Christi 1538. Vicarius de summi Pontificis voluntate deputatus Universi Ord. Servorum Generalis.

Mag. *Andreas* de *Angelinis* Provincialis *Romandiolæ.*

Mag. *Hieronymus* de *Cæsena* Apostolicus Concionator in divulganda cruciata anno 1365. recensetur in Annal. Archang. Gianii.

Mag. *Hieronymus* alter *Cæsenas* anno 1558. insignis Verbi Dei Proclamator in iisdem annalibus memoratur.

Vidit nostra ætas in eodem Conventu duos *Flaminiæ* Provinciales, videlicet

Mag. *Cyril.* de *Galeffis*, &

Mag. *Barth.* de *Sangiorgiis*; hic Orator fuit, Poeta, & Musicus, atque in Patria Universitate Philosophus publicus, in Ordine vero Theologiæ Regens, & in *Hispania* Vicarius Generalis. vivit hodie in eodem Cænobio

Mag. *Andreas* de *Bertis* qui in publico Gymnasio *Cæsenæ* Theologiam professus est.

CArmelitæ Ecclesiam habent, in Civitate 119
Cæsenæ, & Conventum, quem plurimum exornarunt

Mag. *Sebastianus Avezzanus* à *Cæsena* bis Provincialis *Romandiolæ.*

Mag. *Dominicus Carnevalius* Regens *Patavini* Gymnasii, Universitatis *Cæsenæ* Metaphysicus, qui anno 1615. Provincialis fuit.

Magister *Joseph Reggiani* Alumnus hujus Conventus Provincialis *Angliæ* anno 1721. &c.

OBservantes Sancti *Francisci* extra Civitatis *Cæsenæ* Portam, S. Mariæ appellatam Ecclesiam habent sub tit. Annuntiatæ, & Claustrale Cænobium vivit hodie

F. *Christophorus Manzonius Cæsenas* germanus meus frater ejusdem Ordinis Obser. Refor. Sacerdos, & Concionator, Missionariusque Apostolicus in Valle *Lucernæ.*

CApucini prope *Cæsenam* in Colle *Garampæ* habent locum, & Ecclesiam Seraphico Patri S. Francisco dicatam.

F. *Bartholomæus Cacciaguerra*, sub cujus quadam privata imagine vidi: Beatus *Bartholomeus Cacciaguerra.*

F. *Bartholomæus* quidam Eremita nuncupatus. *Cæsenates* Sanctitatis admirandæ nomine conspicui pluribus celebrantur à *Zacharia Boverio.*

120 F. *Paulus* de *Angelinis Cæsenas* celeberrimus Verbi Dei concionator Seraphicum hunc Capucinorum ordinem per sexennium laudabiliter rexit Generalis Minister.

F. *Paulus* alter de *Angelinis* præclarus, & ipse concionator, insignisque Theologus vivit hodie, & cum eo quattuor alii Concionatores filii Equitis *Scipionis Claram.* quorum

F. *Antonius Glaramontius* fuit Provincialis in Regno *Corsicæ* dictorum Fratrum.

Fr. *Stephanus Claramontius* per annos novem fuit Generalis Minister totius Ordinis Capucinorum.

Tertiarii Sancti Francisci Regulares habitant in suburbio Civitatis, ex cujus professione nonnuli *Cæsenates* fuere Provinciales, & Mag. Jo. Bapt. *Sbrighius* Pr. Gen.

Mag. *Placidus Fantini* de agro *Cæsenæ* Vir doctus Procurator Generalis sui Ord. Provincialis & Generalis electus anno. 1707

Mag. *Schiedi* de *Cæsena* Provincialis hujus Provinciæ


Minimitani autem post omnes in murata *Cæsenæ* Conventum obtinuerunt, &c.

FINIS TERTII TITULI CHRONOLOGIÆ CÆSENÆ.

TITULUS QUARTUS.

121 SCRIPTORUM ALIORUMQUE DOCTRINIS, ET VIRTUTIBUS PRÆSTANTIUM CÆSENATUM ALPHABETICUS CATALOGUS.

Alex. Tartagn. lib. 1. Cons. 18. fol. 27.

EGIDIVS *Cæsenas* Juris consultus gravissimus, quem *Alxander Tartagnus* lib. primo Consiliorum nominat *Eximium Juris Doctorem D. Ægidium q. Matthæi de Cæsena*, fuit ex nobilissima de *Arcanis* Patritia Familia *Cæsen.* floruit anno Domini 1480.

Steph. Part. Collectan.

Agabitus Spranius Vir Doctissimus laudatur à *Partho* in Collectaneis Patriæ.

Agabitus Verardus Doctor eximius ab eodem commendatur.

Agamemnon Buccius Rotæ *Januensis* Auditor fuit, sicut etiam vide supra pag. 102.

Nicol. Masin. in Vita Uberti.

Agamemnon Tibertus Astrologus, memoratur in vita *Francisci Uberti* Poetæ *Cæsenatis*,

122 *Aldobrandus* Sanctus cujus alias memini, inter Doctores *Cæsenates* jure collocatur, de ipsius enim Doctrina hæc in lectionibus suæ Festivitatis leguntur verba: *verum cum publicis Concionibus quas de more ad Populum habebat (erat enim vir eloquens, & Doctus) &c.*

Breviar. prop. Canonic. Regular. Lateranen.

Alexander de *Angelinis* Jurisconsultissimus, qui ad Reges, ac Pontifices Max. peractis legationibus, Patrimonii, *Umbriæ*, atque *Piceni* Provinciis sapientissime administratis moritur anno 1605. VI. kal. Octob. ætat. suæ anno 83. ut indicat marmoreum Epitaphium sibi in Ecclesia S. Francisci positum quod ita incipit:

Monum. Marmoreum Cæsenæ apud Minores.

Alexandro Angelino Cæsenat.
Jurisconsul. clarissimo, qui
&c.

Alexander Martinellus I. V. Doctor, equitum, peditumque ductor, ætatis suæ anno XVII. orator à *Cæsena* Patria mittitur ad *Leonem* X. Pont. Max. ad *Clementem* deinde VII. *Cæsenæ* gravissimam habuit orationem, ad aliosque Pontifices, *Adrianum* videlicet *Sextum*, *Paulum* III. *Julium* III. *Paulum* IV. & *Pium* V. orator maximis de rebus dicturus accessit, at quoniam *Patriæ profuit in toga, profuit in armis*, cæt. de eo in 2. parte hujus Chronol. tit. III. referam. ejusdem nobilis-
123 simæ Familiæ, ejusdemque nominis supersunt Senatores duo *Cæsenates*, videlicet *Alexander Martinellus* Equitis *Bonifacii* filius, Vir undequaque exercitatus, clarus nostri ævi Jurisconsultus; & *Alexander Martinellus Thomæ* Filius, notissimi illius *Mazzonii* ex Julia filia Nepos, I. V. D. Historiæ universi generis peritissimus, oratoriæ facultatis dono, Poesis suavissimæ exercitio, aliorumque virtutum ornamento celebris.

Jacob. Mazzonius lib. de triplici hom. vita.

Blasius Bernardus in orat. ejus Funer.

Alexander Mazzus Jurisconsultus memoratur à *Gomesio* in reg. de Subrogandis de eo etiam in 2. parte relat. Cæs.

Ces. Briss. 2. part. Rel.

Ambronus Ugolini Ambronii Cæsenatis filius Jurisconsultus celebris à consiliis *Azzonis Estensis Ferrariæ* Marchionis anno 1293.

Andreas de *Angelinis* qui scripsit super 2, ff. noni memoratur in Catalogo scriptorum omnis generis.

Catal. Scriptor. pag. 9.

Andreas de *Cæsena* nuncupatus della Pasquina an. 1458. Doctor, & Medicus singularis memoratur in libro Chaos *Juliani Fantagutii.*

Angelinus de *Angelinis Joannis Francisci* Filius Capitaneus primo deinde Cathed. Canonicus, Excellentissimus Musicus fuit.

Anastasius Ubertus Episcopus *Imolæ*, cujus alias memini, commendatur ab Ughello his verbis: *Anastasius Ubertus Cesenas Card. Dandini ex sorore Nepos &c. literatura valebat, ut refert V. lib. 2. ligni vitæ, reliquit ingenii sui monimenta &c.* 124

Ferd. Ughel tom. 1. de Episc. Italiæ.

Annibal de *Albertinis* Philosophus, & Medicus singularis scripsit *libros tres de affectionibus cordis Venetiis* impressos an. 1618. & Cæsenæ 1646. per Nerium.

Annibal Fantagutius qui anno 1596. composuit librum *della cognizione di Dio, e di se stesso, e de i mezzi per conseguirla*, ab Inquisitore Provinciæ *Faventinæ* approbatum, quod hodie asservatur apud *Tiberium Fantagutium* Senatorem *Cæsen.*

Annibal de Lapis Doctissimus, memoratur, Famosusque nominatur à *Partho* in Collectan. Patriæ.

Steph. Parthi Collect.

Annibal Tuscus Jurisconsul. & Poeta, in cujus funere, quod sequitur, positum fuit epitaphium.

Funer. Epitaph.

Hospes. *Quis jacet hic, longos qui scripsit amores*
Dum cecinit Lauram versibus egregiis?
Fama. *Non is, verum alius, cujus si carmina spectes,*
Id credas quod de nomine credideras.

Anonymus quidam Poeta *Cæsenaten.* circa annum 1591. Poema perlongum, simulque lepidum, in duodecim Cantus distinctum, agresti idiomate Villarum Montalis, Vinti, Laurani, Furani, & Frazani exaratum composuit, sed non impressum, cujus Originale apud *Jo. Ceccanni* I. V. D. existit.

An-

Anselmus Dandini V. S. R. librum in lucem edidit cui titulus est: *De suspectis de Hæresi: Clementi* XI. Summo Pontifici dicatum*.

Antiochus Tibertus Astrologus clarissimus varia scripsit, ediditque, & præcipue tres nunc improbatæ lectionis Chiromantiæ libros *Moguntiæ* impressos anno 1541. Viri hujus *Cæsenatis* vitam, & res ab eo gestas descripsit *Paulus Jovius* in suo libro cui titulus est: *Inscrittioni poste sotto l'imagini degl'Huomini famosi in lettere.* in Chronica etiam *Guazzi* ejusdem *Antiochi* Astrologi *Cæsenatis* vita describitur.

Antonius Cajetanus Burghesius varia edidit præcipue Poeses post ejus obitum impressas *Forolivii* à Zampa 1696.

Antonius Cæsarius, qui Patriæ suæ *Cæsenæ* Fragmenta hinc inde excerpta in unum reduxit volumen, commendatur ab *Aldo Manutio* his ver-
125 bis: *Antonius Cæsarius juvenis omnis antiquitatis peritissimus*, & infra de eodem dicit in sua orthographia ipsemet *Aldus Manutius* P. Filius: *affirmavit mihi Cæsarius meus, cujus diligentiam plurimum facio.*

Antonius de *Bettinis* Juris utriusque peritus, acrique ingenii vir, Patritius erat *Cæsenas* anno 1392.

Antonius Martinellus Octaviani filius Juris consultus.

Antonius Pasolinus Juris Pontificii, atque Cæsarei eruditione clarus.

Antonius Sulphrinius Orator, & Poeta de quo Briffius ait: *Antonio Sulfrini humanista, e Poeta, del quale si leggono molte cose stampate.*

Ascanius Tuscus valde commendatur à *Partho* in Collectan. Patriæ

Asdrubal de *Bettinis* eodem munere fungebatur anno Domini 1456.

Assalon Spranius Philosophus tumulatur in ædibus Minorum Con: ejusque Sepulcro breve quod sequitur affixum est elogium

Absalon Philosophus, & Medicus
Speraniæ Familiæ Decus.

Aurelius ex nobilissima *Masiniorum* Familia Philosophus subtilissimus, & Medicinæ Doctor, qui commendatur in *Nicolai* primi vita, obiit anno 1564. Vivit vero hodie alter *Aurelius Masinus Cæsaris* filius religione, prudentia & sapientia clarus, cujus alias memini, jure inter *Cæ-*
126 *senates* Doctrinis, & Virtutibus præstantes adnumerandus.

Aulus Lucretius Poeta, sequenti memoria *Cæsenatum* commendatur posteritati à *Nicolao Masinio*: *Et ne vos lateat Cæsenates, qui de illustrium vestrorum Civium fama soliciti estis Aulum Lucretium Cæsenatem olim extitisse Poetam egregium, celebremque Historicum, placuit quod de illo recitat Petrus Appianus lib. Antiquarum inscriptionum, nec non & Fulvius Ursinus pag.* 17. *libri Imaginum antiquarum elogium hic apponere, una cum Fulvii scholio.*

A. Lucretii Historici, ac Poetæ
conditoris verissimi,
cui ob excellentiam ingenii statua condonata,
ac Civitati Cæsenæ Roman. Coloniæ deductæ
in hoc sacro monte dedicata &c.

FULVII SCHOLIUM.

Auli Lucretii hujus Cæsenatis nullam apud latinos scriptores reperimus mentionem inter Historicos, & Poetas numeratum fuisse, eique à communi Cæsenatium statuam publice erectam esse ex antiquo hoc in marmore elogio, quod Cæsenæ extat, intelligere possumus.

Balthassar de Eternis, & *Balthassar Tibertus* J. C. gravissimi fuere.

A

Balthasar Pedronius eximius Philosophus tumulatur *Cæsenæ* in ædibus S. *Francisci* post capellam *Manzoniæ* gentis, sepulch. cujus epitaphium est quod sequitur: 127

FORMA POLLENS, HICQVE NVMEN VIRTVTIBVS AMPLIS
PHILOSOPHVS, MEDICVS EXTITIT EXIMIVS: (Sepulchri marmor. in ædibus Min.)
BALTHASAR; HVIC MATER CÆSENA, PEDRONIA PROLES
ASTIT. HEV DOLOR, HVNC MORS TRVCVLENTA NIMIS

B

IMMATVRA VIRVM RAPVIT VVLGATA PER OBEM:
CVJVS FAMA VIRI NON PERITVRA VIGET
HÆC SVA MARMOREO COMPESCVIT OSSA SEPVLCHRO
ET SVVS EX MERITIS SPIRITVS ASTRA TENET.
OBIIT X. KAL. DECEMB. 1414.

Baptista Montefeltria Ordinis S. Claræ, & *Violantha Montefeltria* Princ: *Cæsenæ* valde in fragmentis commendantur *Cæsenatibus*: ob sin-

C

gularem pietatem ista, quæ *Malatestæ Novelli* Uxor fuit; ob eximiam Doctrinam illa, quæ *Gal. Malatestæ* fuerat Sponsa. liceat propterea Heroissam hanc *Baptistam Montefeltriam* de *Mallatestis* (utraque enim Familia deinceps ad hæc usque tempora in Urbe *Cæsenæ* Senatoria) inter Doctrinis, & virtutibus præstantes *Cæsenates* enumerare: quemadmodum inter famosissimas (post descriptas à *Bocatio*) Mulieres primo loco enumeratur, ejus igitur Vitam ibi impressam huic subnectere narrationi, non alienum à meo instituto judicavi: (Anton Cæsar. lib fragm. antiq. Cæsenæ.) (Pag. 145.)

D

Battista Malatesta prima 128

Da Costei, per seguire l' ordine mio proposto, Don na al tempo suo molto Illustre, hò voluto dar principio. Malatesta prima di questo nome fù figlivola di Guido di Montefeltro tra le Donne di quell' tempo famosissima. Costei fu bellissima di corpo, & molto più d' animo. Imperoche oltre, che fusse ornata non di signorili, ma di reali costumi, hebbe non poco à core la religione Christiana. fù d' ingegno quasi divino, & delle lettere molto capace, dimaniera che hebbe un parlare così puro, & netto si nel latino, come nel volgare, che fù tenuta di gran' lunga trapassar ogni altro, che si trovasse à quel

E

tempo. Fece assaissime orationi latine molto belle, & piene a' arteficio, & al Imperator Sigismondo, & à molti Cardinali, de quali parte ella istesta ne recitò con tanta gratia sua, & maraviglia d' ogn' uno, che fù tenuta un nuovo Demostene. Mà di più non fù ne anco senza cognitione di buona Filosofia, imperoche di lei si trovano molti argomenti fatti per confonder alcuni, che disputarono seco in Filosofia. Hebbe molto nel core i precetti divini, & sopra la Sacra Scrittura compose un libro della fragilità humana, & uno della vera Religione in latino. Scrisse anco molte Epistole à diverse persone, nelle quali si conosce la purità, & la politezza di quelle, & il

F

valor suo. Fece una oratione à Papa Martino, nel- 129 *la quale magnificamente loda il suo Pontificato, insieme con la felicità di quel Sacerdotio, della quale fù tanto l' ornamento, che oltre che Papa Martino, & tutto il Colleggio de Cardinali infinitamente la lodassero, egli istesso in una epistola ne fù ricordo. Scrisse anco quest' Illustrissima donna molte altre cose. & fù tenuta donna di gran Giustitia, di non poca clemenza, & pietà, & auezza à far' di molti benefici. Da infiniti huomini dotti le furno scritte di molte epistole, à tutte le quali rispose. Molto fù*

fù riverita dal Petrarcha, che anco le scrisse un volume, nel quale la essorta à continuar negli studi delle buone lettere. Dopo la morte del Marito visse alcuni Anni honestamente, & pudicamente in vedovanza, finalmente si fece Monacha dell' ordine di Santa Chiara, dove finì il resto de giorni suoi. Molti altri essempi fece di buone opre, che lungo sarebbe à raccontare. Per le quali cose meritamente questa Battista è stata dignissima d' hauer honorato loco trà le donne Illustri.

Bartholomæus Benintendus, Doctor cognominatur Excellentissimus à *Partho* in Collectaneis. Obiit anno 1495.

Collect. Cæs. pag. 6.

Bartholomæus Genga Poeta, Pictor, excellensque Architectus, & Sculptor memoratur à *Vasario* his verbis: *Girolamo Genga Pittore & Architetto venne ad habitare in Cesena con la sua famiglia &c. fece in S. Agostino là Tavola dell' Altare maggiore opera bellissima &c.* & infra. *Di Girolamo sopradetto essendo nato in Cesena l' anno* 1518. *Bartolomeo &c.* cujus *Barthlomæi Genghæ Cesenatis* viri excellentissimi vita ibidem describitur, obiisseque dicitur *Melitæ* anno 1558.

Georg Vasar. Volum. 2. par. 3. pag. 504. & seq.

130

Pag. 508.

Bartholomæus Pasolinus jurisconsultus, oratorque politissimus, Romanæ Urbis Senator, *Cæsenam* Patriam illustravit.

Cæsenat. monimenta.

Bartholomæus Raverius inter scriptores *Cæsenates* hac nota reponitur à *Brissio*: *Bartolomeo Raverio che scrisse intorno alla contemplatione della Messa.* Quam ipsemet impressit anno 1584.

Pag. 30.

Benedictus Cæsenas Poeta laureatus humanarum literarum peritissimus, scripsit inter cætera lib. de Honore Mulierum *Venetiis* anno 1500 per *Barthol.* de *Zanis* impres.

Extat Cæs. in Biblioth. Minorum.

Bernardinus Manzonius Cæsenas hujus Chronologiæ Consarcinator.

Bernardinus Philosophus subtilissimus ex nob. *Tuscorum* Senatoria *Cæsenaten.* Familia (quæ in Urbe Regii lepidi quoque proseminata, Dominicum S. R. E. Cardinalem *Tuscum* scriptorem celeberrimum tulit) commendatur à *Partho* in Collectan. Patriæ.

Hist. Cæsenæ Claram. lib. XIII. pag. 587.

Steph. Part. in Collect. Cæs. pag. 8.

Blasius Baroni Cæsenas diaria, & varia alia conscripsit, ut ex monimentis nostris manuscriptis liquet.

Bonachinus Ambronus Joannis filius *Cæsenæ* natus, Philosophus, ac Medicus præstantissimus, cui *Gregorius* Papa XI ob rem medicam sibi ab eo præstitam *Cæsenatici* Portus dominium liberum usquequo viveret concessit; retinuitque ad annum usque 1377. Hic aliique Doctores *Cæsenates* inter illustres Patriæ viros à *Benedicto* Poeta his memorantur versibus

131

Codex m. s. antiq. apud Rampon.

E Bonachino al Rubicone acato
Non molto antico, e Fredole, & Ostase
Pien di virtute, e honesti in ciascun'acto.

Lib. 4. de Hon. mul. Epist. 3. pag. 91.

Bonachinus Secundus ejusdem ex *Ambrono Ambronio* germano fratre Nepos ex *Francisca* de *Ordelaffis* natus, fuit & ipse eminens Philosophus, Medicusque *Alexandri* Papæ Quinti; de *Bonachino* hoc secundo ait *Parthus*: *Fù Bonachino Medico grandissimo Negromante, di cui si leggono cose stupende &c.*

Eques Steph. Parth. in Collectan.

Bonifacius Martinellus Cæs. Patritius Doctor gravissimus varias hoc seculo administravit Gubernationes, præcipue *Plani*, *Meleti*, *Lughi*, & *Comacli.* Fuit Auditor Rot. *Bonon. Florent.* & *Genuæ.*

Bonifilius de *Cæsena* Ord. Min. Con. qui sub *Clemente sexto* suis prædicationibus, & exhortationibus salubribus ab errorum tenebris eduxit Infideles multos in partibus *Ungariæ*, & ad catholicæ veritatis lucem perduxit, uti ex diplomate pontificio Dat. *Avenio.* XV. Kal. Februarii Pont. ejusdem *Clementis* an. primo, cujus initium est: *Clemens Episcopus ser. ser. Dei. Sane dudum &c.*

Ex Archivio Min. Cæsenæ.

Camillus de *Almericis* Musicus *Cæsenas* memoratur à *Partho*, qua sequitur commendatione: *Camillo Almerigho che al suo tempo fù tenuto gran Musico, e perciò molto amato dalla Regina Giovanna prima, che gli dette molte richezze.*

Collect. Par. pag. 10.

Camillus Lancetti scripsit Breve raccolta d' alcune memorie sopra la Vita e Martirio di S. Mancio Discepolo di Christo, che lo restituiscono alla Patria Cesena, alla Provincia di Romagna, & alla Nazione Italiana scritta da Camillo Lancetti da Cesena in risposta d'una Lettera al Molico illustre Sig. Francisco Lancetti. In Siena: 1645. *appresso il Bonetti nella Stamparia del Publico.*

Camillus de *Antentiis* Poeta latinus, & *Camillus Claramontius* Medicus.

Camillus de *Lapis* vir præstantissimus ab ipsomet *Partho* nominatur in Collectaneis.

Camillus Jannottus Musicus insignis *Cæsenas*, Capellæ Cæsareæ Majestatis Imperatoris Præfectus, cujus adhuc extant musicalia opera impressa anno 1588.

Musicalia ejus opera Venetiis impressa.

Candidianus Cæsenas vir eruditus, *Sidonio* fuit necessitudine junctus, ut liquet ex epistola ejusdem quæ incipit: *Sidonius Candidiano suo sal. Morari me Romæ congratularis.*

Lib. 1. Epist. 8.

132

Carolus Antonius Argentini Cæsenatis Sacerdos Congreg: Oratorii Librum conscripsit post ejus obitum Typis *Gherardi Cæsenæ* impressum anno 1719. Cui titulus: *Contro l'abomine vole usanza di comparire le Donne immodestamente sue late:* Quam quam in Civitate hac *Cæsenæ* hæc invehitio non sit necessaria hoc tempore.

Carolus Fioravanti Cæsenat. Vicarius Generalis Archiep. *Consentini* in *Calabria* circa annum 1674.

Carolus è *Taibano Cæsenas* à *Benedicto* Poeta inter illustres Patriæ viros enumeratur hoc carmine:

Bened. Cæs. Poëta lib. 4. Epist. 4. pag. 91.

E infra questi trovo al nostro sito
Quel da Taibano Carlo: e l' buon Palazo
Che nacque in Brescia hor posa al nostro lito

in cujus margine sic proprio notavit chirographo Antonius Casarius: *Huomini Illustri di Cesena.*

Carolus Verardus Scriptor. vide Karol.

Cæsar Brissius qui Relationem Civitatis *Cæsenæ* scripsit ad *Clementem Octavum*, *Ferrariæ* impressam anno 1598.

Cæsar Mazzonius in *Patavina* Universitate publicus Sacrorum Canonum interpres memoratur à *Riccobono.*

Cæsar Spranius vir doctus recensetur à *Partho* in Collectaneis

Celsus Rosinus Abbas præclarissimus, cujus alias memini, olim Philosophiam, ac Theologiam in præcipuis sui Canonicorum Regularium Instituti Gymnasiis interpretatus est, in Patria deinde *Cæsenaten.* Universitate Theologus publicus fuit. varia scripsit, edi ditque & præcipue

Jo. Bap. Ambros. Melpom. pag. 44. & sequen.

L' Idiliade sacra: in Venetia per Gio Battista Ciotti: 1621.

Il Sacro Museo Poetico in 4. part. P. P. Evangelista Buchino 1621. 3. *Parte Marco Ginami:* 4. *Parte Li Sadeleri* 1621. & 1622. *tutti in Venetia.*

Volumen diversarum Orationum impress. Cæsenæ primo anno 1613. *Typis Raverii, sive heredum Fran. Raverii.* & *iterum Ravennæ an.* 1618. *typis Petri de Paulis.*

Museum Peripateticum: duo Volumina, sed deperdita Francofurti.

Disquisit. Dialectic. lib. 8.

Quest. naturales in Philosophiam.

Gymnasium Lateranen. illust, Scriptorum Ord. Canonic. Regul.

Item:

Item: *Rhodosynopsis Conciliorum omnium tam Generalium quam Provincialium, sive latinorum, sive Græcorum, quorum memoria extat, Celso Rosino Cæsenate* Abbate, & Doctore Theologo Congregationis Canonicorum Regularium Salvatoris Lateranen. Auctore. Opus originale in tribus Voluminibus distinctum & manuscriptum caractere ejusdem Auctoris apud me, & in potestate mei *Hectoris Bucci* hoc anno 1720. & nondum impressum existit.

Galaxia exposita, sive lactei circuli origines investigatæ, & elogiis exornatæ ad stemma Academiæ Offuscatorum *Cæsenæ*, Auctore *Celso Rosino.* Apud *Nerium* 1646.

Interpositiones Academicæ ad exercitationem litterariam, ex genio, & occasione sub elogiorum forma habitæ in Academia Offuscatorum *Cæsenæ Celso Rosino* Auctore, impressore *Nerio.* 1647.

D. Celso Rosini Can. reg. rescrisse

Di Orationi Latine, Cæsenæ apud heredes Francisci Raverii 1613. *& Ravennæ* apud *Petrum le Paulis* 1618.

In Venetia appresso Gio. Battista Ciotti l' anno 1621.

Museo Poetico Prima, e seconda Parte. In Venetia appresso Euangelista Deuchino l' anno 1621.

Museo Poetico Parte terza. In Venetia appresso Marco Ginani. 1621.

Museo Poetico Parte Quarta. In Venetia appresso li Sadeleri l' anno 1622.

Suppli, e perfetionò, le Distintioni di D. Archangelo Rossi Vescovo di Carinola sopra il 4. *delle sentenze, col titolo: Doctoris distinctionum Archangeli Rubei Cremonensis Distinctiones in Quatuor Libros sententiarum. Venetiis apud Jo. Eueriglium Anno* 1622.

Hi composto due grossi Volumi in foglio Col titolo Museum Peripateticum, seu de Vitio Philosophorum Peripateticorum qui ab Aristotele eorum Principe ad nostra usque hæc tempora insigniores extiterunt. I quali Mezzo stampati in Francfort si sono perduti per le guerre della Germania.

Hi appresso di se Manuscritte le opere seguenti.

In misteriosa Pytagoræ symbola Commentariorum libri quinque.

In Antiquissim. Orphei Hymnos Commentariorum Libri Tres.

In Decimum Reipublicæ Platonis Commentaria.

Limitator, seu Glossarium Universale in potiores Aristotelis, & *Averrois Propositiones.*

In Aristotelis Organum Disquisitiones Dialecticæ. Libri octo.

In Aristotelis naturalem Philosophiam Quæst. Naturales. Lib. xx.

Lateranensium Illustrium Scriptorum Elogia, libri xx. *prope diem prodituri.*

Annalium Canonici Ordinis silva, libri Quatuor.

Idilii sacri sopra i principal. Misterii della Vita della B. V.

Odissea moralle. Odi Morali diverse.

133 moliturque eorundem Regularium Canonic. Annalium Silvam, atque (ut audivi) *Cæsenaten.* rerum elaborato stylo novam Historiam.

Carolus Comes *Tybertus* gubernavit Sabinianum, Castrum Rivi in Diœcesi Imblensi, & Montem florum.

Christophorus Brissius Medicus, Philosophus, & Astrologus, in cujus funere tumulus ejus his exornatus est versibus.

...el. Cæs. ... 2. ... 27.

Sydera, Sydereosque quia noverat orbes,
Atlantem perhibent sustinuisse polum:
Hac ratione novus dicetur Brissius Atlas
Astrorum, & Cæli qui bene novit iter. &c.

A *Christophorus Manzonius* I. V. D. & eques *Maphæi Manzonii* (anno 1530. Senatoris *Cæsenatis*) Filius, Antiquitates Patrias à *Carolo Verardo*, *Josepho Bonzanellio*, *Antonio Casario*, *Stephano Manzonio* ejus germano Fratre de *Parthis* nuncupato, ab aliisque *Cæsenatibus* elaboratas in unum reduxit volumen m. s. ex quo Chronologia hæc, secunda præcipue pars, excerpta est. ex ipso *Christophoro Manzonio*, & *Laura* de *Lancettis* inter cæteros nati sunt *Fabritius* Theologus, *Alexander* I. V. D. *Scipio* Philosophus ac Medicus, *Deodatus* Abbas, *Claudius* Pater meus, qui Senator *Cæsen.* obiit anno 1625. die 23. Octobris;
B ejus autem Genitor *Christophorus* prædictus excesserat è vivis an. 1621. Sub id etiam tempus obiit.

Claramontius de *Claramontiis* Philosophiæ Doctor, lectorque pub. in *Cæsenaten.* Universitate, reliquit post se in Aristot. logicam expositionem.

Constantius Cangetius Poeta *Cæsenas* floruit anno 1572.

Cynthius Manzonius (ex eadem propagine, Orciani tamen die 2. Septembris anno 1562. natus) qui Seraph. Sancti *Bonaventuræ* Collegium 134
Romanum à Sixto Papa Quinto institutum, &
C Alumnorum numero magnificentissime, & proventibus multis munificentissime auxit, heredemque instituit universalem, ut in eo fratres Minores Conventuales *Manzoniæ* Gentis, tam ex Orciani Terra, quam ex Civitatibus *Cæsenæ*, *Ravennæ*, *Pisauri*, aliisque locis *Piceni*, *Flaminiæ*, *Siciliæ*, totiusque *Italiæ* oriundi, Sacræ Theologiæ operam navarent Doctoratusque ac Magisterii Lauream triennio expleto honorifice ad gloriam Dei, & Seraphicæ Religionis incrementum, consequerentur. Decebat hanc meam *Cæsenæ* Chronologiam tanti Benefactoris commemoratio, qui suo testamento peculiari favore prosequitur Viros
D Patria *Cæsenates*, Progenie *Manzonios*, Professione Franciscanos Conventuales.

Cynthii Manzonii extat testam. Romæ an. 1611. die 30. Aprilis conditum in Actibus Joan. Bapt. Octaviani Not. Capitolini.

Darius Tibertus Eques, & Poeta Laureatus, vir natalibus, rebus gestis, voluminibusque tum scriptis, tum editis illustris, *Cæsenam* Patriam illustravit. Scripsit Epitomen Vitarum *Plutarchi* excusam *Ferrariæ* primum anno 1501. *Parisiis* deinde an. 1547. Scripsit etiam interlinearem in Psalmos *David Glossulam*, quæ habetur in Biblioth. Fratrum Minorum Convent. *Cæsenæ*, Lib. de legitimo amore, & alia. obiit vir præclarus *Darius* Poeta anno 1505. 135

Inter Auctores & Scriptores Cæsenates.

E *Dominicus* de *Bertis*, dictus *Gilbertus*, Poesis suavissimæ exercitio, aliorumque virtutum ornamento clarus hucusque diversa edidit sua poetica opuscula laude digna, quibus, & aliis mox proditoris, *Cæsenatium* posteritati nomen suum commendat. Librum edidit cui Tit. L. Appollo Pitio. Poesie morali di Domenico Berti dedicate al Emin. e Rever. Sig. Card. Franciso Albizzi parte prima. In Roma per il Masceardi 1679. Nec non Panegyricos metro compositos, anteaque impressos.

Dominicus Pulacinus Poeta, cujus hodie imprimitur lib. inscrip. *Albori Poetici.*

F *Dominicus Manzini* Ecclesiæ Cathedral. *Cæsenæ* Canonicus Poetaque insignis, cujus multa extant manuscripta; nec nonduæ comœdiæ, una, cui titulus: *gl' amori in Villa*, & altera, *la Comedia non si fà, mà si prova &c. Bononiæ impressa ab Hered. Antonii Pisarri* 1687.

Evangelista Vola sive de *Bolis* publicus Philosophiæ moralis in almo *Patavino* Gymnasio professor anno 1554. Erudite scripsit super physicam Aristotelis.

Fabricius Manzonius Doctor, Theologus Sacerdosque *Cæsenas*, Equitis *Christophori* Filius, edidit Tractatum de Sacramentis Ecclesiæ *Fabricio* ex Comitibus *Guidiis* à *Balneo Montis Belli* Marchioni dicatum, & *Cæsenæ* anno 1582. impressum.

Privil. Univers. Ferrar. an. 1578.

Amplissimo commendatur privilegio, cujus initium est: *Viri sanctæ lectionis studio deditì &c. cum igitur Rev. D. Fabricius Manzonius Cæsenas filius clarissimi Jureconsulti, & Equitis D. Christophori Manzonii; quem ejus præclara virtus &c.* quod asservatur penes Sertorium Manzonium Senatorem Cæsenatem.

Fabricius Masinus in Collectaneis *Cæsenæ* cognominatur Doctor Singularis.

Relat. Cæs. pag. 27.

Fabricius Poëta inter *Cæsenates* Virtute præstantes reponitur à *Brissio* his verbis: *Fabritio Catenazzi Poeta, che stampò molti suoi Concetti*

Franciscus Abbas Cæsenat: Patritius, gravissimus in Curia Romana Advocatus. Obiit anno 1688. Mense Aprilis.

Franciscus anno 1654 ad annum 1684 S. R. E. Tit. S. Praxedis Card. Presb. *Albitius Cæsenatensis* J.C. Vaticanæ Basilicæ canonicus U.S. Referendarius & S. officii in Alma urbe Assessor, vir pietate, doctrina & non vulgari eruditione commendandus, edidit librum legalem *Romæ* 1693. sumptibus *Josephi San-Germani Corbi* impressum cui titulus est. *De Inconstantia in Judiciis.* necnon similiter alium *Romæ* impressum, sed statim post impressionem suspensum, De *Inconstantia in fide:* Ulterius edidit Tractatum de *Inconstantia in Testibus*, in folio: necnon dedit typis in sua adolescentia: *Musa Filotea:* Ac etiam: *Risposta all' Historia dell' Inquisitione di Fra Paolo Servita* anonima Auctoris, & Typografi: Necnon M: S: De Auctoritate summi Pontific: in componenda pace inter Principes Christianos; in viribus *Jo: Ceccaroni.* I: V: D: adstantem.

Franciscus filius *Angelini* de *Angelinis* puerulus septennis moritur totius humanitatis, Græcisque litteris peritus, aliarumque virtutum nobili Viro spectantium mirabiliter ornatus, ut liquet ex libercul o in ejus funere impresso variorum carminum anno 1564: Relinquens Patriæ, & Parentibus magnam sui spem: obiit sexto Calendas septembris anni 1564.

Collectan. Steph. Parr. pag. 7.

Franciscus Arcanus I. V. D. qui floruit an. 1578. memoratur à *Partho* his verbis: *Li Arcani venero di Germania à Cesena l'anno 1392. de quali*
136 *fù Egidio Dottore &c. al presente vive Francesco Dottore, quale più anni hà letto nello Studio di Cesena con suo grande honore.* quæ tamen gens Arcana in *Italiam* ex *Croatia* (cujus dominium antiquitus habuit) anno 1208. venerat, nam *Leonardus* è *Tricano* (*Tricanum* olim, nunc *Arcanum* Castrum *Arcanis* Patritiis *Utinen.* paret) ex hac eadem Familia de *Arcanis Othonis* Imperatoris eodem an. 1208 Vicarius fuit, universæque Provinciæ *Flaminiæ* Comes. In secunda Chronol. parte erit sermo de nobilitate *Arcanorum Cæsenaten.*

Jul. Fantag. pag. 145.

Franciscus Battitalza Cæsenas Medicus, & Chirurgus dignissimus memoratur à *Fantagutio* in annalibus sui ævi ad an. 1514.

Franciscus Beccarius I. V. D. qui pluribus Præturis, ac publicis muneribus perfunct. obiit anno 1561. ut liquet ex marmoreo monumento existente in ædibus Prædic. Patriæ.

Additio ad 1. tit. Chronol. hujus pag. 8.

Franciscus Beccarius alter Jurisconsultus, & Eques, Pater fuit excellentissimi *Cæsaris Beccarii* I. V. D. Senatorisque hodie *Cæsenatis.* in secunda hujus Chronol. parte erit sermo de origine Virisque illustribus hujus familiæ, quæ *Papia Cæsenam* descendit, ex eaque fuit *Gregorius* de *Papia Cæsenæ* Episcopus quem ab Hæreticis pro

A Christo occisum dicunt *Ravennatis* Archiepiscopatus Archivii monimenta.

Franciscus Braschius Patritius legum Doctor in Patria eximius, dum hæc scriberemus extinctus est.

Fr: *Franciscus* de *Burghettis* ord: Capucin: S. Francisci, Poeta cujus extat liber Bononiæ typis........ impressus, cui titulus est. *Poesie del Borghetti da Cesena.* obiit Catanæ in Sicilia tertio Idus Januarii inter ruinas terræmotus. Eratque Theologus Episcopi ejusdem Civitatis.

par. 1. pag. 27.

Franciscus Claramontius inter illustres Doctores
B *Cæsenatenses* sic enumeratur à *Brissio* in Relat. 137
Cæsenæ: *Francesco Chiaramonti Legista nominato dall'Oddi ne suoi Trattati.*

Franciscus Dandinus medicinæ præclarus Doctor summis Pontificibus *Clementi Septimo*, *Leonique Decimo* gratiosus.

Franciscus Lancettus humanarum literarum peritissimus Sacerdos, Epistolarum familiarum tam proprio, quam Cardinalis *Cajetani* (cujus Secretarius fuerat) & aliorum nomine conscriptarum volumen edidit. Impress. *Cæsen:* 1617. Typis *Thomæ Faberii:* ex quo constat etiam fuisse Poetam.

Stephan. Par. pag. 6.

Franciscus de *Lambertis* Doctissimus Philoso-
C phus summe commendatur à *Partho* in Collectaneis

Gregorius Vasarius in vita Raph. Urb.

Franciscus Masinius Architectus, & Pictor laude dignus *Raphaelis Urbinatis* Discipulus, in cujus vita descripta à *Vasario* hic Civis noster commendatur. *Discorso di Francisco Masini Sopra un modo nuovo facile, e reale di trasportare su la Piazza di S. Pietro la Guglia che in Roma detta di Cesare. A Monsig. Adoardo Gualandi Per il Raverio* 1686:

Franciscus Ubertus eximius orator, Poetaque *Cæsenas*, cujus Vita à *Nicolao Masino* II. conscripta extat in Bibliotheca *Cæsenæ*, scripsit inter
D cætera lib. de temporibus suis, & Epistolarum volumen, quod habetur in dicta Bibliotheca inter Authorum *Cæsenatum* libros: de eo quidam cecinit Poeta:

Ant. Constantius Poeta.

Uberte egregios inter venerande Poetas
Uber cui vena est, uber & ingenium.

Franciscus Maria Carli Vir eruditissimus, & Poeta insignis.

Steph. Parth. pag. 10. & Claram. pag. 724.

Fredolus Fantinus Senator, & Jurisconsultus memoratur in Collectan. *Cæsenæ* hac nota: *Fre-*
E *dulo de Fantini Cittadino nobile della Città di Cesena, oratore eccellentissimo fù mandato dà Signori* 138
Malatesti à Milano l'anno 1402. *à condolersi per la morte di Gio: Galeazzo Visconti.*

Fr. Ubert. Epist. penultima.

Fredolus Mainardus Poeta *Cæsenas*, quem ita *Franciscus* commendat de *Ubertis* libro primo de temporibus suis.

Carmina quæ nobis dederas doctissime vates
Commovere animum Fredole culta modo &c.

Fulvius de *Angelinis* medicinæ artis Excellentissimus Doctor, præstantissimusque Philosophus,
F edidit lib. *de verme admirando per nares egresso.* superest hodie *Cæsar* de *Angelinis* Medicinæ & ipse Doctor ejus Filius Urbis Patritius, & *Alexander* jurisconsultus alter ipsius filius fato cessit anno 1641.

Collect. pag. 5. & Chron. antiq. m. s. pag. 61.

Galvanus Romaninus excellentissimus Philosophus, Medicusque Regis *Neapolitani* commendatur à *Partho*. & *Blasius Romaninus Innocentii* Papæ *Octavi* Medicus fuit.

Collect. pag. 8.

Caspar Fantagutius in *Cæsenaten.* Collectan. memoratur à *Partho* vt infra: *Fantaguccio così detto*

detto per la sua bravura fù Soldato valorosissimo molto amato dà Malatesta, costui fù Padre di Gasparo Dottore, & fù messo nel consiglio di Cesena l' anno 1409.

Gennadius Cæsenas Græciæ, & *Ægypti* proconsul, quem *Rubiconis* incolam vocat *Claudianus* Poeta sequenti Epigrammate.

Epist. ad Gennadium Proconsulem. Epistola Quinta in Edylliis.

Italiæ commune decus, Rubiconis amœni
Incola Romani fama secunda fori,
Græcorum Populis, & nostro cognite Nilo
Utraque gens fasces horret amatque tuos:
139 *Carmina jejunas poscis solantia fuaces:*
Testor amicitiam nulla fuisse domi
Nam mihi mox nidum pennis confisa relinquunt
Et lare contempto non reditura volant.

lib. 4. pag. 134.

Memoratur his verbis à *Claram.* in *Cæsenaten.* Historia: *adeo ut Gennadius Proconsul quem Rubiconis incolam vocat Claudianus fuerit non Proconsul Regionis hujus, sed Græciæ olim, & Ægypti, ac Civis noster.*

Georgius de *Faberis* à *Subrivoli Cæsenas* scripsit varias Eclog. lat. aliaque Bon. impres. an. 1572. & an. 1573.

Gratiadius ex nob. familia de *Eternis Cæsenæ* hodie senatoria, de Castro Bonon. oriun. Jur. Consultus fuit gravissimus, Canonicus, & Vicarius Generalis *Faventinæ* Ecclesiæ, in qua Cathed. recuperavit Capellam Sanctissimæ Crucis antiq. juspatronatum ejusdem Familiæ de *Eternis*, de qua infra tit. 2. Senæ Regiæ erit sermo.

Gratiosus Vbertus clarissimus nostri ævi jurisconsultus varia scripsit, ediditque unde extant inter cæt. inf. libri. *Legales congressus opus non minus utile quam jucundum Romæ impres. anno* 1630. *Tractat. de Citationibus. Bonon. Typis Tebaldini* 1637. *Tom. 2. ejusd. Tractat. Romæ typis Grignani* 1641 *Lib. Carminum Moralium Bonon. Typis Tebaldini* 1637. & Lib. cui Tit. est. Contracto Musico

Gualaginus de *Bettinis* legum Doctor Eximius.

Hector *Fattibonus* in Relatione *Cæsenæ* sic memoratur: *Hettore Fattibuoni fù nella Ruota di Firenze molti anni sono, come mostrano le sue Decisioni in quella Città.*

Hermolaus de *Bettinis* legum Doctor eximius fuit. obiit an. 1535.

Hieronymus Dandinus Hieronymi Cardinalis *Dandini Cæsenatis* Nepos Societatis Jesu Presbyter, & Theologus Provincialisque *Lombardiæ*,
140 ac etiam *Poloniæ*, & Visitator in *Galliis*, qui *Parisinæ* Universitatis, Perusinique ac *Patavini* Gymnasiorum Philosophiæ, & Theologiæ lector fuerat. Scripsit lib. de virtutibus, & vitiis: Septemque *Parisiis* impressos & ad *Henricum* IV. Regem *Galliæ* dicatos libros de Corpore animato. necnon Missione Apostolica al Patriarca, e Maroniti del Monte Libano. *Cæsenæ* 1656. à *Nerio* impressa in. 4.

Hieronymi Dandini Cæsenatis e Societate Jesu Ethica Sacra, hoc est de virtutibus, & vitiis Libri quinquaginta. Quibus ex Sacrarum litterarum, & veterum Patrum Sententiis Hominum formantur mores: Religionis non pauca stabiliuntur Dogmata: Pluresque Antiquitate confirmantur Ecclesiæ Ritus. *Cæsenæ* apud *Nerium* 1651. Ad Eminentissimum & Reverendissimum *Rainaldum S. R. E.* Cardinalem *Estensem Galliarum* Protectorem.

Annal. Servorum Archang. Gianii.

Hieronymus de *Cæsena* Ord. Servorum B. V. Mariæ; an. Domini 1575. Serenissimi *Alberti Bavariæ* Ducis *Ratisbonæ* fuit Magister Musices, & modulationes quasdam laude dignas composuit, atque in lucem edidit.

A *Hieronymus Gratiani* de *Cæsena* Medicinæ Doctor à *Fantogutio* hoc commendatur testimonio. *Girolamo di Gratiano da Cesena l'anno* 1503 *essendo in Venetia medico Eccellentissimo, & havendo tui mandato il gran Turco per un medico valente vi andòlui.*

Jul. Fantagutii Chaos circa finem annalium sui temp.

Hippolytus Merenda clarissimus in Urbe Jurisconsultus, in qua obiit, & in Ecclesia S. Mariæ de Victoria in Capella, quam magnificentissime à fundamentis erexerat, sepelitur cum sequenti inscriptione:

Hippolitus Merenda I.C. Cæsenas &c.

B Jacobus de *Beccariis* insignis Jurisconsultus, qui *Imolensis* Civitatis anno 1510. Gubernator fuit *Marsilio* teste; deinde *Pompiliensis*. hic obiit anno 1554. & in Eccl. S. Dominici hoc brevi decoratur Epitaphio.

Marsilius Cons. 82.

JACOBO BECCARIO CÆSEN. I. V. D.
VIRTVTVM EXEMPLARI RARISSIMO
&c.

Jacobus Buccius Vir gravissimus excelsique ingenii adeo ut quater pro Patria fuerit Orator, apud
C *Paulum Tertium* semel, bis ad *Julium Tertium*, postremo vero ad *Paulum Quartum* Pontifices Maximos.

JACOBVS MAZZONIVS celeberrimus Philosophus, & ultra hominum fidem (omnigena Doctrina, ubertate memoriæ, ingenii acumine, dicendi artificio, explanandi docilitate) adeo eruditus, ut nemo fuerit, qui sibi facile esset comparandus. hujus testes sunt Romana Sapientia, *Pisana* Universitas, *Maceratense* Gymnasium, in quibus primam sedem tenens, Philosophiam summa audientium admiratione publice edocuit.
D testis sit insuper nedum *Cæsena* Mater, quæ tam sapiente gloriatur Filio; imo & *Bononia* literarum Magistra, quæ ipsum Doctoratus in Theologia insignia suscipientem, inenarrabili vidit eloquentia, & scientia defendentem omnium Scientiarum quinque millia centum nonaginta septem Conclusiones, quæ habentur in volumine anno 1573. impresso, cui tit. est: 141

De triplici hominum Vita, nempe Activa, Contemplativa, & Religiosa Methodi tres quæstionibus quinque millibus centum, & nonaginta septem distinctæ &c. Impressum *Cæsenæ* à *Bartholomeo Raverio* anno 1577. habentur quoque alia ingenii tanti
E Viri monimenta, videlicet: *De Diphtonghis:*

Jacobi Mazzonii Cæsenatis in Almo Gymnasio Pisano Aristotelem ordinarie, Platonem vero extra ordinem profitentis in universam Platonis, & Aristotelis Philosophiam Præludia &c. impress. Venetiis anno 1597. 142

Discorso di Giacopo Mazzoni in difesa della Comedia del Divino Poëta Dante. In Cesena per Bartolomeo Raverii. 1573. *Distinta in dieci particelle.*

Difesa della Comedia di Dante distinta in sette libri &c. dove si tratta pienamente dell' arte Poetica, e di molte altre cose pertinenti alla Filosofia,
F *& alle belle lettere parte prima che contiene li primi trè libri.* impres. anno 1587. Cæsenæ. Postremo Secunda pars impressa fuit una cum prima à *Severo Verdoni.* Extant insuper & alia *Mazzonii* tum edita, tum manuscripta opera, quibus se, & Patriam immortalitati commendavit. Manuscripta vero reliquit multa, & præcipue quæ latent.

Commentaria in universam Platonis Rempublicam.

Discorso di Jacopo Mazzoni intorno alla risposta, & alle oppositioni Fattegli dal Sig. Francisco Patricio, Pertenente alla Storia del Poema Dafui, o

B. Manzonius. E 2 Li-

Litiersa di Sofiteo Poeta della Plejade. In Cæsena per Bartol. Raverii. 1587.
Panegyrica Oratio ad Henricum Quartum Gallorum Regem.
Numismatum Græcorum interpretatio.
In Lullum Commentaria. In Homerum Paraphrasis. Naturalis Philosophiæ arcana.
Hic an. 1598. pro *Clemente* Papa VIII. ad *Venetam* Rempublicam Pontificia laudabiliter functus legatione ingenii sui accumulato merito, *Cæsenæ*, *Romam* reversurus ab invida rapitur morte, à mortalium memoria nunquam moriturus, ut indicat elogium his verbis imagini ejus ad vivum expressæ, eleganter affixum.

In Eccl. Frattum Prædic. Cæsenæ.

D. O. M.
JACOBI MAZZONII. NOB. CÆSENATIS
(CÆTERA QVISQVE NOVIT)
CINERES HOC CONDVNTVR TVMVLO
GLORIA NVLLO LOCO,
TEMPOREVE CLAVDITVR PASOLINA
PASOLINIA. JVLIA MAZZONA
CONJVGI, ET PARENTI
AD NATVRÆ VSQVE MIRACVLVM
OMNISCIO, QVI SIBI VIVENS
IMMORTALITATIS MONVMENTA
STRVXIT, HOC VITA FVNCTO
143 PIETATIS MONVM. PONVNT.
VIXIT ANNOS XLVIII. MENS.
V. DIES XIV. OBIIT. X.
APRILIS M. D. XC. VIII.

Joannes Andreas Salice sive *Salagus* de *Cæsena* librum edidit cui titulus.
Discorsi Politici di Gio. Andrea Salice Utili in Pace, e in guerra al reggimento de Prencipi. In Cæsena per Giuseppe Neri: 1627.
Joannes Anguisciola Cæsenas sequenti commendatur testimonio à *Guido Panzirolo* lib. 4. de Claris legum interpretibus: *Joannes Anguissola Cæsenæ, quæ Flaminiæ Urbs est clarissima, ortus fuit, cujus posteri corrupto vocabulo Aguselli dicti, inter Cives nobilitate nemini secundi &c. Jus Pontificium magna cum laude Patavii docuit &c.* Floruit an. 1300. & scripsit *de protestationibus.* (Guid. Panzirol. lib. 4. cap. 18.)
Joannes Augustinus de *Barzellinis Cæsenatis* Augustiniani Cænobii alumnus, & Provincialis *Romandiolæ* reliquit post se m. s. tractatum de modo procedendi in causis Regularium. Ejusdem Cœnobii alumni pariter fuere Magister *Gabriel* de *Barberiis*, & ipse *Romandiolæ* Provincialis, Magister *Aloysius* de *Strinatis Cæsenates*, Magister *Ferdinandus* præcipuus ejusdem eremitani Ord. Gymnasiarcha, &c. & Magister *Camillus Lancetti Cæsenas* Provincialis *Romandiolæ*, nec non Magister *Antonius Bagnoli* ejusdem Conventus Alumnus, & Provincialis *Romandiolæ*. Fr. *Angelus Felicani* ejusdem Conventus Alumnus Vir integerrimus, & *Romandiolæ* Provincialis circa annum. 1694.
Jo. Balthasar Calenchini Poeta, cujus extant Poemata varia latina, post ejus humationem impressa *Bononiæ* anno 1671. Typis *Jo. Recaldini.*
Joannes Baptista Albizius coætaneus *Parthi*, qui ejus in Collectaneis ita meminit. *Gli Albizi Antichissima famiglia &c. se ne vennero à Cesena l'anno 1481. di questa Casa furno Maso Vescovo di Cagli, Nicolò huomo prudentissimo, e Gio. Battista Dottore integerrimo.* (Steph. Parth. Collect. Cæs.)
Joannes Baptista Ambronus Patritius *Cæsenas*, magnæ eruditionis, subtilitatisque Poeta, cujus ingenii acumen, & styli felicitas nedum admiratur in naturali propensione, qua se exercet hodie scribendo, dicendoque carmine; verum dignoscitur in ejus opusculis, & præcipue in lib. *Cæsenæ* anno 1642. impresso, qui sic inscribitur: *Joannis Baptistæ Ambroni Cæsenatis inter offuscatos Reaperti, pridem illustrissimi Senatus, nunc Ill. & Rev. Episcopi Cancellarii carminum diversorum Melpomene offuscata.* quare nostri ævi vir celebris de eo ita cecinit: (apud Nenium impr.)

Dum te aliosque facis virtute Ambroni celebres, (Fortunius Licetus)
Omnibus, & præbes munera varia nimis,
Versibus ostendis quam te Tritonia Virgo
Ornet, & excelsus Cælicolûmque Chorus: &c.

Hujus germanus frater, qui præcessit *Melchior Ambronus* perspicacissimi, incomparabilisque ingenii Architectus Horologiorum, & consimilium 144
fuit, ad quem novi Tintinnabuli *Forolivìensis* Urbis Fabrefactorem, ejusdem Cives ita:

Quam docte pelvim finxisti industrius æneam
AMBRONI, nobis quæ modo signa sonet
Tempora restituis nostræ Urbi, & temporis usus, (impress. Forolivii anno 1624.)
Distinguit siquidem, disparat illa sono,
Plaude tibi, merito Ausoniis celebrare in Oris
Pro famæ lituo malleus æris erit.

Jo. Baptista Braschi Episcopus *Sarsinæ* scripsit opus in quatuor tomos distinctum, & impressum, cui titulus est: *De libertate Ecclesiastica in conferendo Ecclesiastica Beneficia, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis*: & de *libertate Beneficiorum mere Simplicium ab onere residentiæ.* Idem Episcopus *De Vita, & honestate Clericorum Sarsinæ commorantium, eorumque disciplina. Cæsenæ Typis Pet. Pauli Ricciputi.* 1702. in fol. *Relatio status Ecclesiæ Sarsinatensis. Romæ impressa:* 1704. in. 4. *Sentimenti di Pastorale Sollecitudine à tutti li Sacerdoti della sua Diecesi.* &c. *In Forlì per Paolo Sela.* in fol.
Joannes Baptista Brissius Medicinæ Doctor, & multæ lectionis homo, Patritiusque Cæsenas nominatus à *Claramontio*, Antiquarius fuit studiosissimus, vetustatesque Patrias diligenter pervestigavit. (Hist. Cæs. pag. 154.)
Joannes Baptista Cæsenas Ord. Minorum Regularis Observantiæ, insignis Musicus vulgo nuncupatus *il Cesena* varia edidit, quæ circumferuntur, musicalia Opera.
Joannes Baptista Romaninus, quem *Parthus Sapientissimum Theologum* appellat Præpositus fuit Cathed. suæ Patriæ *Cæsenæ.* (Collect. Parth. pag. 5.)
Jo. Baptista Santolinus vicarius Generalis *Prænestinus* & *Portuensis* pro Eminentissimo *Palutio* de *Alteriis.*
Joannes Baptista Turrini Cathedralis *Cæsenæ* Canonicus primo Theologus, postmodum pœnitentiarius, Poeta insignis, cujus varias ingenii excelsi sui extant Poeses sparsim impressas, & præcipue de SS. trinitate
Jo. Bernardinus Rossi de *Vendeminis* Vicarius vivens hoc anno 1718. Generalis in spiritualibus & temporalibus Abbatiæ Cleracensis in Provincia *Aquitaniæ* vulgo *Guascogna*, in *Gallia*, de absoluta Jurisdictione Capituli Lateranensis Romani, à quo in eod. honore deputatus fuit. 22. Junii. 1713.
Joannes Buccius inter celebriores Doctores *Cæsenates* sic enumeratur a *Brissio*: *Gioanni Buccio, chiamato dal Codro, eximius Doctor, & Comes splendidissimus.* Prætor *Ferrariæ* fuit anno 1468. (Rel. Cæs. pag. 27.)
Joannes Ceresinus de *Cæsena* Presbyter, Musicus nostri ævi præclarus, & Præfectus Capellæ Societatis Mortis in Urbe *Ferrariæ*, ejusdem deinde Cathedralis Magister musices, varia edidit opera laude digna.
Joannes Franciscus de *Budis Cæsenas* clariss. Ju- 145
ris-

Ex lap. marm. à Nicol. Malino II. pos. in Eccl. Min. de Obs.

risconf. primus post restitutam *Julio*. II. Pont. Max. *Raven.* binis summa ejus justitia, & morum probitate sex mensibus toti Urbi gratissimus Prætor.

Bened. Poeta lib. 4. de Hon. mul. pag. 93.

Joannes de *Cæsena* Medicus sic à *Benedicto* decantatur Poeta.

> *E quando quinci riguardando vegno,*
> *Giohanni trovo el fisico gentile,*
> *Che tien di medicina è l' dritto segno.*

Joannes Franciscus Tuscus nob. *Cæsenas* ejusdem Cathedralis, olim Canonicus, in *Romana* deinde curia Advocatus, & Doctor præclarus vivit, ideoque viri modestiam laudibus modo non onerabimus importune. Obiit circa annum 1638. Romæ.

Joannes Hyacintus Zavaloni Opusculum edidit, cui titulus: *Vera Bellezza interna* &c. *di Don Gio. Giacinto Zavaloni dell' una, e l' altra legge Dottore, e Confessore Ordinario delle M. R. R. Monache di S. Catherina di Cesena. In Cesena per il Neri.* 1648. Postremo fuit Canonicus Cathedralis *Cæsenæ*.

Alex. Tartagn. lib. V. Cons. 21.

Joannes Ludovicus Dandinus Patritius *Cæsenas* eximius Doctor cognominatus ab *Alexandro Tartagno*, *Arimini* Prætor fuit, *Lucensis*que Rotæ Auditor. floruit anno 1462.

Joseph. Bonzanellus de Cæsena Divi *Benedicti* Monachus vir in vetustatibus pervestigandis accuratissimus, Miscellanea antiquitatum Patriæ post se reliquit manuscripta. Hujus in sua meminit orthographia *Aldus Manutius* dicens. *Hanc inscriptionem, una cum aliis habui ab Josepho Bongiazello Cesenate Monacho Ord. S. Benedicti amicissimo meo, & in antiquitate pervestiganda admodum diligenti.*

Joseph Claramontius juris pariter Pontificii Doctor fuit Cathedralis *Cæsenæ* Archidiaconus.

Joseph Funetti Præpositus Cathed. *Cæsenæ* scripsit opusculum cui titulus. *Maurus S. Cæsenatensis Ecclesiæ Episcopus Sacratissimus Illustrissimæ ejus Civit. Patritius, ac Protector explicatus in Protectionis præminentia* &c. contra *Jo. Baptistam Pardettum. Cæsenæ* apud *Nerium*. 1646.

Joseph de *Parthis Stephani* filius. Jurisconsultus Patritiusque *Cæsenas.*

Joseph Masinus non ex Patritia sed plebeja familia *Cæsenæ* ortus, licet *Pisauro* degens Potestas fuit Eugubinus circa annum 1680. & Quæstor in Provincia *Urbini.*

in Epist. Statui Politique Cæsenati.

Joseph Comes *Isæus, qui* (sicuti de eo testatur *Claramontius* in Hist. Cæsenæ) *cum jurisprudentia scientias impensè junxerat, scriptorque fuit politissimus.* Commentavit *Lactantium Firmianum*, *Cæsenæ* impress. Typis *Nerii* 1646. quod apud hæredes *Jo. Baptistæ Almerici* invenitur manu scriptum.

Joseph Verzaglia Mathematicus Insignis composuit librum *Bonon.* impress. cui titulus. *Esame delle Riflessioni Geometriche publicate da un Oltremontano Professore dà Italia intorno alle forze centrali in Bologna per Gio. Pietro Barbiroli.* 1714.

Joseph Zanolinus Poeta *Cæsenas* jure hic collocatur.

Claram. pag. 747.

Julianus Fantagutius, qui sub *Alexandro* VI. Pontifice vitam ducebat, eorum temporum diligentissimus fuit scriptor chronologicus.

Julius Fuligattus de *Cæsena* è Societate Jesu Sacerdos scripsit & composuit librum *Ferrariæ* Typis *Victorii Baldini* anno 1617. impressum Serenissimo *Cosmo* II. Magno *Etruriæ* Duci IV. dicatum, cui titulus est. *De gli Horivoli e Sole.*

impress. Venetiis anno 1511.

Julius Hiseppius de *Cæsena* Lector *Patavinus* Ord. Prædicatorum, cujus opera in lucem editum est *Repertorium locupletissimum tam librorum sententiarum, quam quodlibetorum Joannis Duns Scoti*, olim à *Hiron.* de *Viglevano* Inquisitore *Ferrarien.* collectum.

Karolus de *Verardis* primus *Cæsenæ* Patriæ suæ 146
Archidiaconus, cujus alias memini, Librum scripsit Urbanorum Memorialium *Cæsen.* ediditque librum de expugnatione Regni *Granatæ* excusum *Basileæ*. *Historiam Bæticam Romæ* primum, deinde *Franch.* anno 1493. impressam, & alia.

extant Cæsenæ in Bibliot. Min.

Karolus de *Lapis* vir exercitatus, ac doctissimus, qui anno 1411. *Romanæ* Urbis fuit Senator præclarus.

Steph. Parth.

Karolus è *Taibano* acri ingenii Doctor inter *Cæsenates* præclaros recensetur à *Benedicto* libro quarto de honore mulierum.

Bened. Cæsenas Poeta lib. 4. ep. 4.

Lampertinus de *Ramponibus* qui scripsit super Codice lib. 9. & claruit anno 1310. *Cæsenas* dicitur à *Cæsario.*

Ant. Cæsar

Leonardus Valentinus Cæsenatis Augustiniani Conventus dignus Alumnus Theologiæ Doctor præclarus, scribit hodie *Historiam de Domo Carpinea.*

Melpom. offusc. Ambronii pag. 110.

Ludovicus de *Cæsena* medicus peritissimus, qui an. 1475. nominatur in *Fantagutii* Annalibus Cæsenatibus.

Lucius Comes de *Arcanis* pro tempore Prælatus scripsit librum *Romæ* impressum, cujus est titulus. *Lettera diraguaglidio scritta ad un Nobile Veneziano Ecclesiastico sopra li clamori delle Femine di Roma pel divieto fatto contro il lorgir discoperie, e smolerato lusso.*

Ludovicus Ugolini Em: *Gozzadini* Episcopi *Imolensis* Vicarius generalis anno 1720. nec non primo ejusdem Em: in Legatione *Romandiolæ*, sicut & ante Em: *Duratii* Legati ejusdem Provinciæ fuit Auditor.

Malatesta Novellus Princeps literis ornatus, (Claramontii verbis utor) *beneficus, pius nec sine militaris virtutis laudibus, quibus præclaris qualitatibus Cæsenates sibi obsequentes reddidit, & devictos*, Bibliothecam insignem in ædibus fra- 147
trum Min: Con. extruxit, & ornavit, in cujus pavimento hæc sculpta sunt in marmore verba:

Hist. Cæs. pag. 731.

Mal. Nov. Pan. Fil.
Mal. Nep. Dedit

ipsius imago ad vivum à *Francisco Masinio* depicta cernitur intus supra portam ejusdem, pro cujus Bibliothecæ conservatione, & Fratrum Studentium *Cæsenatum* subsidio quingentorum Scutorum annuum reditum assignavit, quod & *Parthus* asserit his verbis *Malatesta Novello vendé la Città di Cervia à Venetiani, trà l'altre paghe, lasciò che si dovessero pagare ogn'anno cinquecento scudi al Convento di S. Francesco di Cesena &c* jure inter Doctos *Cæsenates* reponitur, à Poëta enim *Benedicto* ut infra decantatur

Cæsenatia Monimenta Parthi.

> *Maquel Signor gentile Ariminese*
> *E l' fratel suo carnal d'Eutrepe figlio*
> *Che' l' SAVIO regge intorno al bel Paese,*
> *Con l'alte Muse spesso fan consiglio,*
> *E fan' di se con molti Dotti prova &c.*

Malatesta de *Strinatis Cæsenatensis* Vir eruditissimus, Hebraicis Græcisque literis peritissimus necnon Poeta admodum insignis, ut liquet ex ejusdem carminibus sparsim impressis. Moritur *Romæ* anno 1720. VIII. Idus Decembris ætatis annorum 81. Sepelitur in Ecclesia S. Salvatoris in Unda.

Mattheus Bidellius, vel Famulus in Universitate, scripsit Opusculum, cui titulus. *Risposta di Mattheo Bidello dello studio di Cesena al parere d' incognito oppositore fatto sopra la Canzone. Mostra l'altera fronte. In Cesena per Bartolomeo Raverio.* MDLXXXVII. valde eruditum, & forsan *Jacobi Manzonii*.

Rel. Cæs. pag. 29. *Marcellinus Verardus* inter Jurisconsultos, & Poetas *Cæsenates* enumeratur à *Brissio*.

Marius de *Abbatibus* I. V. D. Prætor fuit Urbis *Fanensis*; in publicoque *Cæsenæ* Gymnasio Lector, & Orator.

Collect. Cæs. pag. 8. *Marius* de *Marris* Cathedralis *Cæsenæ* Patriæ suæ Præpositus, excellentissimus cognominatur Poeta à *Partho* in Collectaneis.

Marcus Casinus potens Civis *Cæsenas*, & vir Doctus, ac prudens *Reatinæ* Urbis Gubernator ab *Alexandro* Papa VI. constituitur.

D. *Maurus Verdoni Cæsenat.* Vir eruditissimus, conscripsit, & impressit varia. Præsertim opusculum, cui titulus, il *Cæsenatico sempre Cæsenate*; necnon quamdam dissertationem elucescentem inscriptionem in Lapide antiquissimo marmoreo existentem in Castro *Roversani*; Ulterius Cæsenatia Marmora notis illustrata à D. *Mauro Verdone Cæsenat.* Sacerdote, & in amœna S. *Victoris*. Valle Plebano Pars prima, & secunda. opus nondum impressum, ejus originale est apud *Joannem Ceccaroni* I. V. insignitum, Virumque eruditissimum. D. Maurus Verdoni opuscula quædam edidit videlicet. *Vita, e Martirio di S. Mancio di Cæsena discepolo di Gesu Cristo & Vescovo di Ebora. In Cæsena per il Vereoni.* 1675. Cæleste Pharmacum & Præsagium à Paradisi janitore Petro Divo Ignatio Lojolæ vulnerato præmonstratum Carmen. Bononiæ Typis Antonii Pisarri 1667. In Funere illustrissimi & Reverendissimi D. Flaminii Marcellini *Cæsenæ* Eccl. Episcopi oratio habita die. 3. Aprilis 1677. in Cathedrali. Riversani Severi Verdono cudente 1677. in. 4. *Vita di S. Mauro Vescovo, e Protettore della Citta di Cesena. In Cesena per il Montaletti.* 1680. Æmilia tripudians, & SS. ac Beatissimo Patri Innocentio XI. P. O. M. pro remissis publicis tributis gratias rependens Carmen. Cæsenæ Typis Montaletti 1683. in 4. *Delle Tribu antiche. Lettera al Sig. D. Antonio Zoli Rettore di Roversano. In Ces. per il Montaletti.* 1690. *in.* 4. Aliud opusculum M. S. de Collegiis antiquorum, quod vel in scriniis alicujus plagiarii latitat, vel incuria deperditum est. *Itidem M. S. Parte prima libri otto delle cose memorabili della Citta di Cesena dalla sua Prima origine sino a nostri tempi raccolte da varii Autori da me D. M. V.* cujus originale penes Franciscum Cajetanum Casini Medicæ artis peritissimum asservatur.

Melchiorè Briga Cæsenas è societate Jesu interpretatus est Fasciam Isiacam Statuæ Capitolinæ *Romæ* impress. 1716.

148 *Michael* de *Cæsena* Ordinis Minorum Conventualium *Scoti* Discipulus, Magister *Parisiensis*, eminens Doctor olim nuncupatus, de cujus eruditione ait *Rodulphius* in Historia Seraphica: *scripsit Michael egregios, & lucidos Comentarios in 4. Sententiarum libros. super Ezechielem librum unum. Sermones de tempore, & de Sanctis. &c.* Tractatum edidit de *Dominio Ecclesiasticorum adversus errores Joannis Papæ* XXII. impressum apud *Golstadium* in Monarchia S. Romani Imperii Tomi duo. in Indice Lib. prohibitor. inter damnatos primæ classis reponitur. Quæ de eo seorsum scripsi, referuntur à *Claramontio* post XV. Hist Cæs. librum, lectorem illuc remitto.

Pet. Rodul. Tossin. lib. 2. pag. 185. Cap. de F. Michaele Cæsenate.

Mutius Manfredi de *Cæsena*, ex nobilissima & excellentissima *Manfredorum* stirpe *Faventiæ* Patrona progenitus, ut ex ejus testimonio in variis epistolis vulgari idiomate conscriptis in libro impresso epistolarum constat cui titulus *Lettere brevissime di Mutio Manfredi.* &c. In *Venetia* 1606. *appresso typ. Battæ Pulciani.* Fuit Poeta tragicomicus. extat ejusdem Tragicomœdia, cui titulus est, la Semiramide & variæ aliæ Poeses sparsim impressæ. Fuit a Secretis Ser. Ducissæ in Lotharingia anno 1591.

N*Arcissus* de *Cæsena Neronis* Imperatoris Cytharædus, recensetur in Chron. Antiquo Cæsenæ, verba sunt: S. *Isidoro narra come dà Cesena fu uno per nome Narciso Musico Citaredo molto amato dà Nerone Imperatore.* quem Narcissum memorat etiam Claramontius in sua gravissima Historia dicens: *quod ad Disciplinas, & nobilium artium cultum spectat, quam Cæsenæ propensionem, ac indolem ad Musicam ab omni hominum memoria observamus videtur antiquitus obtinuisse. Neronis enim tempore floruit Narcissus Cæsenas eximius Cytharædus Imperatori illi summoperè charus, etiamsi in iisdem artibus magno Artifici, ut ipse de se urgens jam supremum fatum dixit: Qualis Artifex pereo.*

Antiq. Chron. pag. 19. Hist. Cæs. pag. 13.

Nicolaus Masinus primus floruit an. 1503. *Bononiæ*, in qua Universitate primam tenuit Medicinæ Cathedram. Eximio huic Doctori *Cæsenati*, *Georgius Valla* librum *de Præsagitura* dicavit, & *Codrus* opuscula sua quædam Poetica, quorum initium est: 149

Cur me Felsina deducere queris ab Urbe Codrus.
Nolentem in Patriam Docte Masine tuam?

Obiit *Bononiæ* ætatis suæ an. 49. & apud Fratres Prædicatores honorifice sepelitur.

Nicolaus Masinus II. Physicus Vir præclarissimus, Publicus Universitatis *Cæsenæ* an. 1571. Philosophus, edidit lib. *de Gelidi Potus abusu.* aliaque elaboravit, præsertim ad Historicam veritatem attinentia opuscula, fuit Antiquitatum Patriæ studiosissimus. Fratribus S. Francisci Conventualibus magnifico sumptu extrui voluit Pulpitum marmoreum anno 1599. aliaque insignia monumenta fecit, ut infra tit. 4. secundæ Partis dicetur.

O*Ctavianus Martinellus* nobilis *Cæsenas Antonii* Filius Juris utriusque Doctor fuit præclarus.

Oddo Antonius Dandinus excellentissimus Jurisconsultus, Cæsaris Duci *Borgiæ* Consiliarius, ac Rotæ *Cæsenatensis* Auditor. *Guidonis Ubaldi* Ducis *Urbini* generalis Vicarius, appellationumque Judex, à *Leone* X. Eques auratus, Comesque Palatinus creatus est. 150

Pandulphus Bucci Juris consultus Prætor *Cerviæ* in annis 1553. 56. 57. & 1558. 1559. Prætor *Fani.* 1560. Prætor *Ravennæ* 1570. 71. Gubernator *Brisighellæ*, ut ex Litteris patentibus apud me *Hectorem Bucci* existentibus.

P*Amphilus Mazzonius* Doctor J. U. ac Poëta.

Pandulphus Morus, quem *Parthus* in suis Collectaneis *Cæsen.* excellentissimum nuncupat Doctorem.

Pandulphus Spranius ab eodem *Partho* sic cognominatur: *Pandolfo Sprani Dottore honorato di assai virtù, e rare qualità.* Steph. Par. Collect. Cæs. pag. 6.

Paulus de *Angelinis* ord. Capucinorum S. Francisci Generalis, celeberrimus Verbi Dei Proclamator, quem Gentium Doctori Paulo persimilem fecit Marinus dum cecinit.

Al P. F. Paolo dà Cesena &c.
Paolo di Paolo imitatore, ò quanta Jo. Baptista Marinus in lyra.
E qual trà voi conformità risponde;
Bene al frutto ti mostri, & alle fronde
Degno germoglio di si nobil pianta.

L' un' del Ciel vaso eletto , e tromba Santa
Che l' nome di Giesu sparge , e difonde ,
L' altro voce di Dio , che con feconde
Noti le leggi sue celebra , e canta.
Frenò quel' i rei morsi , e fieri strisci
Della Vipera alpestra , e Tù fra nui
Il serpente Infernal scacci , e ferisci.
In questo sol non t' assomigli à lui ,
Ch' ei fù rapito al Ciel , e tù rapisci ,
Ei fù converso , e tù converti altrui.

151 *Paulinus* de *Pasolinis* Reginæ *Joannæ* Medicus commendatur in Collectaneis *Cæsenæ*.

Parthus Manzonius inter Cives *Cæsenates* litteris, & virtutibus præstantes enumeratur in prædictis Collectaneis vixit *Cæsenæ* anno 1482. ab ipso Familia nostra divisa est in *Manzonios* , & *Parthos*, utraque adhuc *Cæsenæ* Senatoria.

Paulus de *Ubertis* I. C. gravissimus memoratur à *Nicolao Masinio* in *Francisci Uberti* Poetæ vita, quæ in Biblioth. *Cæs.* asservatur.

Petrus Arcanus nobilis Senator , præclarusque Jurisconsultus *Cæsenas*, qui anno 1499. floruit, recensetur in *Claramontii* Historia. hic ex nobilissima de Domo Carpinea, (quæ hodie Cardinalitia purpura fulget) ejus Uxore genuit strenuum *Ugonem Arcanum* Virum militari virtute peritissimum, *Caroli Quinti* Imperatoris Belli Ducem, & Consiliarium, de quo, ceterisque hujus Familiæ illustribus viris in 2. parte Chronologiæ. Floret hodie *Cæsenæ* alter

Petrus Arcanus Jurisconsul. & Senator vere Patriæ decus, unde ad Magistratum Illustrissimorum Conservatorum *Cæsenæ* (ipso *Petro Arcano* in primo loco dicti Magistratus existente) jure in sua cantat Melpomene *Ambronus*.

Arcanus Patriæ prodest arcana gerendo ,
Est Urbi Arcanus præsidium, atque decus.

152 *Petrus Benintendus Cæsenas*, Rotæ *Bononiensis* anno 1540. & sequentibus Judex , cujus Decisiones anno 1564. impressæ sub tit. *Decisiones causarum Rotæ Bononiensis per excellentissimum I. C. Petrum de Benintendis Cæsenatem ejusdem Rotæ Judicem*, *&c.* à multis citantur Doctoribus. *Venetiis* apud *Bartholomeum Raverium.* 1564.

Petrus Cantarella , qui monimenta *Cæsenatia* manuscripta post se reliquit, citatur à *Claram.* in epistola *Senatui*, *Populoque Cæsenati*.

Petrus de *Aquarola*, qui post annum 1300. vixit, partiarius Chron. Cæsen. scriptor fuit.

Petrus de *Cæsena* Ord. Erem. Divi Augustini edidit opusculum cui titulus est : *Grammaticæ Institutiones minores F. Petri Ferretti Cæsenatis Augustiniani*, *&c. Cæsenæ apud Barth. Raver. an* 1590.

Petrus de *Cæsena* Ord. Servorum , qui anno 1507. Provincialis erat *Romandiolæ*, Theologus fuit, atque Concionator præclarissimus.

Petrus Venturellus Archipresb. Plebis S. Thomæ, Canonicus, & Vicarius generalis civit: *Cæsenæ*, cujus descripsit Historiam , quam ego præ manibus habui an. 1631. dum essem Regens Gymnasii S. Franc. *Cæsenæ*.

Fr. *Philippinus Palatius* vir probus, & sapiens sub anno 1324. nominatur à *Claramontio*.

Fr. Philippus de *Furianis* de *Cæsena* Ord. Capuccin. Sacerdos, & Concion. quasdam auctoritates & rationes collegit in *Ariminenses* diffidentes de *Rubicone*, sed non impressas.

Pius Fantagutius Cæsenas Ord. Min. Con. Theologiæ Doctor , & facundissimus Orator qui varia ingenii sui reliquit monimenta , & præcipue Orationum diversarum volumen, & Quadragesimale m. s.

Pocaterra de *Pocaterris* nob. *Cæsenas* vir doctissimus , fuit an. 1299. Capitaneus Populi Civitatis *Pisaurum*.

Polydamas Tibertus Cæsenas Sacrarum legum Doctor , cujus extat Commentarius in libros *Thomæ Meleghini Ferrariensis De arte Tabellionatus.* Per *Amedeum*, & ejus socios anno 1525. *Cæsenæ* impress. in. 4. extat in Biblioth. Cæsenæ.

Prosper Antonius Romagnoli Motu proprio Sanctissimi D. N. *Clementis* Papæ XI. datum *Romæ* de Mense Octobris , vel Novembris anni. 1715. deputatur *pro interim* Thesaurarius in tota Provincia *Ramandiolæ* , quem honorem , & onus habuit, cum sui magno lucro usque ad mensem Novembris 1717.

Prosper de *Albizis* excellentissimus Jurisconsultus *Cæsenas* fuit , quem immatura mors extinxit. 153

Quidam nobilis *Cæsenas* an. 1367. sane prudens commendatur à *Claramontio* , ex *Cararii* testimonio. *Claram.* verba subjicio : *sub hæc tempora refert Cararius Civis Cæsenatis grave responsum. erat is vir nobilis , cujus familiæ non meminit, qui ut filii scelerosi aspectum vitaret Ravennam secesserat. moritur interim filius , eamque mortem homini sibi renuntianti respondit Pater. jamdiù mortuum esse sceleribus suis obrutum filium , proinde nuncium mortis nihil sibi novi attulisse. attulisset autem novi aliquid si sepultum nunciasset. Prudentis sane viri, & vitia abhorrentis responsum.* Vincentius Cararius in Comment. Provinciæ. Clar. lib. 14. pag. 639.

Quintilianus de *Ubertis Pauli* filius commendatur in vita *Francisci* ejusdem cognominis Poetæ *Cæsenatis*.

Realis Canonicus à *Claramontio* in Epistola Senatui Populoque *Cæsenati* in principio suæ Historiæ citatur his verbis : *Monimenta etiam nondum edita materiam suggessere , quorum præcipua fuere quæ à Reali Canonico , & Petro Cantarella Cæsenatibus conscripta fuerunt.*

Romulus Genarius descripsit *l' oratione delle quarant' hore fatta in Cesena l' an. 1642. dal M. R. P. F. Tomaso di Calatagirone Capuccino &c. Cæsenæ* per *Nerium* impressam. Fuit etiam idem *Romulus* Eminentissimi Cardinalis *Vidoni Bonon.* legati in civilibus generalis locum tenens & valde Eminentiæ suæ virtutis causa charus. etiam in Provincia *Romandiolæ* id munus persolvit anno 1652. & ab anno 1680. usque ad ejus obitum vario tempore pro interim gubernavit Patriam. Ex Genar. Familia hac tempestate Senator est *Cæsenæ Massimilianus Genarius* Eques Hierosolymitanus , cujus & aliorum ejusdem Religionis Equitum *Cæsenatum* erit commemoratio in secunda parte, & præcipue *Isepi* de *Isepis* commendatarii *Imolensis* , & *Ravennatensis* (qui obiit Vice Dux *Sabionetæ*) *Julii Camilli Tusci* & *Marci Agrippæ Dandini* qui Kalendis Februarii obiit *Cæsenæ* anno 1678. *Simonis Ugolini*, & *Neapolionis Tiberti* anno 1335. Prioratu *Veneto*) hæc est Dignitas, quam Hierosolymitanorum Equit. Ordo inter se distribuit) insigniti, &c. 154 Claram. pag. 562. Hist. Cæsenæ.

Rubertus de *Cæsena* Decret. Doct. qui floruit an. 1304. memoratur à Cherubino *Ghirardacio*.

Santes *Berti* Eccl. S. Zenonis Prior circa annum 1615. I. V. D. Theologusque maximus.

Scipio Claramontius Cæsenæ Patriæ Pater septuaginta quatuor composuit opera , & opuscula, quorum vigintiquinque impressa , ex testimonio *Thomæ Maffei* I. V. D. viri eruditissimi in Academica Oratione ab eo facta, & recitata in Academia

mia Offuscatorum *Cæsenæ* die. 31. Januarii 1653. A in funeribus ejusdem *Claramontii* & impressa à *Nerio*, una cum aliis Parentalibus: Necnon ex testimonio *Dominici Joseph Rosini* Doctoris Philosophi & Physici in oratione funebri latino idiomate conscripta pro eodem *Scipione Claramontio*, in ipsomet libro impressa: post varia ad scientias attinentia conscripta, editaque opera, evulgavit etiam *Historiarum Cæsenatum libros* XVI. in unum volumen anno 1641. impressum compilatos, quare his versibus jure commendatur.

Romulus extruxit, liberavitque ab hoste Camillus
Romam, Urbisque Parens dictus uterque fuit, B
Hic non ex saxo, sed fama ex ære perenni
Mœnia nunc Patriæ, non peritura struit,
155 *Non pressam à Gallo, at lethæo in carcere vinctam*
Extrahit, & liberat, jam celebremque facit.
Inveniat Cæsena novos cum nomine honores
Non Patrem Patriæ est dicere namque satis.

Scipionis Claramontii alia opera.
Commentaria in 40. *Meteororum.*
Antiphilolaus, id est *contra motum terræ.* in 40.
De Altitudine montis Caucasi secundum Aristotelem. C
De usu speculi ad Libellam.
De Iride. in 40.
Contra Cabeum. in 8.
De *conjectandis hominum moribus*, ex quo opere quinta pars post mortem Authoris deperdita est.
De Universo, ab ipsomet Authore citato.
Astronomia ab eodem citata, sed non absoluta.

Degit hodie in Patria otii nescius ipse *Claramontius* notissimus, Doctor, Eques, & Senator præclarissimus Philosophus, & Mathematicus, Virque in omni disciplinarum genere eruditus, & cum eo vivunt *Hiacinthus* Jurisconsultus, & *Simon* viri ornatissimi; ejus filii monimenta vero ejus ad immortalitatem edita sunt D

Discorso della Cometa pagonare dell'an. 1618.
De tribus novis Stellis Libri tres.
De sede Sublunari Cometarum opuscula tria.
Antitico.
Consideratio ac solutio rationum pro Cœlesti cometarum sede.
Castigatio Joannis Camilli Gloriosi adversus Scip. Claramontium, castigata ab eodem.
Difesa di Scipione Chiaramonti al suo Antiticone, e libro delle trè nove stelle,
De atra bile quo ad mores. in 8. E
Responsio ad objecta F.L.
De Methodo ad Doctrinam spectante libri quatuor, in quibus &c. Cæsenæ à Nerio impress. anno. 1639.
Supplementum Antiticonis.
Difesa contro il Galileo.
156 *Apologia ad Hyp. Kapleri.*
Della Ragione di Stato di Scipione Chiaramonti dà Cesena. Florentiæ an. 1635. impress.

Cæsenæ Historia Authore Scipione Claramontio ab initio Civitatis ad hæc tempora apud *Nerium* (ut dixi) anno 1641. impressa, ad quam texendam amor Patriæ potuit eum à publico munere, F quo in *Pisana* versabatur Universitate anno 1636. revocare.

Philosophia naturalis methodo resolutiva tradita de principiis, & communibus affectionibus rerum naturalium, Libri Undecim Scipionis Claramontii Cæsenatis, impres. Cæsen. apud Nerium 1652. in cujus Epistola dedicatoria Serenissimo Jo. Carolo Card. ab Etruria citat opera de Universo, & de Astronomia nova ab ipsomet Auctore composita, licet non absoluta quo ad Astronomiam.

Scipio Nascica Fantagutius Jurisconsultus *Cæsenas* anno 1517. *Bononiæ* laureatus. alium vidit & nostra ætas *Scipionem Nascicam Fantagutium Falcini* Comitem illustriss. virum. Hist. Cæl. pag. 706.

Scipio Sacchius Pictor Cæsenas Raphaelis Urbinatis alumnus sequenti *Cæsenæ* cohonestatur elogio marmoreo:

D. O. M.
SCIPIONI SACCHIO CÆSEN. PICTORI
EJVS TESTANTIBVS OPERIBVS
RAPH. VRBIN. ALVMNO PRIMARIO
ATQVE CHARISSIMO
ANNO SAL. MDLVII. ÆT. LXIII. IDIB.
DECEMB. VITA FVNCTO. ETC.

Sebastianus Lancettus hac nota commendatur in Collectaneis: *Li Lancetti vennero a Cesena l'anno* 1434. *di questa Casa &c. vive hoggi Sebastiano Dottore sapientissimo & integrissimo.* Steph. Par. Collect. pag. 6.

Sebastianus Avezzanus Cæsenas ord. Carmelitarum varia scripsit, ediditque lib. inscrip. *Discorsi Predicabili del R. P. Sebastiano Avezzano dà Cesena Carmelitano sopra alcuni passi della Sacra Scritura &c. Venetiis* impres. an. 1588. evulgavit etiam *Brevem institutionem in Aristotelis Logicam.* 157 Vide Carmelitanam Bibliothecam Pet. Lucii Bruxell. pag. 75.

Simon Equitis Scipionis Claramontii filius Poeta aliisque insignitus virtutibus, edidit poema, cui titulus est. *Li Santi Martiri d'Egea.* & aliud opus quod est, *Cæsena trionfante*, òvero Tenzone Apologetica per le contradizioni di *Fortunio Liceti.* Omnia apud *Nerium* impressa.

Stephanus de *Parthis* nuncupatus *Maphæi Parthi Manzonii* filius, Eques, Patritiusque *Cæsenas* anno 1565. scripsit Collectanea *Cæse.* quibus enumerat illust. Patriæ Familias.

Sthephanus Tuscus, quem ipse *Parthus* in prædictis collectaneis excellentissimum nuncupat Doctorem. pag. 6.

Sylvius Rota Philosophus, ac Medicus perexcellens fuit, cujus hodie superest Filius *Franciscus Rota* Medicinæ & ipse Doctor, Patritiusque *Cæsenas.*

THeodoricus *Calisesius*, sive *Calesidius* nobilis *Cæsenas Mediolani* Prætor anno 1256. & Corine.

Theodoricus Calesidius Ravennæ Prætor anno 1315. viri docti, gerendarumque rerum prudentia præclari. Claram. pag. 435.

Theodoricus Calesidius Cæsenas Antiquarius memoratur in Historia *Cæsenæ* his verbis: *à Chronico quodam nostro ex Theodorici Calesidii nobilis Cæsenatis, & Historici scripto de totius Æmiliæ, sed dicamus Romandiolæ, gestis idipsum sumitur.* 158 lib. V. pag. 194.

Thomas de *Guacettis Cæsenas* Ord. Præd. Vicarius Sanctissimæ Inquisitionis *Cæsenæ* librum de Rosario B. V. M. in lucem emisit.

Thomas Martinellus Antonii filius Vir gravissimus qui cum jurisprudentia scientias, virtutesque, omnes conjunxerat, orator fuit facundissimus, exercitatissimusque Doctor, qui in *Ferrariensi* Rota Auditor, in *Regiensi* Legatione *Clementis* VIII Pont. Max. Commissarius nomen suum immortalitati commendavit, aliisque publicis muneribus sapientissime administratis *Cæsenæ* moritur die 17. Septembris 1618. Orat. Funeb. Julii dalle Grotte Min. Con.

Thomas alter de *Martinellis Alexandri* filius, Comes, & S. Stephani Eques in lucem dedit opusculum Controscritto al Sig. *Fran. Maria Arsilli* intorno all impresa, che hà per corpo trè ucelli in una gabbia col breve *In angustiis suaviores* in *Cesena* per il Neri. 1662. in 12.

Thomas Palatius varia ingenii sui evulgavit Poetica monimenta, ediditque librum, cui tit. est *L'Adolescenza vaneggiante.* ir. press. Cæs. 1618.

Tobias de *Aldinis* à *Cæsena*, cujus extat liber *Romæ* anno 1625. impressus cum hoc titulo: *Exactissima descriptio variarum quarundam plantarum, quæ continentur Romæ &c.* fuit enim medicus chimicus *Urbani Octavi* Summi Pontificis, cujus mors, dum *Cæsenæ* scriberemus * additiones, accessit anno 1644. die Veneris 29. Mensis Julii hora undecima, cum regnasset an. XXI. citra dies septem, & statim Sacrum Cardinalium Collegium de tali morte, juxta solitum, certiorem fecit Capitaneum *Flaminium* de *Marzolis* Arcis ejusdem Patriæ nostræ Castellanum per litteras tribus sigillis trium S. R. E. Card. in ord. Priorum obsignatas, quarum initium est: *Dilecto nobis in Christo Castellano Arcis Cæsenæ.*

* Quæ in hac editione suis locis sunt insertæ.

Miseratione Divina Episcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales. Dilecte nobis in Christo sal. &c. In Arce ista Cæsenæ custodienda summa fides semper requiritur, vigilantia vero pro temporis conditione acrior, majorq. est adhibenda, nunc maxima, & acerrima est opus, dum ad tempora difficilia accessit mors Sanctissimi Patris, & D. N. Urbani Octavi nobis hesterno die erepti, cujus causa nunc sedis vacationis tempore &c. terminant autem sic: *Et à nobis commendari, & à futuro Pontifice brevi declarando ornari possint. Dat. Romæ in Palatio Apostolico in Congreg. nostra generali sub sigillis trium nostrum in ordine Priorum die* XXX. *Julii* 1644. *sede vacante.*

Interim Pont. celebrantur comitia. tandem dum *Pisis* hæc imprim. Appendix, *Romæ* die XV. Septembris 1644. creatur Sum. Pont.



IOANNES BAPTISTA
Tit. S. Eusebii Presbyter
CARDINALIS PAMPHILIVS
inter Sancti Officii Purpuratos
magno Christianæ Reipublicæ commodo
GENERALIS INQVISITOR,
Hodie
INNOCENTIVS PAPA DECIMVS
Cujus gentilitia insignia sunt
Tria, in cerulea parma, aurea Lilia,
& Columba portans ramum olivæ
virentibus foliis in ore suo.
Vivat diu unius Dei unus Vicarius,
cujus nomen in bonum omen
fæliciffime claudit
CÆSENAM SACRAM
additionibus auctam.
'a *Bernardino Manzonio* Inquisitore *Pisano.*

Tobias Fantagutius Cæsenas Vicarius Generalis Urbis, ac Diæcesis *Veronensis*, edidit Tractatum *de Officio Vicarii Ordinarii.*

Thibertus de *Cæsena* Monachus, doctissimus Mathematicus celebratur à *Partho* hac nota: *Thiberto Tiberti Abbate della gloriosa Madonna del monte famoso Matematico.* Collectan. Pag. 1.

VEspasianus Masinus Philosophus, in patrioque *Cæsenaten.* Gymnasio publicus Medicinæ lector obiit anno 1622. 159

Ugo de *Arcanis* nobilis Patritius *Cæsenas*, Jurisconsultus (Subtilis nuncupatus) qui floruit anno 1596. jure inter doctrinis, & virtutibus præstantes *Cæsenates* enumeratur. Supersunt hodie ejusdem filii *Ægidius* Doctor, & major natu *Petrus* Patriæ Senator, qui ex *Justina* de *Albizis* Uxore nobilissima genuit filium nomine Parentis *Ugonem* appellatum. *Canutii* postea Abbatem.

Ugolinus Ugolini Patritius *Cæsenæ* Mathematicus, & Arithmeticus, ex mandato Consilii Patriæ edidit: *Ordine da Servari nelli pesi & misure del Commune della Citta di Cesena con il modo in formarle giustissime. Stampato in Cesena per Bartolomeo Raverii.* 1572. *In Foglio unico.*

Vincentius Civis *Cæsenatis* scripsit: Prima pars collectionis eorum, quæ *Ariminensibus* à *Cæsenatibus* rescribuntur de *Rubicone.*

De Rubicone antiquo dissertatio *Vincentii* Civis *Cæsenatis* adversus *Ariminenses* Scriptores, in qua replicatio cujusdam Hypodidascali *Ariminensis* adversus *Claramontium* eadem de re discutitur, & rejicitur: *Cæsenæ* ex officina Illustrissimo Communitatis. 1643. impressa; Quod opus *Scipioni Claramontio* tribuitur à nonnullis. Sed prohibitum donec corrigatur.

Vincentius Masinus Philos. & Medicus inter celebriores Doctores *Cæsenates* reponitur in Relatione *Brissii.* Cæs Briss. pag. 29.

Vincentius Merenda Jurisconsultus *Cæsenas*, Advocatusque in Romana curia olim præclarus. ejus germanus frater *Ludovicus Merenda* Eques SS. *Mauritii*, & *Lazari* in tertio titulo 2. partis Chronol. hujus enumerabitur simul cum *Joanne Paulo* de *Tertiis*, aliisque *Cæsenatibus* ejusdem equestris Ordinis.

Vincentius Tuscus Philosophus *Cæsenas* sepelitur in Ecclesia Minorum Patriæ, ejusque marmoreo sepulchro affixa sunt hæc verba:

VINCENTIO TVSCO PHILOSOPHO,
AC MEDICO RARISSIMO. ROBERTVS
FILIVS OBSEQ. POSVIT.

XYstus Gallus Ord. Min. Con. Magister musices edidit Modulationes quasdam laude dignas.

Honestatur insuper CÆSENA (ait Torsanus) *Viris quaruncunque Scientiarum doctissimis, in primisque, Theologis, Philosophis, Medicis, Juris peritis præclarissimis, Poetis, & Oratoribus facundissimis.* Et Brissius in Relatione Cæsenæ ait: *Quanto alle Lettere questa Città ne hà sempre fatta professione, & in ogni tempo hà prodotto huomini famosi, & illustri, come Giovanni AgusElli Legista che scrisse de protestationibus, allegato dà Giovanni Andrea sopra la reg. de reg. jur. in sexto.* qui *Joannes Augusellius* omissus fuit in alphabetica serie Scriptorum *Cæsenatum*, sicuti & alii multi Doctrinis, & virtutibus præstantes *Cæsenates.* 160

Angelus Maris Torsanus Ariminensis in Voluit. orat. de laud. bium Romandiolæ. pag. 104. Cæs. Brixius in 2. par. Relat. Cæs.

Interim rogo pium Lectorem ut si quis vel mea vel Typogr. negligentia, aut culpa error subrepserit (nam in multis offendimus omnes) det veniam, errataque benigne corrigat, & sciat me, fuisse majoribus curis impeditum, dum imprimeretur hæc

CÆSENA SACRA.

FINIS QVARTI TIT. CHRONOL. CÆSENÆ.

222 NOBILES EX SENATORIO ORDINE FAMILIÆ (DE QVIBVS OMNIBVS IN SEQVENTI

SENA REGIA

PRÆTER ORIGINEM PLVRA NARRABIMVS) INTERIM POST

CÆSENAM SACRAM

(VIRIS EARVNDEM PIETATE, DIGNITATE, VIRTVTEQVE PRÆCLARIS ILLVSTRATAM) ORDINE ALPHABETICO ENVMERANTVR.

A

* *Abbates* ✠
Absalonii
Acularii
Adulphi
Armi
Aglani
Agostini
* *Aldini*
Aldobrandini
* *Albizzi*
Alidosii
* *Albertini*
Alberici
Aloidi
Allegrii
* *Almerici*
Alexandri
Alemani
Aloysii
Altovici.
Altini. ✠
Aldobrandi
Amadei
* *Ambroni* ✠
Amorosi
Ancarani
Andulphi
* *Angelini*
Antiochini
Antonini
Aquilini
Aquilei
Arardi
* *Arcani.*
Arcelli
Arduini
Ariosi
Armilei
Artechini
Asprani
Attendi
Ausi
* *Augusellii*
Azardi.

B

* *à Balneo*
Baldi
Bandini. Bandi
Bancini
223 *Barilii*
Barzellini
Bazzalii
* *Beccarii*
Benintendi
Berlingerii
Berardi
* *Bernardini à Massa.*
Beloisii
* *Bertuccioli* ✠
* *Bettini* ✠
Bertinorii
Beraldini
Berti
Blanchii
* *Blondi*
Bossii. Bologhini *
Bonnini
Boschetti
Bonetti
Borelli
Bonzanelli
Braccii
Branchii
* *Braschii*
Bravi
Brissii
Burlachini
Budi
✠ *Buccii. Buschi.* *

C

Calexidii
Cacciaguerræ
Calici
Camerarii
Capanni
Campani
* *Cararii. Carli* *
Carmignani
Carnevalii
Casini
Cavassii
Cenni
Celini
Cerboni
Ceccaroni
Ciurli
Cintii
Cittadini
* *Claramontii*
Cocliti
Cornei
Coccani

D

* *Dandini*
Delii
Dini
Dinuccii
Dominici
Donuli
Dragonii
* *Dulcini* ✠
Drudellii

E

* *Eterni* ✠
Eburneoli
Episcopelli

F

* *Fattiboni*
Fabii
* *Fabbri* ✠
Fabricii
Falcinii
* *Fantagucii*
Fantini
Felicii
Ferrandi
Finchii. Fioravanti.
Folles.
Fortiboni
Fortes
Franchini. Fracassi *
Funetti
Fuschi
Fuscini

G

* *Gangaridi*
Galephi
Galeotti
Galvani
Garolini
Garampei
* *Gatthii* ✠
* *Genarii* ✠
Gherardi
Ghelli. Ghini. *
Grandii
Gresii
Grispani
Gratiani
Grossi
* *Guidii à Balneo*
Gualdolini
Guinacii
Guidaldi
Gurioli
* *Gualaghini*
* *Guacettii* ✠ *Gulderii*

H

Hippolyti
Hectorei
Hisopii
Honesti

I

* *Isei* ✠
Isepii

L

* *Lancetti*
Lamberti
Lambertini
Lassani
Lapii
Lisardi
Lofredi
Longhi
Lunardelli
* *Lucatelli*

M

* *Manzonii* ✠
Malesardi. Maffei
Malatestæ
Manzinii
* *Maraldi* ✠
Maltusellii
Mambrini
Mancini
* *Martinelli*
Massii. Massarenti ✠
* *Marzoli* ✠
Mancelli
Mazzolini
Mazzonii
* *Masinii*
Mainardi
Marrii
Mastini
* *Merendæ*
Mirolii
Minutoli
Montiani
Montiriversani
Molducii
Montefeltrii
Morelli
* *Mori* ✠
Morani
Muretti

N

Nardini
Nani
Nigelli
Novelli
Nolles

O

Ottardi
Omniboni
Orefici

P

Parthi
Pamphilii
* *Palatii*
Palacini
Palamondi
Palmerini
* *Pasolini*
* *Pasinii*
Pedroni
Pidrioli
Pierlancetti
Pocaterræ
Poltroni

Q

Qualerni
Quintii

R

Rauli
Ramberti
Resti
Riserii

Righiz-

Righizzi. Righi
Romanini
* Romagnoli
Rossetti
Rosini
Rossi
Roverini
* Roverelli
* Rotuli
* Rotæ ✠
Rusighelli
Radulphi
Ruperii

S

Sartoriani
Sardi
Saffi
Saladini
Salii
Sapini
* Salimbuccii
Sassatelli
Santi
Saracini
Scariotti
* Schiavinæ
Sermattei
Sertomei
Senones
Severii
Sgaruglini
Silvani
Sinibaldi
Sordi
* Spranii ✠
Spatiani
* Spadæ
Sturpelli
* Strinati
Suprani

T

Talamelli
Tabarazzi
* Taxellani ✠
* Tercii
* Tiberti ✠
Tibaldei
Timolini
Toraldi
Torelli
* Tuschii ✠
Tussini

V

Valeriani
Ubaldi
* Uberti ✠
Ubaldini
Ucolini
Vendramini
* Venturelli
Verardi
Vendemini ✠
* Verzalii
Verzellini
Vestondi
Veterani
* Ugolini
Visanelli
* Visdomini ✠
Vitales.
Urusini

Z

Zanolini 226
Zamarini
Zambelli
Zanlisardi
Zoni
Zuffoli
Zurli

Familiæ his *, ✠ signis notatæ, adhuc perdurant Cæsenæ, suntque hodie Senatoriæ, quarum gentilitia insignia reperiuntur picta in Regularia Reipublicæ secundum tempus admissionis Senatorum in Consilio.

INDEX CHRONICVS EPISCOPORVM CÆSENATENSIS ECCLESIÆ,

		S. Timotheus Cæsenaten. Apostolus	1. D
I.	92	*S. Philemon primus Cæsenæ Episcopus*	2. B & seqq.
II.	109	*B. Isidorus Græcus secundus Episc. Cæsenæ*	4. A
III.	156	*N. tertius Cæsenæ Episcopus*	o
IV.	232	*Ignatius de Salamina*	4. B
V.	313	*B. Florianus de Cæsena*	4. C
VI.	326	*P. de Cæsena*	4. E
VII.	334	*Natalis Romanus legatus S. Marci Papæ*	o
VIII.	350	*Concordius Tarvisinus*	4. E
IX.	361	*B. Gregorius à Papia*	4. F
X.	403	*Ignatius II. de Cæsena*	4. F
XI.	465	*Veranus de*	5. A
XII.	468	*Eusebius*	5. B
XIII.	485	*Flavianus Clusinus*	5. C
XIV.	502	*Concordius II.*	5. D
XV.	539	*Ignatius III.*	5. E
XVI.	554	*Gisulphus Gothus Totilæ Regis Filius*	5. F
XVII.	560	*N. de Cæsena*	48. B
XVIII.	565	*S. Severus de Cæsæna Protector.*	6. A
XVIIII.	571	*Florius de N.*	6. C
XX.	590	*Natalis II. Utinensis*	6. D
XXI.	602	*Concordius III. de Cæsena*	6. E
XXII.	615	*B. Maurus I. de Cesena Abbas SS. Jo. & Steph. Class.*	7. A
XXIII.	679	*Florus de Cæsena*	7. B
XXIV.	690	*B. Constantinus de Cæsena*	7. C
XXV.	702	*Candidus de Cæsena*	7. D
XXVI.	709	*Marcellus*	7. E
XXVII.	742	*Claudius de Cæsena*	ibid.
XXVIII.	780	*Mancius*	ibid.
XXIX.	804	*Joannes Lucensis*	7. E
XXX.	826	*Romanus*	7. F
XXXI.	898	*Florius II. Neapolitanus*	8. A
XXXII.	934	*S. Maurus Civitatis Protector, ex ord. S. Bened.*	ibid.
XXXIII.	946	*B. Constantius Nepos Sancti Mauri*	8. D
XXXIV.	954	*Gonfredus de Cæsena*	8. E
XXXV.	997	*Don. Sergius Monachus*	8. F
XXXVI.	1000	*Romanus II.*	ibid.
XXXVII.		*Marinacius Episcopus Cæsenæ*	9. A
XXXVIII.	1042	*Don. Joannes II de Cæsena Canonicus Regul.*	9. B
XXXIX.	1057	*Don. Desiderius de Cæsena Monachus S. Bened.*	10. C
XL.	1065	*Don. Illebrandus Monachus Cassinen.*	10. D
XLI.	1083	*Don. Gebizo Ottardus à Cæsena Cardinalis S. R. E.*	10. D
XLII.	1106	*Ugo de Cæsena*	11. A
XLIII.	1126	*Benno de Coclitis à Cæs. Card. S. R. E.*	11. C
XLIV.	1151	*Oddo. S. R. Card. de Cæs.*	11. E
XLV.	1172	*Don. Leonardus Monachus Cisterciensis*	12. A
XLVI.	1186	*Leto de Cæs.*	12. D
XLVII.	1208	*Oddo II. à Foro Truentinorum*	13. C
XLVIII.	1234	*Manzinus de Cæs.*	13. D
XLIX.	1259	*Fr. Michael de Cæs. Ord. Min.*	13. F
L.	1263	*Fr. Franciscus de Cæs. Ord. Præd.*	14. C
LI.	1270	*Henverardus à Saxonia*	ibid.
LII.	1274	*Aymericus de Cæs.*	14. D
LIII.	1291	*Leonardus de Cæs.*	15. A

F I N I S



I N-

INDEX ALPHABETICUS
EPISCOPORUM CÆSENATIUM,

Sanctorum & Beatorum, ad Infulas, aliasque Ecclesiasticas dignitates assumptorum, diversarum Ecclesiarum Episcoporum, Virorum Religionum Generalium, Scriptorum, aliorumque doctrinis, virtutibusque præstantium.

Ja-

Tho-

FINIS.



GEORGII MARCHESII,
Equitis,

FOROLIVII,
CIVITATIS CELEBERRIMÆ,
COMPENDIUM HISTORICUM.

In quo

Conditores, Reſtauratores, Vices Bellorum & Temporum, Fines, Incolarum Indoles,

SITUS, AGER, FLUVII, ÆDIFICIA

Sacra & profana atque ejuſdem Civitatis Epiſcopi proponuntur.

Editio poſterior, priori nitidior puriorque.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO TYPOGRAPHI AD LECTOREM.



PLUTARCHI *singulare dictum*, Præcept. Polit. *dicentis:* Amo liberos; sed patriam meam amo magis: *adhuc in animis bonorum civium versari; & esse, qui existimant, civem illum haberi non posse, qui urbis suæ gratiam non tuetur, Lectori, literas opusculo huic præmissas, a Viris ob doctrinam orbi literato satis perspicuis ad me missas, ut hoc Compendium Historicum* Forolivii *Thesauro Italico insererem, legenti constabit. Spero interim eos non in malam partem rapturos, me eorum literas cum republica literaria communicare; quod nulla alia causa factum, nisi eorum patriæ inserviendi, eamque literis & laudibus æternam faciendi, desiderium & animum indicarem. Quibus liquet illos non latere, Nobilissimi civis esse patriæ suæ augmenta cogitare. Est quidem molis exiguæ, nihil autem est tam minutum, quod non possit aliquid, cum capillus quoque suam umbram habet. Menda, quorum Eques* Marchesius *in suis literis mentionem facit, sunt sublata, nomina propria, more nostro, literis cursivis, sunt excusa: Indicem quoque Rerum, ne nihil in eo desideraretur, collegimus adjecimusque. Hæc sunt, quæ te,* Benevole Lector, *admonere voluimus, his fruere & fave. Vale*

CELEBRI VIRO

D. PETRO VANDER Aa,

Eques

GEORGIUS MARCHESIUS S. P. D.



Jam Doctus Vir *Jo. Baptista Morgagnus* Concivis meus tibi transmisit Compendium Historicum Civitatis Forolivii à me festinanter conditum, ut in Opere magno Historiarum *Italiæ* imprimere illud posses, cujus tuti adventus optatissimum nuntium expecto. At cum nuperrime intellexi evulgationem Voluminis Septimi, quod Historias Ecclesiasticæ ditionis complectitur, non modice, fateor perturbatus sum, nam Compendium nimis sero, & intempestive adveniet. Id tamen absque mea culpa continget, quoniam mihi demandatam a senatu elucubrationem, nulla temporis intermissione absolvi; nihilominus spero, sicut te enixe rogo, quod in Octavo Tomo adinstar supplementi illam excudes, tuæque erga me, & præclaram Urbem benignitatis, in hac re, significationem dabis. Sunt qui dubitant an epistolas dedicatorias ante corpus Operum impressas, rursus edere, unà cum ipsis consuescas. Id ut facias, magnopere exopto duabus præsertim de causis, cum in Dedicatoria ad Senatum rejiciantur objectus, qui in Faventina Regione a *Petro Mª. Kavina* adversus Patriam meam temere afferuntur, & ibi permulti Viri Illustres memorentur. Si autem non soles epistolas scriptorum evulgare, & me confestim, ut precor, admonebis, quam citius potero, quæ in epistola continentur Compendio adjiciam, & meam esse additionem ab impressione Sigilli ex septem syderibus constantis, cum Cruce ad latera gentilitii Insignis, quod inclusum in hac pagina invenies, non obscure conjectabis. Si aliquis vero publici, vel mei nominis usurpator, monumenta ad te mittet sine meo signo, ob privatos fortasse fines fabulosa esse suspiceris, & illa prorsus rejicias. Postquam ideo hanc Epistolam accipies, fave mihi sollicitum responsum dare, ut a suspicione qua premor, acquiescam. Interea Vir celebris alacri animo tuum laborem prosequere, nam ingentem famam certissime comparabis, quod ut feliciter opus præstare valeas, Deum rogabo, quatenus te diu incolumem servet. D. Forolivii Italice *Forli*. Idibus Octobris MDCCXXII.

VIRO SPECTATISSIMO
D. PETRO VANDER Aa,
BIBLIOPOLÆ CELEBERRIMO

JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS

In Lyceo Patavino Primarius Anatomiæ Professor, & Præses S. P. D.

Cum ante plures menses Tuæ mihi, Vir Spectatissime, redditæ fuissent litteræ typis excusæ, in quibus Insignis editionis Historiarum Civitatum Italiæ *ideam proponis, & quæ ad eam pertinent, exquiris; tum institutum egregium laudavi Tuum, tum litteras ipsas ad Amplissimos* Fori Livii, *Patriæ meæ, Senatores afferendas curavi, ut quoniam Nobilissimæ Civitatis nostræ nullæ, nisi* Italico *sermone exaratæ, habentur historiæ; parare possent Latinum aliquod harum compendium, quod ego, ipsis annuentibus, ad Te mitterem. Probaverunt Patres Præstantissimi & propositum Tuum, & consilium meum: itaque continuo operam dederunt hanc Senatori in Patriis monumentis versatissimo, ut in paucas pagellas magna duo Historiarum nostrarum volumina summa fide, ac diligentia compingeret. Quod cum ipse opusculum absolvisset ex eorum sententia, ideo potissimum typis mandari jusserunt, ut facilius ac sine errorum in propriis nominibus periculo ab Operis Tuis exscribi posset. Ejus igitur Compendii exemplar, eorum mandato, ad Te, Honoratissime Vir mitto, tria ab Humanitate Tua petens; primum, ut certiorem me facies Tuis litteris, Tibi ipsum redditum esse, alterum, ut Magnæ Tuæ Editioni inseri cures, non omissis duabus Auctoris Epistolis, quæ ipsum antecedunt, ut pote quæ (præsertim prima in qua Illustriores Patriæ Viros plerosque memorat) summopere, ut videbis, ad institutum Tuum pertinent, & ad Præstantiam Civitatis illius demonstrandam; tertium denique, ut cum typis committetur, eorum tantummodo foliorum exemplar aliquod seorsum imprimi, & ad me transmitti tuta aliqua occasione jubeas. Hæc si facere potueris; me multo magis in posterum habebis obstrictum Tibi, & ad ea omnia quæ jusseris, paratissimum. Vale, Vir Spectatissime, & Rem Litterariam (quod facis) egregiis Tuis Editionibus juvare perge.*

Hæc cum scripsissem Prid. Nonas Septembris, & cum librum ad Te misissem; nunc demum accipio, medio in itinere substitisse. Itaque iterum scribo, & cum altero exemplari mitto, eadem rogans: & quoniam interea audivi, eum, cui inseri debuisset, Tomum jam ante aliquot menses fuisse absolutum; idcirco etiam atque etiam Te oro, ut in alio aliquo sive Supplementorum, sive ipsius Operis Tomo, in quo id facere commodum sit, inseri jubeas. Id ab Humanitate Tua impetraturum me, spero. Vale iterum.

D. Patavii V. Kal. Decembr.
M. DCC. XXII.

CELEBRI VIRO
D. PETRO VANDER Aa,
Eques

GEORGIUS MARCHESIUS S. P. D.

Ab epistola tua sub die XII. Novembris nuperrime elapsi scripta, non sine magna admiratione audivi meum Compendium Historicum Civitatis Forolivii ad te nondum pervenisse, quod seu casu seu arte evenerit eorum quibus commissum fuerat, ignoro. Ne tamen in hac investigatione tempus terem, aliud exemplar mitto, licet pessime impressum, & mendis plenum quarum nonnullas emendavi, ut castigatius in tuis typis prodeat. Sed cum supplementi editio, quam paras in fine Operis forsan per varios annos protrahetur, mihi pergratam rem facies, si hanc epitomen in eo Volumine excudes, quod nunc sub prælo est, sicut te enixe rogo: Hic, Vir Celebris, quemadmodum jam scripsi meum stemma invenies, cui totam poteris præstare fidem cum apud nos usurpatores publici nominis non desint, a quibus cave. Cæterum, inquiram an litterarum Professores Regionis nostræ tuum Thesaurum Historiarum Italiæ emere velint, quod spero, perfecta tamen impressione Operis, & primis Epistolis me de pretio tum editorum Librorum, tum edendorum sejunctim doce. Interim editionem accelera, & diu vale.

Forolivii, Italice Forli, Kalendis
Januarii M. DCC. XXIII.



EGRE-

EGREGIO, ET HONORATISSIMO VIRO
D. PETRO VANDER Aa,
BIBLIOPOLÆ CELEBERRIMO
JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS S. P. D.

Cum ad Tuas, Vir Honoratissime, manus pervenisse certior fiam litteras meas una cum Compendio Historico Civitatis Forolivii; iterum ab Humanitate Tua peto, ut velis aliquid ad eas litteras meas respondere, unde Cives mei intelligere possint, me diligenter eorum mandata curavisse, illudque Compendium ad Te misisse: quod amplissimo Operi Tuo inserere possis saltem inter Supplementa, quando opportune istuc perferri non potuit, ut suum locum obtineret. Hoc igitur a Te etiam atque etiam petens, dum responsionem Tuam expecto, Deum O. M. precor ut Te sospitem quam diutissime servet.

D. Patavii. VI. Kal. Aprilis
M. DCC. XXIII.

AMPLISSIMIS, ET CLARISSIMIS VIRIS
CONSERVATORIBUS, ET CONSILIARIIS
SENATUS FOROLIVIENSIS
EQUES
GEORGIUS MARCHESIUS S. P. D.

Vos profecto fefellit P. C. concepta opinio mearum virium, nam quamvis hic multi literis exornati Viri, & omnigena eruditione efflorescant, Me ex Senatus consulto delegistis, ut Historias *Italico* sermone scriptas in latinam Epitomen redigerem. Eas *Paulus Bonolus*, & Eques *Sigismundus* Pater meus luculenter, & fusius exaratas multis abhinc annis in lucem emiserunt, in quibus Vestra, & Illustrium Majorum Gesta celebrantur: Sed cum *Transalpinis* non innotescant, qui nostratis linguæ carent usu, operæ pretium esse statuistis eas latinas facere, ut inter cæteras *Italiæ*, & Insularum adjacentium excudi possent, quæ nunc *Lugduni Batavorum* imprimuntur; præsertim cum in illis prodituram intelligatis *Faventinam* Regionem *Petri Mariæ Kavinæ*, qua destruere nostra, & aliarum Civitatum nedum jura, sed ipsas Urbes nisus est, ut suæ fabulosa confinia prolataret. Hic enim Author in interpretatione *Strabonis* textus, ubi *Galliam* describit, cum nullam *Forolivii* mentionem legeret, a silentio scribentis conjectavit, olim hanc Urbem in rerum natura non extitisse; & ad præbendum Commento robur descriptionis sensum invertere, & tanti Viri authoritate abuti minime dubitavit. Sed cunctis liquet, multa *Strabonem* prætermisisse Oppida, &, ut optime tradit *Scipio Claramontius* in libro quarto *Cæsenatis* Historiæ, *Forolivium* præterivit, cum nondum fuisset post infortunium *Marianæ* cladis, & eversionis suæ restitutum. Jam satis *Forolivii* vetustatem tutata est Veritas Rediviva, quæ in Redivivam *Faventiam* usque ab anno 1673. a Sylvarum Typographia prodiit: hæc inanes *Kavinæ* rationes adeo retudit, & potissimum quæ de *Gn. Cornelio Gallo* objiciebat, ut eum sane difficilem provinciam assumpsisse pænituerit. Cæterum P. C. detrectare munus impar meis humeris voluissem, si bono Civi licuisset. Cum autem Vobis, non communibus tantum plebi obstrictus sim beneficiis, Nobilissimo Vestro Cœtui ex hæreditate Majorum adscriptus, a charitate, & debito erga Patriam cogor, ut in hoc etiam fatiscentis ingenii mei imbecillitatem vincam. Hic tamen in primis non pigeat, audire Virorum Nomina, qui aut Sanctimonia Vitæ, aut doctrina, aut muneribus Pacis, & Belli præstitere. In Templis nimirum coluntur Divi *Gratus*, & *Marcellus Levitæ*, ac *Valerianus* Martyr. B. B. *Peregrinus Latiosus*, *Marcolinus Amannus*, *Nicolaus Solombrinus*, & *Bonaventura Torniellus*. Venerabiles Servi Dei *Hieronymus Taurellus*, *Franciscus Orsellus*, *Hieronymus Paulutius*, *Thomas Marchesius*, & *Fabritius Hasteus*, vel christianæ perfectionis exemplis, vel portentorum fama clarum sanctitatis nomen posteris reliquerunt. *Paschalis* II. in Oppidulo *Bleda Foroliviensis* Agri natus, strenue, ac pie Pontificatum sustinuit, *Gilbertinum* delevit Schisma, *Henrici Cæsaris* perfidiam compescuit, & sui desiderium æternum Ecclesiæ fecit. Decem ex Civibus Vestris sacra Purpura decorati sunt: *Azzo Argoliosus*, *Albertus*, & *Gregorius Theoduli*, *Stephanus Nardinus*, *Christophorus Numajus*, *Marius Theodulus*, *Franciscus Paulutius*, *Stephanus Augustinus*, *Fabritius Paulutius*, & *Julius Piazza*; quos duos postremos, ut diu vivant, pro summis Imperiis administrandis, & pro communi felicitate optamus. Thiaris Pontificalibus præcincti sunt quadraginta; Prælulari chlamyde insigniti viginti. Inter Episcopos sileri non debent *Joannes Numajus*, & *Ludovicus Pirannus* Patriæ Antistites, Viri suo ævo doctissimi, quorum alter *Joannis* XXIII. Vicarius in Concilio *Pisarum* effulsit, alter in *Florentino* orthodoxis argumentis *Græcos* confutavit, & ad obsequium *Romanæ* Sedis traxit. Nostra autem ætas vidit *Camillum Piazzam Draconiæ*, *Bernardinum Marchesium Sarsinæ*, *Petrum Gaddium Spoleti*, *Simonem Paulum Aleottum* Civitatis Castellanæ, *Fabritium Augustinum Amaseæ*, *Thomam*, & *Cosmum Taurellos*, ac *Laurentium Tartagnum*, omnes probitate, & doctrina conspicuos, quorum tres ultimi in vivis sunt, & primus Patriam, secundus *Camertes*, & tertius *Verulanos* laudabiliter moderantur. Inter Prælatos maximis laudibus extollendi sunt *Clemens Merlinus*, & *Peregrinus Maserius*, primus Sacræ Rotæ Decanus, secundus Signaturæ Justitiæ, ambo in Juribus Pontificio, & Cæsareo consultissimi, quorum Immortalem famam superstites in typis Decisiones, & Opera testantur. Hic per omnes ætates mira prodierunt ingenia: In Astronomicis scientiis emicuit *Guidus Bonattus*, secundus nemini post *Ptolomeum*: In legalibus *Rainerius Arsendus* Magni *Bartoli* præceptor, quem non longe secuti sunt *Fridericus*, & *Arsendinus* Filii. *Antonius Portius*, *Andreas Fachineus*, *Antonius Merenda*, *Mercurialis Merlinus*, *Fabritius Pontirolus*, & *Joseph Urceolus* fuerunt in Tribunalibus, & Universitatibus celebres, sive docerent, sive scriberent, sive judicarent. His novissime accesserunt *Jacobus Balduccius*, & *Marcus Antonius Paulutius* probatissimis Voluminibus prælo datis. In Medicis *Jacobus* a *Turri* Artium, & Medicinæ suæ tempestatis Princeps, *Hieronymus Mercurialis*, & *Alydeus Paduanus*, ac in Anatome *Joannes Baptista Morgagnus*, omnes experimentis, & scriptis clari. In Historicis *Flavius Blondus*, qui accurate, fidissime, & docte vetustas res, ac deperdita fluminum, montium, & locorum nomina reperiit. In Oratoriis *Joannes Franciscus Bertus*, & *Marcus Antonius Mambellus* Italicæ elocutionis restitutor. In Poeticis tandem *Gn. Cornelius Gallus Ægypti* Proconsul, *Ceccus Rubeus*, *Nerius Morandus Caroli* IV. Cæsaris à Secretis, *Jacobus Allegrettus* in Bucolicis versibus fere cum *Marone* æquiparandus; & *Faustus Anderlinus*, qui laurea

corona a *Ludovico* XII. *Francorum* Rege donatus est, cum Poësin, & scientias in *Galliam* advexisset. Hic nempe vastissimum illud Regnum, in quo nunc literæ mirandum in modum florent, primus omnium posterioris ætatis erudivit. In Militari peritia excelluere, *Berengarius Foro-Julii* Dux, *Italiæ* Rex, & Cæsar, quem nobis adimere frustra *Carni* elaborant. Proreges *Neapolis* Regno præfuere *Nardinus* de *Nardinis* sub *Roberto*, & *Andreas* de *Gu-riolis* sub *Uladislao Apulorum* Regibus. Magnanimi exercituum Imperatores extiterunt, Stirpis *Ordelaphæ Franci-scus*, *Ceccus*, *Joannes*, & *Pinus*; *Brandolinæ Guidus*, *Brandolinus*, *Brolia*, & *Tibertus*: Præter eos *Gualfridus* sub *Paschali* II. ejus Patruo S. R. E. ut vocant, *Confalonerius*; *Franciscus Gambaraldus Ludovici* III. Regis *Hungariæ*, *Hierusalem*, & *Siciliæ*, *Fulcherius Calbolus*, *Mostarda* de *Strata*, *Italianus Armutius*, *Petrus Paulus Nardinus*, *An-tonellus Zampeschus*, & alii, Pontificum Maximorum, *Venetæ* Reipublicæ, & *Florentinæ*, ac *Mediolani* Ducum. Inter Ductores, duos tantum excerpam majoris nominis, *Sebastianum* videlicet *Romanellum*, qui apud *Cannas* pro Nationis *Italicæ* dignitate cum *Gallis* conflixit, ac Cæsarem Herculanum, qui *Franciscum* I. *Galliarum* Regem, sauciato equo, in atroci ad *Papiam* certamine Cæsaris captivum fecit. Alios sine numero recensere possem vel Togatos, vel Milites, qui suam, propaginum, & Patriæ gloriam, altius extulerunt. Illos tamen alibi referam, P. C. nam isti suppetent Vobis, & Exteris, ut quoties Avorum virtutis memineritis, earum æmulatores esse nitamini, & ut Exteri sciant, quot Heroës ex Gente Vestra orti sint, & in dies oriantur. Suscipite demum ea, qua soletis, serena fronte extemporaneum laborem, etsi inornato, ac rudi stylo, me demisse, potius, quam dedisse ornamentum Patriæ cernetis, hoc inopiæ virium mearum, & præscripti mihi temporis brevitati tribuatis. Valete

Dat. Kalendis Augusti
MDCCXXII.

A D L E C T O R E M.

Ne mireris, si pauca scribo, nam invitus hoc facio, ut eorum jussibus, qui mihi legis instar sunt, obtemperem. Est majus sub calamo Opus, sed adhuc informe, cui formam, finemque dabo, si Deus, a quo tribuuntur menti lumen, & salus corpori, debilitatem utrinque meam roborabit. Interim scias edendi Operis Argumentum, quod non solum fore Civibus, sed Exteris quoque jucundum confido. Ordior ab Alluvione Terrarum Orbis, & Galliæ Togatæ *Dotes, ac confinia describo, quæ à flumine* Isauro *ad* Sclutennam *extenduntur: Qui Habitatores primi eam, post reparatum humanum Genus tenuerint, qui populi, illis ejectis successerint, quibus hæc paruerit Regibus, ac Tyrannis, referetur. Vices Bellorum, & Temporum, quæ mortalium subvertunt Imperia, attingam. Ibi sedem posuisse Occidentis Cæsares; deinde Reges* Herulorum, *&* Gothorum, *atque Exarchos intelliges, quibus non tantum* Italia, *sed magna pars mundi obsequuta est. Ab his descendam ad initia Civitatum, ad Dominia, ad Heroes, & celebrium Stirpium origines identidem pandam. Hæc de Regione: De Patria vero latius; nam Vitas Virorum Illustrium in libros tres, & libros in capita distribuam juxta species, & genera disparatarum rerum. Primus complectetur Beatorum, & Venerabilium Prodigia, & Mores:* Paschalis *Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, & Prælatorum Gesta. Alter, quæ ad literas, & bonas artes spectant, ac Eruditissimos in omni Disciplinarum genere Viros celebrabit. Tertius aget de Præfecturis Militiæ, & Togæ, Fortium Ducum facinora exponet, & quantæ peritiæ in copiis ducendis fuerint. At de illis, qui minus Belli, & Pacis gradibus præstiterunt, sermo ad fines Capitum festinabit, ibique, modo Familiarum primordia, modo ornamenta detegentur. Hæc parata materies est: Interea, non ut rigidus censor de mendosa elucubratione obtrectes, sed judicium præsentis in futuri Operis (ad quod tendit) evulgationem differ. Vale.*

PROTESTATIO AUCTORIS.

Quæ de nonnullis Sanctis, Beatis, & Venerabilibus in hoc Compendio Historiæ Foroliviensis obiter referuntur, declarat Auctor, se non accipere, nec in alium sensum a quovis accipi velle quam illo, qui conformis est menti, & Decretis S. recordationis Urbani VIII. Pontificis Maximi sub die 13. Maji 1625., & sub die 5. Junii 1631. emanatis; nam se Apostolicæ sedis obsequentissimum filium profitetur.

Ut inter Civitatum Historias, quæ latino Idiomate Typis Lugduni Batavorum quamcitius evulgari debere perhibentur, monumenta etiam Patriæ nostræ vetustiora præfulgeant, & ne illorum decoris carentia in indebitum finitimarum Regionum ornamentum cedat, opportune quidem, eruditissimus Dominus Eques Georgius Marchesius *hoc Historiarum Compendium de Forolivio festinanter edidit, contracta ad pauca, ex ingenii sui acumine, & industria ingenti illa serie Factorum, quæ alias integris de eodem Foro Historicis Voluminibus Italico sermone exaratis materiam præbuere.*

Quapropter cum ab Illustrissimo Domino, Archidiacono Guido Ursello Vicario Generali, mihi fuerit talis Compendii censura demandata, prælo, & laude ipsum dignissimum censui.

Dat. Forol. die 28. Julii 1722.

Ludovicus Balduccius Phil. Doct. Forol.

Attenta prædicta attestatione.

IMPRIMATUR

Guido Ursellus Vicarius Generalis.

IMPRIMATUR

Fr. Andreas Fœlix Fachinei Vic. S. Ufficii Forolivii.



GEOR-

GEORGII MARCHESII CIVITATIS FOROLIVII COMPENDIUM HISTORICUM.



FORUMLIVII à *Marco Livio Salinatore* fuisse conditum tum gravium Scriptorum testimonio, tum ipsa nominis etymologia constat. (1) Ille enim victo ad *Metaurum Asdrubale*, anno Almæ Urbis supra quingentesimum quadragesimo quinto, dum in *Hetruria* Proconsul degeret, exercitum *Volonum* in *Galliam* traduxit, ut circa *Ariminum*, stationibus positis *Italiæ* præsidio esset, si forte *Mago* tentaret à *Liguribus* movere castra, & *Romam* adoriri. (2) Hic sibi prorogato per annum Imperio, jam solutus bellorum curis, cum otio pacis frueretur, excitare secus *Montoni* ripas *Forum*, & Basilicam statuit, in qua jus populis, & militibus diceret. (3) Sunt alii, qui *Cajum Livium* una cum *Marco Valerio Messalla* Consulem, quorum huic *Liguria*, illi *Gallia* Provinciæ obtigerant, Foro incrementum dedisse affirment, & sic à duobus *Liviis*, *Marco* ædificatum, & *Cajo* adauctum creditur. Ibi surgebat Basilica, ubi nunc familiæ *Corbiceorum* Ædes; & ad hæc usque tempora jacent ante illarum fores vestigia marmorum non procul à sinu amnis olim inter Urbem, & Suburbium fluentis, quæ quidem reliquiæ, seu pars Atrii Prætoriani, seu Epistyliorum existimantur. Parvum, ut in omnibus solet, initium fuit, sed plerique ex conterminis populis accersiti natura, & opportunitate loci, quem Prætores incolebant, ab avitis sedibus migrantes, in eum domicilia cum bonis transtulerunt. Postquam crevit frequentia Civium, inter Colonias *Romanorum Forum Livii* conscriptum est. Hæ siquidem Coloniæ jam prævalentis per totum Orbem Reipublicæ Majestatem præ se ferebant, ut finitimæ Civitates, & Oppida in principis Terrarum Populi obsequio continerent. Hic ab ipsa ætate conditoris multæ Quiritum propagines floruerunt, sicuti testabantur carmina sub *Marci Livii* simulacro, quod olim erat in medio plateæ positum, incisa; (4)

LIVIUS ECCE FUI ROMANUS CONDITOR URBIS
HUJUS, ET HANC VOLUI TERRAM INCOLUISSE QUIRITES
MAGNANIMOS, POPULISQUE DEDI COGNOMEN, ET ARMA.

Imo etiam recentior ætas, modo effodientibus solum vomere rusticis, modo erodente præaltas ripas rapidissimo amne, lapides, & numismata prodidit, quibus id magis compertum est. Inter præcipuas stirpes *Aruncia*, *Clodia*, *Cornelia*, *Livia*, *Papiria*, *Sapinia*, *Rubria*, & *Valeria* recensentur, quarum fama occumbentibus illis non periit, nam in Historiis perennis est. *Forum* spectatissimam fidem *Romanis* præstitit, tum ob originis memoriam, tum ob acceptæ Dignitatis bene-

(1) Plin. in Reg. 8. Valer. Probus in tract. de not. Rom. Antoninus in itinerario. Ptolomeus in Geograph. lib. 3. Flavius Blondus in Ital. Illust. Reg. 6. Jacobus Philip. Bergomen. in Cron. lib. 6. Leander Albert. in descrip. Ital. Reg. 14. Scipio Claramon. in libro quarto Histor. Cesen. Paulus Bonolus in Histor. Forol. lib. 1. Sigismundus Marchesius in supplem. ad Histor. Forol. lib. 1. (2) Tit. Liv. in Hist. Rom. lib. 29. (3) Octavius Boldonius in Epigraphica lib. 4. (4) Leo Cobellus in Cronic. Forol. p. 1. p. 5.

A ficium. At cum irrupissent *Marii*, & *Syllæ* in apertum certamen odia, atque ea infestis signis explerentur, in communi *Galliæ* calamitate, quasi ad nihilum redactum fuit. Hæc scilicet Regio sequebatur *Marii* fortunam, qua profligata *Forum* Victoris iram expertum est, jamque nulla mali facies deerat; nam cum in victum populum *Syllani* milites districtis gladiis discurrerent, inermis fœminarum turba passis crinibus, & pueri miseris ejulatibus vix cunctarum ædium ruinam prohibuerunt. Jacuit diu attrita Civitas sine spe repetendæ prioris elegantiæ, ac populi; verum unius Civis virtute, ac sorte post varias ætatum vices B restituta est: nam cum *Gn. Cornelius Gallus* emineret ingenio non minus ad arma, quam ad literas expedito, in amicitiam *Octaviani Cæsaris* susceptus fuit. Hic cum moleste pateretur infortunium *Fori*, *Liviam Drusillam Augusti* Uxorem adhibuit comitem suarum precum, & ea vis obsecrationum fuit, *Galli* petentis restaurationem Patriæ, *Liviæ* incrementum *Fori*, quod meminerat fuisse à Majoribus suis constructum, ut *Octavianus* amborum voto indulserit. (5) Dum itaque haberet per *Galliam* iter in *Illyricos*, & *Pannones* moturus arma, *Clodio* Prætori rem commisit. Promptus iste in exequendis mandatis so- C lo æquavit tria Castra, *Liviæ*, *Merloni*, & *Castelli*, quibus dirutum *Forum* augeretur. Multæ Domus novo viarum ordine erectæ sunt, sub uno murorum ambitu circumseptæ, & jura municipalia lata, ut populi quatuor eisdem decretis Justitiæ, & civilis concordiæ obtemperarent. Hinc ne restaurationis memoria antiquaretur, *Forum Clodii* simul, & *Livii* appellatum est; & antepositum hoc illi nomen cum beneficium postremum primo majus videretur. Id duplici potissimum testimonio patet; Alio *Plinii* ad ea verba -- FORUM CLODII LIVII POPULI, & in vetusto MM. SS. D *Cæsenatis* Bibliothecæ: QUATTUOR POPULI, in quibus initii, incrementi, & Populorum convenientium monumenta continentur. Alio vero ab *Hieremia Gottio* antiquissimo *Ravennæ* Scriptore, qui rem hanc fusius posteritati demandavit (6) Incolis *Liviæ* data est ea pars, quæ ad *Sclavonicam* Regionem pertinet; *Merloniæ*, à platea usque ad Fanum *D. Antonii* in Ravaldina Via; Castelli, semita Sanctæ *Annæ* cum proximis ferentibus adhuc Castelli nomen. Paruit *Forum Romanis*, donec eorum fortunæ Universus Orbis obsequium præstitit; ea tamen decrescente, cum Imperium amplitudine laboraret sua, & tumul- E tibus concuteretur, frui libertate nondum gustata inchoavit. Nam *Livienses* vectigal tradebant *Cæsari*, & pacta militum in bellis auxilia; cœterum veluti sui juris à semetipsis regebantur; Sed tranquillitas liberæ Civitatis brevi turbata est, nam anno salutis 251. inter *Laurum Cardanum* post exactam *Cremonæ* administrationem in patriam reversum, & *Guidonem Cogeriam* Optimates Civitatis simultas internecina exarsit. (7) Accessit his Ducibus totus Ordo Nobilium, & dimicari cæ-

(5) Leander Albertus *in Descrip. Ital. Reg.* 14. Franciscus Scotus *in itiner. p.* 1. Alexander Paduanus *in Cronicis Forolivii pag.* 2.

(6) Plin. *in Reg.* 8. *MM. SS. Plinianum in Bibl. Seraphica Cæsenæ.* Hierem. Gottius *in Cronic. Raven.*

(7) *Ex Cron. antiq. exscripta ab* Eugenio Menghio *ad annum salutis* 251.

cæptum est, tanta obstinatione animorum, ut per annos fere biscentum cædes ubique miserandum in modum protractæ ederentur, & ipse cæsorum cruor à domesticis parietibus stillaret. Nec refriguere prius odia, quam *Radagaisus* cum innumeris pene *Gothis* in *Italiam* irruperit. Tunc *Honorius* Cæsar illis *Stiliconem* opposuit, & *Forolivium* his intestinis fluctibus agitatum, *Ravenna* digrediens, sedavit aspectu, & verbis, ne in *Flaminiam* Barbarorum insultus verterentur. At victo, & prope *Fesulas* à vivis sublato *Radagaiso*, *Alaricus* suorum cladem, & ignominiam ulturus in *Italiam* irruit, & vastata Regione vim in *Forumlivium* fecit. Nec valuere Cives exuberantem *Gothorum* multitudinem, ac ferociam cohibere. Civitas trans alveum fluminis ab illis capta, & eversa est, ac duo hominum millia, quæ stragi superfuerant, durum servitutis jugum subierunt. *Mercurialis II.* qui *Liviensem* Ecclesiam moderabatur, communibus ærumnis percitus, sequi non dubitavit Regem in oppugnatione Almæ Urbis. Ibi divino afflatu Medici figuram mentitus, *Alarico* natum in crure ulcus, quod fœtida scatebat sanie, non alio remedio, quam signo crucis mirabiliter sanavit. Hoc prodigio captivos, maximo quidem auri, & argenti munere rejecto, à militari custodia eduxit. *Forolivium* reversus eos in domibus *Liviæ*, suis jam eversis, distribuit, qui cum à vulgo *Sclavi* appellitentur, novum illi Vico nomen, quod adhuc servat, indiderunt. Hic erexit, & dicavit *S. Mariæ* Templum, ac finitimas struxit ædes, quas etiam incolere consuevit, ut die noctuque cum redempto populo versaretur. (1) *Alaricus* potitus *Roma*, & in fidei obsidem à *Romanis* obtenta *Galla Placidia* Cæsarum, *Theodosii* Filia, & *Honorii* Sorore, cum non multo post apud *Consentiam* morbo naturæ decessisset, anno 411. *Ataulfus* Filius & in Regno successor eam ducere in uxorem statuit, Matrimonii celebritas *Forolivii* facta est (2) illa qua decebat jugales pompa, & par erat summæ *Italiæ* felicitati, fatalibus bellis hoc conjugio liberatæ. In fœdere sancitum fuit, ut in *Galliam Narbonensem* secederet, in qua sibi, & posteris regnum esset. Tandem deficiente in *Augustulo* Cæsarum nomine, Regium audiri cæptum est. *Odoacer Herulorum*, & *Theodoricus Ostrogothorum* Reges *Italiam* tenuere, quorum ultimus, cum mitis esset naturæ, & à sævis majorum moribus abhorreret, *Forolivianis* potestatem fecit, ut propriis juribus fungerentur. Cæterum libertas *Theodorici* obitu anno 526. imminuta sub aliis Regibus decrevit, qui sensim restricta liberis urbibus exemptione, eas denique, ut alias servituti obnoxias, duriori dominatus genere mancipârunt. Everso *Gothorum* regno *Flaminia* Cæsaribus *Byzantinis* paruit; cum autem in *Italiam Longobardi* irruissent, & eorum Rex *Clephis* vastata hac Regione, *Forolivium* adortus esset non solum impressionibus, sed terribili fame, quæ supremum belli malorum est, in novissimas angustias adduxit Cives trepidatione excidii circumventos. Tunc strenuus Eques cum militum turma supra murorum aggeres discurrere visus est, & micanti gladio, ac irato vultu interitum hostibus minitari, nisi dimissa oppugnatione, abirent. Manavit statim per vulgus fama *D. Valerianum* cum sociis ad ferendam opem cœlitus advenisse, quæ mirabilis res sicut extulit *Liviensium*, sic *Longobardorum* animos dejecit. Igitur ab illis in hos tentata eruptione, obsessores præcipitem arripuerunt fugam, ne in castris delerentur, Victores libertatem Patriæ referentes, non suarum virium tenuitati, sed sancti Civis tutelæ, habito Senatus Consulto, eum Patronum unanimi consensu

(1) Ferdinand Ughellus *in Ital. Sacr. Tom.* 2. Paulus Bonolus *lib.* 2. Sigismundus Marchesius *lib.* 2.

(2) Felix Felicius *in Onomastico Romano ad Litter. F.*

A delegerunt. Mox translatos à rure, ubi colebantur, cum solemni Cleri, Populique supplicatione sacros cineres decentius in Sanctæ Crucis intra arcam marmoream collocarunt, & indicta quarto nonas Maji festivitate, illam quotannis, Cives publici cultus, & honoris ritu prosequuntur. (3) At anno 585. *Græcorum* Imperio inter tumultus nutante, Exarchorum Majestas infirmata est, qui cum in contemptum *Italorum* venissent, pleræque urbes sui juris factæ, alias minorum virium invadere ausæ sunt, ut suis propagatis finibus validiores redderentur. Ex illis *Foroliviensis* fuit. Hæc cum multa circum castra
B subegisset, *Bononiensibus* suspicionem incussit, quos nimis prospera infensæ Civitatis fors angebat. Hi *Grimualdum* Regem monitis, & precibus adduxerunt, ut obsidionem institueret, qua vix parata non suis fidentes viribus *Liviani*, sese patentibus portis dediderunt. *Lupus* Rector creatus est, & Rex in *Apuliam* perrexit; verum cum callidus custos absentia *Grimualdi* fretus tyrannidi inhiaret, compos factus machinationis Rex cum copiis, licet defessis, ab *Hirpinis* in *Flaminiam* citato itinere redivit. Elapso à Regiis manibus perduelli, in eas innocens Civitas devenit, quæ ab irato *Grimualdo* militari licentiæ commissa est.
C Sed non diu post sedato furoris motu, cum Rex præceps nimis consilium improbaret, damna, quibus populum affecerat, libertatis dono reparavit. Anno 708 *Justinus* Cæsar *Forumlivium* subdidit, & in Sanctæ Sedis adegit fidem usque ad annum 725., quo *Luitprandus Grimualdo* suffectus Exarchum detrusit, & Regione potitus est. Verum ipse etiam pœnitentia motus raptæ *Flaminiæ*, eam quibus antea paruerat Pontificibus Maximis, restituit anno 743. Hæc in *Logobardorum* Regno multas calamitates tulit; quo tandem deleto, anno 774. *Forumlivium* sub Dominio *Romanæ* Ecclesiæ amissas in prioribus bellis
D vires restauravit. At cum infortuniis Mortales elangueant, & è contra prosperis eventibus intumescant, sensim *Foroliviensium* animi ob longævam pacem elati sunt. Itaque abjecto Pontificis metu, exemplo cœterorum *Flaminiæ* populorum sese in libertatem vindicarunt, à vivis migrante *Carolo Crasso Francorum* Rege anno 889. Sic martialis spiritus à Majoribus susceptus, qui, prementibus eum ærumnis obtorpuerat, illico excitatus est. Tunc *Forumlivium* Civium suorum virtute adeo protulit angustos agri sui fines, ut à nulla finitimarum Civitatum (dempta *Ravenna*) & paucis extra *Flaminiam*, vinceretur. At
E cum vetus simultas, & fortuna crescentis Urbis *Bononienses* exagitarent, in eam insidias moliti sunt. His detectis ad vim conversi, hac vincere censuerunt, cum jam vaframentis desperassent. Contra autem *Severus Marinellus* Senatus *Liviensis* Princeps nihil omisit humanæ industriæ, qua posset patria defendi: Optimates à suis Castris accersiit, bellicos commeatus coëgit, & adeo accendit omnium animos desiderio tutandæ libertatis, ut ipsæ mulieres certatim monilia in publicum ærarium comportaverint. Hoc auro in nummos redacto, supplementis habitis, decem millia militum conscripta sunt, ac *Berengarius* de *Be-*
F *rengariis*, in quo cuncti oculos, & spem converterant, dictus fuit Ductor. Ille audita accessione hostium, instructos ordines in eos impulit, aleam prælii commissurus, quos in finibus agri concursu facto post ancipitem pugnam profligavit. Ex captis hostibus, alii vinctis manibus præivere, alii traxerunt currum, in quo *Berengarius* ovans magna exultatione Civium, & mœstitia inimicorum urbem ingressus est. Hunc triumphum adamussim, ut cernimus, *Livius* de *Agre-*
stis

(3) Sigismundus Marchesius *lib.* 2.

ſtis, in Aula Majori Senatoriæ Domus udo tectorio pinxit. Hic Dux digeſtis Reipublicæ inordinatis rebus, & ſubacta *Cæſena*, quæ à *Livienſibus* defecerat, ſe ſe exauctoravit. (1) Duxerat ortum à generoſa *Longobardorum* ſtirpe, antiquitus *Forolivii* ſata, cui paruiſſe liquet Caſtra *Salſubii*, *Podii*, *Latini*, *Culmani*, *Belfloris*, & *Leonis* ad meridiem poſita. Non ob Majorum gloriam, qua abundabat, ſed ob ſtrenuitatem conſcendit ad *Foro Julii* Ducatum, *Italiæ* Regnum, & *Romanum* Imperium. Alterum poſt victum in pugna *Ludovicum* Regem, alterum poſt debellatos *Saracenos* à *Joanne X.* Cæſarea Corona cinctus, comparavit. Demum anno, quo imperare cœperat quarto (2) truculenter necatus eſt, poſtquam Regiis amictibus excœcati *Ludovici*, & octo vexillis in memorabili pugna captis, nec non validis muris ad orientem ſolem, patriam hanc ſuam donaviſſet. Erat ſupra portam cælatum præclaræ rei monumentum priuſquam *Martini IV.* juſſu mænia ſternerentur.

(1) Cherubinus Gherardacius *in Hiſt. Bonon. p.* 1. *ad lit.* F. *in Ind.* Mathæus Vecchiazzanus *in Hiſt. Pompilien. p.* 1. *lib.* 7. Bonol. *lib.* 2. Marcheſ. *lib.* 3.

(2) Facius de Ubertis Florentin. *in Ditamundo.*

DIVUS BERENGARIUS IMP. AUG.
MÆNIA, VALLUMQUE FOROLIVIO PATRIÆ
PIENTISSIMUS DEDIT ANNO IMP. III.

Hac Victoria confirmata eſt libertas: ſæpe in aliis ætatibus *Liviani* cum finitimis populis dimicarunt, experti eventus aliquando proſperos, & aliquando adverſos; at cum *Fridericus II.* amici Populi res extolleret, non ſolum ipſius Dominia protulit, ſed eum Privilegiis amplificavit, cudendæ pecuniæ, Aquilæ nigræ pro Inſignibus gerendæ, & purpureæ veſtis ſubſuto pellium murium ponticorum, qua Senatores in obeundis Magiſtratibus uterentur. Ex his donis poſtrema adhuc ſervat, ſed imminuto ob temporum infortunia faſtu, oſtrum in holoſericum nigri coloris commutavit. (3) Id teſtantur, tum *Angelus Aretinus*, tum antiquæ picturæ, quarum duæ *Bononiæ* ſuperſunt, altera in Collegio Hiſpanico, altera in *Riariis* Ædibus: Ibi Conſervatores *Forolivii* purpura induti *Egidium Albornotium* Pontificis Legatum, hic *Hieronymum Riarium* novum Principem venientes excipiunt.

Verum ut de latitudine finium agam: Illi ſex Civitates complectebantur, *Brittinorium*, *Cerviam*, *Cæſenam*, *Faventiam*, *Forum Pompilium*, & *Sarſinam* cum interjacentibus Caſtris. Hæc ditio *Forolivienſium* fuit, dum nulli parebant Regi, ſed alternante exitus rerum fato, ſeu magis ſeu minus extenſa eſt; nam cum *Livianum* nomen formidandum confinibus populis evaſiſſet, à faſtigio Apenninorum montium in dilabentem erga ſeptentrionem planitiem ad Adriatici uſque freti littora patuiſſe, non eſt qui neget. (4) Hac proſperitatis aura ſic fortes incaluere animi, ut vel retundere, vel ſuſtinere vires *Venetorum*, *Bononienſium*, *Florentinorum*, ac *Romanæ* Eccleſiæ minime trepidaverint. Cum autem *Veneti* occupata *Faventia*, & *Cæſena* ad hujuſce Civitatis dominium aſpirarent, anno 1243. ſub mænibus caſtrametati eam tentare impreſſionibus parabant; ſed obſeſſi ſuam, & Liberorum ſortem ante oculos ferentes, in cohortes inimicorum tanta audacia irruperunt, ut ſtatim colligere tentoria, & illinc celeres abire, deſperata expugnatione ſatius duxerint. (5) Ne tamen cum dedecore referrent pedem, verſo in *Cerviam Livianæ* ditionis impetu, eam ſubegere. Nec diu poſt à ſentina populi emerſit *Simon Maſtaguerra*, qui Rempublicam ab imis ſedibus ſubvertit anno 1257., nam inconditæ plebis in Nobilitatem furentis ſuffultus ſtudiis ſibi tyrannidem aſcivit, & fractis legibus humana & divina protrivit. At male

(3) Cardinal. Tuſchus ex Benven. Angeli Aretini conſ. 133. Scipio Claramontius *in Hiſtor. Ceſen. lib.* 3.

(4) Flavius Blondus *Decad.* 2. *lib.* 7. Leander Albert. *Reg.* 14. Hieronym. Rubeus *in Hiſt. Rav. lib.* 6. Cherub. Gherard. *tom.* 1. *in Ind. ad lit.* F. Franciſcus Scotus *in itiner. p.* 261. Scipio Claramon. *lib.* 9. Leo Cobellus *in Cronic. Forol. p.* 2.

(5) Ludovicus Arioſtus *in cant.* 32. *furioſ.*

A tutum Regnum eſt, in quo ſola nequitia, & contemptus juſtitiæ luxuriantur. Sic poſt triennium reſumentibus ſtrenuitatem Patritiis, ſeditioſam hanc peſtem, *Simone*, & clientibus pulſis, exſtinxerunt. (6) Mox grave Bellum inter *Bononienſes*, & *Livianos* efferbuit. Priſca erant eorum populorum odia: illi validiores opibus, & amplitudine Civitatis freti hanc ad obſequium redigere voluiſſent; iſti pares virtute, & dominari aſſueti alienum jugum dedignabantur. Sunt tamen nonnulli, qui eam paruiſſe *Bononiæ* ſcribant, ſed huic ſententiæ Noſtrates acriter obſiſtunt. Simultate aucta anno 1275. *Bononienſes*, majores quam in prioribus bel-

B lis fecerant, apparatus coëgerunt. Hi ne vecordes viderentur, aperto Marte confligere, & extrema periclitari auſi ſunt. Dato ſigno, & collatis manibus, poſtquam invaſores tulerunt impetum incumbentium in aciei latera inimicorum, iſti inclinatis ordinibus verterunt terga. Dum autem præcipiti greſſu, huc illuc effugerent, cadentibus ſuper alios aliis, ſeu ferro, ſeu lapſu attrita octo millia periere, & tria millia ſunt vehiculorum capta. (7) Talis ſæpe exitus eorum eſt, qui nunquam contenti, nimia concupiſcunt. Victores, ne abuterentur ſorte, hoſtilem agrum invaſere, & poſt multa vel ſubacta, vel populata

C Oppida perterritam fama infortunii Urbem tentare machinabantur. At difficilis res, & diſſenſione Ducum, & imbrium inundantia evanuit. Ita mutato conſilio, cum præda onuſti rediiſſent, noſtra Civitas in poteſtatem adducta *Cervia*, & valida *Roverſani* Arce, *Cæſenæ* Rectores dedit, ea abalienata à *Bononienſium*, ſeu fide, ſeu amicitia. Has Victorias, & incrementa cum *Florentina* Reſpublica, quæ etiam citra Alpes pluribus Caſtris dominabatur, non lubens conſpiceret, accedente *Bononienſis* obtrectatione, ac ſtimulo, ditionem ad meridiem ſitam, adorta eſt. *Selvaticus Romenæ* Comes Dux ſummus fuit. Re *Foro-*

D *livium* delata ſtatim arripuere arma Cives, & tumultuariis delectibus egreſſi, neque paventes montium anguſtias, inter quas iniquus Mars erat, neque potentiam populi, cum quo dimicandum, prope *Civitellam* conflictati ſunt tanta conſtantia, ac ſtrenuitate, ut Ciſapennina ditione, quæ præmium Victorum fuit, occupata, *Tuſcos* trans Alpes repulerint. (8) In ſecundis rerum eventibus *Forolivienſes* varia Caſtra, & Arces conſtruxerunt; *Caſtilioneum* olim *Faventinorum* frænum, à quibus tandem, & à *Bononienſibus* fœderatis everſum eſt anno 1202. (9) *Cottignolam* ad amnem *Senium* anno 1276. cum *Tiberiacum* oppu-

E gnarent, (10) quod celebre Oppidum habitatores Suburbii *Gottonii* incoluere, à quorum ſemine prodiit Regia *Attendulorum* vel *Sfortiadum* propago; *Melidonium*, nunc *Meldulam* ad *Roncum* flumen frequentem populo, & nundinis notam: *Forum Pompilium* deletum reſtituere. *Saduranum* excitarunt in Montibus *Salſubio* oppoſitis, cum iſtud Caſtrum obſidione circumſepiſſent, cujus Dominatum Majores tenuiſſe ante *Longobardorum* Regnum recordabantur; & *Caminatas* in amœno colle, quibus propugnaculis, ac Coloniis in obſequio populos ſibi ſubjectos continerent. (11)

F Fuit noſtra Civitas amantiſſima libertatis, nam Cives ſubire mortem, & omnium fortunarum jacturam pati, quam ſervitutem maluiſſent; cum ideo parvifacerent *Martini IV.* imperata, & in contumacia obfirmarent animos, ad oppugnandum *Forumlivium* Pontifex Maximus *Guidonem Æpam* cum validiſſimis copiis miſit. Erat *Forlivienſium* Dux alter *Guido* ex Comitibus *Ferettanis* longe militari peritia, & calliditate major. Hic *Guidi Bonatti Livienſis* Aſtronomi

(6) Guidus Bonottus *in Oper. Aſtronom. tract.* 5. *conſiderat.* 141.

(7) Jacob. Philip. Bergomen. *lib.* 6. Ludovic. Arioſt. *in cant.* 23. *furioſ.* Bartolom. Platina *in vita Greg. X.* Leander Albert. *Reg.* 14. Pompeus Vizzanius *in Hiſt. Bonon.* Jo. Tracagnotta *in Hiſt. Mundi part.* 2. *lib.* 14. & *alii.*

(8) Arioſt. *cant.* 32. *furioſ.* Hierony. Rubeus *lib.* 6.

(9) Bonol. *lib.* 3.

(10) Leander Albert. *Reg.* 14. Hieronym. Rub. *lib.* 6.

(11) Lean. Albertus *Reg.* 14. Ferdinand. Ughellus *in Ital. Sacr. Tom.* 2. Scotus *in itinerar. part.* 1. *pag.* 262.

nomi celeberrimi suasu victoriam ostendentis, eam populo pollicetur, si in sua sententia esset. Re à cunctis probata, inter tenebras noctis *Forolivienſem* juventutem ex opposita *Gallorum* Castris porta, magno silentio eduxit, relictis in Urbe senibus, ac imbelli turba, qui dolum operirent. Statim ac dies illuxit, cum pabulatores vidissent patentem portam, & sine excubiis muros, nuncium stimulatis Equis ad Imperatorem detulerunt: ille autem veritus, ne sub fuga laterent technæ, animo paulisper hæsit, quid agere sua interesset; tandem instructis Copiis Urbem ingressus est. Venere obviam *Gallis* mulieres, & senes vultu mærorem simulantes, qui dum pateras pretiosi meri exhibebant, de suorum perfidia querebantur. Hoc compotantibus *Gallis*, ipsi detrahere habenas, & ephippia equis, ac officii gratia deferre sarcinas ac arma intra domos contendebant. His visis Pontificius Imperator deposuit suspicionem, & credidit desperata salute *Forolivienſes* patriam deseruisse, ut alibi exularent. Cum itaque omnes vino, & somno sepulti essent, *Bonattus*, qui in celsa *D. Mercurialis* turri adventum felicis astri speculabatur, pulsata campana Cives ad pugnam, & victoriam evocavit. Hi scientes se eam habituros sortem, quam fecissent, celeri gradu rediere, & in improvidos *Gallos* sine imperio, sine armis, (quæ senes dolose occuluerant) tremulos, ac palantes vim fecerunt, magna cædes ubique edita est non solum ab armatis, sed ab ipsis fœminis quæ saxa, ligna, & imbrices in *Gallorum* capita à fenestris deturbabant. Necata ea die octodecim millia feruntur; (1) At sensim remissa spirituum audacia, cum *Livienſes* pœniteret facti, & sapienter prospicerent non valere suis, *Martini* vires propulsare, ut excidium anteverterent, Caduceatoribus negotium deditionis credidere. Hi sceleris nota in multitudinem relata, cum lenire Pontificis furorem cogitarent, nihil pro communi indemnitate paciscentes, patriam dediderunt. At interdum ira rationem opprimit, ne mortales gloriam laudabili venia acquirant. Ita *Martino* contigit, qui victus impotentia ultionis, postquam Civitatem sui juris fecit, aggeres & mænia prostravit, quorum etiam munitioni confisi Cives in tuenda libertate, firmiores fuerant. Isti injuriam ægre simularunt, donec auctoritas Pontificia in *Æmilia* viguit, sed cum minui cæpisset, & decrescere populorum obsequia, *Livienſes* quoque deposito metu, se ab Ecclesiæ fide subtraxerunt.

(1) Dant. *in Infer. cant.* 27. Fac. Ubert. *in Ditam.* Jo. Villanus *in Cron. lib.* 7. *cap.* 81. Plat. *in vita Mart. IV.* Uldericus Rainaldus *in Annal. Eccleſ.* Baron. *ad annum* 1282. Cobellus *in Cron. part.* 1. Bonolus *lib.* 4. Marchesius *lib.* 4.

Nec populo defuere Duces, cui ad hoc facinus effrenis voluntas suppetebat; nam potentes familiæ *Arguliosa*, & *Ordelapha*, scissis in duas partes volubilis plebis studiis, inter se diu digladiatæ sunt, sed tandem ex prima *Marcheſius* vir belli rebus, & pacis inclytus, (2) favente sibi *Gilberto Sentillo*, qui *Flaminiam* pro *Roberto Neapolis* Rege, & illius Comite moderabatur, dominium comparavit anno 1313. Verum illa festinatione, qua eum sors extulerat, eadem demersit, quoniam ab *Ordelaphis*, & *Calbulis*, invidentibus æmulorum felicitati *Argulioſi* depulsi sunt. Cum autem infida sit regni societas, *Ceccus Sinibaldi* Filius *Calbulenſes* detrusit, & ea qua pollebat prudentia, ac sagacitate, nondum bene firmatæ in sobole sua ditioni cavit. At dum anno 1331. *Forolivium* à Pontificiis oppugnaretur, & ipse ad incitandos ubique Cives super Equum discurreret, isto in silicem offendente, ob lapsus ictum interiit. (3) *Franciſcus* frater suffectus est, quolibet suorum virtute belli, & potentia major. Hic vi, & strenuitate sibi latissimam paravit ditionem, quantam nemo ex successoribus acquisivit, nam *Cæſenam*, *Brittinorium*, *Meldulam*, &

(2) Dantes *in Purgatorio Cant.* 24. Benvenutus *Immolenſes in MM. SS.* Bonol. *lib.* 6. Marchesius *lib.* 4.

(3) Rubeus *lib.* 6. Bonol. *lib.* 6.

A multa Castra *Forolivienſi* Dominio adjecit. Atrox, & longum cum *Romana* Ecclesia bellum sustinuit, pertinaci vel ad excidium, vel ad victoriam animo, ac *Ægidii Albornotii* progressus, & vires, quibus *Umbriam*, *Picenum*, & *Flaminiam* ad obsequium *Innocentii VI.* redegerat, ipse solus ex tot Tyrannis, diu remorari ausus est. Tandem amisso paulatim dominatu, postquam inaudita fortitudine per varios annos prævalentis hostis impetus repulisset, eodem, viribus, non audacia destitutus, sese abdicavit anno 1359. *Bernabovis* Vicecomitis Dux summus, *Bononiam* in extremum discrimen posuit, sed demum *Inſubri-*

B *bus* fusis, & *Clodiæ* extorris, bonorum omnium expers, infelix mundi vicissitudinum specimen, occubuit. (4) *Sinibaldus* in Principatu patris repositus anno 1379. illum non ingloriè administravit, nam Patriam à Britonum sævitie in finitimas Urbes debacchantium immunem reddidit, & quod incredibile pene est, *Ludovicum Andegavenſem* cum 50. millibus armatorum *Flaminiam* peragrantem, ut *Neapolis* Regno potiretur, impavide à *Forolivii* mœnibus rejecit: *Forum Pompilium* deletum, & alia munimenta restituit, sed quia *Ceccum*, & *Pinum Joanne* fratre natos regnandi libido, etiam per scelus cæpit, ab illis in erga-

C stulum conjectus, & virulenta potione extinctus est. (5) Primus, qui militare imperium *Venetorum* exercuit in *Clodienſi* bello, dum *Ligures* eorum libertatem opprimere contendebant, supremum diem obiit anno 1401. (6) Secundus cum morbo laboraret, in populi seditione per scalas suarum ædium raptatus, infeliciter animam efflavit anno 1405. ita pœnam flagitii luens, quo in *Sinibaldum* desævierat. (7) Hoc tumultu agitata Civitas tranquillitatem sub Dominio *Romæ* Ecclesiæ conquisivit, sed cum odio successisset ingenitus amor erga *Ordelapham* gentem, anno 1410. accersiit *Georgium Theobaldi*, & *Antonium Cecci*

D nothos. Cum autem Aula plures non capiat Reges, ille consortem Imperii in carcerem detrusit, ut sine socii æmulatione regeret: Patriam à *Braccio Montonenſi* terribili illius ævi Duce, virtute, ac prudentia defendit, & tandem solvit naturæ debitum anno 1422., *Theobaldo* post se relicto, qui decennis grassante lue, mortem oppetiit. (8) Verum anno 1433. *Antonius* post multas Fati illudentis vices ditionem adeptus est, inter quas fere usque ad obitum regnavit: mirum exemplar humanæ instabilitatis; nam ejus perniciem primum confines Reguli, deinde *Eugenius IV.* Pontifex moliti sunt, ac ab eisdem civi-

E bus ejectus fuit, à quibus antea elatus ad *Solium* fuerat; demum cum illi nimis sera quies oborta esset, vitam in exordio suæ felicitatis clausit anno 1448. (9) *Ceccus*, & *Pinus* patri successerunt; Ille inter Patritios *Venetos* insueta honorum significatione adscriptus, Equestri balteo à *Pio II.* coram populo præcinctus, ferrone an viru, de quo mortis genere varie scribitur, suis diebus finem imposuit anno 1466. (10) Alter pacis, & armorum decus, pro *Venetis* in *Robertum Malateſtam*, pro *Franciſco Sfortia* in inferiori *Flaminia*, pro *Si-*

F *sto IV.* in *Nicolaum Vitellium*, quem à *Tipherno* deturbavit, & pro Republica *Florentina* in *Ferdinandum*, *Neapolis* Regem, bellicam præfecturam gessit; in Patria autem suas ædes, atrio, & Aulis pictis, atque inauratis ornavit; Templa, & Cœnobia vel restituit, vel construxit. *Forum Pompilium*, nec non alia Castra mœnibus communivit, & præstantissimam *Ravaldini* Arcem; denique magno cunctorum Ordinum luctu, ab humanis excessit anno 1480., *Sinibaldo* ex pellice procreato, & relicto, qui primo dominatus sui anno infans obiit. *Sixtus IV.* Pontifex Maximus

(4) Matheus Villanus *in Cron. lib.* 1. & 7. Jacobus Philip. Bergom. *in ſupplem. Cron. lib.* 13. Bernardinus Corius *in Hiſt. Mediol. part.* 3. Hieronym. Rubeus *lib.* 6. Uldericus Rainaldus *in Annal. Eccl. ad annos* 1355. 1357. 1359. Nicolaus Nicolius *ferm.* 4. *tractat.* 5. Cherubin. Chirardac. *part.* 2. *lib.* 25. Claramont. *lib.* 12. 13. & 14. Bonol. *lib.* 6. & 7. Marchef. *lib.* 6.

(5) Hieron. Rubeus *lib.* 6. Bonol. *lib.* 6.

(6) Franciscus Sansovinus *in Familiis Illuſtr.* Bonol. *lib.* 7. Marchef. *lib.* 6.

(7) Bonol. *lib.* 8. Marchesius *lib.* 6.

(8) Leander Albertus *Reg.* 14. Bonol. *lib.* 8. Marchesius *lib.* 6.

(9) Rubeus *lib.* 7. Bonol. *lib.* 9. Marchef. *lib.* 8.

(10) Bonol. *lib.* 9. Marchesius *lib.* 8.

(1)

(1) *Hieronymum Riarium* ex *Bianca Roborea* Sorore natum *Forolivii Beneficiarium* dixit. (2) Fuit *Riariæ* gentis auctor, *Dogenardus Riarius Scotus*, strenuissimus Ductor *Othonis I.* qui *Savonæ* in *Liguria* domicilio posito, ibi suum genus illustri posteritate propagavit. (3) *Hieronymum* jam extulerat à privata sorte ad eam Principis *Catherina Sfortia* Uxor, *Galeatii Mariæ Mediolani* Ducis spuria, *Imolensi* ditione, jure dotis à Patre accepta. At cum idem strenue exercitui *Romanæ* Ecclesiæ præfuisset, post felix octo annorum imperium, à potentibus Civibus *Ursiæ* familiæ *Cecco*, & *Ludovico*, quorum ille fortis Dux, hic Senator Almæ Urbis extiterant, interfectus est anno 1488. (4) Ex liberis sub tutela Matris, virilis fœminæ, in ditione successit natu major *Octavianus*, & rexit usque ad annum 1500., cum interea Minores ad munera vel sacra, vel bellica incumberent; ad illa *Cæsar* Patriarcha *Alexandrinus*, & Archiepiscopus *Pisarum*, ad ista *Galeatius*, & *Sfortia*. Eos detrusit *Cæsar Borgia Hispanus* Pontificio nomine. Hæc tamen tot damnis affecta Regio Tyrannum tulit, quousque vixit *Alexander VI.*; Eo verum sublato, cum subjecti populi formidinem abjecissent, *Forolivienses Antonium II. Cecci* Filium evocarunt. At abrupta eidem in exordio suæ prosperitatis vita anno 1504. *Ludovicus* fraternam sedem occupavit. (5) Cæterum pertæsa sors tandiu *Ordelaphis* arrisisse, illos inopinanter deseruit. Cum igitur novus Princeps suis viribus confidere amplius nequiret, & inservire tempori satius duceret, *Ravennam* secessit, ubi morte correptus celsæ, & magnanimæ stirpi finem dedit. *Forumlivium* denique Regibus, & Regulis toties subjectum in Sanctæ Sedis potestatem rediit, non tamen à malis statim conquievit, nam senum odia in juvenum animis renascentia, sæpe in dissidia, & Civiles pugnas eruperunt. Erant populi, & Nobilium Duces generosæ propagines *Numaja*, & *Moratina*, quæ inflammatis recordatione mutuarum cædium utrinque cordibus, sectas *Ghibellinam*, & *Guelpham* ad ultionem una ab alia sumendam impellebant. At postquam obtepuere simultates, & deletum factionum nomen fuit, tanta refloruit Civitas felicitate, ut à mediocritatis ordine, in quo est, emergere, & fere præcipuis *Italiæ* non invidere videatur, nisi incolarum numero, & magnificentia ædium, saltem rerum gestarum gloria.

(1) Jacobus Philip. Bergomen. lib. 15. Bonol. *lib.* 9. Marchesius. lib 8. & 9.
(2) Bergomensis lib. 15. Rubeus lib. 7.
(3) Fabusius Campanus *in Indigestis lib.* 3. *cap.* 14. *ex sententia Joan. Sellini de notabilioribus Mundi.*
(4) Aloysius Jugularis *in Veritate* 20.
(5) Bonol. lib. 10. Marchesf. lib. 10.

Jacet *Forolivium* in medio *Galliæ Togatæ*, quæ ab ortu ad occasum vasto jugerum spatio fatigat oculos; nam Regio à meridie sensim in Colles assurgit, & denique in confragosis, quæ *Hetruriam* à *Flaminia* sejungunt, cautibus terminatur. Hanc Civitatem *Ptolomeus* ponit in gradibus 33. minutis 30., longitudinis 43. & 40. latitudinis, (6) in qua fere sententia *Ticon* est. Sub Capricorni, felicissimi sideris, aspectu degit, quod cum Jovis naturæ affine sit, vim secum regnandi defert, & cum in Domo Saturni existat, atque in exaltatione Martis, ingenia ad literas acuit, & ad arma lacessit. Sublime Solum, quia montibus proximius, quam mari ludibrio ventorum subjicitur, & præsertim Austri, qui superato Alpium vertice, liberiori impetu in hanc subjectam tellurem cadit, & perflat. Nec salubrius esse potest Cœlum: Non enim climatis montani rigor (quatuor milliaria absunt montes) nec morbosi pelagi flatus, (sexdecim lapides distat fretum) deponentes gravitatem per latum, & arboribus consitum agrum, sanitati officiunt. Respondet clementiæ cœli feracitas terræ, quæ beatam parit segetum omnigenarum copiam, coriandra, aniceta, lina, cannabes, nec non fructus, ac poma

(6) Ptolomeus *in Geograph.* lib. 3.

A tantæ varietatis, ac formæ, ut fertilitate hic Ager, nulli cedat; vina producit humanis corporibus amica, quæ majoris spiritus, & suavitatis colliguntur ex vineis, vel in collibus sitis, vel in propinquis campis; quoniam vites in inferiori planitie arboribus incumbentes mera gignunt minus dulcia, ac valida. Vina *Foroliviensia* laudat *Plinius*, & inter meliora *Italiæ* recenset. At satis de climate, situ, & fœcunditate agri, nunc ad fines progrediar; hi multo latius, quam modo, olim protendebantur; circa Urbem ager est, qui in latum æquor pro maxima parte excurrit, si pauci colles vitiferi demantur: Ubi autem montes extolli incipiunt, ditio orditur. Ab Ortu

B *Pompilianum*, *Brittinoriensem*, & *Casamuratæ*, ab Occasu *Faventinum* prospectat, & à *Bevani* Aquæductu, qui ad Orientem Solem, ad Fontes *Cosnæ*, qui ad Occidentem scatent, quindecim milliaria intercedunt. A Septentrionibus *Ravennatem* habet, & à Meridie ditiones *Hetruscam*, & *Meldulensem*, quarum illa paret regiæ *Mediceorum* stirpi, & huic *Pamphilia* beneficiaria Ecclesiæ dominatur. A Vado vici ad rus *Tontulæ* extremæ Septentrionum, & Meridiei partes circiter undeviginti milliaria extenditur; at longitudo & latitudo inæqualis est, nam modo augetur, modo decrescit,

C præsertim ubi Castrocari ager intra *Massæ*, & *Culmani* Montes insinuatur. Sunt in agro sexaginta tria rura cum Parochialibus Fanis, præter Sacella à Patriciis constructa juxta voluptatis Domus. In his ruribus sparsa cernuntur Mapalia 2200. agricolarum familiis referta. Constat ager ex jugeribus septuaginta quinque millibus, & septingentis, quorum pars arativa, pars vineata, & prativa est; nam nemorosa ut plurimum avulsis arbusculorum fibris surculatur: ea potissimum ratione cum sine numero in prædiis arbores concreverint, quæ truncis, non solum pro coquendis cibis, & lateribus abundant, sed pro multis etiam exer-

D cendis opificiis. Nec sufficit ager Civium divitiis nam per magnam, & floridiorem *Ravennatis* partem jura sua proferunt, per non exiguam *Faventini*, & *Cæsenatis*, ac per maximam *Brittinoriani*, & *Pompiliensis*, præter ea, quæ in Cisalpinis Collibus *Hetrusci* Dominatus possident. Ditio montana parvam habet planitiem, sed lætam, ac fertilem prope alveum fluminis illam intersecantis: Cum vero ad Apenninorum fastigia attollitur, parumper asperatur. Sunt in hac tria Castra, quibus semel in anno Prætores ad exercendam justitiam à *Liviensibus* tribuuntur. *Flumanæ* ager complectitur jugera biscentum, & tria mil-

E lia, totidem Arx *Elmicis*, ac *Petra Appia* sex millia, & septingenta. Tellus aspera, atque saxosa amat potius fructus, & vina, quam tritica, procreat tamen legumina optima, & oleas cum Hispanis crassitudine æquiparandas. In his montibus scatent fodinæ Sulphuris, & in Monte Majori perennes lymphæ, quæ salsi humoris natura, & Solis radiis perstrictæ in optimum Sal durescunt, *Cervianum* albedine longe vincens.

Agrum, & Ditionem rigant *Montonus*, & *Roncus*, qui ex opposito dorso *Tiberis*, & *Arni* regiorum fluminum ab Appenninorum anfractibus egre-

F diuntur, & modo huc, modo illuc fluunt, quo undæ facilius inveniunt iter. Ille ad ortum excurrit, hic ad occasum mœnia Civitatis lambit; tandem post *Ravennam* confusis fluctibus uno ostio in Adriacum fretum exonerantur. Constat *Montonus* ex geminis aquarum capitibus, quæ olim sejuncta, Civitatem à Suburbiis dirimebant ad Ortum, & ad Occasum Solis. His obstructi sunt aditus, ne intumescentes aquæ per vias Urbis exundarent, derivato ad Meridiem Aquæductu, qui usibus

Civium, & volvendis molis satis esset. Sic mixtis non procul à conspectu Civitatis undis mœnia alluit, & sub laterício ponte, qui amœnum præbet transeuntibus vadum, ad Pelagum decurrit. Alii nomen *Montoni* duxisse opinantur à bicipiti fluvio, qui instar bicornis copulatur, alii ob nimiam rapiditatem fluctuum, qui ripas vel erodunt, vel sternunt. Sunt etiam qui ferant, Divum *Apollinarem*, cum ambigeret de situ, in quo Baptismatis fontem poneret, vidisse arietem penes flumen docentem locum; & ex prodigio flumini exortum nomen. Alter amnis olim *Vitis*, & *Utens* famæ notioris fuit, cum fines *Gallorum* divideret, *Senonum* nempe, qui cis, *Bojorum* qui ultra illum incolebant, ut *Titus Livius* memoriæ mandavit. (1) Hunc autem recentior ætas *Roncum* denominavit à rure *Forolivienfis* agri, quod præterfluit sub formoso ponte, multis arcubus adversæ ripæ innixo.

(1) Titus Livius *lib.* 5.

Hæc de agro, & fluminibus; superest ut de Civitate loquar, cujus murorum interior circuitus extenditur ad milliaria Italica plusquam tria. Sinuosum ambitum valla antiquæ structuræ muniunt, atque ornant. Habuit arces duas, quarum supersunt vestigia, nam non prostratæ à tormentis belli, sed à longæva pace sub suis ruinis tumulantur. Alteram montes versus *Petrus* Cardinalis *Bituricensis* condidit anno 1371., & *Pinus Ordelaphus* magna arte belli, & impensis ita auxit, & roboravit anno 1472., ut inter firmiores Pontificiæ ditionis tunc temporis haberetur. Alteram minoris ambitus, & munimenti ad occasum, & prope *Montonum Balthasar Cossa Bononiæ*, & *Flaminiæ* Legatus excitavit anno 1407. in qua *Dominicus* Cardinalis *Rivarola* Portam aperuit recto tramite ad Pontem ducentem, qui tribus amplis fornicibus aquas excipit, & eas rostratis repagulis illidit. Ex quatuor portis, quæ nunc patent, *Gottonia Romam*, Sclavonia *Bononiam*, S. *Petri Ravennam*, & *Ravaldina Hetruriam* respiciunt; nam quatuor aliæ videlicet S. *Blasii*, & *Rottæ*, à celebri clade sic appellatæ ad Septentriones, *Merloniæ* ad Meridiem, & *Liviæ* ad Occasum olim viam dantes, cæmentis obductæ sunt. Civium numerus fuit longe major cum floreret Respublica, nam hic tamquam in receptaculum libertatis, Cæsareæ sectæ studiosi ab universa *Flaminia*, & etiam *Hetruria* confluebant. Ea sublata imminutus est, & ob intestinas cædes, & ob horrendam luem. Hæc cum anno 1591. non solum per agrum, sed per Urbem grassaretur, præter rusticos sex fere millia incolarum absumpsit. Facto enim capitum censu quindecim millia in Civitate reperta sunt, (2) & hunc numerum dilapsis artibus, ac aucta nimis luxurie victus, quæ nostrum infecit seculum, non superat. Cæterum nitet tota Urbs ædibus prophanis, & sacris, præsertim circa vias, quæ ad majorem plateam ducunt inter maximas *Italiæ* collocandam. Ibi consurgit Palatium Principis, in quo Rector, & duo Magistratus resident: Alter eorum, regimen Civitatis sub legibus præscriptis gerit, & ex Patritiorum Cœtu, qui centum, & octo sunt, Vexillifer Justitiæ, & Conservatores ad bimense imperium sorte extrahuntur. Huic centenario numero, multæ ex primoribus *Italiæ* stirpes adjunctæ sunt, in quibus eminent *Aquaviva Atri*, *Pamphilia Meldulæ*, & *Ciboa Massæ*, & *Carrariæ Ducum*, præter *Ursinam*, *Sabellam*, *Aldobrandinam*, & alias jam extinctas. Ex postrema, *Joannes Georgius Meldulæ* Princeps, & *Sarsinæ* Dux, cui anno 1606 Vexilliferi obvenit gradus, cum duceret nihil imminuere dignitatem suam honestissimum mu-

(2) Marchesius *lib.* 11.

A nus; Senatoriam togam inter Collegas, juxta laudabilem Patriæ morem, sumpsit. (3) Alter communi paci præest, & ex nonaginta Viris constat, quorum muneris est sedare dissidia, antequam invalescant. Hoc agmen Pacificorum conscriptum fuit à *Joanne Guidicciono Flaminiæ* Præside anno 1540. cum Patria armis in semetipsam furendo, modo cædibus, modo eversione domuum insaniret, ut canit Cardinalis *Hadrianus Castellensis*. (4)

(3) *Ex Rogit.* Fabii Martianesii *à Secretis Communitat. primo Julii* 1606.

Terra ferax, Populusque ferox, sed cæde frequenti
Terribilis, semperque furens Civilibus armis.

(4) *Cardinal.* Hadrianus Castellensis *in Itinere Julii II.*

Illi, non exigui reditus, Portarum, Murorumque custodia à Pontificibus Maximis data est,
B & ut nascentes tumultus facilius cohiberet, sex Centuriæ militum, & manipulus duodecim Hastiliferorum, qui ante publicas Ædes noctu, & die excubias agerent. His interdum geminatis, & multo famulatu Magistratus Pacis, alium Justitiæ subsequitur; quoties iste, præeuntibus Duce, Signifero, tibicinibus, tympanistis, & clavariis argenteas clavas gestantibus per Urbem incedit. In iisdem Ædibus publicis sæpe conveniunt diserti Viri, ut promissum reddant honorem Musis. *Jacobus Allegrettus* veteris Academiæ auctor fuit, sed obsoletis in bellica ætate literis,
C hæc diutissime torpens jacuit, donec ab Eruditis restituta, & illustrata est anno 1574. Philergitarum accepta appellitatione, quæ Græca voce AMANTES LABOREM exprimit, & Alvearii Symbolo, quod Apibus operam suam componentibus ad unguem aptatur. Cum postea artes liberales magis florere incepissent, huic Academiæ dederunt nomen eximii scientiarum cultores, quorum litteraria specimina etiam nuperrime typis data, satis eorum præstantiam, tum in pangendis numeris, tum in soluta oratione, patefaciunt.

Liviensem Episcopatum instituit in exordio
D Christiani cultus D. *Apollinaris Ravennæ* Antistes, unus ex Discipulis Salvatoris Nostri, qui Sancto *Mercuriali I.* tantum onus concredidit. Nunc mediocres habet proventus, sed olim magnis redundavit, & etiam temporali Ditione, ut ex pagina elargitionis *Frideri II.* liquet. (5) In ea nimirum *Cæsar*, exemit *Forolivianum* Episcopum anno 1177. à vectigalibus, quibus obnoxia erant prædia, & Oppida mensæ suæ, ac sigillatim mentionem facit Castrorum *Castelliuni*, & *Cuimani* cum Curtibus, & Districtibus, *Villæ Patergnuni*, & *Massarum Domezzani*, *Saturani*, S. *Laurentii* in *Noceto*, & *Averni*; quod etiam Indultum
E *Henricus* Rex *Romanorum* innovavit (6) Sed cunctis his juribus ob alternantis ævi infortunia nunc ista caret Ecclesia. Duodecim *Liviani* virtutibus præditi, & castigatissimis moribus in D. *Mercurialis* sede locati sunt. *Ricciardellus Belmontius* ex Dominis *Caminatium*: *Richelmus*, qui Episcopales ædes in Equitum Vico condidit, muris firmissimis munivit, & amœnis viridariis auxit: *Scarpetta Ordelaphus Francisci* Principis illegitimus filius, *Joannes Numajus*, *Ludovicus Pirannus* antea *Signensis* Antistes, *Jacobus Palatinus*, *Alexander Numajus* ad *Fridericum III.* Cæsarem Apostolicus Nuntius, qui *Germanici*, & *Hunga-*
F *rici* belli motus insurgentes exstinxit. *Thomas Hasteus* doctrina, & prudentia clarissimus, *Latii*, & *Piceni* Rector; *Petrus Joannes*, & *Simon Alleotti*, hic *Lindinensis* Præsul, & electus *Forolivii* in Concilio *Tridentino* decessit, ille Præfectus Cubiculi *Julii III.* sponsam Ecclesiam pretiosis supellectilibus exornavit, reditus Episcopii auxit, & Societatem JESU, erecto, & dotato ex suis bonis Collegio excepit; *Jacobus Theodulus* antea *Amalphitanus*, & modo *Thomas Taurellus*, Pon-

(5) *Ex Diplomate* Friderici II. *Dat. Casenæ anno* 1177.

(6) *Ex Diplomate* Henrici *Reg. Rom. Dat. Cesenæ anno* 1186.

Pontificii Solii Assistens. Hanc Ecclesiam condecorant quatuor dignitates Archidiaconus, Præpositus, Archipresbyter, & Primicerius, ac Canonici undeviginti, qui ad instar Patriarchalium Almæ Urbis carbasinam præsularem, & Cappam, ut vocant, magnam deferunt. Prima dignitas antiquissima est, nec ætas reperitur, in qua fuerit erecta; Secunda sub *Paulo II.* anno 1466. (1) Tertia sub *Leone X.* anno 1519. (2) & postrema sub *Pio IV.* anno 1562. (3) Canonici ex Nobili Clero seliguntur, à quorum ordine prodierunt: novissime *Stephanus* Cardinalis *Augustinus*, olim Episcopi decem, & Prælati quatuor. Quinque Patriæ præfuerunt. Ex aliis quinque, *Bartholomeus Moratinus Brittinorianis*, *Antonius*, & *Philippus Herculani*, ille *Piceni*, & *Umbriæ* Præses, *Cariatensibus*, hic *Alatrinis*; *Fabritius Paulutius* Plebanis, qui tribus doctissimis Commentariis Sacræ Genesis textus enucleavit, & *Fabritius Augustinus Amasseæ*. Præsules autem *Romanæ* Curiæ *Joannes Amelius*, *Guillelmus Balettus* pro *Joanne XXII. Campaniæ*, & Maritimæ Legatus, *Matthæus Menghius*, & *Bonamentes Augustinus*. Sedes Præsulis, quæ antiquitus erat in Templo Sanctissimæ Triadis, nunc in nobiliori Sanctæ Crucis degit, quod ita dictum est, cum in similitudinem Crucis surgat. Isti *Hieronymus Riarius* construxit fornices, in quorum convexitate insignia Rosæ, & Anguis quæ sunt Stemmata stirpium *Riariæ*, & Vicecomitis conjunctim cernuntur. In Ara maxima, quam struere ex selectis marmoribus ære meo feci, servatur Sacrum lignum reparationis nostræ, quod *Pinus Ordelaphus* Pontificius Imperator in bellis collo appensum gestabat, ut in eo signo vinceret. Intra Delubrum hoc majus jacent corpora *D. Valeriani* Martyris, & Urbis Patroni cum octoginta Sociis, nec non SS. *Grati*, & *Marcelli*. Ille postquam in antris *Thraciæ*, & *Flaminiæ* austeram duxisset vitam, & unigenitum *Leonis* Cæsaris à maligno spiritu liberasset, copiarum præfectura donatus, exundantes in Regiones Imperii Barbaros coërcuit, sed dum à *Gothorum* Tyrannide Patriam vindicare niteretur, ab *Arrianis* in odium veri cultus peremptus est. (4) Hi D. *Mercurialis* Levitæ, & comites in Draconis nece, quorum sanctimoniam Deus miris operibus confirmavit, juvenes annis, sed maturi virtutibus decessere. (5) Duæ mirificæ imagines coluntur in brachiis Templi: Ad dexteram in Sacello, cui Tolum pinxit æternæ famæ *Carolus Cignanus*, Pictorum nostri ævi Princeps, Imago S. *Mariæ* ab Igne in rudi papyro expressa, quam licet affixam parieti domus innoxiæ lamberunt flammæ, nec ut perperam à nonnullis fertur, super erumpentes à tecto favillas ignis illæsa volitavit, anno 1428. Hæc sacra Deiparæ effigies fuit semper hujus Patriæ præsidium, ipsi impetrata subita serenitate, ac pluvia pereuntibus triticis, vel ob inundantiam imbrium, vel ob ariditatem terræ. Ad augendum ejus cultum nuper *Fabritius* Cardinalis *Paulutius* regio propemodum animo, Altare marmoreum erexit quatuor columnis viridis antiqui suffultum, ornamentum æreum auro tectum, & lapidibus laxulis incrustatum circa Imaginem posuit, parietes, ac pavimentum pretioso, & versicolori marmore vestivit. Ad lævam Fani alia B. Virginis effigies in muro picta est, quæ à vulnere in Temporibus accepto, ut adhuc inspicitur, velut recenter sauciata, sanguinem emisit, anno 1490. Quiescunt in aliis Templis plurium Divorum Cineres. In D. *Mercurialis* Sancti Antistitis corpus, qui an primus fuerit hoc nomine, an secundus incertum est. In D. *Lucie* S. *Ruphilli* Episcopi *Pompiliensis* huc trans-

(1) Archangelus Albertinus in Croniis sub die 26. Martii 1466.
(2) Ex rogitu Jacobi Numaji die 28. Martii 1519.
(3) Marchesius lib. 11.
(4) Leander Albertus Reg. 14. Ferdinandus Ughellus in Ital. Sac. Tom. 2. Bonol. lib. 2. Sigismundus Marches. lib. 2.
(5) S. Petrus Damianus in vita S. Mercurialis Ughellus Tom. 2. Bonol. lib. 2. Marches. lib. 4.

A latum anno 1367. per eversum ab *Ægidio Albornotio Pompilii Forum.* (6) In D. *Augustini* S. *Sigismundi* Martyris *Burgundionum* Regis, & liberorum. (7) In D. *Dominici* BB. *Jacobi Salomonii* Patritii *Veneti*, *Carini* de *Balsamo*, & *Marcolini Amanni Foroliviensis*. Ille, cum hanc Civitatem sanctitate, & miraculis illustrasset anno 1314. moriens, cineribus suis decoravit. (8) Secundus in sæculo grassator, in Prædicatorum familia pœnitens, multis Christianæ perfectionis exemplis editis, *Forolivii* è vita migravit. (9) Tertius, de quo inaudita fere scribuntur, obdormivit in Domino anno 1396. Angelo suæ mortis

B præcone. In biennio tantum post felicem excessum 188. miracula patravit, nam surdis auditum, cœcis lumen, mutis loquelam, claudis, & vita functis, salutem, & spiritum, restituit. (10) In D. *Hieronymi* B. *Jacobi Ungarelli Patavini*, *Forolivii* defuncti anno 1515. (11) In S. *Mariæ* Vallis Viridis B. *Hieremiæ Lambertenghi Novocomensis*, qui pœnitentiis confectus requievit anno 1513. (12) & in S. *Mariæ* Servorum Beati *Peregrini Latiosi* nobilis *Forolivii* Civis, qui post sanctissime traductos dies, cum ei incurabilem in crure plagam, ipse Christus amota à Cruce manu sanavisset, refertus meritis anno 1345. ad Cæ-

C lum evolavit. Hic dum mortuus efferebatur, à feretro surrexit, & cœco nato lucem petenti dedit, ac rursus occubuit. Ob magnitudinem rei, & alia prodigia post mortem acta, atque incorruptibilitatem corporis, quamprimum, ut speramus, in Sanctorum album adscribetur. (13) Ab his igitur Superis noscit *Forolivium*, bona illa, & pacem, qua inter ærumnas ferreæ tempestatis fruitur, & eam non pro minima parte tribuit D. *Antonii Patavini* Patrocinio. Ipse enim magnus signorum actor, hic sanctitatem, & scientiam divinitus acceptam non solum detexit, sed etiam prodigiis confirmavit; nam in

D propinqua Montis *Pauli* eremo, per triennium inter preces, & abstinentias versatus est: mirabilem in S. Crucis suggesto linguam solvit, ac in Comuniæ Cœnobio irridentis sibi rustici Socium Dei manu exstinxit, quem, postea illo culpam execrante, ad vitam revocavit. (14) Sunt in Urbe Delubra sexaginta, & ex his non pauca, quæ Altaribus marmorum varietate distinctis fulgent. Sunt Virorum Cœnobia octodecim, inter quæ duo Tiaris insignita. Monialium vero septem, in quibus quatuor, ambitu, & vastitate, Ædium Castris assimilantur. Est Xenodo-

E chium ad medendos ægrotos utriusque sexus conditum, & nunc magnifice restitutum, in quo nothi excipiuntur, & puellæ aluntur, donec nubant. Mons Pietatis, & Hierosolymitana Commenda. Ille cæteris per totam *Flaminiam* anteponendus magnam vim auri, & argenti possidet pignora quæque exhibentibus paratam, præter non modicam prædiorum dotem. Hanc *Cacciaguerra Merlonius* claræ suæ stirpis ultimus sub anno 1173. in domesticis bonis erexit, (15) quæ tribus Fanis in agro præest. Nec prætereundas existimo duas rari ædificii, & celsitudinis Turres, alteram Communitatis obliquis prospectibus fabrefactam, tali forte artificio, ne à balistarum

F ictibus peteretur; Alteram Sancti *Mercurialis* constructam anno 1180. quæ molis forma à paucis *Italiæ* turribus superatur: Exstitit tandem ista Civitas interdum Regionis caput, nam in ea consedisse *Neapoleonem Ursinum Flaminiæ*, *Piceni* &c. anno 1306. *Ægidium Albornotium* totius Pontificii Dominii anno 1359. Legatos, *Dominicum Capranitam* anno 1426., & Alios seu Rectores, seu Præsides compertissimum est.

Hæc mihi visa sunt digniora vel ex historiis

cx-

(6) Bonol. lib. 7.
(7) Leander Albert. Reg. 14. Ferdinan. Ughel. tom. 2.
(8) Michael Pius in Vit. vir. Illust. Ord. Præd. part. lib. 1. pag. 202. Joan. Teupolus Patriarcha Venet. in Vita B. Jacobi.
(9) Michael Pius part. 1. lib. 1. p. 181.
(10) Andreas de Pisis in Vita B. Marcolini. Pius part. 1. lib. 1. p. 160. Ex Rogit. Jo. Zamfuschi die 12. Septembris anno 1571.
(11) Ex Cron. Seraphica part. 4. lib. 1.
(12) Ex Vita Hieremiæ Fuzzi Impressa 1653.
(13) Eques Nicolaus Burgesius in Vita B. Peregrini. Ex actis Sanctorum Genefridi Heschenii, & Danielis Papebrocchii Tom. 3. Ex Forolivien. Canonizationis B. Peregrini Romæ 1719. Typis Rev. Cam. Apost.
(14) Petrus Rodulphius in Hist. Seraphica lib. 1. p. 78. Joan. de la Haye in Vit. & Elog. Sancti cap. 6. Ex Epitome Vit. Sancti Viennæ impres. Typis Matthei Cosmerovii anno 1660. p. 133. & 134.
(15) Ex libro Angue sub anno 1173. pag. 92. in Archiv. S. Mercurialis.

excerpere, vel non edita in lucem dare. Superest ut imponam compendio finem Scriptorum testimoniis, qui *Forolivii* dignitatem, & clarum nomen protulerunt. Ab his enim satis intelligetur *Livienses* de virtute, & gloria Majorum non immerito jactari; Flavius Blondus hæc de veteri Dominio tradit; *Nam*, ait, *Forolivienses liberi, quibus ut omnia inter Appenninum, Maticlamque fluvium, & viam Flaminiam parerent, libras centum Imperatori tributum dissolvebant.* (1) Card. Tuschus, ubi de Toga purpurea mentionem habet, hæc Angelo Aretino Auctore, subdit: *Priores*, inquit, *portabant Vestes pelliceatas nobiles, & de Rosato, & in contingentia facti Aretin. Cons.* 133. *principaliter adducit testes probantes ex parte Laurentii Peliparii, qui dedit Peregrino Herculano unam foderam pellium Martororum pro foderanda Veste de Scharlatto.* (2) Hæc siquidem *Herculana* stirps, quæ in ævo florentis Reipublicæ Senatorios murices habuisse gloriatur, adhuc viget, in posterioribus etiam seculis Dynastiæ gradu Oppidorum *Camardæ*, & *Aranei* inter *Brutios* exornata. (3) *Bergomensis*, præter alia, hæc de Heroibus *Forolivii* scribit: *Illa*, inquit *Civitas innumerabilium propemodum Virorum Illustrium, & præsertim litteratorum fœcundissima fuit.* (4) Id *Leander Albertus*, *Julius Cæsar* de Solis, *Franciscus Scottus*, & *Angelus Maria Torsanus* similibus fere elogiis confirmant. (5) Ferdinandus Ughellus: *Rediit illa Civitas*, aït, *in tranquillitatis Ecclesiasticæ tutissimum portum, floretque, si unquam alia, nobilitate populi, opibus, armis, ad cœtera Romandiolæ Civitatum invidiam.* (6) *Thomas Eduardus Anglus*, & *Guillelmus Laurus*, pronos ad bellum *Livianos* esse cecinerunt.

Alter

Urbs Livii celebris nimis est proclivis ad Arma.

(1) Flavius Blondus *Decad.* 2. *lib.* 7.
(2) Angelus Aretin. *Cons.* 133. *num.* 21.; & *Card.* Tuschus *Tom.* 3. *conc.* 412.
(3) *Ex Investitura Petri de Toledo Proregis* 14. *Octobris* 1547.
(4) Jacob. Philip. Bergomen. *lib.* 6.
(5) Albert. *Reg.* 14. *Jul. Cæs. de Solis in Cosmograph.* Francis. Scot. *in Itiner. part.* 1. Torsanus *in Oration.*
(6) Ughellus *in Ital. Sac. Tom.* 2.

A Alter

In Livii plus Arma Foro, quam Laurea possunt.

Si tamen iste viveret, bellicos spiritus in longa pace quievisse, & Insulis, litterisque vacare Cives conspiceret, ita ut armis prævalere laureas fateretur. Ipsa Romana Rota Oraculum Urbis, & Orbis, in Forolivien: Canonicatus Theologalis: *In Civitate Forolivii*, inquit, *semper referta Viris præclaris, sicuti testabantur monumenta Insignium Juris Consultorum Typis evulgata, nec non*
B *Officiis, & Prælaturis, sed etiam Ordini nostro, & Sacræ Romanæ purpuræ donatorum &c.* (7) Plerique tandem hanc Urbem variis honoris appellitationibus extulerunt: Angelus Aretinus & Card. Tuschus *Potentis*; (8) Albertus *Martialis*, & *Generosæ*; (9) Alunnus *Clarissimæ*; (10) Scottus *Magnificæ*; (11) Felicius *Celeberrimæ*; (12) Mengotius *Heroicæ*, *Inclytæ*, & *Illustris*; (13) Ursatus *Insignis*; (14) & alii similium. His igitur Scriptorum auctoritatibus satis consultum erit securitati meæ: nam non assentari Patriæ, sed quæ vera sunt pandere tantum curavi, ne ab exteris ignorentur. Omnes præterea intelligent me nihil mea
C sententia exposuisse, at cuncta, & singula vel à publicis documentis, vel ab Auctoribus, qui non tam de Historiis, quàm de qualibet materie indistincte agunt, quemadmodum in oris paginarum cernetur, excerpsisse, ut veritatem, & pondus gestarum rerum, quæ in hac Epitome continentur, multis testibus, nedum Historicis, verum etiam solius tunc vigentis earum famæ, comprobarem. Majora adhuc nihilominus latent ornamenta, si Deus salutem, viresque tradet, in Vitis Virorum Illustrium, æternitati commendabo.

(7) *Forol. Canonicatus Theolog. coram Ansaldo* 25. *Junii* 1700.
(8) Angelus Aretinus *Cons.* 133. *Card.* Tuschus *Tom.* 3. *Conc.* 412.
(9) Leander Albertus *Reg.* 14.
(10) Franciscus Alunnus *in Ædificio Mundi ad lit. F.*
(11) Franciscus Scottus *in Itiner. part.* 1.
(12) Fœlix Fœlicius *in Onomastico Romano ad lit. F.*
(13) Hieron. Mengotius *tractat.* 23. *pag.* 189.
(14) Antonius Ursatus *de notis Rom.* 189.

F I N I S.



IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

FINIS.

ALPHONSI CICCARELLI,

Physici Mævanatis,

DE

CLITUMNO, UMBRIÆ FLUMINE *CELEBERRIMO*, OPUSCULUM.

Editio Novissima, auctior & emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

Elegantissimum, quod Tibi, Benevole Lector, *hic exhibetur, opusculum, Auctorem agnoscit* Alphonsum Ciccarellum, *Physicum* Mævanatem, *Virum in orbe Literato, ob rerum alias ferme incognitarum notitiam solidissimam, & sermonis Romani puritatem egregiam, summi Nominis. Maximam is in primis hoc de* Clitumno *Flumine Opusculo apud solidæ eruditionis cultores iniit gratiam: quod* cum licentia Superiorum, *ad instantiam* Ludovici Bozetti *prodiit* Patavii, *Anno MDLXIIII.* in Octavo. *Distractis vero omnibus exemplaribus adeo rarum evaserat, ut paucis hominum illud notum esset, nedum videre contingeret. Gratias itaque, quas, possumus maximas, habemus Viro Eruditissimo & Celeberrimo, Domino* Guilelmo Sherard, *qui pro suo in studia promovenda animo ex Cimeliarchiis suis Opusculum hoc nobis commodavit benignissime; totumque ejus muneris hoc est, quod nunc luci exponitur publicæ. Quæ nos in hac nova editione conati simus, brevibus sic habeto: Intendimus in id, ut prodiret libellus nitidior, &, variis erroribus typographicis sublatis, emendatior. Nomina Auctorum, & alia, quæ id exigebant, diversis a contextu exhibemus literis. Indicem Nominum & Rerum, qui unico intuitu exhibebit, quæ hic contineantur, addidimus. Quibus ut,* Benevole Lector, *feliciter utaris, precamur. Vale, & nobis fave.*

ERUDITISS. VIRO D. LAURENTIO SACCHAREO A SPOLETO,

Aurelius Angelinus, Physicus Mævanàs, S. D.

CUM multi libelli compluraque volumina, eruditissime Vir, hac potissimum de causa sæpius legantur, quia viris optimis, illustribusve dicata sint: vester *Alphonsus* de *Clitumno* opusculum confecit, ut non solum ejus celebritas omnibus pateret, sed etiam ut hunc parvum laborem ad promissa tibi dicaret. & statuit præstantiæ tuæ, ut intelligas neminem tui tibi amantiorem fore. Ne te pigeat igitur, præstantissime eruditor, campum intrare, spica vel una decerpta, hinc ad lætiora abiturus Et me in tuorum recipias unum, ut lepidissimus poëta ait, si superest locum rogantem. Vale. Datum *Mævaniæ* die XX. Augusti MDLXIII.

Ejusdem Tetrastichon ad librum.

I liber Alphonsi genio suffultus & aura,
Nec tu nasutum Rhinocerota time.
Vivet in æternum, vivet tua fama perennis,
Post cineres virtus vivere sola facit.

JOAN. FRANCISCUS BARACTANUS

A Spoleto, lectori.

Ad Capitolinas arces Clitumnus ovantem
Cum non ulterius provehat albus equis,
Hactenus incertis quamvis erraverit undis,
Cognitus auctorem nunc super astra vehit.

INDEX CAPITUM

Opusculi, de Clitumno flumine.

ALPHONSI CICCARELLI, a Mævania, DE CLITUMNO, FLUMINE CELEBERRIMO, OPUSCULUM.

CAPUT I.

De Nomine Clitumni.



Ulti docti & maximè *Tortellius* & *Junianus* in suo Dictionario, dicunt, quòd dicitur *Clitumnus* quasi *Clitor* amnis, hoc est invitator: quorum etymologiæ expositio *Nestori Dionysio* minimè placet, qui lib. 8. sui Dictionarii sic inquit: Nam si à κλήτορ descenderet, non *Clitumnus*, sed *Cletumnus* scribi deberet, quare melius à κλειτὸς, qui est celebris, deducitur, quasi celebris amnis *Clitumnus* vocetur. quam sententiam etiam *Ambrosius Calep.* affirmat, & ego eam esse veriorem sic declaro. *Fabius Vopiscus* in lib. de fluminibus loquens de *Clitumno* sic inquit: *Clitumnus* dicitur à *Clitumno*, triumphorum Deo, quasi κλειτὸς, id est, celebris amnis, cujus deitatem incolæ *Phalisci* venerantur sub templo egregiæ structuræ &c. quod etiam videtur affirmasse *C. Plin.* Novocomensis lib. 8. epistolarum, quando *Romano* suo scripsit hoc pacto: adjacet templum priscum & religiosum, stat *Clitumnus* ipse amictus, ornatusque prætexta, præsens numen atque etiam fatidicum indicant sorteis &c. Et *Gabinius Lætus* in Eparchigraphia *Italiæ* dixit: *Clitumnus* celebris amnis ad triumphos gloriosus, ab omnibus Doctoribus vocatur *Clitumnus*, hodie vero sermone vernaculo in ejus ortu, dicitur *le Vene di Piscignano* in comitatu *Spoleti*, à castro non procul distante, quod *Piscignanum* appellatur. Et Municipes mei *Mævanates* vulgo totum flumen vocant *la Timia*, eo, quia ob ejus frigiditatem vel ob ejus maximum defluxum flumen sit timendum, ut quidam ajunt. Alii dicunt *Clitumnum* tempore *Strabonis* vocatum esse *Teneam*: ego vero potius credo, dictum esse *Teneam* corrupto vocabulo & translato ab altero flumine, qui *Tænias*, vulgo *Topino*, dicitur, propter vulgi opinionem, à quo multi similes errores proveniunt, ex quo multoties excogitavi contextum *Strabonis* in lib. 5. Geographiæ depravatum esse, ubi *Tæniam* apud *Mævaniam* fluentem navigabilem facit, cum non *Tænia* sed *Clitumnus* sit navigabilis, ut ait *C. Plinius*, ubi supra, quando dicit, *& navium patiens.* Namque *Tænia* nequaquam fuit navigabilis, & fuit sine nominis celebritate, dicente *Sil. Italico*, *Tæniaque inglorius humor*, id est, sine gloria, & nomine. quapropter verba *Strabonis* sic legerem: dehinc *Carsuli* & *Mævaniæ*, præter quam labitur *Clitumnus*, & hic ipse parvulis scaphis collectos ex agro fructus devehit in *Tyberim*.

CAPUT II.

Descriptio Clitumni.

C. *Plinius Secundus Novocomensis*, lib. 8. epistolarum scribens *Romano* suo ortum, &

A positturam *Clitumni* sic describit. Vidistine aliquando *Clitumnum* fontem? si nondum, & puto nondum, alioqui narrasses mihi, vide, quem ego (pœnitet tarditatis) proxime vidi: modicus collis assurgit antiqua cupressu nemorosus & opacus, hunc subter fons exit, & exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit. purus & vitreus, ut numerare jactas stipes, & relucentes calculos possis. Inde non loci devexitate, sed ipsa sui copia, & quasi pondere impellitur. fons adhuc & jam amplissimum flumen atque etiam navium patiens: quas obvias quoque & contrario nisu in diversa tendenteis transmittit & perfert.

B adeo validus, ut illa qua properat, ipse tanquam per solum planum remis non adjuvetur, idem ægerrime remis, contisque superetur adversus, jucundum utrumque per jocum ludumque fluitantibus, ut flexerint cursum, laborem otio, otium labore variare. Ripæ fraxino multa, multa populo vestiuntur. quas perspicuus amnis velut mersas viridi imagine adnumerat. Rigor aquæ certaverit nivibus, nec color cedit. adjacet templum priscum & religiosum, stat *Clitumnus* ipse amictus, ornatusque prætexta, præsens numen atque etiam fatidicum indicant sorteis. sparsa

C sunt circa sacella complura, totidemque Dei, sua cuique veneratio, suum nomen, quibusdam verò etiam fontes. Nam præter illum quasi parentem cæterorum, sunt minores capite discreti, sed flumini miscetur, quod ponte transmittitur. is terminus sacri profanique, in superiore parte navigare tantum, infra etiam natare concessum. Balineum *Hispellates*, quibus illum locum divus *Aug.* dono dedit, publice præbent & hospitium. Nec desunt villæ, quæ secutæ fluminis amœnitatem margini insistunt. in summa nihil erit, ex quo non captes voluptatem: nam studebis quoque, & leges multorum omnibus columnis, omnibus pa-

D rietibus inscripta, quibus fons ille, Deusque celebratur, plura laudabis, nonnulla ridebis, quanquam tu vero, quæ tua humanitas, nulla ridebis, vale. Hæc epistola in *C. Plinio* ex typis *Aldi* excusso anno Domini MDXVIII. de verbo ad verbum sic legitur. In nonnullis vero codicibus antiquis hæc epistola sic brevissima legitur. Vidisti ne aliquando *Clitumnum* fontem? si nondum alioqui narrasses mihi, quem ego (pœnitet tarditatis) proxime vidi: modicus collis assurgit antiqua cupressu nemorosus, & opacus, subter hunc exit fons & exprimitur pluribus venis, sed imparibus eluctatus, qui gurgitem facit lato gre-

E mio patefacto purus & vitreus, ut numerare jactas stipes & relucentes calculos possis: inde non loci devexitate, sed ipsa sui copia, & quasi pondere impellitur fons adhuc etiam amplissimum flumen atque etiam navium patiens: hic mutilus codex eodem, quo emerat, instruxit plurimis & antiquissimis statuis tantum illi pulcherrimorum operum in horreis, quæ negligebat, invicem tu

si quid istic epistola dignum ne gravere scribere. Nam cum aures hominum levitate lætantur, tum ad rationem vitæ exemplis erudimur: vale. Hi codices sunt diversi & nequeo excogitare, quis nam sit verior. Ubi etiam valde admiror, quòd *Plinius* non fecerit mentionem de loco sive regione, ubi nascitur, an in *Umbria*, an in *Hetruria*, nec etiam de virtute aquæ in albificandis tauris, quæ duo ab auctore pro perfecta *Clitumni* descriptione dimitti non debebant. nisi quis dicat hæc omisisse tanquam notissima, & vulgaria. sed quamvis in utraque multa desiderentur, quia mihi nunc non est locus illas corrigendi, in aliud opus opportunius differam.

CAPUT III.

Dissensio auctorum de Loco, ubi oriatur Clitumnus.

P*Linius* lib. 2. de naturali historia cap. 106. ait: in *Phalisco Clitumnus* est: Probus in commento lib. 2. *Virg.* ait: *Clitumnus* est *Hetruriæ* flumen à fonte navigabilis. *Antonius Mancinellus* in eodem commento ait: in *Phalisco* est *Clitumnus*. *Bartholomæus Taurinensis* in lib. de *Balneis* cap. 36. ait: *Clitumnus Italiæ* fluvius est inter *Phaliscos*. *Antonius Constantius Fanensis* in commento primi, & quarti lib. *Fastorum Ovidii* inquit: *Phaliscorum Clitumnus* fluvius est. *Godefridus Beringus* in suo Dictionario Poëtico ait: *Clitumnus* est fluvius agri *Falisci*. *Gaudentius Merula* lib. 3. silvæ variarum lect. cap. 3. ait: *Clitumnus* est in *Phaliscis Italiæ*, ubi vulgo *il paese di monte Fiascone*.

Suetonius Tranquillus in vita *C. Caligulæ* de expeditione ejus *Germanica* ait: Sed quum ad visendum nemus flumenque *Clitumni Mævaniam* processisset. ubi *Marcus Antonius Sabellicus* in commento inquit: quòd *Tranquillus* circa *Mævaniam* esse *Clitumnum* significare videtur. Et in eodem commento *Philippus Beroaldus* ait: *Clitumnum* esse fluvium *Mævaniæ*. & in commento lib. 2. Elegiarum Propertii in Elegia, quæ sic incipit: *Et si me invito discedis, Cynthia, Roma* &c. ait. *Clitumnus* fluvius est in *Phalisco* sive *Mævaniæ* Propertii patriæ. *Servius* in commento lib. 2. *Georg. Virg.* ait: *Clitumnus* fluvius est in *Mævania*. *Christophorus Landinus* in eodem commento ait: *Clitumnus Umbriæ* fluvius est apud *Mævaniam* defluens. *Joan. Antonius Pantheus Veronensis* in confabulatione tertii diei de fontibus *Caldarianis* dicit, *Clitumnum* esse *Mævaniæ* fluvium. *Georgius Agricola* lib. 2. de natura eorum, quæ effluunt ex terra, dicit, *Clitumnum* esse *Umbriæ* fluvium. *Junianus*, ubi supra, ait: *Clitumnus* fons *Umbriæ* sub *Trevio* flumen alluit *Mævaniam*. *Petrus Marsus* in commento *Silii Italici* ait: *Clitumnus* est flumen *Umbriæ* præterfluens *Mævaniam*. *Joannes Boccacius* in lib. de *Fontibus* ait: *Clitumnus*, ut quidam dicunt, *Mævaniæ* fons est. alii *Umbriæ* lacum, alii verò *Mævaniæ* flumen asserunt: & in lib. de fluminibus ait: *Clitumnus* est *Umbriæ* fluvius apud *Mævaniam* & *Spoletum* defluens. hunc alii fontem, alii lacum dicunt. Nestor *Dionysius* ubi supra ait: *Clitumnus* fons est in valle *Spoleti* apud radices montis, cui *Trevium* oppidum imminet, & fluvium ex se apud *Bevanium* & *Spoletum* effundit. *Joan. Ravisius Tex.* in secunda parte suæ Officinæ quando loquitur de fluminibus ait: *Clitumnus* fluvius est *Umbriæ*: & infra loquens de aquarum mirabili natura ait: *Clitumnus* fluvius est *Mævaniæ*. Et Propertius lib. 3. *Eleg.* in *Elegia* ad *Tullum* quæ sic incipit: *Frigida tam multos* &c. ait, quòd *Clitumnus* oritur in *Umbria*, dicens:

A *Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro*
Tramite & æternum Martius humor opus.

ubi *Beroaldus* in commento dicit, quòd *Clitumnus* est fluvius *Umbriæ*. Ex quibus patet contradictio maxima de *Clitumno*.

CAPUT IV.

Conciliatio Dissensionis.

S*igismundus Helenius* in castigationibus ex vetustorum Archetyporum collatione lib. 2. cap. 103. *Plinii* hæc dicit: In *Falisco Clitumni*
B amnis aqua potata candidos boves facit. hominem peritum regionum, qui tam levi momento *Clitumnum* ex *Umbria* in *Hetruriam* traduxit. vetus lectio: In *Phalisco* omnis aqua potata candidos boves facit. Hæc castigatio mihi non placet, quoniam si esset verum, quòd omnis aqua potata in *Falisco* fecisset candidos boves, nimirum cæteri doctores antiqui de hac re mentionem fecissent. sed omnes dicunt aquam *Clitumni* habuisse hujusmodi virtutem. Ergo dicendum est textum *Plinii* incorruptum, nec depravatum esse, sed bene legi in *Falisco Clitumni amnis aqua &c.* ut infra ostendam.

C *Marcus Antonius Sabellicus*, ubi supra, in commento *Suetonii* solvens hanc contradictionem hæc dicit: Scriptorum variatio effecit, ut intelligi non possit, ubi sit *Clitumnus* apud *Faliscos* in *Etruria*, an in *Umbria* apud *Mævaniam*, ut *Tranquillus* sentire videtur. nisi quis dicat primo illum in *Etruria Clitumnum* vidisse, mox in *Umbriam* transgressus *Mævaniam* usque processisse. Quæ expositio nullo pacto mihi satisfacit, cum repugnet ex directo sententiæ *Tranquilli*, nescio enim quomodo *Caligula* ex urbe discessus, prius videre processisset *Clitumnum* in *Etruria* apud *Phaliscos*, postea retrocessisset videre *Mævaniam* in *Umbria*, cum
D discesserit ex urbe pro expeditione *Germanica* non deviando se à recto itinere. Nam *Suetonius* ibi clarus est, & non indiget ulla interpretatione, cum nec textus, nec sensus sint obscuri.

Servius in commento lib. 2. *Georg. Virg.* dicit *Clitumnus* autem fluvius est in *Mævania*, quæ pars *Umbriæ* partis *Thusciæ*. propter quæ verba *Ant. Constantius Fanensis* in commento *primi lib. Fastorum* Ovidii hæc dicit: quo in loco sciendum est, *Silium* a *Plinio* non differre: ea enim pars *Umbriæ*, ubi *Mævania* in parte *Thusciæ* ponitur, auctore *Servio*, horum conciliatio nullo pacto stare potest, quoniam *Umbria* secundum omnes geo-
E graphos, & historicos pars *Thusciæ* non est, sed est regio, & fuit provincia diversa segregata ab *Hetruria* per *Albulam*. Et dato, quod *Umbria* sit pars *Thusciæ*, adhuc stat contradictio, quoniam ager *Phaliscus* & *Mævania* vel ager *Umber* sunt loca diversa, quæ nominatim deberent poni ab auctoribus.

Frater *Leander* in sua *Italia* in *Umbria* ait, quòd textus *Plinii* est depravatus, & sic ex isto textu *Plinii* omnes alii errarunt ducti ex ejus auctoritate. nam ubi legitur *Clitumnus* in *Phalisco* legi debet in agro *Umbro*. Hujus expositio adhuc mihi non satisfacit, quoniam omnes codices *Plinii*
F sic leguntur in *Phalisco*, & tantus vir tantum errorem non scripsisset.

Horum opinionibus omissis ad hanc sententiam veriorem devenirem. In primis sciendum est, quòd *Gabinius Letus*, ubi supra, in *Umbria*, quando loquitur de *Trebia* hæc dicit: a quo non procul distat *Clitumnus* amnis sub alpe collis &c. & statim post *Trebiam* ponit hoc castrum sic dicens: *Phaliscum* castrum est in alpe montis ortus *Clitumni* non longe a *Trebia* an. XII. post urbem conditam a *Phaliscis* populis *Hetruriæ* expulsis, in cu-

cujus agro sub pascuis equos triumphales & tauros albos sacrificales suscipiunt, ante piationes sub templo *Clitumno* Deo exhibitas. Agri fertiles sunt & quamplurimis sacellis ornati variis deorum numinibus dicati ad quotidianas expiationes visuntur. His stantibus dico, quòd inter dictos auctores nulla est contradictio, quia aliqui describunt ortum *Clitumni*, scilicet in agro *Phalisco* apud castrum *Phaliscum*, aliqui regionem irrigatam ab eo, id est *Umbriam*, & aliqui locum, præter quem fluit, ut apud *Mævaniam* & agrum *Spoletinum*. & quod hoc sit verum, probatur. Nam *Ovidius* 1. lib. *Fastorum* facit mentionem de pascuis *Phaliscis* sic dicens:

Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Phalisca suis.

Et in lib. de *Ponto* de *Pompejo* consule, idem fere inquit:

Colla boves niveos certe præbere securi.
Quos aluit campis herba Phalisca suis.

Ovid. enim non potuit intelligere de agris agri *Phalisci* in *Hetruria*, quoniam non invenitur flumen, nec aqua apud *Phaliscos Hetruriæ*, quæ albificaret fœtus taurorum & equorum, sed intellexit de agro *Phalisco Umbriæ*. quod probatur per *Gabinium*, ubi supra, dicendo sub pascuis, & quando loquitur de *Trebia*, dicit susceptis albis tauris è pascuis *Phaliscorum*. De isto castro *Phalisco* etiam intelligere voluit *Paulus Marsus* in commento lib. primi Fastorum *Ovidii* quando dixit. Aliqui oeari simphaliscum appellant in via Flaminia jacentem inter *Ocheculum* & *Romam*. Nam cum hoc recitaret ex aliquorum opinione potuit facillime errare, cum *Phaliscum* castrum sit apud *Trebiam* in agro *Spoletino*, ut ait *Gabinius Letus*, ubi supra. & ideo errant ibi commentatores intelligentes herbam Phaliscam agri *Phalisci* in *Hetruria*, & etiam errant illi, qui intelligunt agrum *Phaliscum* in *Hetruria*, & non in *Umbria*. Et sic patet conciliatio dictæ contradictionis de *Clitumno*.

CAPUT V.

Nova Opinio de Ortu Clitumni, ac ejus Confutatio.

NOnnulli docti credunt oriri *Clitumnum* in comitatu *Nuceriæ* in quibusdam montis Alpibus lapillosis, ubi vulgo hodie dicit *l'acqua santa*: nam ajunt, quòd ibi videtur, quod dicit *C. Plinius* de *Clitumno*: in primis plures sunt venæ & impares, aqua est ita lucidissima ac diaphana, quòd minimus etiam stipes & lapillus projectus in fundo conspici potest: & in colore & rigore frigidissimo ita æquiparatur nivibus & glaciei, quòd manus intus positæ vix teneri possunt, & nunc vulgariter dicitur *l'acqua blanca*. Et inquiunt, quòd antiquitus conjungebatur cum illo fluvio, qui oritur ex venis *Piscignani*, qui vocabatur *Tænia* in territorio *Mævaniæ*, & sic erat flumen navigabile.

Istorum opinio & si videatur apparens, tamen tanquam inanis rejici potest, tum quia communis opinio eis contrariatur, tum etiam quia non conspiciuntur in isto loco istius fluminis ea omnia, quæ recitat *C. Plinius* de *Clitumno*, quamvis rigor, & color talis aquæ conveniat *Clitumno*. Nam apud venas *Piscignani* circum circa videntur vestigia castri *Phalisci*, templi *Clitumni*, & sacellorum, venæ sunt impares, quæ conjunctæ purum gurgitem ac vitreum faciunt, ex quo flumen parvis scaphis navigabile effluit. cujus aqua est frigidissima & limpidissima, & breviter eorum omnium, quæ recitat *Plinius*, nunc aliqua vestigia inspiciuntur, quæ in illo territorio *Nuceriæ* nequaquam apparent. præterea *Gabinius Letus*, ubi supra, & multi alii faciunt diversos fluvios

A & *Clitumnum* & *Tæniam*, quoniam *Tænia* oritur in comitatu *Nuceriæ*, quæ propter ejus ortum vocata est *Alphatænia*, hoc est principium *Tæniæ*, ut alibi diffusius probavimus, & sic patet confutatio istius vanæ opinionis.

CAPUT VI.

De Magnitudine Clitumni.

SCiendum est, quòd si apud priscos (ut ait *C. Plinius*) *Clitumnus* erat flumen navigabile debebat esse magnum, amplum ac profundum: B nunc vero temporis est flumen notabile & navigabile parvis scaphis ab ortu usque ad *Tyberim*: in cujus defluxu longus est milliaribus 15. vel circa. Et apud *Mævaniam* conjungitur cum *Tænia*, qui sic socialibus undis in *Tyberim*, non procul à *Vectonio* confluunt. in magnis ac continuis pluviis & imbribus adeo augetur ac turgescit, ut multoties exundet in multas planities, & præcipue in territorio *Mævaniæ* non sine detrimento segetum ac satorum, & maxime quando etiam *Tænia* procellosus fluvius multis aquis auctus simul eodem tempore conjungitur.

C

CAPUT VII.

De Qualitate ejus Aquæ, & quæ Animalia producat.

AQua *Clitumni* in ejus ortu est limpidissima, & frigida, & cum sit aqua occidentalis, rigida ac ventosa mala est. & maxime ex flumine suscepta propter alveum cœnosum ac limosum, producit hæc aqua multos pisces fluviatiles, scilicet leuciscos, barbos, anguillas, cottos, ranas, astacos, cancros, squillas & nonnulla animalia insecta, ut sunt vermes, cicadæ, & D pediculi, quæ omnia animalia lætè vivunt ac fœcundè in ipsa aqua *Clitumni*.

CAPUT VIII.

De Virtute ejus Aquæ.

SErvius & *Mancinellus*, ubi supra, dicunt, quòd animalia, quæ cum potaverint, albos fœtus creant. *Christophorus Landinus*, ubi supra, ait: ex quo si vacca ovisve post conceptum biberit, albos parit. *Bartholomæus Taurinensis*, ubi supra, E ait: armenta ex eo bibentia candore inficit. *Georgius Agricola*, ubi supra, ait: candidos boves & oves *Clitumnus* facit. *Plinius* de naturali historia, ubi supra, ait: *Clitumni* amnis aqua potata candidos boves facit. *Nestor Dionysius*, ubi supra, ait: ex hujus aqua si bos biberit & conceperit, non solum grandes sed penitus albos producit, dicente Virg. lib. 2. Georgicorum:

Hinc albi Clitumne greges & maxima taurus
Victima sæpe tuo perfusi flumine sacro.
Romanos ad templa deos duxere triumphos.

Et Silius Italicus lib. 8. dicit:

Et lavat ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus taurum.

F Et lib. 4. ait:

Et patulis Clitumnus in arvis
Candentes gelido perfundit flumine tauros.

Et *Joannes Boccacius* lib. de fontibus ait: circa *Clitumnum* maximos boves gigni. Et in lib. de fluminibus inquit: ex *Clitumno*, ut quidam volunt, si confestim, postquam concepit, bos bibat, album pariet. quamobrem *Romani* magnas hostias *Jovi* immolaturi ad hunc locum pro albis tauris mittebant. Et *Joan. Pantheus*, ubi supra, hæc ait: *Virgilius* insuper carmine Georgico *Clitumnum Mævaniæ* fluvium collaudat, quòd apud eum depascen-

tes tauri ad sacrificia ejus potu reddantur candidissimi, nec minus equi ad vehendos in capitolium triumphales heroas. ex quibus patet, quòd aqua *Clitumni* non solum faciebat albos greges, & tauros, sed etiam magnos.

CAPUT IX.

Cur Clitumnus jam habuerit istam Virtutem, quam modo non possidet.

CErtum est, ut patet ex supradictis, quòd aqua *Clitumni* habebat hanc virtutem vel proprietatem & albificandi & magnificandi tauros & equos. unde quæri potest, cur habuerit istam virtutem, & modo illa deperdita est. dicti auctores nullam reddunt de hac re rationem, & quantum conjicere ex eorum dictis possum, *Clitumnus* habebat hanc virtutem in *Italia* solum albificandi & magnificandi greges ex proprietate vel virtute occulta sacerrimæ deitatis *Clitumni* Dei triumphorum. & ideo *Virgil.* & *Silius*, ubi supra, vocant *Clitumnum* sacrum flumen. & hoc patet, quia illa virtus modo est deperdita, ut videtur in multis aliis fontibus & fluminibus, quæ priscis illis temporibus habebant aliquas virtutes, quas modo omiserunt. Et hoc dici potest provenire ex temporum vetustate. Nam quemadmodum cæteræ res propter nimiam antiquitatem & senectutem virtutes proprias deperdunt, sic etiam aquæ & cætera ex terra nascentia virtutes amittunt. & hoc probari, potest ex *Pontano*, qui in lib. suo *Meteorologicorum* probat vetustate temporum mutari fontes ac maria, sic inquiens:

Sed nec perpetuæ sedes sunt fontibus ullæ,
Æterni aut manant cursus, mutantur in ævum
Singula, & inceptum alternat natura tenorem,
Quodque dies antiqua tulit, post auferet ipsa.

Nonnulli docti inquiunt, quòd *Clitumnus* habebat hanc virtutem ex qualitate ipsius aquæ, non autem ex virtute occulta, & si modo hoc non videtur, provenit, quoniam nos non utimur diligentia, ut si quando vacca, vel equa jam jam calcata à tauro vel equo non bibit ex aqua *Clitumni* in ejus ortu, ut dicunt dicti doctores: hujusmodi enim virtus procedit ex frigiditate ipsius aquæ. & hoc probant his auctoritatibus. *Aristoteles* enim lib. 3. de historia anim. cap. 12. dicens aquis quibusdam vim inesse immutandi colores animantium sic inquit: Aquarum item diversarum usu nonnulla suos immutant colores, alibi enim candida, alibi nigra redduntur, sunt etiam aquæ multis in locis, quas cum oves biberint moxque inierint, nigros generent agnos, ut in terra *Assyritide* agri *Chalcidici Thraciæ* facit amnis, quem præ nimia frigiditate *Psychrum* vocant. Et in *Antandria* quoque duo sunt fluvii, quorum alter candorem, alter nigritiam pecoribus facit. *Scamander* etiam amnis flavas reddere oves creditur, quamobrem *Xanthum* pro *Scamandro* nuncupatum ab *Homero* autumant. Hæc *Arist.* unde Conciliator discurrens super his verbis in commento *Problem. Arist.* part. 10. probl. 7. hæc dicit: igitur oves maxime variant colorem & hoc aut propter imaginationem tempore coitus fortem, aut propter aquarum permutationem. permutantur autem ad albedinem ex potu aquæ vehementer frigidæ: virtute enim ipsius humidum perveniens ad pellem per poros laxat eam & humefacit quasi reddens in ipsam perspicuum, propterea alba redditur pellis: omnis enim animalis hæc est natura præter hominem, quòd pilos variat, secundum pellis varietatem & ideo albata pelle ovium necesse est albam lanam fieri: sed quæ nigras reddit oves est virtutis calidæ valde ex terreo vapore adusto ibi permixto, quæ qui-

A dem perveniens ad pellem quasi adurendo eam reddit terrestrem, & sic privat perspicuitatem à pelle, quare necessario fit pellis nigra & per consequens lana, & sic est de capris & animalibus pluribus, licet non adeo de facili mutentur ut oves; hæc Conciliator. Hoc etiam videtur affirmare *Vitruvius*, qui lib. 8. cap. 3. hæc ait: Aquarum autem varietates regionibus & locis, inclinatio mundi, & solis impetus proprius, aut longius cursum faciendo tales efficit terræ humores. quæ qualitates non solum in his rebus sed etiam in pecoribus & armentis discernuntur, hæc non ita dissimiliter efficerentur, nisi proprietates

B singularum terrarum in regionibus ad solis potestatem temperarentur. sunt enim *Bœotiæ* flumina *Cephysos* & *Melas*, in *Lucanis Cratis*, *Trojæ Xanthus*, inque agris *Clazomeniorum* & *Erythreorum*, & *Laodicensium* fontes ac flumina, cum pecora suis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum, ex eoque quamvis sint alba, procreant aliis locis leucophæa, aliis locis pulla, aliis coracino colore, ita proprietas liquoris cum init in corpus, proseminat intinctam sui cujusque generis qualitatem, igitur quoniam in campis *Trojanis* proxime flumen armenta rufa & pecora leu-

C cophæa nascuntur, ideo id flumen *Ilienses Xanthum* adpellavisse dicuntur. Hæc *Vitruv.* quæ omnia confirmans *Joan. Pantheus*, ubi supra ait: Tanta inest terræ virtus, ut non modo afferat aquis saporem, verum ab illa transmutandi potentiam recipiunt, illis namque frigidis & humidis grex epotus inficit albam lanam & pellem. & infra ait: in hanc stipulationem non desunt *Plinii* attestationes, quæ de aquarum miraculis hæc tradunt. *Eudicus* in *Hestiæa Eutyche* fontes duos tradit esse, *Ceromen*, ex quo bibentes oves nigras fieri, *Melem*, ex quo albas, ex utroque autem varias. Theophrastus in *Thuriis Cratin* candorem facere, *Sy-*

D *barin* nigritiam bobus ac pecoribus, quin etiam homines sentire differentiam eam, nam qui *Sybarin* bibant, nigriores esse durioresque & crispo capillo, qui ex *Cratide*, candidos molliorésque porrecta coma. Item in *Macedonia*, quæ velint sibi candida nasci, ad *Halialmonem* ducere, quæ nigra aut fusca ad *Axium*. Hæc omnia confirmant *Bartholomæus Taurinensis* lib. 3. de *Balneis* cap. 36. & *Christophorus Landinus* in commento lib. 2. *Georg. Virgilii.* ex quibus elici potest, nunc temporis etiam *Clitumnum* habere hanc virtutem, quoniam aqua ejus est ejusdem qualitatis, quam antiquitus habebat. & hoc crederem posse eveni-

E re, quando ante & post conceptum vacca vel ovis bibisset ex aqua *Clitumni* in ortu proprio per plures dies, ut elici potest ex supradictis. Pro nunc hæc sufficiant de coloribus causatis ab aquis, quia de hac re latius pertractavi in lib. de mundo elementario.

CAPUT X.

De Statua Clitumni.

MUlti inquiunt, quòd apud priscos statua *Clitumni* erat senex nudus in terra prostra-

F tus cum barba & coma oblongis, substentans se super urnam, a qua effluit aquæ rivus cum altera manu tenens cornucopiæ, coronatus corona populnea, & fraxinea. Hæc statua & si antiquitus fuisset communiter in usu ad perpetuationem fluminum, tamen statua *Clitumni* fuit diversissima cæteris statuis fluminum. Nam ejus statua erat erecta, ut vir prætextatus & coronatus corona laurea & fraxinea. Nam antiqui solum usi sunt aqua *Clitumni* ad suscipiendos equos & tauros albos pro triumphis & sacrificiis. hoc enim elici

potest

poteft ex *C. Plinio*, ubi fupra, dicente: Stat *Clitumnus* ipfe amictus, ornatufque prætexta præfens numen atque etiam fatidicum &c. & etiam conveniens non erat, ut ftatua deitatis triumphorum effet proftrata, fed ut vir prætextatus ftans. de qua ftatua cum diffufius pertractaverim in lib. 4. de imaginibus prifcorum deorum, propterea de ea pro nunc fatis fit dictum.

CAPUT XI.

De Celebritate Clitumni apud prifcos.

A

CLitumni celebritas tanta fuit apud prifcos, ut horum aliqui Sacrum flumen vocaverint, & aliqui ad triumphos gloriofum: namque *Virgilius* lib. 2. *Georg.* laudans *Clitumnum* fic cecinit, ut fupra jam citavimus:

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, fæpe tuo perfufi flumine facro
Romanos ad templa deos duxere triumphos.

B

Unde in comm. *Antonius Mancinellus* ait. triumphantes enim albis equis curru inaurato, capite coronato lauro per urbem vecti capitolium afcendebant ad templum *Jovis* optimi maximi, ubi mactato albo tauro domum poftea repetebant. Et hoc etiam voluit intelligere *Claudianus* quando dixit:

Non tales Clitumne lavas in gurgite tauros,
Tarpejo referunt quos pia vota Jovi.

C

Et *Silius Italicus* defcribens *Clitumnum* perfluere per arva *Mævaniæ*, a qua fufcipiantur tauri albi *Jovi Capitolino* immolandi, dixit hoc pacto:

Et fedet ingentem pafcens Mævania taurum
Dona Jovi &c.

de quibus gregibus albis, facrificiis & triumphis pro nunc nil aliud dicam, cum abunde de iis in lib. de triumphis & facrificiis *Romanorum* pertractaverim. Et *Gabinius Lætus*, ubi fupra, confiderans *Clitumnum* inter omnia flumina *Italiæ* effe maximæ dignitatis, ait: Infignis *Clitumnus* ad triumphos gloriofus. Fuit etiam tantæ venerationis, quòd ipfi fub templo prifco & religiofo facra piabant, ut ajunt *C. Plinius*, ubi fupra, *Gabinius Lætus*, & *Fabius Vopifcus*, ubi fupra. Et Propertius lib. 3. *Elegiarum* revocans *Tullum* peregrinantem ad urbem *Romam* habitandam laudans *Romam*, oftentans fe de flumine patriæ fuæ *Mævaniæ*, inter alia dicit, quòd ibi *Clitumnus* confluit fimul *Aniene* fluvio patriæ *Cynthiæ* dicens:

Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, & æternum Martius humor opus.

Et lib. 2. *Eleg.* invitans *Cynthiam* ad captandas verales voluptates, oftentat fe captare omnem voluptatem ad *Clitumnum*, dicens:

Qua formofa fuo Clitumnus flumine luco
Integit, & niveos abluit unda boves.

Et *Statius Papinius* Domitianum fumme magnificans, fibique pauperrime litando inquit:

Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? non fi vacuet Mævania valles,
Aut præftent niveos Clitumna novalia tauros
Sufficiam, fed fæpe deis hos inter honores
Cefpes, & exiguo placuerunt farra falino.

Quafi dicat, fi tibi obtuliffem, quicquid colligitur in vallibus *Mævaniæ*, & tauros albos *Clitumni*, non fufficerent hæc munera. ex quibus verbis *Statii* duo notari poffunt, fuiffe magni nominis famofa & celeberrima, fertilitatem maximam vallium *Mævaniæ*. Et albos tauros *Clitumni*, unum ad rerum abundantiam telluris in inferioribus corporaliter offerendo, & alterum ad divinos honores offerendos diis fpiritualiter litando: unde cum ejus gloriofa fama fit ita celebris, & apud tot doctores laudata, confentaneum effe duxi huic finem imponere.

FINIS.

INDEX
NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

Lo-

F I N I S.



GABRIELIS NAUDÆI, *Pariſini*,


TABULARII MAJORIS TEMPLI REATINI INSTAURATIO,

Facta juſſu, & Auſpiciis Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini

JOANNIS FRANCISCI CARDINALIS A BALNEO Epiſcopi Reatini.

Editio Noviſſima, duplici Indice priori auctior.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS
PRÆFATIO.

BENEVOLE LECTOR,

DE præſtantia & excellentia hujus Archivi Templi majoris Reatini, *a* Gabriele Naudæo *inſtaurati, & Romæ Anno MDCXL. typis* Ludovici Grignani, *Superiorum permiſſu, deſcripti, pluribus diſſerere, ſupervacaneum erit: quoniam dignitas, uſuſque ipſius a prædicto* Naudæo *cum in Dedicatione ad Canonicos, tum in Epiſtola reſponſoria ad* Petrum Ottobonem *ſatis ſuperque exhibentur, ad quas Lectorem ablegamus. Interim dicimus, quod ſplendorem ipſi Urbi* Reatinæ *ex memoria rerum in ea geſtarum non minimum conciliare poſſit, illuſtrium quarundam familiarum memoriam, pene exſtinctam reſtituere queat, Epiſcoporum* Reatinorum *ſeriem conficere doceat, & locorum denique appellationes antiquatas, Eccleſiarumque plurimarum, quæ temporis injuria perierunt, ſitum & rudera indicet, ut adeo ad conficiendos Urbis* Reatinæ *Annales perutile ſit. In revocando ad incudem hoc Tabulario nihil immutandum occurrit, niſi quod duplici indice hanc editionem exornaverimus. Indicem videlicet chartaceæ ſupellectilis ſub faſciculis comprehenſæ in calce adjecimus. Archivo autem ipſi ſynopſin Armariorum in fronte præmiſimus. Præterea paginarum numeros prædictæ editionis in extremitatibus noſtræ excudi fecimus. Cætera uſus docebit. Vale faveque.*

PERILLUSTRIBUS ET ADMODUM REVERENDIS

ARCHIDIACONO ET CANONICIS
MAJORIS TEMPLI REATINI

Gabriel Naudæus Pariſinus

S. P. D.

POST deſudatos mihi, licet in mediis præcedentis anni rigoribus, quinque menſes integros, in Tabulario veſtro, à ſitu, & pulvere in quo, non incuria veſtra, ſed temporum perturbatione jacebat, vindicando. En, *Clariſſimi Viri*, vobis illud reſtituo, ex ſqualenti nitidum: ex rancido purgatum; ex lacero integrum; ex confuſo ordinatum, atque ut verba in pauca contraham, ex mutili, & deſpecto, cujuſmodi iſtud hactenus fuiſſe, veſtrum unicuique conſpicuum eſt, dignum profecto, quod privatis veſtris commoditatibus, & publicis etiam ſtudioſorum hominum laboribus, non minimum afferat emolumenti. Neque enim ſi reliquiæ tantum ſuperſunt ex magno, & inſtructiſſimo quondam Archivo, propterea illæ negligendæ ſunt; niſi forſan aliquis, excellentium ſignorum truncos artus, parvi faciendos ducat, eo quod Polycleti, & Phidiæ opera haberi amplius integra non poſſunt; aut lapidum pretioſorum fragmenta, nullius eſſe virtutis cenſeantur, quoniam de magnitudine quam prius habebant, aliquid illis, neſcio quo caſu, fuerit ademptum. Hoc vero facere, ſicut Hominis non eſt, qui ſuo judicio recte utatur, ita vos quibus ex mirifico prorſus antiquitatum theſauro, memoriæ illæ relictæ ſunt, quæ paucis aliis, meo judicio, vetuſtate concedant, diligentem operam navare oportet, ne rurſum eadem tempeſtate abripiantur, qua priores alias ex Secretario veſtro fuiſſe ſublatas, nemini non exploratum juxta, atque dolendum eſt. Quare poſtquam Sapientiſſimus veſter Antiſtes, idemque Dominus meus; & Mæcenas munificentiſſimus *Joannes Franciſcus Cardinalis à Balneo*, inter alia quæ veſtrum omnium, & officii ſui de cauſa facere conſtituit; iſtud etiam paterna ſua dignum ſolicitudine arbitratus eſt, ut rerum veſtrarum Chartas, quas palantes eſſe, ac nullo ordine, nullaque peculiari diligentia cuſtoditas animadverterat, in eum locum reponerem, quem vos cum Græcis Γραμματοφυλάκιον; χαρτοφυλάκιον Ἀρχεῖον, ſive cum Latinis, Tabularium, Tablinum, Secretarium, Principium, & Archivum denique, pro arbitrio veſtro appellare poteſtis; iſtud etiam non tantummodo fore muneris mei ſtatim intellexi, ut veteres illas memorias ſtudioſe, diligenterque conquirerem; aut ipſas in eum ordinem redigerem, quem rebus veſtris eſſe commodiſſimum, uſu ipſo, & experientia deprehendetis; ſed mihi præterea optimum factu viſum eſt, ſi earundem ſcripturarum ſyllabus, quem vobis offero, ea demum præfatione munitus ad vos accederet, ex qua cum Archivi veſtri præſtantiam longe facilius intelligere, tum vero ejuſdem conſervationi proſpicere, multo lubentius poſſetis.

Atque ut de primo dicere aggrediar, inde uſque repetita temporis memoria, quo Tabulariorum omnium dignitas ſi non penitus labefactata, ſaltem miſerabiliter imminuta eſt: Cum *Italia* poſt exciſos *Romanæ* magnitudinis nervos, ſæpe & per partes à diverſis gentibus occupata, adeoque magnis bellorum tumultibus divexata fuerit, ut furoris illius quo paſſim inter ſe, aut cum indigenis, tot advenæ gentes decertarunt, veſtigia quotidie ſub oculos incurrant; nihilque tam eximium, innocens, aut ſanctum fuerit, in quod hoſtilis rabies non involarit, ferro, igne, vaſtitate quacunque tranſiret, fœdiſſimæ ſuæ immanitatis notas, ipſis etiam parietibus, & ſaxis, cum alibi non poſſet, inſculptas relinquens. Ex eo quoque factum eſt, ut multæ jam in ea civitates, non modo ſplendorem ullum à privatis, aut publicis ſubſtructionibus retineant, ſed ne quidem eas tabulas, & diplomata proferant, quæ veluti patriæ laudis ornamenta certe, vel teſtimonia fidiſſima, conſervari in ipſis, ſumma cum diligentia conſuevere. Et ſane cum ego præcipuis in *Flaminiæ*, & *Umbriæ* civitatibus, veteres ejuſmodi memorias curioſius inquirerem, frequenter audivi cives ipſos paupertatem in hac re ſuam accuſantes, eoque tantum argumento purgantes ſe ab omni culpa, quod & factiones domeſticæ, bella externa, conflagrationes, tempus denique, & vetuſtas ipſa, tantam, medius Fidius tam luctuoſam cladem intulerant. Quæ quidem omnia cum attente conſidero, ſubit profecto veſtram, *Clariſſimi Viri*, in tanta reliquarum urbium vaſtitate & miſeria felicitatem ſuſpicere, nam cum illæ quidquid chartaceæ ſupellectilis habebant, communi illo naufragio amiſerint, vos, ſaltem tot ex eo tabulas ſalvaſtis, ut ipſæ Tabularium denuo conficere potuerint, quod nulla ſui parte mutilum videri debeat, niſi quam ſolemnibus olim autographis, omnique diplomatum genere copioſius inſtructum fuerit, ex libera veſtra confeſſione pateſceret. Etenim quis non facili negotio illibatum iſtud Archivum fuiſſe ſibi perſuadeat, in quo, etiam num hodie, viſantur donationes ſub *Deſiderio*, & *Adalgiſio Longobardorum* regibus factæ; in quo ſint teſtamenta, annos abhinc ſeptingentos condita; in quo ve-

venditiones, & permutationes reperiantur, non *Gothicis* tantum, sed ignorabilibus literis exaratæ; in quo tot Episcoporum vestrorum acta, & nomina supersunt; tot Familiarum vestræ urbis tempora signantur; tot denique veteres memoriæ, & instrumenta, non chartis illis recentioribus, ac lineis, sed pergamenis exarata, & tempore ipso vetusta, encausto splendida, ceraque, & multiplicibus sigillis adversus impostorum fraudes, & technas munita conservantur. Verum quoniam hæc omnia, me ipso etiam tacente, aut ex Archivo vestro, aut ex præsenti syllabo cognoscere potestis, non immorabor in illis diutius, neque profecto committam, ut quantum ex hoc meo labore, nedum in societatem, sed urbem vestram, utilitatis rediturum sit, cum odiosa quadam de me prædicatione commemorem; maximè cum per vos ipsi satis illud deprehendere possitis, & experiri quoties libuerit, num ad templi vestri decorem illustrandum, ad reditus vestros particulares augendos, ad auctoritatem cœtus vestri retinendam, ad ipsius urbis vestræ fastos, annalesque conficiendos, aliquid unquam excogitari potuerit ipsa Tabularii vestri instauratione, & ordinatione quam feci, magis accommodatum. Superest modo ut quemadmodum antea me facturum recepi, breviter vos admoneam, quam solicite profecto, diligenterque curare debetis, ne huic vestro Tabulario, quod inviolabile & sanctum esse debet, aliquid deinceps inferatur detrimenti. Sanctum autem Tabularium istud esse, eo confidentius dico, quoniam etsi de rebus Sanctis non esset, aut in templo vestro, id est, loco omnium istius urbis *Reatinæ* sanctissimo, non asservaretur, minime tamen sanctum esse defineret, quia, ut inquit sapienter *Ulpianus*, L. Sacra ff. de rer. divis. *ea proprie sancta dicuntur, quæ nec sacra, nec profana sunt, sed sanctione quadam confirmata.* Sive ut *Martianus*, proposito huic nostro convenientius, explicat, *sanctum est, quod ab injuria hominum defensum, atque munitum est.* Cujusmodi sane vestrum Tabularium erit, si ex summi Pontificis, & Antistitum vestrorum auctoritate, diris devoveantur falsarii, expilatores, incendiarii, & id genus homines rebus etiam sacratissimis adulterandis, diripiendis, & quoquomodo perdendis nati, quorum profligatus pudor eo usque furoris, & audaciæ nonnumquam progreditur, ut nisi legibus humanis divinæ fulciantur; frustra quidem sit, quodcumque in illos, divina auctoritate sancitum est. Sed loci præterea in quo memoriæ illæ servari debent, ratio non postrema habenda est, omnisque in eo potissimum cura versari debet, ut sufficienter ab arte munitus sit, tam contra nefarios sceleratorum conatus, quam adversus temporis injurias, & casus illos fortuitos, qui multa plerumque corrumpunt, quibus homines scelesti, & vetustas ipsa, non modo fragilibus chartis, sed molibus operosis, solidisque marmoribus adversa pepercerant.

His autem omnibus ita constitutis, Tabularium quidem habebitis pulchrum, elegans, copiosum, atque in suas classes, quemadmodum oportuit, & loculamenta distinctum, sed quod eædem quæ prius blattæ, eadem caries, idem situs, mures iidem pessundare rursus non desinent, nisi hominis alicujus fidi, atque in hanc rem potissimum attenti cura, ab hujusmodi damnis prohibeatur. De cujus, & vestrum omnium simul officio, in Tabularii vestri non instauratione tantum, sed conservatione, modis omnibus procuranda, ut paucis dicam quidquid maxime ad rem ipsam pertinere videtur; non pigebit me hoc loci, verba ipsamet Imperatoris *Justiniani* ad *Joannem* Præfectum Prætorio, usurpare, De defensoribus Civit. §. & ind. col. 3. *Præcepta faciat tua Eminentia per unamquamque Provinciam, ut in civitatibus habitatio quædam publica distribuatur, in quam defensores monumenta recondant, eligendo quendam qui horum habeat custodiam, quatenus incorrupta maneant, & velociter inveniantur à requirentibus, & sit apud eos Archivum, & quod hactenus prætermissum est in civitatibus emendetur.*

Atque hæc sunt, *Viri Clarissimi*, quæ vobis habebam dicere, prius quam Tabularii vestri indicem, summo à me; & incredibili cum desiderio vobis gratificandi, confectum, publici vestrum omnium juris, & usus facerem. Quo in labore, si minus id quod volebam sum assecutus, faciet tamen humanitas vestra, cui obsequium meum probasse satis habeo, ut illius non me pœniteat; si vero aliquid ex eodem utilitatis, rebus vestris accedet, totum id acceptum ferre debetis, Domino meo, itemque vestro, *Cardinali à Balneo*, cujus in vos propensæ voluntatis testimonium, etiamsi non hæc Tabularii vestri instauratio patefaceret; non alia quæ quotidie vestris commodis, & honoribus addere contendit, significarent; non homines denique testari, & propalare vellent, Columnæ tamen templi vestri de novo instauratæ, & fornices lateritii, sub vilissimis ex ligno fatiscente laquearibus erecti, nunquam hoc ipsum aboleri patientur.

IDEM EISDEM.

Hactenus ipse meo defunctus munere scripsi,
Membranas quæ signa notent, quæ tempora rerum
Prisca, voluminibus serventur condita vestris.
Utque novis possint loculis disposta reponi;
Singula quæque suis, sed nunc nisi vestra tenere
Incipitis, vestri quam non fecere parentes
Cautius, eximia vos laude carebitis, & re,
Qua melior, me Judice, nec præstantior ulla est.

D. *ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMOQUE DOMINO*

PETRO OTTOBONO

UTR. SIG. REFERENDARIO, ET URBIS REATINÆ

MODERATORI PRUDENTISSIMO.

Gabriel Naudæus. S. P. D.



MEI semper moris atque instituti fuit, *Petre Ottobone*, *Vir Illustrissime*, Negotiorum omnium quæ mihi cum amicis meis intercedunt, non unam duntaxat habere rationem; nam si de re paulo graviori sunt, aut ab aliqua insigni virtute profecta, quam publicæ honestatis intersit, in obscuro non delitescere, ea continuo, verbis quam possum magis idoneis, proferre, ac veluti de tenebris, in clarissimam hominum lucem eruere contendo: nec libenter patior, cum mentionem de illis honorificam facere possim, ejus occasionem mihi tacitus effluere. Atque hæc sane causa est, ut in eo sermone quem tecum per literas habere constitui, non prius aggredi debeam ad explicandum tibi, quot, & qualia sint Archivi Reatini momenta, quam beneficii illius memoriam, quo me non multos ab hinc dies, tam benigne, peramanterque prosecutus es, æternitati, quam meretur, pro viribus meis

asseruerim. Etenim licet humanitatem tuam, quæ summa prorsus, & incredibilis est, non semel antea fuerim expertus, teque semper eo in loco, mihi habendum esse duxerim, quo reliquos soleo, qui probitate, doctrina, comitate, omnique alio præstantissimarum laudum genere, cum paucissimis sunt conferendi; fateor tamen liberalitatis tuæ magnitudinem, ita perculisse animum meum, cum ab ultima usque *Britannia* petitum tuos in usus, magni cujusdam viri librum, & ipsum non mole quidem exiguum, convertere in meos voluisti, ut eam dissimulare, neç possim, nec debeam. Refert enim vel maxime, hominibus, qui plurimum exemplis tribuunt, eximia tantum, & illustria quæque proponi; & in hoc tuo præsertim; existimavi, mihi, non tam modestiæ tuæ, quam officii, & gratissimæ meæ in te voluntatis habendam esse rationem. Et hercle si mihi non esset inter angustias hujus Epistolæ luctandum, potius haberem nihil, quam in extollenda, & prædicanda munificentia tuà, voto meo satisfacere. Verum quoniam suas in illa partes *Archivum* etiam *Reatinum* sibi dari postulat, feres æquo animo, si commoda quæ ab ejus instauratione, non modo in privatam Canonicorum, aut Civitatis ipsius, sed publicam quoque studiosorum utilitatem proveniunt, copiosius paulo, quam à te nuper, in postremis ad te meis explicata fuerint, nunc à me, & in responsione ad te mea, proferantur in medium. Atque ut ab illis incipiam, quæ majoris Templi *Reatini*, perinde, ac Canonicorum rebus non minimum deserviunt: Neminem eorum qui paulo diligentius in sacris annalibus versati sunt, latere puto, magnam Ecclesiam *Constantinopolitanam*, quod amplissima haberet variis in provincis prædia, alia scilicet in *Ponto*, alia in *Asia*, & alibi locorum, centum idcirco Chartularios in novem classes distinctos, constituisse, qui contractus emphyteuticos, ejusque prædiorum Locationes, Venditiones, Pensiones, cæteraque ad ipsam Ecclesiam spectantia, notabant. Sed quorsum amabo tantum diligentiæ in id genus tabulis conficiendis, obsignandisque, afferre necessum erat? Nisi ut depromi ex Archivo possent, quoties ob maximam temporum intercapedinem, forensesque controversias, de earundem Locationum, Donationum, & ejusmodi rerum Pactis, Coventionibusque, aliqua dubitandi suboriebatur occasio. Hoc autem exemplum secutæ postea minores Ecclesiæ, suorum pariter negotiorum tabulas in Archivis, quanta fieri potuit diligentia, conservarunt; sed nulli forsan æque feliciter istud facere concessum fuit, ac *Reatinæ*, quæ velut ex communi quadam, & miserrima clade tot Instrumenta, sive ut loquitur *Codinus* συλλογίασμα χαρτῶα δικαιώματα, & ex illo Gretserus *tabulas ad Ecclesiæ jura pertinentes*, salvavit, ut innumeras Donationes, cum opus sit confirmare; Ecclesias, & possessiones quas sibi subditas habuit, maxima ex parte recensere; Episcoporum qui à sexcentis annis præfuerunt nomina proferre, ac veluti detenebrare, Privilegiorum denique suorum antiquitatem ostendere, jura tueri, & lites omnes quæ horum occasione concitari non infrequenter solent, depromptis ex Archivo suo, rerum ejusmodi vetustissimarum monumentis, tanquam ex armamentario telis, vincere nullo negotio, & superare possit. Nec immerito sane, *Reatinum* istud majoris Templi Archivum, reliquis ferme omnibus quæ sunt in *Italia*, præferendum esse censui. Quandoquidem nemini exploratum non est, pauca admodum Archiva, & Tabularia, inclementiæ, ac furori Barbarorum, aut domesticis civium inter se dissensionibus superfuisse; & in illis quidem quæ non funditus perierunt, vix ullum Instrumentum asservari, quod quingentorum, aut sexcentorum annorum vetustatem præ se ferat. Unde *Balthasar Bonifacius Tarvisinus* qui singularem librum de Archivis conscripsit, fatetur ingenue, antiquissimam membranam, quæ, ut ipsemet loquitur *in Urbis Tarvisinæ Dominico* reperiatur, esse *autogrophum quoddam annos ab hinc sexcentos confectum, in quod relata est* Legatio Canonicorum ad S. Pontificem, *pro confirmatione obtinenda ejus Episcopi, quem ipsi elegerant.* At vero nullus, meo judicio, *Reatini* Chartophylacii instaurationem evolvet, qui septingentorum, & octingentorum etiam annorum donationes sacras, codicillos, apochas, & similes tabulas in eo custodiri, summa cum admiratione non videat. Ac propterea dici facile non potest, quantum ex eo emolumenti, publicis etiam studiosorum hominum laboribus accedat. Nam quæ in eo membrana reperitur, quæ quantumvis minima sit, vel summi alicujus Pontificis nomen, aut tempus, locumve in quo, tunc temporis agebat, non explicet? vel Cardinalium munia, atque officia, dignitatesque non contineat? vel illustrium quarundam familiarum memoriam pene extinctam, non restituat? vel Episcoporum *Reatinorum* seriem, & multorum aliorum titulos, non ostendat? vel locorum appellationes antiquatas, Ecclesiarumque plurimarum, quæ temporis injuria collapsæ sunt, situm, & rudera non indicet? vel denique Urbi ipsi *Reatinæ*, non aliquem, ex memoria rerum in ea gestarum, splendorem conciliet? Quæ beneficia si quis parvi facienda ducat, næ profecto ille parum intelligere videtur, quid in literis optimum est; quid in antiquitate certum; quid in historia recte, fideliterque contexenda penitus necessarium: & sane quicunque ab inepta illa opinione quam longissime distat.

Is sapit, & mecum facit, & Jove judicat æquo.

Atque hac in re, cum discrepare judicium tuum à sententia mea, non existimem, tuebor me auctoritatis tuæ præsidio, si qui forte sint tam malis avibus nati, ut diversum sentire non erubescant, finemque huic longissimæ Epistolæ faciam, si prius tamen enixe à te postulavero, ut Illustrissimo Marchioni *Adriano Canali*, & *Hippolyto Vecchiarello*, ac *Alexandro Vicentino* nobilissimis viris, & in me munificentissimis, studium, officium, voluntatem, & observantiam meo nomine perpetuam, polliceare. Vale dabam *Romæ* XIV. Kalend. Decembris, anno MCDXL.

SYNOPSIS ARMARIORUM.

GABRIELIS NAUDÆI TABULARII ECCLESIÆ CATHEDRALIS REATINÆ INSTAURATIO.

ARMARIUM PRIMUM

Continet Tabulas pertinentes ad negotia Sedis Rom. & Summorum Pontificum.

FASCICULUS A.

Complectitur Bullas pro institutione quorundam festorum dierum.

1 BULLA *Bonifacii IX.* super celebratione Festivitatis B. V. Mariæ, ab *Urbano VI.* institutæ, VI. id. April. Pontif. sui anno XI.; & recitatione Officii, ac Indulgentiarum publicatione, quæ omnibus Ecclesiam eo die visitantibus, &c. ab eodem *Bonifacio* conceduntur. Dat. Romæ apud S. Petrum V. idus Novemb. Pontificat. ejusdem anno primo.

2 Bulla *Martini V.* qua Indulgentias ab *Urbano IV.* concessas omnibus Christi Corporis festum celebrantibus, & confirmat, & novas largitur, sub certis conditionibus in eadem Bulla expressis. Dat. Romæ apud SS. Apostolos, VII. Kalend. Junii, Pontificatus ejusdem anno XII.

3 Bulla *Eugenii IV.* qua præter Indulgentias dudum ante à prædecessoribus suis *Urbano IV.* & *Martino V.* omnibus festum Corporis Christi celebrantibus concessas, centum dies illis de novo indulget. Dat. Romæ apud S. Petrum anno 1433. septimo Kalend. Junii, Pontificat. ejusdem anno tertio.

FASCICULUS B.

Est eorum quæ ad Honestatem, & reformationem Ecclesiasticorum spectant.

1 Bulla *Alexandri PP. IV.* directa, *Episcopo Reatino*, ac aliis Ecclesiarum Prælatis, ordinariam in subditos obtinentibus potestatem, qua illos primum exhortatur, ut honeste & caste vivant, tum etiam ut inquirant diligenter de incontinentiæ fœditatibus, in clericis præsertim concubinariis manifestis, & absque omni appellatione, eos debita pœna afficiant. Dat. Anagniæ XIII. Kalend. Martii, Pontificatus ejusdem anno quinto.

2 Bulla *Clementis VI.* qua *Episcopo Reatino* committit, quatenus per aliquem hominem idoneum, visitet, & procuret visitari Monasteria, Loca, Capitula, & Collegia Secularia, & Regularia, ut pro auctoritate Apostolica corrigenda in illis corrigat, & omnia exequatur quæ ad visitationis officium cognoverit pertinere. Dat. Avenioni XII. Kalend. Maji Pontificatus ejusdem anno XII.

FASCICULUS C.

Destinatus est revocationibus quorundam Indultorum, & Privilegiorum.

1 Revocatio facta ab *Eugenio IV.* concessionum omnium, quibus ipse derogare visus est Decretali super Cathedram, à *Bonifacio VIII.* de Juribus Parochialibus editæ, & in Concilio Viennensi innovatæ. Dat. Florentiæ anno Domini 1242. III. idus Decembr. Pontific. ejusdem anno XII.

2 Revocatio facta à *Nicolao V.* anno Domini 1451. V. Kalend. Decembr. Pontific. ejus anno V. privilegiorum omnium, & exemptionum à decimis solvendis, aliorumque ejusmodi indultorum, quæ ipse alias concesserat Fratribus Eremitanis S. Augustini, propter continua jurgia, quæ causa dictarum exemptionum inter Fratres Eremitanos, & Episcopos, Rectoresque Ecclesiarum ac aliorum Ordinum sodales quotidie oriebantur.

FASCICULUS D.

Est de exactione decimarum, & recuperatione bonorum Ecclesiasticorum.

1 Breve *Urbani IV. Episcopo Reatino*, quatenus iterato, ac peremptorie citare procuret, Nobilem virum *Offreducium de Miranda* Potestatem Civitatis Reatinæ, ut intra certum tempus, coram Sanctissimo compareat, pariturus præcise super restitutione *Roccæ de Miranda*, quam ad Romanam Ecclesiam pertinentem detinet, eique contumaci, & renitenti obedire, futurum denunciet, Pontificem dure, ac aspere, spiritualiter, ac temporaliter in eum acturum esse, & pœnas omnibus modis sumpturum ejus contumaciæ. Dat. apud Urbem Veterem idib. Decemb. Pontif. ejusdem anno II.

2. Breve *Urbani IV.* directum *eidem Episcopo* ut literas securitatis quas *Offreducius*, *Bonus Comes*, & *Marcuccius de Miranda*, ab eodem Pontifice postulabant, illis exhibeat. Dat. apud Urbem Veterem, XV. Kalend. Novembris, Pontificatus ejusdem anno II.

3 Transumptum authenticatum Bullæ *Joannis XXII.* directæ *Stephano Lasconio* Canonico S. Mariæ Majoris Pictavien. & Patrimonii Beati Petri in Tuscia Thesaurario, pro recuperatione quorundam legatorum, & executione testamentorum, quæ à variis personis ex devotionis affectu in favorem Romanæ Ecclesiæ illis in partibus, ac etiam in Tudertina, & Reatina Civitatibus, facta fuerunt. Dat. Avenioni II. Kalen. Febr. Pont. ejusdem anno XVI.

4 Executio Bullæ *Urbani V.* datæ Avenioni III. Kalend. Februar. & Pontificat. ejusdem an-

no primo, pro impositione subsidii Triennalis, A seu exactione decimarum in triennium, omnium fructuum, & redituum Ecclesiasticorum, facta per *Joannem Episcopum Urbevetanum* in Patrimonio B. Petri, Campanea Maritima, Ducatu Spoletino, locisque adjacentibus, & Marchia Anconitana Apostolicæ Sedis Nuncium, & in Urbe Vicarium, nec non Collectorem prædictæ decimæ triennalis, in partibus, Provinciis, & locis enumeratis per Sedem Apostolicam specialiter deputatum, qui dictas decimas mandat per proprios Episcopos in suis Diœcesibus exigi, per literas Avenioni datas, sub anno Domini 1365. indictione 1. die 14. mensis Augusti, Pontific. B supradicti *Urbani V.* anno primo.

FASCICULUS E.

Complectitur acta contra Manfredum Principem Tarentinum, & ejus fautores, ac Saracenos Nuceriæ, & alios Ecclesiæ hostes.

1 BReve *Urbani IV.* quo excommunicatos pronuntiat omnes illos, qui victualia, aut alia ad expeditionem necessaria, deferunt ad exercitus Saracenorum, Theutonum, aliorumque in ipsorum servitio commorantium. Dat. apud Urbem Veterem in Platea ante Ecclesiam Fratrum C Prædicatorum, XIII. Kalend. Augusti, Pontificat. ejusdem anno tertio.

2 *Decretum Urbani IV.* super Cruciata publicanda ab *Episcopo Reatino*, & Viris Religiosis ab eo deputatis, contra *Manfredum* quondam Principem Tarentinum, & omnes ejus fautores, & asseclas S. R. E. infensissimos hostes. Dat. apud Urbem Veterem v. Kalend. Augusti, Pontific. ejusdem Pontificis anno tertio.

3 Bulla *Urbani IV.* qua *Joannem de Marerio*, *Pandulphum de Alabro*, nec non *Dominos Roccæ Acarini*, sententiæ excommunicationis, latæ contra *Manfredum* quondam Principem Tarentinum, D ejusque fautores, & complices subjacere denuntiat, eosque excommunicat, & tam ipsos, quam eorum parentes bonis omnibus, & dignitatibus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus, quas in Terris Ecclesiæ possident, auctoritate Apostolica spoliat, privatque, nisi intra Kalendas Augusti proxime venturi, ab omni favore, quem prædicto Manfredo & Saracenis exhibent, desistentes, compareant personaliter coram eodem summo Pontifice, parituri mandatis omnibus, & exhibituri, cautiones idoneas, quas ab eisdem duxerit exigendas. Actum apud Urbem Veterem, in Platea ante Ecclesiam Fratrum Prædicatorum, E XIII. Kalend. Augusti, Pontific. ejusdem summi Pontificis anno tertio.

12 4 Literæ fiduciariæ *Urbani IV.* directæ *Episcopo Reatino*, quibus illi injungit, ut *Tudino de Regia* Ostiario suo, earundemque latori fidem adhibeat, super his omnibus, quæ circa Romanæ Ecclesiæ negotia illi exponet. Dat. Viterbii, xv. Kalend. Novembr. Pontific. ejusdem anno primo.

5 Decretum *Clementis* .... super Cruciata publicanda ab *Episcopo Reatino*, & Viris Religiosis ab eo deputatis, contra *Conradinum* hostem Ecclesiæ juratum, & dilecti ejus filii *C. Siciliæ Re-* F *gis*, cum elargitione earundem indulgentiarum, omnibus dictam Cruciatam amplexantibus, quæ conceduntur laborantibus in subsidium Terræ Sanctæ. Dat. Viterbii, XI. Kalend. Septembr. Pontific. ejusdem quarto.

ARMARIUM II.

Negotiis Episcoporum, separatim à capitulo dicatum est.

FASCICULUS A.

Continet privilegia, & indulta concessa ipsis Episcopis à Summis Pontificibus.

1 COncessio Diœcesis *Ecclesiæ Reatinæ*, & Ecclesiarum omnium illi subjectarum, facta venerabili in Christo Patri *Dodoni Episcopo Reatino*, ab *Anastasio IV.* anno ejusdem Pontificatus primo, incarnationis vero Dominicæ 1153. nono Kalend. .... indict. prima.

2 Breve *Innocentii IV.* Dat. Perusii, xv. Kalend. Aprilis, Pontific. ejusdem anno IX., quo facultatem concedit *Episcopo Reatino*, revocandi ad mensam Episcopalem, bona omnia, quæ ab ejus antecessoribus, vel aliis quibuscunque personis, illicite ab eadem mensa alienata sunt, non obstantibus literis Apostolicis impetratis in contrarium.

3 Breve ejusdem *Innocentii IV.* Datum Perusii, XII. Kalend. Aprilis, Pontificatus ejusdem anno IX. quo *T. Episcopo Reatino*, concedit, ne per Sedis Apostolicæ, aut Legatorum suorum literas, in quibus ipse non fuerit executor deputatus, cuiquam de dignitatibus, præbendis, & beneficiis, in dicta Civitate, vel ejus Diœcesi vacantibus, debeat providere.

4 Facultas concessa *Episcopo Reatino*, ab *Innocentio IV.* Perusii tunc commorante, x. Kalend. Aprilis, anno Pontific. ejus IX. ut inquirere possit, tam de clericis, quam de laicis beneficia per concessiones, & occupationes illicitas, in sua Diœcesi obtinentibus.

5 Facultas concessa ab eodem *Innocentio IV.* *Episcopo Reatino* annis & loco ut supra, v. Kalend. Aprilis, ut, licet multi *Ecclesiæ Reatinæ* subditi, excommunicationis vinculis detineantur, ob favorem, & auxilium præstitum *Federico Imperatori*, communicare tamen cum illis possit, sed in his dummtaxat, quæ possunt esse causa eorum salutis, & in Ecclesiæ Romanæ obsequium redundare.

6 Breve *Innocentii IV.* Dat. Asisii, XVI. Kalend. 13 Junii, Pontific. ejusdem anno x. quo facultatem concedit *Episcopo Reatino*, ut Prælatos, & Clericos suæ Diœcesis, qui ecclesiastica beneficia obtinent, nec ad sacros ordines promoveri curant, dictis beneficiis privare, non obstantibus quibuscunque privilegiis in contrarium, possit.

FASCICULUS B.

Continet ordinationes quasdam, & constitutiones factas ab Episcopis, pro bono regimine Canonicorum, aliorumque Clericorum.

1 STatuta *Rainaldi Episcopi Reatini*, quibus Capitulum Reatinum, ad bonos, & honestos mores excitare contendit, prohibetque Canonicis, ne sibi invicem damna, aut injurias inferant, sub pœnis in dicta constitutione explicatis. Dat. Reate septimo idus Martii anno 1250.

2 Constitutio *Joannis Episcopi Reatini*, facta anno Domini 1303. die Oct. Jan. temporibus *Bonifacii Papæ VIII.* contra Canonicos, aliquid in auctoritatem Episcopi, aut bonorum, & redituum ejus moventes; nec referentes ad ipsum, si quid ejusmodi factum ab aliis viderint, aut fieri debere, audiverint.

FA-

FASCICULUS C.

Continet acta Rainaldi Episcopi, sub anno Domini 1221. & sequentibus.

1 VIginti Chartæ, & Instrumenta diversa litis contestatæ, & tandem decisæ in favorem *D. Rainaldi Episcopi*, contra Capitulum, & Clericos *S. Silvestri de Petra Battuta*, agentes tam pro se, quam pro Ecclesiis *S. Petri de Cornu*, *S. Thomæ de Viliano*, *S. Nicolai de Rivo torto*, & *S. Hippolyti de Siculo*, eidem Capitulo subjectis, super possessione, vel quasi juris, & rationum quarundam Episcopalium, ac subjectionis exhibendæ Episcopo, ab ejusmodi Ecclesiarum clericis, quæ omnia acta fuerunt sub duobus delegatis Judicibus, temporibus *Gregorii IX.* ab anno 1231. ad 1233.

2 Sententia interlocutoria, lata à Domino *Theodino Furconensi Episcopo*, in favorem *Episcopi Reatini*, contra Abbatem *S. Silvestri de Petra Battuta*, anno Domini 1220. indictione 8. mensis Martii, die 12.

3 Sententia lata à *Berardo Spranger* Judice Reatino, ex consensu Domini *R. Episcopi Reatini*, super lite vertente inter Presbyterum Nicolaum Oeconomum Ecclesiæ Reatinæ, pro ipsa Ecclesia, & Joannem ac Petrum fratres filios quondam *Berardi Theodescali* ab alia super petitione unius petiæ terræ, positæ in *Massa Cararia*. Dat. anno Domini 1222. *Honorii III.* anno VII.

4 Sententia arbitraria Domini *R. Episcopi Reatini*, & *Berardi Sprangonis*, supra quæstione de
14 uno Casalitio, posito in porta *Carceraria*, quæ vertitur inter Lotharium, œconomum majoris *Ecclesiæ Reatinæ*, pro ipsa Ecclesia, & Matthæum *S. Bartholomæi de Matela*, pro eadem Ecclesia, data in favorem Lotharii, anno 1226.

FASCICULUS D.

Complectitur acta Thomæ Episcopi, sub anno Domini 1250. & sequentibus.

1 BUlla *Innocentii IV.* directa Populo, Civitatis, & Diœcesis Reat. super electione Magistri *Thomæ* in *Episcopum Reatinum*, Dat. Perusf. nonis Februarii. Pontificat. ejusdem, anno IX.

2 Sententia arbitraria, lata à *D. T. Episcopo Reatino*, anno 1252. super lite, quæ vertebatur inter Capitulum, & Jacobum Pasinelli Canonicum *Sancti Eleuterii*, qua decernit ut Capitulum Reatinum, prædictum Pasinellum accipiat in fratrem, & locum ei in Capitulo, ac stallum in choro assignet, sub conditionibus tamen, in prædicta sententia relatis.

3 Duæ sententiæ arbitrariæ, latæ à *D. T. Episcopo Reatino*, Prima inter Capitulum Reatinum, & Magistrum *Nicolaum* Scriptorem D. Papæ, super occasione Præbendæ, quam idem Nicolaus petebat in *Ecclesia Reatina*, per literas Apostolicas, lata anno Domini 1232. tempore *Innocentii IV.* Secunda vero inter prædictum Capitulum, ex una parte, & Andream Impernadorum Canonicum *S. Eleuterii*, occasione alterius Præbendæ, similiter ab eo, per literas Apostolicas impetratæ, lata anno, & mense ut supra, in utroque vero pronuntiat *D. Thomas*, ut prædicti Nicolaus, & Andreas in Canonicos recipiantur, sed distributiones quotidianas non percipiant, &c.

4 Sententia Arbitraria ejusdem tenoris cum præcedentibus, lata anno 1253. ab eodem Epi-
A scopo, super lite pro eadem causa vertente inter Capitulum, & Simonem Jacobi.

5 Mandatum Procuræ, factum à *D. Thoma Episcopo*, in personam D. Joannis de *Sancto Joanne*, ad comparendum coram Matthia Gaurentii, & Jacobo Saraceno Canonicis Reat. & Magistro Philippo Canonico *Sancti Rufi*, judicibus arbitrariis, ad pronunciandum, super lite vertente inter dictum Episcopum, ac Capitul. Reat. ex una parte, & filios quondam Berardi de Sancto Georgio, occasione Casalitii positi in *populario S. Georgii* sub anno Domini 1253.

6 Sententia arbitraria *D. Thomæ Episcopi Reat.*
B inter Angelum Oeconomum *Ecclesiæ Reatinæ* ex una, & Angelum Oeconomum, & Monachum Ecclesiæ *S. Pastoris* ex altera, super duabus petiis terræ, quarum prædictus *D. Thomas* medietatem unam assignat *Ecclesiæ Reatinæ*, & alteram Ecclesiæ *S. Pastoris*, sub anno Domini 1254.

7 Literæ monitoriales *D. Thomæ Episcopi* contra detinentes *Castrum Collis Baccari*, publicatæ in pulpito majoris Ecclesiæ, quatenus citati no- 15
minatim compareant, intra certum tempus, coram dicto *D. Episcopo*, rationem occupationis dicti Castri, & damnorum quæ ex ea *Ecclesiæ Reatinæ* proveniunt, reddituri sub anno Domini
C 1261.

8 Sententia excommunicationis, contra detinentes Castrum *Collis Baccari*, lata ab *Episcopo Thoma*, apud *S. Laurentium de Quintiliano*, 1261. & deinde in Ecclesia *S. Andreæ Collis Baccari*.

9 Compromissum in personam *D. Thomæ Episcopi Reatini*, pro sententia ejus arbitraria, super lite, quæ versatur inter Anastasium Cifredi Procuratorem *Ecclesiæ Reatinæ*, & quosdam privatos de familia *Saxi*, circa possessiones quasdam *Collis Baccari* intus, & extra, factum anno Domini 1261.

D 10 Sententia arbitraria lata anno Domini 1261. inter œconomos *Ecclesiæ Reatinæ* & quosdam privatos, super *Cæsarea Casali*, & pertinentiis suis à *D. Thoma Episcopo Reatino*, qui prædictas possessiones, *Ecclesiæ majori Reatinæ* adjudicavit.

FASCICULUS E.

Continet acta Episcoporum N. Petri, & Andreæ.

1 BUlla *Clementis IV.* directa *Episcopo Tiburtino*, quem cum promovere vellet ad *Ecclesiam Reatinam*, idcirco ei injungit, ut ad se ve-
E niat, simulque Capitulo Tiburtino inhibet, ne procedat ad electionem alterius Episcopi, priusquam à se cum delectis quibusdam Canonicis ex reliquorum numero, de pastore ipsis præficiendo, deliberatum fuerit. Dat. Perusii anno X. Pontificat. ejusdem.

2 Decretum Magistri *Guillelmi de Urbeveteri* potestatis Reatini, quod cognitio accusationis factæ per juratum *Villæ S. Philippi*, contra Petrum Jacobi de dicto loco, super vulnere illato Angelæ de *vena rubra*, non pertineat ad se, quoniam constat dictum Petrum, esse vassallum *Ecclesiæ Reatinæ* anno Domini 1282.

F 3 Commissio data Archipresbyteris *S. Pauli*, & *S. Juliani de Lavareto*, Reat. Diœcef. à *Petro Episcopo Reatino*, ut absolvant Magistrum Thomam de *Popleto* Rectorem dicti loci, ab excommunicatione, præstito tamen prius juramento fidelitatis, & obedientiæ *Episcopo Reatino*, sub anno Domini 1282.

4 Sententia *D. Rainaldi de Castillione* Aretini, Judicis maleficiorum Civitatis Reatinæ, in qua

rescindit sententiam alias latam, contra quosdam vassallos *D. Petri Episcopi*, & ab ipsius Tribunali dependentes tantummodo, sub anno 1282.

5 Mandatum Procuræ Angeli Abbatis *S. Silvestri de Petra Battuta*, & Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, in personam Archipresbyteri *S. Thomæ de Valliano*, ad præsentandum se nomine dicti Abbatis, & Capituli coram *D. Petro de Roma* Vicario Episcopi Reatini, ad petendum beneficium
16 absolutionis ab ex communicatione lata in ipsos per dictum Episcopum, Dat. anno Domini 1282.

6 Constitutio Procuratoris, apud Curiam D. Papæ, pro Domino *Andrea Reatino Episcopo*, facta anno Domini 1286.

FASCICULUS F.

Continet acta Raymundi Episcopi.

1 BUlla *Clementis VI.* directa Civitati Reatinæ, super electione *D. Raymundi in Episcopum Reatinum*, propter obitum *D. Thomæ*, olim Episcopi dicti loci. Dat. Avenioni, Pontif. anno primo.

2 Provocatio Matthæi Cifredi à sententia Vicarii Potestatis Reatini, ad sententiam *D. Raymundi Episcopi*, in causa vulneris illati à Ciccho Tudinotio, Berardo Congio presbytero Romano, anno Domini 1343.

Variæ scripturæ diversarum litium agitatarum coram Vicario *Raymundi Episcopi*, quarum multæ sunt sine nota temporis, aliæ vero annum 1344. præ se ferunt, omnes vero sunt nullius ferme momenti.

FASCICULUS G.

Continet acta Blasii Episcopi.

1 LIteræ Provisionis Episcopatus Reatini, pro Fratre *Blasio Reatino* olim *Episcopo Vicentino*, in locum *Raymundi*; translati ab eodem Episcopatu Reatino, ad *Urbevetanum*, per *Clementem VI.* Avenioni sedentem, IX. Kalend. Novembr. Pontificat. ejusdem anno VI.

2 Translatio Fratris *Blasii Reatini* ex Episcopatu *Vicentino* ad *Reatinum* tunc vacantem per mortem, D.R. significata Populo Civitatis Reatinæ, per *Clementem VI.* anno, & mense ut supra.

3 Eadem translatio significata clero Civitatis, & Diœcesis *Reatinæ* mense, & die ut supra.

4 Eadem translatio significata Capitulo *Ecclesiæ* Reatinæ,

5 Attestationes duæ, prima *Stephani Archiepiscopi Tholosani* S. D. Papæ Camerarii, quomodo Frater *Blasius* sedem Apostolicam pro biennio proxime transacto, visitaverat per Matthæum de Reate, Capellanum *D. Raynaldi S. Adriani Diaconi Cardinalis* Procuratorem suum 1359. Secunda *Arnaldi Archiepiscopi Auxitani* pro anno 1365.

6 Commissio data à Fratre *Blasio Episcopo Reatino*, Fratri Jacobo Janutii Guardiano Fratrum, & loci S. Francisci de Reate, pro executione testamenti Transarici Fructii de Labro sub anno Domini 1349. mensis Decembris die 22.

7 Tria mandata Procuræ, Primum Fratris *Blasii* in personam Bartholomæi de Reate Canonici Sabinensis, ad comparendum coram Reverend. Patre *Egidio Episcopo Sabinensi*, & Apostolicæ Sedis Legato, ejusque Curiæ Auditore, in causa vertente inter dictum Episcopum, ac Canonicos Reatinos, & Priorem, ac fratres *Hospi-*
17 *talis sanctæ Mariæ de Misericordia de Reate* ex parte una, & filios q. Matthei Pasinelli ex altera &c.

A Dat. anno Domini 1362. indictione 15. Secundum vero est ejusdem Bartholomæi de Reate, subdelegantis in locum suum, alios procuratores nominatos in instrumento, anno, & indictione iisdem; tertium denique est *Fratris Blasii* approbantis dictos procuratores, ab eodem Bartholomæo subdelegatos, anno, & indictione iisdem.

8 Breve *Urbani Papæ V.* directum *Fratri Blasio Episcopo Reatino*, ut *Lippum de Marerio*, & *Nicolaum Butii de Romangia*, domicellos Reatinæ Diœcesf. graviter inter se dissentientes, exhortationibus opportunis, & alias prout ipsi videbitur, auctoritate Apostolica concordes inter se fa-
B ciat. Dat. Romæ apud S. Petrum Pontificat. ejusdem anno VI.

9 Sententia degradationis, & carceris perpetui, lata à Fr. *Blasio Episcopo Reatino* contra Lucam clericum Ecclesiæ *S. Rustici de Valle Introduci*, qui alium clericum occiderat. sub anno Domini 1369.

10 Confirmatio statutorum Confraternitatis, ut puto, *S. Mariæ* à Fr. *Blasio Episcopo Reatino*, absque nota loci, vel temporis.

FASCICULUS H.

C *Continet acta Ludovici Episcopi.*

1 NOvendecim chartæ simul ligatæ, & notatæ eadem litera, partim dilationis concessæ *Ludovico Episcopo Reatino* à Camerario sancti Collegii, pro solutione communium, & minutorum servitiorum, quæ familiaribus dicti Collegii, solvi ab Episcopis debent: partim etiam quietationum dictæ solutionis, diversis temporibus factæ.

2 Attestationes tres *Conradi Archiepiscopi Nicosiensis*, & d. P. Camerarii, quomodo *Ludovicus Episcopus Reatinus*, Romanam Curiam, citra
D montes existentem, per Vicarium suum visitavit.

3 Sententia arbitraria, lata in favorem *Ludovici de Theodenariis Episcopi Reatini*, contra Paulum Colellam de Casellis, super rationibus quas dictus D. Episcopus, & Capitulum, habebant in molendinis de *Lecatesta* in aqua *Canthari*, cum determinatione dierum ad macinandum, sub anno Domini 1420. mensis Decembr. die 13.

FASCICULUS I.

Continet acta Matthiæ Episcopi.

E

1 DIploma *Eugenii IV.* in favorem *D. Matthiæ Episcopi Reatini*, ut destinatus ad certas Italiæ partes pro Sedis Apostolicæ negotiis, non teneatur solvere vectigalia, gabellas, &c. tam pro se, quam suis familiaribus, ad numerum XX. personarum. Datum Ferrariæ anno 1438.

2 Bulla *Nicolai V.* super authenticatione trans- 18
sumpti Bullæ *Eugenii IV.* pro revocatione concessionem omnium, adversus decretalem *Bonifacii VIII.* super Cathedram, de juribus Parochiarum, directa *Matthiæ Episcopo Reatino*, qui prædictæ Bullæ *Eugenii* copiam, sibi ex Registro originali mandari postulabat. Dat. Romæ apud S. Petrum anno 1447.

3 Instrumentum mutui seu depositi 50. florenorum, quos Cola Martini de *Valle Cupola* fatetur se accepisse à *D. Matthia Episcopo Reatino* in depositum, & ex causa depositi, &c. factum anno Domini 1449.

FA-

FASCICULUS K.

Continet acta Angeli Episcopi Reatini.

BUlla *Nicolai V.* directa Clero Civitatis Reatinæ, super electione à se facta *Angeli* tum *Episcopi Esculani*, in *Episcopum Reatinum*, cum *Ecclesia Reatina* vacaret, per obitum *Matthiæ*. Dat. Assisii, anno 1450. Pontificat. ejusdem anno IV.

2 Eadem translatio significata Populo Civitatis, & Diœcesis Reatinæ, iisdem anno, mense, & die.

3 Bulla *Nicolai V.* directa .... *Interamnensi Episcopis*, quatenus ab *Angelo Episcopo Reatino*, fidelitatis debitæ solitum recipiant juramentum. Dat. Assisii iisdem anno, mense, & die ut supra.

FASCICULUS L.

Continet acta Dominici Episcopi Reatini.

1 FAcultas concessa à *Paulo II.* anno Domini 1465. *Dominico de Reate* Canonico Ecclesiæ B. M. Majoris, quatenus possit fructus suorum beneficiorum percipere in absentia, exceptis tamen distributionibus quotidianis.

2 Collatio Præpositura: *S. Cæciliæ* in personam *D. de Reate* Decretorum Doctoris à *Paulo II.* Dat. Romæ apud S. Marcum anno 1467.

3 Bulla *Pauli II.* qua concedit *Angelo Cardinali*, ut *Ecclesiam Reatinam* transferre possit in personam *Dominici de Reate*, cum reservatione pensionis ducentorum florenorum auri, sub anno 1468.

4 Bulla *Pauli II.* directa Populo Reatino, super electione *Dominici de Reate*, in Episcopum dictæ Civitatis. Dat. Romæ anno 1468.

5 Electio ejusdem, significata Capitulo *Ecclesiæ Reatinæ*.

6 Forma juramenti facti à *Dominico Reatino* perpetuo Commendatario Monasterii *S. Eutychii Nursiæ* Ordinis S. Benedicti, &c.

7 Quietatio *Marci Cardinalis tituli S. Marci Episcopi Vicentini*, facta *Dominico electo Reatino*, pro solutione communis servitii, anno 1469.

8 Bulla *Pauli II.* directa *Dominico Episcopo Reatino* Civitatum Reatinæ, & Interamnensis Gubernatori, qua prædictum munus illi committit, pro uno anno. Dat. Romæ anno 1469.

9 Extinctio pensionis 200. florenorum, quam
19 *Angelus Cardinalis* sibi reservaverat, super Episcopatu Reatino, cum illum renunciavit *Dominico de Reate*, Dat. Romæ anno 1473.

10 Diploma *Sixti IV.* in favorem *Dominici Episcopi Reatini* Legati tunc à Latere in diversas Terræ partes, ut non teneatur solvere dacia, gabellas, &c. pro se, aut familiaribus usque ad numerum 30. personarum. Dat. Romæ anno 1465.

11 Bulla *Sixti IV.* directa *Dominico Episcopo Reatino* in Civitate Perusiæ Gubernatori, qua prædictum munus illi committit, sub an. 1476.

12 Fasciculus Brevium diversorum, directorum *Dominico Episcopo Reatino*, à diversis Pontificibus, quando fungebatur muneribus Gubernatoris Reatini, Interamnensis, Perusini, & Legati à Latere, sunt autem omnia non magni momenti.

13 Mandatum procuræ factum anno Domini 1476. ab *Episcopo Tusculano Cardinale de Ursinis*, D. Papæ Camerario, in personam *Dominici Episcopi Reatini*, ad petendum, & exigendum, tam à Collectoribus, quam aliis subsidium impositum à *Sixto IV.* pro necessitatibus belli contra Turcas suscepti.

14 Commissio data à *Sixto IV. Dominico Episcopo Reatino*, & Civitatis Cæsenæ Gubernatori, ut in absentia *Alexandri Episcopi Foroliviensis*, procedat, cum adjunctis sibi Domino *Joanne Cæsenatensi*, ad degradationem Clericorum nonnullorum Foroliviensium qui graves excessus perpetrare non veriti fuerant. Dat. Romæ anno Domini 1480.

16 Testamentum *Dominici Episcopi Reatini*, factum anno Domini 1480. die V. mensis Novembris, in Civitate Cæsenæ, in Camera Papali solitæ residentiæ præfati Domini Episcopi Gubernatoris dictæ Civitatis, præsentibus nominatis in dicto instrumento, &c.

Licentia concessa *Dominico Reatino*, & ejusdem patri, & matri, eligendi sibi Confessorem, qui semel in vita, eos absolvat ab omnibus peccatis reservatis, ob contributionem duorum ducatorum de Camera, in subsidium Terræ sanctæ, sub anno Domini 1457.

17 Executoriale Collationis Canonicatus S. Mariæ Majoris de Urbe, factæ à *Pio Secundo*, *Dominico Reatino* Cardinalis Angeli Capellano continuo, & commensali sub anno Domini 1463.

ARMARIUM III.

Complectitur Tabulas Capituli, & Canonicorum separatim ab Episcopo.

FASCICULUS A.

Continet exemptiones quasdam, & privilegia indulta Capitulo, à S. Pontificibus, & aliis Personis.

1 COnceffio alienationis quarundam terrarum, in *Cesenario*, *Le pedate*, & aliis locis Diœcesis Reatinæ existentium, facta capitulo prædictæ Ecclesiæ, ab *Innocentio VIII.* sub annum 1484. 20

2 Commissio data Præposito *S. Cæciliæ* Reatinæ ab *Antonio Tituli S. Praxedis Cardinale*, Perusiæ, Umbriæque Legato, quatenus videat, ut licentia, quam sibi dari postulant Canonici Reatini, alienandi quasdam possessiones, & domos collabentes, debite, & observatis conditionibus in bulla *Pauli II.* enumeratis, concedatur. Dat. Interamnæ, anno 1514.

3 Facultas concessa Capitulo Reatino, alienandi quasdam petiolas terræ, quarum tamen census annuus quinque ducatos non excedat, pro expensis in effodiendo emissario *lacus Velini* faciendis, sub anno 1546.

4 Breve *Clementis VIII.* quo facultas conceditur Capitulo Reatino, locandi bona ad mensam Capitularem pertinentia, ad novennium, & non ultra, ac sub certis conditionibus, sub anno Domini 1612.

5 Breve *Pauli III.* quo Canonici Reatini eximuntur à solutione decimarum, tunc, & pro tempore ab eodem summo Pontifice impositarum. Datum Romæ 1535.

6 Sententia *Joannis Dominici Spinulæ* pro confirmatione exemptionis gabellarum profanarum, qua gaudere solet Ecclesia Reatina. Datum Romæ 1627.

FASCICULUS B.

Continet quasdam constitutiones, & conventiones Canonicorum, ordinationesque pro bono regimine Capituli, & mensæ communis, ac aliquoties etiam contra Episcopum.

1 LIber quidam ex pergameno confectus, foliorum 14. in quo continentur adæquationes beneficiorum, aliorumque redituum Capituli Reatini, factæ annis 1278. & sequenti. Electio

Rainerii Sinibaldi in Camerarium Ecclesiæ, cum A
conditionibus dicti officii 1282. Divisio decimarum *Ecclesiæ Reatinæ*. Servitia, & encænia, quæ debent *Ecclesiæ Reatinæ* vassalli de *Valle Ganeria*. Encænia quæ Canonicis fieri solent visitantibus *Ecclesias Civitatis Reatinæ* in die earundem festo, &c.

2 Appellatio Gualterii du Bre, & Rainaldi Paramani Oeconomorum Cleri Reatini, de sententia excommunicationis latæ ab *Episcopo Reatino* in prædictum Clerum, ex eo quod non ordinaverit, qualiter Legati, Nuncii, & Cursores D. Papæ procurarentur, sub anno Domini 1285.

3 Constitutio Procuratoris per Capitulum, & Canonicos *Ecclesiæ Reatinæ*, ad comparendum B
coram *Episcopo Reatino*, & supplicandum, quod placeat illi recognoscere, confirmationem Prælatorum Civitatis, pertinere communiter ad Episcopum, & Canonicos Ecclesiæ prædictæ. sub anno Domini 1335.

4 Statuta, & Capitula facta à Canonicis *Ecclesiæ Reatinæ* pro bono, & tranquillo statu dictæ Ecclesiæ, & conservatione bonorum, ac jurium
21 ejusdem, authenticata, ut fieri potuit, meliori modo; & observanda inter prædictos Canonicos, sub pœna xxv. florenor. auri acta in choro ipsius Ecclesiæ anno 1330.

5 Revocatio terrarum, & possessionum, ad C
mensam Capitularem, quas tenebat in feudum D. Joannes Magistri Andreæ Canonici Reatini, sub anno 1319.

6 Duo mandata Procuræ, quorum primum est Canonicorum Reatin. in Personam Thomæ Vincentii, ad comparendum in audientia D. Papæ, sub anno 1261. Alterum est eorundem Canonicorum, factum anno 1346. in Personam D. Baldovini Archipresbyteri *S. Laurentii de Quintiliano*, beneficiarium dictæ majoris *Ecclesiæ Reat.* ad appellationem interponendam, de quibusdam literis *D. Bertrandi* Rectoris Patrimonii D. Petri, quibus præcipiebat dictis Canonicis, ut denunciare deberent intra sex dies, Abbatem *Sancti Pastoris* D
excommunicationis vinculo esse irretitum, ob causas in dictis literis expressas, &c.

7 Constitutio Camerarii, & Oeconomi *Ecclesiæ Reat.* facta à Canonicis anno 1337.

8. Instrumentum quietationis factæ per Canonicos D. Sinibaldo præbendario, de toto tempore quo ipse fuit Oeconomus, & Procurator *Ecclesiæ Reatinæ*, Actum in sacristia anno 1346.

9 Registrum 50. foliorum chartæ ordinariæ, continens exemplaria, & notulas instrumentorum factorum à Capitulo, & Canonicis, de rebus, seu juribus dictæ Ecclesiæ, de quibus rogatus extitit Ludovicus Manus Notarius Reatinus, in- E
cipiuntque de mense Septembris 1544. usque ad 1555.

FASCICULUS C.

Continet excommunicationum sententias latas tam à Capitulo, quam in Capitulum.

1 Breve *Innocentii IV.* quo mandat Capitulo Reatino, ut relaxet sententiam excommunicationis, qua Joannes civis Reatinus innodatus ab eodem Capitulo fuerat, quoniam si secus fe- F
cerit quibusdam aliis judicibus committet, ut de eadem sententia cognoscant. Dat. Perusii, Pontificat. ejusdem anno x.

2 Sententia excommunicationis lata per Palmerium Berardi Canonicum, & obedientiarium *Ecclesiæ Reatinæ*, de mandato Capituli dictæ Ecclesiæ, contra Paulum Lambertum Contestabilem Militem Reatinum; propter damna ab ipso, Vassallis *Ecclesiæ Reatinæ* illata, sub anno Domini 1276.

3 Constitutio Procuratoris, per Canonicos Reatinos, ad lites, & causas pro dicta Ecclesia, contra *Episcopum*, cum juramento mutuæ defensionis, & auctoritate data Presbytero Joanni de Podio, excommunicandi omnes, ac singulos dicti Capituli, qui contra prædicta fecerunt. Dat. Reate anno Domini 1280. duodec. Kalend. Junii.

4 Responsio Cleri Reatini, super excommunicatione per ipsum publicanda, contra Matthæum 22
Domini Angeli Tusi, Canonicum Reatinum, & Abbatem Jacobum Canonicum *S. Joannis* de *Statua*, ex parte D. Joannis de Flaran Canonici *S. Petri*, & appellatio ab eodem mandato, facta ab ipso Clero Reatino, coram *Episcopo Reatino* anno 1312.

5 Breve *Joannis XXII.* directum Petro electo, & Jacobo Guerræ Canonico Anagniens. quatenus cognoscant de sententia excommunicationis, lata per Thomam Archipresbyterum *S. Joannis Euangelistæ*, & Conradum de Muro, in Capitulum Reatinum, ad instantiam Matthæi Senebaldutii clerici Reatini. Dat. Avenioni Kalend. Junii, Pontificat. ejusdem anno.

FASCICULUS D.

Continet Instrumenta variarum litium, tam active, quam passive agitatarum à Canonicis, & Capitulo Reatino.

1 Attestatio quomodo litteræ *D. Narniensis Episcopi* oblatæ fuerunt *D. Bertuldo* filio q. *Ducis Conradi Spoletini* & præfecto S. Mariæ de Reate, cum ejusdem responsione scandalosa, sub anno 1227.

2 Sex instrumenta litis controversæ inter Monasterium *S. Luciæ*, & *B. Agnetis*, & Capitulum *Ecclesiæ Reatinæ*, super donatione facta à D. Isabella, omnium suarum possessionum, dicto Monasterio, sub anno Domini 1252. cum sententia lata ab Episcopo Reatino, &c.

3 Duo instrumenta litis agitatæ, inter Matthæum Laurentii Canonicum Oeconomum *Ecclesiæ Reatinæ*, & Petrum Bosium in materia petitoria, & purgatione per juramentum, &c. sub anno 1256.

4 Commissio seu fides per Petrum Ferri electum Anagninum, in qua committit vices suas Collegis in literis ipsius nominatis, in causa quam Capitulum *Ecclesiæ Reatinæ* habebat, cum Matthæo Lunardi clerico Reatino, anno Domini 1320.

5 Appellatio ad Papam *Joannem XXII.* aut ad quemlibet alium, de sententia per lata Capitulum Reatinum, contra Matthæum Pandulfi præbendarium *Ecclesiæ Reatinæ* qua prædictum Capitulum, revocat ad mensam communem *Feudum S. Benedicti*, & omnia alia bona, quæ præter præbendam suam, præfatus Matthæus possidebat, de Ecclesia, &c. sub anno Domini 1330.

6 Sex instrumenta litis contestatæ inter *Episcopum*, & Capitulum Civitatis Reatinæ, contra Universitatem, & homines terræ *de Cantalicio*: sub auctoritate *Ducis de Alcala Vice Regis Neapolitani*, anno 1569. & arbitratione, *Ser. Madamæ Margaritæ ab Austria*, anno 1569.

7 Sententia evocationis litis vertentis inter Franciscum, & fratres suos filios Feliciani de Felicianis, ex una parte, & Canonicos *Ecclesiæ Reatinæ*, ac Paulum Raynerium ex altera, de, & super locatione cujusdam domus, & duarum apothecarum, ac prolatione locationis illarum, lata per *Hieronymum Matthæum*, anno Domini 1578.

8 Sententiæ duæ in favorem Capituli, pro re- 23
stitutione in pristinum statum, aquarum Canalis Can-

Cantari, quarum prima lata fuit contra Commune Reatinum, à Sebastiano Pighino, anno Domini 1541. Altera in Josephum, & Franciscum de Angelottis, ab *Hieronymo Macchiavello*, anno 1611.

9 Dicinove lettere volgari, scritte fra il Capitolo, & Canonici di Rieti & il loro Agente à Roma, per diversi negotii, fra quali i principali sono de i *Castellani*; dell'acqua del *Cantaro*; della cava delle *Marmore*; additur una latina *Roberti Regis*, super solutione decimæ biennalis, pro bonis quæ possidebat *Ecclesia Reatina*, in Regno Neapolitano.

10 Duodecim, aut plures chartæ condemnationis Magistri Palmerii Leonardi Canonici Reatini, & confiscationis bonorum ejus, quia videlicet condemnatus fuerat ab *Fratre Gentile* inquisitore tanquam *Patarenorum* fautor, sub anno 1262.

ARMARIUM IV.

Continet negotia Episcoporum, & Capituli simul unita, & conjuncta.

FASCICULUS A.

Continet indulta, & Brevia Summorum Pontificum in favorem Episcopi, & Canonicorum Ecclesiæ Reatinæ.

1 Breve *Honorii III.* pro abrogatione cujusdam sententiæ, latæ à Th. Judice, & aliis civibus Reatinis, in præjudicium Capituli, *& Ecclesiæ Reatinæ*, super invasione quarundam possessionum, & aquarum, ad prædictam Ecclesiam spectantium. dat. Laterani, Pontificatus ejusdem anno 8.

2 Breve *Clementis IV.* directum Capitaneo Regni Siciliæ, ut injurias prohibeat, quas nonnulli homines Civitatis *Aquilæ Episcopo*, & clericis *Reatinæ Ecclesiæ*, frequenter inferebant. Datum Viterbii, Pontificatus ejusdem anno quarto.

3 Aliud Breve prædicti *Clementis*, directum *Abbati Sancti Pastoris*, quatenus *Aquilensem Episcopum* moneat, ne Rectoribus, & clericis Ecclesiarum de *Amiterno* Reatinæ Diœcesis, ipsique *Episcopo Reatino*, negotium, ac molestiam ultra faceffat. Datum Viterbii eodem anno.

4 Breve *Innocentii IV.* quo concedit *Episcopo*, & Capitulo Reatino, ut nullius auctoritate cogantur, aliquos in Canonicorum ordinem recipere, præter quam Sedis Apostolicæ, aut ejusdem Legatorum. Dat. Lugduni, Pontificatus ejusdem anno sexto.

5 Aliud Breve *ejusdem*, directum *Episcopo Tudertino*, quatenus omnia bona Episcopatus Reatini, post obitum D. Episcopi, à quocunque temere occupata, ad jus, & commodum ejus successoris, & prædictæ Ecclesiæ, revocare procu-
24 ret. Dat. Lugduni eodem anno.

6 Aliud Breve *ejusdem* concessum *Episcopo*, & Canonicis Reatinis, quatenus recuperare possint, prout ad illos de jure spectare videbuntur, quasdam domos, & possessiones à laicis occupatas. Dat. Perusii, Pontificatus ejusdem anno decimo.

7 Aliud Breve *ejusdem* concessum *Episcopo*, & Canonicis Reatinis, ut prædia quædam, per quæ Urbs Reatina ambitum suorum murorum proferre volebat, dictæ Civitati, vendere possint, modo tamen istud fiat de consilio Guardiani fratrum minorum Reatinæ Diœcesis, Dat. Perusii eodem anno.

8 Aliud Breve *ejusdem*, directum *Episcopo Reatino*, quatenus quosdam Canonicos, & clericos suæ Diœcesis, qui rixas frequenter suscitant, &

A arma gerunt, omni appellatione remota, compescat, & in eosdem animadversione digna procedat. Dat. Laterani anno XI. Pontificatus ejusdem.

FASCICULUS B.

Continet privilegia, & concessiones Imperatorum, Regum, aliorumque Principum in favorem dictæ Ecclesiæ.

1 Diploma *Federici Romanorum Imperatoris*, quo *Episcopum Reatinum*, cum tota Ecclesia, in protectionem suam recipit; donationes ab aliis
B Imperatoribus, iisdem *Episcopo*, & Canonicis factas, confirmat, eosque immunes facit, ab omnibus exactionibus, quas Consules Reatini, aut aliqua Imperii persona, præter manifestam justitiam requirere ab eis possent. Dat. apud Castrum Agelli, Perus. anno Domini 1178.

2 Aliud Diploma *Henrici VI. Imperatoris*, quo *Episcopum Reatinum* cum tota ejus Ecclesia, in protectionem suam recipit, eodem modo quo fecerat Imperator *Federicus*. Dat. apud Reate, anno Domini 1191. indictione 11. duodecimo Kalend. Octobr.

3 Aliud Diploma protectionis concessæ, iisdem
C *Episcopo*, & Canonicis, à *Conrado Duce Spoletino*, sine nota temporis.

4. Mandatum *Caroli II. Regis Siciliæ*, &c. directum *Justitiario Aprutii*, quatenus sequestrum Regium, non officiat bonis Ecclesiæ Reatinæ sitis intra Regni confinia. Dat. Neapoli per *Bartholomæum de Capua* anno 1308.

FASCICULUS C.

Continet tabulas donationis 20. unciarum auri, factæ à Carolo II. Ecclesiæ Reatinæ.

D 1 Confirmatio facta à *Nicolao IV. S. P.* donationis ejusmodi, facta Reate Pontificatus ejusdem anno secundo.

2 Instrumentum donationis 20. *unciarum auri*, factæ à *Carolo II.* Datum Aquilæ anno 1289.

3 Volumen oblongum in quo continentur literæ donationis ejusmodi, ratio distributionis 25
prædictæ summæ; mandatum pro ejusdem solutione in die Ascensionis Domini, & nonnulla alia.

4 Protestatio Jacobi Rainaldi nuntii spiritualis *D. Episcopi Reatini*, facta anno 1297. *Sulmonæ*, quomodo petiit à Bajulis dictæ Civitatis, solutio-
E nem ejusmodi 20. *Unciarum auri*.

5 Mandatum *Caroli II.* pro translatione solutionis dictæ summæ à bajulationibus *Sulmonæ*, super bajulationes *Civitatis Aquilæ*, anno 1303.

6 Aliud mandatum ejusdem translationis, & solutionis faciendæ singulis tribus anni mensibus. Datum Neapoli, eodem anno.

7 Aliud mandatum ad idem, & ejusdem Regis, anni vero 1309.

8 Excommunicatio lata ab *Episcopo Reatino*, contra Canonicos non solventes pecuniam, à singulis ipsorum requisitam, pro recuperatione 20. *Unciarum auri*, quæ debebantur solvi à *Rege Ro-*
F *berto*, anno 1311.

9 Confirmatio pensionis 20. *Unciarum* facta per *Robertum Siciliæ Regem*, *Neapoli* 1311.

10 Renovatio ejusdem confirmationis, cum ordine expresso solvendi dictas 20. *Uncias auri*, facta anno 1325.

11 Constitutio Procuratorum per Vicarium *Episcopi Reatini*, & Canonicos, ad comparendum coram Regia Majestate, & supplicandum, ut dignetur mandare Secretariis, & Magistris Portulanis,

lanis, ut solvant absque ulla diminutione, & defalcatione pecuniam, 20. *Unciarum*, alias concessam iisdem Canonicis. Actum Reate, in choro Ecclesiæ, anno 1332.

12 Mandatum *Roberti Regis*, pro expedita solutione dictæ Pensionis. Datum Neapoli 1339.

13 Diploma secretum *Reginæ Joannæ*, quo confirmationes factas à *Roberto*, & *Carolo II.* dictæ donationis, de novo confirmat, mandatque, ut non obstantibus quibusvis ordinibus in contrarium, prædicta summa solvatur. Dat. Marinis, sub annulo secreto *dictæ Reginæ*.

14 Tria alia mandata ejusdem *Reginæ*, ad idem, quorum primum est anni 1354. secundum anni 1363.

FASCICULUS D.

Continet acta divisionis, & communitatis bonorum, & mensæ inter Episcopum Reatinum, & Canonicos.

1 Constitutio Procuratoris, ex parte Canonicorum, & Capituli Reatini, ad comparendum coram *Sanctissimo*, aut quolibet ejus Auditore, super divisione bonorum dictæ Ecclesiæ inter præfatos Canonicos, & *Episcopum*, facta anno Domini 1238.

2 Positiones, & Articuli pro parte Capituli, & *Ecclesiæ Reatinæ*, super divisione bonorum facta cum *Episcopo*, & super gravaminibus pro parte Capituli prætensis, coram *R. D. Ostiensi*, & *Veletrensi Episcopo*, absque nota temporis.

26 3 Facultas concessa à *Petro Cardinale sanctæ Sedis tituli S. Georgii ad Velum Aureum*, *Episcopo Reatino*, & Canonicis, ut possessiones, & bona omnia quæ hactenus habuerunt in communi, possint in 4. partes dividere, quarum unam habeat *Episcopus*, tres vero reliquas Capitulum, sub anno 1249.

4 Abrogatio, seu rescissio divisionis factæ inter *Thomam Episcopum Reatinum*, & Canonicos dictæ Ecclesiæ, & reductio ad unam mensam communem, ita ut in uno Refectorio comedant, & dormiant, juxta Bullam *Alexandri IV.* cujus executio demandata fuit D. Bernardo de Penna, Scriptori Apostolico, sub anno Domini 1259.

5 Distributio decimarum, & possessionum mensæ capitulari subditarum, facta ex consensu Capituli, inter ipsos, & *Episcopum Reatinum*, ut unusquisque, earum curam suscipiat, quæ sibi sorte obtigerint, sub anno Domini 1260.

6 Bulla *Urbani IV.* directa *Abbati Monasterii S. Pastoris*, quatenus separatio mensæ Episcopalis, à mensa Capituli, facta à *Gregorio* prædecessore suo, & postea ab eodem Pontifice abrogata, rursum in pristinum vigorem restitueretur. Dat. Viterbii, Pontificatus ejusdem quarto.

FASCICULUS E.

Continet varios ordines, & Instrumenta hinc inde facta, pro solutione procurationum, quæ Sedis Apostolicæ Legatis, & Nuntiis solvi ab Episcopo, & Capitulo Reatino debebant.

1 Breve *Gregorii IX.* directum *Episcopo Interamnensi*, quatenus cum antea per dictum Pontificem statutum fuerit, ut Procurationum quas Sedis Apostolicæ ministri percipere debent, suam medietatem solvat *Episcopus*, & alteram Capitulum, & dictum Capitulum asserat se non nisi de pane, & vino teneri. Ipse monitione, & censura etiam ecclesiastica si opus fuerit, dictum Capitulum compellat, ad medietatem in omnibus

A requisitis solvendam. Datum Laterani Pontificatus ejusdem anno 13.

2 Appellatio interjecta per Matthæum Pandolfini Oeconomum, & Procuratorem cleri Reatini, à mandato sub gravibus pœnis facto ex parte Sedis Apostolicæ, de solvendis *D. Aimerisio* Patrimonii B. Petri Rectori, & Sedis Apostolicæ Legato, centum quinquaginta duobus florenis auri, pro taxa vigesimæ quintæ Episcopatus Reatini. Actum in Logia Palatii Reatini, sub anno Domini 1344.

3 Diploma *D. Bertrandi Cardinalis*, & *in Italiæ partibus Legati*, quo mandat *Episcopo*, Capi-
B tulo, & Clero Reatino, ut sub pœna suspensionis, solvant ipsi intra spatium duorum mensium 125. florenos auri, pro ratione procurationis sibi debitæ. Dat. Pisis, anno v. Pontificatus *Clementis VI.*

4 Commissio data ab eodem *Bertrando Legato*, Prioribus Fratrum Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini, quatenus videant, utrum summa procuratoria octodecim florenorum, quam 27
solvere tenetur *Abbas Monasterii S. Pastoris*, contineatur sub summa 125. florenorum, qui ab *Episcopo*, & clero Reatino, solvi eadem de causa consueverunt. Datum apud Montem Flasconem;
C anno VII. Pontificatus *Clementis VI.*

5 Diploma *Egidii Apostolicæ Sedis in Italia Legati*, quo mandat, sibi per *Episcopum*, & clerum Reatinum, solvi procurationes debitas. Dat. apud Urbem veterem Pontificat. *Innocentii VI.* anno II.

6 Facultas concessa *Episcopo Reatino*, ab *Egidio Episcopo Sabinensi*, & *Vicario Sedis Apostolicæ in Italia*, ut quoslibet Diœcesis suæ clericos, pro rata parte concurrere faciat, ad sumptus requisitos pro 4. equitibus, quos dictus *Episcopus*, ob pœnam procurationis non solutæ, subministrare tenebatur, per 10. menses continuos. Dat.
D Anconæ Pontificat. *Innocentii VI.* anno IV.

7 Facultas concessa ab *Andruino Cluniacensi Abbate Apostolicæ Sedis Legato ac Vicario in Italia Generali*, Priori Prædicatorum, & Guardiano Fr. Minorum Reatinæ Civitatis, quatenus *Episcopum Reatinum* absolvat ab excommunicatione qua innodatus fuerat, ob non solutas *Egidio Legato*, quinti anni procurationes. Dat. Cæsenæ, *Innocentii VI.*

FASCICULUS F.

E *Continet varios ordines, & mandata diversa Pontificum, circa receptionem, numerum, creationem, & habitum Canonicorum, & Beneficiatorum, ac eorundem suppressionem.*

1 Bulla *Innocentii IV.* qua concedit *Episcopo*, & *Capitulo Reatino*, ut ultra numerum Canonicorum determinatum, nemini aliorum cogantur assignare stallum in choro, nec distributiones quotidianas persolvere. Dat. Perusii Pontificatus ejusdem anno x.

2 Exemplum literarum *D. Rainaldi Episcopi Ostiensis*, & *Veletrensis*, quibus, in virtute com-
F missionis sibi concessæ ab *Innocentio IV.* irritam facit receptionem multorum Canonicorum, qui ad quinquagenarium numerum ascendebant, sub anno Domini 1253.

3 Breve *Urbani IV.* directum *Episcopo*, & *Canonicis Reatinis*, qua electionem damnat, & rescindit, sexdecim Canonicorum, partim affinium, aut juvenum, factam ab ipsis contra juramentum, & ordinem de certo Canonicorum numero servan-

vando. Dat. apud Urbem Veterem, Pontificatus ejuſdem anno quarto. A

4 Conſtitutio *D. Joannis Epiſcopi Reatini*, & Canonicorum, pro reſtituendo Canonicorum numero ad vicenarium, & unarium, facta anno Domini 1313. Pontificatus *Clementis V.* anno nono.

5 Acta litis agitatæ coram *D. Gentile Petri* Abbate *S. Mariæ in Pantano*, ſuper informatione, quam *D. Joannes tituli S. Theodori Diaconus Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis Legatus*, habere vole-
28 bat, num *Eccleſiæ Reatinæ* proventus ita excreviſſent, ut Canonicatuum, & Præbendarum numerus, poſſet in ea decenter augeri, ſub anno Domini 1328. B

6 Bulla *Pii II.* pro ſuppreſſione quinque Canonicatuum, & Præbendarum, ac duorum Beneficiorum, quorum proventus accreſcere debeant reliquis ſexdecim Canonicis, & 12. Beneficiatis quo vivere commodius poſſint. Ac item circa Canonicos in ſacris ordinibus non conſtitutos, ut medietatem tantum fructuum percipiant, & vocem nullam in Capitulo habeant. Datum Romæ anno 1461.

7 Literæ Apoſtolicæ *Pii V.* conceſſæ, *Epiſcopo*, & *Capitulo Reatino*, anno 1568. in confirmationem indulti conceſſi à *Paulo III. Pompejo Columnæ*, ut penſiones duas 13. & unam 10. ducatorum, ſuper Canonicatus quoſdam, & beneficia ejuſdem *Eccleſiæ Reatinæ* imponeret, pro ſumptibus, & ſtipendio Organiſtæ, ac Muſicorum prædictæ Eccleſiæ, diebus, & horis ſolitis inſervientium. C

8 Conſtitutio *Joannis Cardinalis Columnæ Epiſcopi Reatini*, ſuper diſtinctione coloris capparum inter Canonicos, & Beneficiatos, ac ſuper conſtitutione ſacriſtiæ, & ordinibus neceſſariis, facta Reate anno 1488.

D

FASCICULUS G.

Continet varias quietationes, mandata Procuræ, citationes, annullationes, & alia inſtrumenta ſeparata, quæ minoris ſunt momenti, quam ut ſingula, numeris ſeparatis ſignari debeant.

1 Quatuor quietationes factæ *Epiſcopo Reatino*, ejuſque Capitulo, & clero exempto, & non exempto, pro ſolutione partis aſſignatæ decimarum triennalium 1359. 1360. 1361. & ſubſidii impoſiti anno 1370.

2 Variæ aliæ quietationes, quarum prima eſt adminiſtrationis Camerariatus à d. Balloino Magiſtri Joannis, Præbendario *Eccleſiæ Reatinæ* anno 1345. Secunda ejuſdem adminiſtrationis factæ à Joanne de Reate Canonico Reatino, anno 1351. Tertia, & Quarta ſunt de eadem re, & annorum 1355. & 1365. Quinta denique eſt Roberti Phin. de *S. Geminiano* de acceptis ducentis florenis à Fr. *Blaſio Epiſcopo Reatino*, pro concordia facta per D. Legatum, &c. anno 1365. E

3 Conſtitutiones variæ Procuratorum ad cauſas, & lites, quarum Duæ priores ſunt *Epiſcopi Reatini*, ſuper facto *S. Crucis de Lugnano*, de quo habebatur controverſia cum *S. Baſile*, anno 1205. & 1230. Tertia eſt *ejuſdem Epiſcopi* in lite cum Joanne Maliano, anno 1233. Quarta eſt *Joannis Epiſcopi Reatini*, & Canonicorum, ad petendum à filiis D. Nicolai de S. Victorino de Aquila, originalia privilegia, & inſtrumenta *Eccleſiæ Reatinæ* conceſſa per regiam Majeſtatem, vel per quemcumque alium Dominum, anno 1324. Quinta eſt *Blaſii Epiſcopi*, & Canonicorum, ad litem quam habebant cum Magiſtro Bernardo Corani, aſſerente ſe pro Canonico Reatino, anno 1350. F

Sexta eorundem *Blaſii Epiſcopi*, & Canonicorum 29
ad comparendum coram dicto *Egidio Legato*, in cauſa litis contra privatas quaſdam perſonas, anno 1362.

4 Conceſſio facta à Capitulo Reatino Joanni Theodenarii, qua eum ad diſtributiones ordinarias, quæ conſueverunt ſolvi laicis præbendariis admittunt, in vitæ ſuæ reliquum tempus, anno Domini 1293.

5 Proteſtatio D. *Rainaldi Epiſcopi*, & Canonicorum ac cleri Reatinæ civitatis, facta coram D. Matthæo Reatino Poteſtate, ut illis exhibeat juſtitiæ complementum, cum alioquin provocaturi ſint ad Summum Pontificem, ſub anno 1223.

6 Subdelegatio *Abbatis S. Paſtoris* à *D. Raineiro Oſtienſi*, & *Veletrenſi Epiſcopo*, delegato ab *Innocentio Papa IV.* ut cauſas vertentes inter .... & Jacobum *de Colalto* Scholares Reatinæ Diœceſis ex una parte; & *Epiſcopum*, ac Capitulum Reatinum ex alia, ſuper quibuſdam dictæ Eccleſiæ præbendis, debito fine terminet, ſub anno Domini 1251.

7 Abrogatio, & annullatio ſententiæ excommunicationis latæ per Capitulum *Eccleſiæ Reatinæ*, contra Matthæum Leonardi clericum *S. Mariæ de Reate*, ob non ſolutas decimas, facta à *Joanne Epiſcopo Reatino*, ſub anno 1324.

8 Appellatio interjecta per *Epiſcopum*, & Capitulum Reatinum, ſuper collatione Canonicatus *S. Petri in Campo*, facta in perſonam Pandulfi Leopardutii, à *Joanne S. Theodori Diacono Cardinale Legato Sedis Apoſtolicæ*, *ſub anno* 1327.

9 Citatio *Fr. Blaſii*, & Canonicorum *Eccleſiæ Reatinæ*, ad comparendum infra ſex dies, coram D. Silveſtro Archipresbytero *S. Euſtachii de Urbe*, *executore deputato per Urbanum V.* ſuper gratia facta d. Angelutio Lolli, de primo Canonicatu vacaturo in *Eccleſia Reatina*. Actum Romæ ſub anno 1365.

FASCICULUS H.

Continet Inſtrumenta unionis diverſarum Capellarum, & Eccleſiarum ruralium, menſæ Canonicorum, & Capituli.

1 Unio duarum Capellarum *S. Petri in Campo*, *S. Maronis*, & *S. Fortunati*, menſæ capitulari *Eccleſiæ Reatinæ*, facta ab *Alexandro IV.* ſub conditione tamen, quod illarum proventus dividi inter Canonicos non debeant, ſed menſæ communi applicari. Dat. Viterbii, anno Pontific. ejuſdem IV.

2 Breve *ejuſdem Alexandri*, directum Archipresbytero *Eccleſiæ S. Sebaſtiani de Cercaria*, ut *Epiſcopum*, & Canonicos *Reatinæ Eccleſiæ*, in corporalem poſſeſſionem inducat, duarum Capellarum unitarum, quemadmodum ſupra dictum eſt, ſub menſe, & anno ut ſupra.

3 Conſtitutio *Joannis Epiſcopi*, & Capituli Reatini, qua uniuntur Cameræ *Eccleſiæ Reatinæ* Capellæ rurales *S. Petri in campis*, & *S. Maronis* prope Reate, quibus non imminet cura animarum, ſub anno Domini 1355. menſis Maji die 3.

4 Volumen oblongum in quo primum conti- 30
nentur, ceſſio bonorum hæreditatis Joannoni Nicolecti, facta à fratribus Dominicanis de Reate, *D. Joanni Epiſcopo*, & Capitulo Reatino, ſub anno 1315. Deinde inſtrumentum unionis per *Joannem S. Theodori Diaconum Cardinalem*, & *Apoſtolicæ Sedis Legatum.* Quarto revocatio quarundam terrarum ad manum ipſius Eccleſiæ, facta per *Epiſcopum*, anno 1286. Denique revocatio Canonicorum ad vigenarium, & unarium numerum, facta ab *Joanne Epiſcopo*, & Canonicis, anno Domini 1313. & confirmatio ejuſdem reductio-

ctionis facta à prædicto *Joanne Legato*, tunc Reate commorante.

5 Unio perpetua Capellaniæ *S. Michaelis Archangeli*, vacantis per liberam resignationem Tullii Crispoldi, in manibus summi Pontificis, mensæ Capituli Reatini, facta à *Leone X.* anno 1515.

FASCICULUS I.

Continet varias locationes factas nomine Episcoporum & Capituli, ab eorundem Oeconomis, quas pro annorum serie ita distribuimus.

1 Quatuor locationes, quarum duæ sunt annorum 1249. & 1258. factæ per Rainerium Beraldi Oeconomum. Tertia est sententia pro locatione anni 1258. Quarta est locatio cujusdam casalitii, facta anno 1289. à Bonaventura, & Joanne de Podio obedientiariis Capituli Reatini.

2 Quatuor aliæ locationes, quarum prima est bonorum omnium Nicolai Bontempi Canonici Reatini, & ab ejusdem beneficio dependentium, sub anno 1307. Secunda est unius casalitii positi in *Populario S. Joannis*, anno 1319. Tertia est ratificatio locationis factæ anno 1381. Quarta est locatio unius petii terræ ad 29. annos, ex consensu, *D. Joannis Episcopi Reatini*, sub anno 1324.

3 Undecim locationes factæ annis 1326. & 1327. in Oeconomatu D. Conradi de Muro, nomine Capituli, & *Episcopi*.

4 Decem aliæ locationes diversarum possessionum, factæ annis 1322. 23. 24. 25. 28. & 29. in Oeconomatu Andreæ Jacoboni, ex consensu *Episcopi*, & Capituli.

5 Quatuor locationes factæ à Thoma Capitaneo, quarum prima est Vineæ in *Via Salara*, anno 1293. Secunda anni 1303. Duæ aliæ sunt annorum 1312. & 1314.

6 Novem locationes factæ ab eodem Thoma Capitaneo, anno 1315.

7 Octo aliæ locationes factæ ab eodem, anno 1316.

8 Septem aliæ locationes factæ ab eodem, anno 1317.

9 Quinque aliæ locationes, quarum quatuor priores, factæ fuerunt ab eodem Thoma Capitaneo, annis 1318. & 1319. Quinta vero est anni 1419. per Petrum Joanolum de *Amatricio*.

31 FASCICULUS K.

Continet Precarias, seu locationes in emphyteusim, & ad longum tempus, aut tertiam generationem, quarundam terrarum, & possessionum Ecclesiæ Reatinæ.

1 Instrumentum vetustissimis characteribus exaratum, nec sermone satis Latino, locationis in emphyteusim factæ ab *Episcopo Reatino Colo*, in personam Josephi, & filiorum ejus, bonorum omnium *Ecclesiæ Reatinæ* existentium in loco, qui dicitur *Colline*, cum medietate de ipsa *Curte de Vassano*, ubi Ecclesia est ædificata in honorem *B. Mariæ Virginis*, sub anno Domini 922.

2 Instrumentum Longobardice exaratum, precarie de monte Witti, factæ ab *Episcopo Reatino*, sub anno 945. *Amiterni.* Regnante. *D. Ugone Rege.*

3 Instrumentum Precariæ quarundam possessionum in *Canera*, & *Colle de Vaccari*, factæ Senibaldo, & Octaviano germanis fratribus, ab *Episcopo*, & Capitulo *Reatino*, sub conditionibus in instrumento expressis, anno Domini 975.

4 Instrumentum Precariæ quarundam possessionum in territorio *Plage* ubi est Ecclesia ædificata in honorem *S. Joannis Baptistæ* in loco, qui dicitur *Prætorium*, facta Joanni Stephano, & Benedicto Presbytero, in vitam eorum, à *Joanne Episcopo*, sub anno 982.

5 Instrumentum Precariæ quarundam possessionum factæ de consensu *Episcopi*, & Canonicorum, *Homulo*, & *Reatinæ* ejus uxori ad vitam. sub anno 1033.

6 Instrumentum originale, & fugientibus præ vetustate, & mucore litteris scriptum, concessionis in præstantiam, seu jure fiduciario ab *Episcopo Rainerio*, anno 1084. reliqua legi non possunt.

7 Instrumentum Precariæ factæ anno Domini 1159. Rainuccio Alberti à *Dodone Episcopo Reatino*, totius tenimenti, quod Todinus frater dicti Alberti reliquerat *Ecclesiæ Reatinæ*, modo tamen prædictus Rainuccius exequatur conditiones in instrumento expressas.

8 Instrumentum concessionis in præstantiam recti generis, seu ad tertiam generationem, duarum petiarum terræ, sitarum in *Podio Bastonis*, factæ filiis Sinibaldi Podii, *à Dodone Episcopo Reatino*, anno 1171.

9 Instrumentum præstantiæ cujusdam domus, sitæ in *Porta Carceraria*, factæ ab Oeconomo cum consensu *Episcopi*, & Canonicorum, qui receperunt pro ipsa 27. libras expensas in emptione Molinorum de *Podio*, & de *Nuce*. sub anno Domini 1185.

10 Quatuor instrumenta locationum in præstantiam, facta tempore *Adinulphi Electi Reatini*, quorum primum est sine nota temporis. Secundum factum fuit anno 1188. Tertium eodem anno. Quartum 1189.

11 Duo instrumenta fiduciariæ locationis, quorum unum rogatum fuit anno 1225. alterum 32
anno 1262.

12 Duo alia instrumenta fiduciariæ locationis facta ab Oeconomis Capituli, quorum unum est anni 1250. aliud sine nota temporis.

13 Quatuor instrumenta locationum in emphyteusim, facta tempore *Joannis Episcopi*, sub annis 1317. 1323. 1337. Quartum est anni 1226. ex consensu Domini N. Episcopi.

14 Duo instrumenta locationum in emphyteusim, quorum primum factum fuit sub *Blasio Episcopo* 1375. Alterum vero sub *Matthia de Urbe*, anno 1443.

FASCICULUS L.

Continet Donationes, Investituras, Cessiones, &c. factas Episcopo, & Ecclesiæ Reatinæ, a diversis personis.

1 Instrumentum Longobardicis characteribus scriptum Donationis factæ à *Teduico* Excellentissimo Duce, *Episcopo Reatino*, Regnante *DD. Desiderio*, & *Aldechis filio ejus*, anno regni ejus 18.

2 Instrumentum donationis quam fecit *Aldo filius* quondam *Teprandi* de Civitate Reatina, Ecclesiæ prædictæ Civitatis, de re sua, posita in territorio *Falacrinensi*, in loco qui vocatur, *Colle*, pro Casalitio quod vicissim accepit ab eadem Ecclesia, sub conditionibus in instrumento expressis, anno Domini 949.

3 Instrumentum cujusdam donationis factæ *Episcopo*, à Germanis fratribus, sub anno 1050. cujus verba præ vetustate legi non bene possunt.

4 Instrumentum donationis factæ à *Crescentio* filio *Asonis*, *Rainerio Episcopo*, sub anno Domini 1075. bonorum, quæ habebat in territorio *S. Joannis*, in ipsa Civitate Reatina, & in campo item

item *Reatino*, foris, juxta *Portam Spoletinam*, in loco qui vocatur, *Olgamuterra*, &c. sub conditionibus in instrumento prædicto allatis.

5 Instrumentum præstantiæ, seu locationis in emphyteusim, cujusdam possessionis, factæ *Baroncello* filio *Theodini*, ab *Episcopo Benincasa*, anno Domini 1110.

6 Instrumentum donationis factæ ab *Anolino*, filio quondam *Odorisii*, *Episcopo Reatino*, de Castro quod vocatur *Turanu*, & omnibus suis dependentiis, anno Domini 1113.

7 Instrumentum quo Rainerius Josephi habitator in *Castro Cornu*, dat, & concedit *Ecclesiæ Reatinæ*, quidquid juris habet in *Castro Piscinio-læ*, & ædificium, quod in eo fabricaverat, ut hospites in illud congregentur, & centum modiola de terra culta, & inculta, sub anno 1117.

8 Aliud Instrumentum donationis rei, quam habebat filius Dodonis Joannes, in loco qui dicitur, *Victum Berengianum*, facta ab eodem Joanne, *Episcopo Reatino*, anno 1118.

9 Quatuor instrumenta variarum donationum, quarum prima est totius tenimenti, quod fuit Gualterii de Trozo, in loco, qui dicitur, *Collis*
33 *de Vasca*, sub anno 1180. Secunda facta fuit anno 1181. Duæ aliæ sunt sine die, & Consule.

10 Instrumenta donationum omnium quæ factæ fuerunt venerabili *Episcopo Dodoni*, & *Ecclesiæ Reatinæ*, quarum prima facta fuit anno 1137. duæ sequentes sunt *Gentilis Vetuli* habitatoris in terra Reatina, in loco qui dicitur *Scopulus Rocchani*, qui dat terram *de Arepontio*, ad constituendam Ecclesiam sub invocatione *S. Nicolai*, cum Hospitali, & Monasterium *S. Mauri*, quod est situm in monte *de Fano*, qui est inter *Vallem de Petra*, & terram *Amizoruscam*. Tres aliæ donationes factæ fuerunt anno 1152. de quibusdam juribus quæ habebat Presbyter Rapizo super Ecclesia *S. Laurentii* de possessionibus Sinibaldi filii Guiscardi, & de bonis Rainaldi Saraceni, existentibus in monte *Gambaro*, & *Campo Reatino*. Duæ donationes factæ anno 1153. in quarum prima *Berardus Albensis Comes*, concedit *Dodoni* Ecclesiam *S. Angeli in Valle mala*. In secunda vero Senebaldus de Montevello *eidem* concedit terram quam habebat in pignus à filiis *Comitis Rainaldi*. Duæ aliæ donationes sunt anni 1154. in quarum prima Gualterus filius Bononi, dat tenimentum in *monte Gambaro*. In secunda vero Romanuccius Nicolai, refutat *Ecclesiæ Reatinæ*, omnem litem quam cum ipsa habebat de Casalino quodam in regione *S. Rufi*. Tres donationes anni 1157. in quarum prima Maria Sinibaldi, dat unum Casalinum, & quartam partem alterius. In secunda Rainuccius Petri Ugonis, restituit *Ecclesiæ* totum quod habet in *castro Quintiliani*, in *castro Montis Romani*, & *Podio Ugonis*, & *Cercaria*, & quartam partem Juris patronatus *S. Angeli de Vatica*. In tertia Sinibaldus Joannis, constituit dotem suæ nepti, ex mandato *Dodonis Episcopi*. Tres donationes anni 1159. in quarum prima Berardus, concedit *Episcopo* possessiones quas habebat in *Leporaria*. In secunda, Arimonucia idem facit de duobus petiis terræ, in *Castagnola*, & *Collibus de Cottano*. In tertia Joannes Ponciconus, refutat *Ecclesiæ* omnem litem, quam cum ipsa habebat, super territoriis sitis in *Waldo*. Tres donationes in quarum prima anni 1162. Maria de Dodo, dat *Ecclesiæ*, Casalinum, & vineam in regione *S. Rufi*. In duabus aliis anni 1163. Joannes Rusticelli, restituit *Ecclesiæ* unum Casalitium extra *Portam Carcerariam*. Donatio facta anno 1164. ab Alexandro de Balbiano, loci cujusdam in partibus *Balbiani*, consecrandi à *D. Dodone*, in honorem *B. Virginis*, *S. Crucis*, *S. Sebastiani*, &c. Duæ donationes anni 1174. in quarum prima Sigizo Sacerdos assignat *Ecclesiæ Reatinæ*, Ecclesiam *S. Leonardi* in *Amiterno*, in Acuto positam; & Ecclesias similiter *S. Matthæi de Cinno*, *Sancti Leonardi de Villano*, *S. Euppi de Fontella*, & *S. Bartholomæi de Mugio in Scansiano* cum omnibus earum pertinentiis. Secunda vero est venditio inter privatas personas. Tria instrumenta facta annis 1177. & 1179. quorum primum est precaria quarundam possessionum facta *D. de Cerclara*, à *Dodone Episcopo*. Secundum est concessio facta titulo hypothecæ, inter privatas personas. Tertium est donationis seu refutationis litis, de sedecim partibus de Molendino *de Nuce*, quibusdam terris in *Cottano*, & *Prato moro*.

FASCICULUS M. 34

Continet Investituras, cessiones, donationes factas Ecclesiæ Reatinæ, à temporibus Dodonis Episcopi, usque ad nostram ætatem.

1 Triginta quatuor donationes factæ *Episcopo Reatino* ab anno 1186. usque ad 1254. quarum prima est possessionis cujusdam in pede *Montis Romani*. Secunda vineæ cujusdam. Quarta possessionis datæ anno 1188. Decima partis *Roccæ de Caneria* quam incastellare, & excastellare possunt Canonici. Undecima est Vineæ in *Campo Reatino*, & *Canapine*, sub muro in *Concha*, & domus in *Porta Carceraria*, & Populatione *S. Juvenalis*. Decima quarta est medietatis unius petiæ terræ in *Campo Reatino* anno 1201. Decima sexta est quietatio de cxxxvii. libris pro facto *Balbiani*. Decima octava est quietatio alterius summæ pro facto *Balbiani*. Trigesima quarta est concessio rationis quam habebant *Viccarelli*, in bonis Thomasii Rainaldi Benincasæ, &c. anno 1202.

2 Donationes factæ tempore *Adinulphi Episcopi*, quarum prima est anni 1183. sequentes omnes sunt pignorationum, dotis, petiarum terræ, & rerum aliarum, quas parum refert separatim recensere.

3 Donatio facta *Ecclesiæ Reatinæ*, per Reatinum Cinthii, de bonis omnibus quæ habet, & habere poterit, servato tamen jure fructuum, sub anno Domini 1213.

4 Quatuor donationes factæ *Rainaldo Episcopo Reatino*. Quarum prima est bonorum stabilium, quæ habebant fratres, & filii de Farda *in Plage*, anno 1216. Secunda, & tertia sunt bonorum omnium Abugamontis de Veglianotte, cui *Ecclesia Reatina* præbere vicissim debebat victum, & vestitum. Quarta est bonorum quorundam in *Caneria*, & *Pogio Perusino*, anno 1226.

5 Tres Donationes in quarum Prima, Rainaldus de *Arce Caneriæ*, dat *Ecclesiæ Reatinæ*, septem Casalitia in dicta Arce conclusa, & alia bona, quæ mox omnia recipit ab eadem Ecclesia in feudum, anno 1263. In secunda Frater Angelus de Reate, dat *Petro Episcopo Reatino*, sextam partem *Pesculi*, sive Castelli *Fortitudinis S. Liberati*, quæ quondam fuerat Sidrach de dicto loco, convicti hæretici, & ea de causa condemnati, anno 1284. In tertia Petrus Sadachi de *S. Liberato*, dat *eidem Episcopo*, omnia bona quæ habebat in *S. Liberato*, anno 1286.

6 Tres donationes, in quarum prima, Prior Ecclesiæ *S. Dominici de Reate*, & Vicarius Episcopi Reatini, cedunt dicto *Episcopo*, omnia jura, & actiones, quæ, & quas habebant in bonis Jandoni Nicolocti, sub anno 1315. In secunda Angelutia Vidua Nicolai de Fabriano, dat *Ecclesiæ Reatinæ*, totum id quod olim *Cola Buctius de Romagna*, & sui antecessores habue-

runt in *Lama aqua*, & Canucetis, ac Pratis, juxta dictam *Lamam*, sub anno 1401. Tertia facta fuit anno 1471.

35 *FASCICULUS N.*

Continet Testamenta facta in favorem majoris Ecclesiæ Reatinæ, tam in toto, quam in parte, à diversis privatis personis.

1 SEx Testamenta facta ab anno 1100. usque ad 1200. quorum Primum est, Benincasæ cujuidam, qui substituit suis filiis, & hæredibus legitimis *Ecclesiam Reatinam*. Secundum factum est anno 1151. in quo Raudisius quidam, relinquit quædam bona *Ecclesiæ Reatinæ*, eamque substituit filiæ suæ, si contingat eam absque mascula prole decedere. Tertium est anni 1152. Quartum 1155. in quo donantur *Ecclesiæ*, *Collis de Vasca*, & *Insula*, &c. Quintum est anni 1169. in quo donantur duæ vicendæ in *Pantanis*, cum duobus hominibus, & omnibus suis tenimentis. Sextum est declaratio facta anno 1181. quomodo Gualterius de Terzo, reliquerat multa bona *Ecclesiæ Reatinæ*, quæ postea intercepta fuerunt à *Rainaldo de Lavareta*. Adduntur duo alia testamenta sine die, & Consule.

2 Quinque testamenta, facta ab anno 1200. ad 1300. in quorum Primo Petrus Andreas *Ecclesiam Reatinam*, sibi hæredem nominat. In tertio Famulus idem facit. In quarto Matthæus quidam relinquit *Episcopo* duas uncias auri, & *Ecclesiæ Reatinæ* unam, Canonicis unam, &c. In quinto facto anno 1297. Nicolaus Cere de *Pulegia*, multa pia legata facit, &c.

3 Quatuordecim testamenta, facta ab anno 1300. ad 1400. quorum Primum est renovatio testamenti prædicti jam Nicolai Cere, sub iisdem omnino conditionibus. Tertium est Joannis filii Pandulfi de *Cæsenariis*, qui erat Dominus *Castri Sicenarii*, factum sub anno 1311. Quartum est Joannis Nicolecti de Reate. Sextum est Codicillus Bartholomæi quondam *Dodonis Alfani* Canonici Reatini, pro legato facto *Ecclesiæ Reatinæ*, anno 1318. Septimum est Thomæ Capitanei Præbendarii *Majoris Ecclesiæ Reatinæ*, cui multa relinquit anno 1320. Octavum sunt duo Codicilli Petruccii Domini Matthæi, in favorem *Ecclesiæ Reatinæ*. Nonum est Guilielmi quondam Joannis de Ponticellis, Canonici Reatini, anno 1366. ac inter alia, vult fieri unum pulchrum calicem cum patina, ex quinque taxiis argenti, &c. Decimum est Jacobi Thomasii de *Labro*, cujus legatum in favorem *Ecclesiæ*, cum solutum non fuisset, Capitulum propterea declaravit, Jus patronatus, quod hæredes obtinebant in Ecclesias *Sancti Silvestri*, *Sancti Calixti*, *& S. Margaritæ* ad se devolutum esse, easque contulit Masio Andreucio de *Labro*. Reliqua quatuor sunt parvi momenti, & nihil præter donationes solitas continent.

4 Septemdecim testamenta, facta ab anno 1400. ad 1500. quorum Octavum est Magnifici *D. Mariani de Romagna*, factum apud *Castrum Belmontis*, anno 1463. & in eo executorem nominat *Episcopum Reatinum*, qui pro tempore erit. Decimumquartum est Pauli de *Monte Gambaro*, Canonici Reatini, factum anno Domini 1496. in
36 quo eligit sepulturam in *Ecclesia Reatina*, in *Capella Rosarii*, apud Altare *S. Balduini*, & prædictam Ecclesiam relinquit hæredem. Decimum sextum est Thomæ Cole de Reate, qui similiter præfatam Ecclesiam instituit hæredem, anno Domini 1499.

FASCICULUS O.

Continet Jura, & prætensiones, quas habet Ecclesia Reatina super diversis Castris, feudis, & possessionibus privatorum.

1 QUatuordecim instrumenta absque die, & Consule, & ab aliis separata, quorum primum est depositio testium pro Joanne Maliano contra *Episcopum*, & Capitulum Reatinum, super Vinea quadam in loco, qui dicitur, *Castellarium*, existente. Tertium sunt allegationes in Jure, pro *Ecclesia Reatina*, in lite de Græcia. Quartum sunt depositiones testium in favorem *Ecclesiæ Reatinæ*, pro Vinea Thomæ Carlecti.

2 Varia instrumenta simul colligata, in quibus continentur Jura omnia, quæ habet *Ecclesia Reatina*, super Aquis, Paludibus, Piscationibus, rebus cultis, & incultis, quæ sunt in *Colle Vasia*, & suo territorio, juxta montem *Gambarum*, & *Sanguinetum*, & horum quidem instrumentorum primum factum fuit anno 1182. ultimum vero 1244.

3 Octo instrumenta litis contestatæ in Capitulum Reatinum, & Gentilem Pontionem, super *Castro Balviani*, & possessionibus in eodem positis, quorum instrumentorum primum est anni 1209. quo dictus Gentilis renunciat *Adinulpho Episcopo*, omnia pignora quæ pater suus habebat in *Balviano*, in Campo de *Piloso*, ultimum vero est anni 1218. in quo varia facta Reatinorum, & *Ducis Spoletini*, ac privatorum quorundam, circa dictum Castrum, referuntur.

4 Quatuor instrumenta pro recuperatione *Collis Vaccari*, quorum Primum est, constitutio Canonicorum Reatinorum, facta in præsentia Episcopi, pro recuperatione *Collis Vaccari*, anno 1246. Secundum est Monitorium publicatum à *Thoma Episcopo*, anno 1261. contra *Gentilem*, & *Odonem Alfani*; aliosque detinentes dictum Castrum. Tertium est excommunicatio contra eosdem *Gentilem*, & *Odonem* lata, ab *Episcopo Thoma*, in Ecclesia *Quintiliani*. Quartum est eadem sententia excommunicationis, publicata ab eodem *Episcopo in Ecclesia Majori Reatina*, eodem mense, & anno ut supra.

5 Duodecim instrumenta, facta ab anno 1200. Quorum unum est examen testium, & sententia in favorem *Ecclesiæ*, de uno petio Terræ, posito in pertinentiis de *Frascario*, *in Scarpa tosta*, sub anno 1216. Secundum est concessionis inter privatos. Tertium est depositio testium quod Terra de *Fraganiano in Colle Vasca*, fuerit *Ecclesiæ*. Quartum est recognitio feudorum quorundam *Ecclesiæ Reatinæ*. Sextum continet probationes, quod *Ecclesia Reatina* habeat duos dies in Molendino *Transalgandi*, anno 1250. Septimum est sententia *Thomæ Episcopi*, quod Villa Cæsarea spectet ad Capitulum Reatinum. 1261. Octa- 37
vum Recognitio feudi pertinentis ad *Ecclesiam Reatinam*. Reliqua sunt recognitiones vassallagii, factæ à diversis personis, nec uno eodemque tempore.

6 Septem Instrumenta facta ab anno 1300. quorum unum est depositio testium pro juncta Terræ in *Valle Turani*, pertinente ad *Ecclesiam Reatinam*. Secundum Depositio testium, quod terra posita ad *Portum rotarum*, sit *Ecclesiæ Reatinæ*. Alia sunt revocationes ad Ecclesiam, quarundam possessionum, quas varii particulares homines tenebant, Septimum sunt varia Instrumenta litis contestatæ, super quibusdam terris in *Sanguineto*, in loco qui dicitur, *Campu Gattu*, circa annum 1316.

FASCICULUS P.

Continet Jura, & prætenſiones, quas habet Eccleſia Reatina in diverſas Eccleſias, ac Monaſteria, & lites inde exortas, &c.

1 QUinque chartulæ litis controverſæ, ſuper *Abbatia S. Salvatoris*, an illa ſit in Diœceſi *Reatina*, an vero ad Eccleſiam *Romanam*, immediate pertineat; & horum quidem Primum, continet poſitiones, & articulos pro *Episcopo Reatino*, cum articulis, & reſponſionibus Abbatis dicti Monaſterii, ſub anno Domini 1253. Secundum eſt depoſitio quædam, pro parte *Thomæ Epiſcopi*. Tertium ordinatio depoſitionis teſtium in favorem Epiſcopi. Quartum ſunt probationes pro Epiſcopo excerptæ ex majori inſtrumento superius allato. Quintum ſunt poſitiones pro Abbate, & Monaſterio S. Salvatoris, ad probandum, quatenus illud immediate dependet ab Eccleſia Romana.

2 Quatuor Inſtrumenta quibus probatur, quod *Epiſcopus*, & *Capitulum Reatinum*, ſunt in poſſeſſione, conferendi beneficia in Eccleſia *S. Angeli de Glareano*; & horum Primum continet Breve *Alexandri IV.* directum *Epiſcopo Reatino*, quatenus Petrum clericum, de aliquo beneficio provideat in ſua Diœceſi. Secundum eſt proviſio facta ab eodem *Epiſcopo*, de Eccleſia *S. Angeli de Glareano*, in perſonam dicti Petri, ſub anno 1257. Tertium eſt inveſtitura ejuſdem Capellæ facta ipſi Petro, anno 1573. Quartum eſt nullius momenti.

3 Tria Inſtrumenta litis controverſæ, ſuper juriſdictione *Eccleſiæ S. Leonardi*, num videlicet illa dependeat ab *Abbate de Ferentillo*, aut ab *Eccleſia Reatina*, & quidem Primum continet depoſitiones teſtium in favorem *Eccleſiæ*. Secundum continet depoſitiones teſtium in favorem *Abbatis de Ferentillo*. Tertium eſt ordinatio teſtium.

4 Quinque chartulæ litis controverſæ inter *Epiſcopum Reatinum*, & Abbatem *S. Silveſtri de Petra bartuta*, ſuper juriſdictione S. Petri *de Cornu*, & aliarum Eccleſiarum, quibus ſimiles aliæ 21. recenſentur in actis *Rainaldi Epiſcopi*.

38 5 Varia Inſtrumenta litis conteſtatæ inter *Eccleſiam Reatinam*, & *Eccleſiam S. Matthæi de Monticello*, ſuper proprietate *Fluminis Montonis*, & aliis terris deſiccatis, quorum Inſtrumentorum primum eſt, quo Matthæus Reatinæ civitatis Poteſtas, ponit in tenimentum, & poſſeſſionem, *Eccleſiam S. Matthæi de Inſula* de Reate, de Paludibus, & bonis ad dictam civitatem pertinentibus, & per homines regiminis dictæ Civitatis, eidem *Eccleſiæ* conceſſis. Secundum continet depoſitiones teſtium, in favorem *Eccleſiæ Sancti Matthæi*, ſuper tenimentis *Monticelli*. Tertium, & Quartum ſunt depoſitiones eorundem teſtium, aut aliorum ſed minimi tamen momenti. Quintum continet depoſitiones teſtium in favorem *S. Mariæ*, ſicut Septimum eſt generalis depoſitio teſtium in favorem *Eccleſiæ Reatinæ*.

6 Varia Inſtrumenta litis conteſtatæ inter *Eccleſiam Reatinam*, ac fratres *Hoſpitalis Hieroſolymitani*, ſuper juriſdictione *Eccleſiæ S. Crucis de Lagniano* Reatinæ Diœceſis, & horum quidem Inſtrumentorum primum, continet depoſitiones teſtium quod Abbas, & Eccleſia *S. Crucis de Lugniano*, ſunt de juriſdictione *Epiſcopi Reatini*, cum *Eccleſia S. Antonii*, & non ſub Eccleſia *S. Baſilii de Reate*. Quatuor ſequentia continent varias depoſitiones in favorem *Eccleſiæ Reatinæ*. Quintum continet depoſitiones in favorem Oeconomi *S. Baſilii*. Sextum eſt duplicatum earundem depoſitionum. Septimum eſt ordinatio, & reductio teſtium ad certa capita. Tria denique conſequentia ſunt ſcripturæ in favorem *Eccleſiæ Reatinæ*.

FASCICULUS Q.

Continet donationes, quæ in aliarum ordinem cogi non potuerunt, Emptiones, venditiones, permutationes, & varia alia negotia ſeparata.

1 VAriæ donationes factæ *Eccleſiæ Reatinæ* ab anno 1100. ad 1300. quarum prima eſt variarum poſſeſſionum in terra *Camponeſca* pro ædificatione Eccleſiæ dicandæ *B. Virgini* 1188. Secunda continet varias donationes ſimul conſutas, & factas ab anno 1180. ad 1233. omnes parvi momenti. Tertia eſt duarum petiarum terræ in *Fuſcano* 1206. Quinta continet quatuor Inſtrumenta ſimul ligata, & pertinentia ad *Collem Vaſcæ*. Sexta eſt bonorum omnium Joannis Saxi 1236.

2 Octodecim Inſtrumenta, pertinentia ad donationem quam fecerunt filii Salecti *Eccleſiæ Reatinæ*, de terris in *Sanguineto*, & ad lites, & controverſias quæ de ipſa donatione provenerunt.

3 Donationes variæ, ceſſiones, prætenſiones, aliaque jura ſuper Molendinis, & litibus eorundem cauſa exortis, numero 20. chartæ, aut amplius, quarum omnium particulares circumſtantias huc referre nullius eſſet emolumenti, cum ſigillatim omnes ab hominibus locorum peritis excutiendæ ſint.

4 Varia pignorationum tam activarum, quam paſſivarum, & quietationum inſtrumenta, quorum contenta referre huc, nihil ſimiliter juvaret.

5 Venditiones diverſarum terrarum, & poſſeſ- 39
ſionum, factæ *Epiſcopis*, & *Eccleſiæ Reatinæ*, quarum ſeptem priores, ſunt ab anno 1100. ad 1200. & quidem, Prima eſt cujuſdam tenimenti in *Caſtagnola*. Secunda alterius in *S. Benedicto*. Tertia unius Caſalitii in *Fragniano*. Quarta ſextæ partis molendini poſiti juxta *Montem S. Maronis ad Arnarium*, in rivo de Aſciano. Quinta eſt inter privatas perſonas. Sexta eſt terræ cujuſdam in *Iſcla*, aut *Iſola*. Septima eſt alterius poſſeſſionis in *Caſtagnola*.

6 Venditiones factæ *Epiſcopis*, & *Eccleſiæ Reatinæ*, ab anno 1200. ad 1300. & alios ſequentes, quarum Prima, & ſecunda, parvi ſunt momenti. Tertia eſt trium junctarum terræ ad *Parariam*. juxta *Cantarum*, *Molendinum miliare*, & *viam publicam*. In Sexta Commune Reatinum vendit *Thomæ Epiſcopo*, & Capitulo Reatino, terras omnes quas habebat dictum Commune, in tenimento *Reatino*, in pertinentiis ſupra Canalem, uſque in Paludem, & terminos ſpeciales relatos, in dictæ venditionis inſtrumento, ſub anno 1277. additurque decretum, ſuper hac venditione, factum à Communi, & Conſilio generali Civitatis Reatinæ. Octava eſt venditio facta à *Petro Epiſcopo*, nomine ſuo, & Capituli de quodam Caſalitio poſito in *Porta Cinthia*. in Decima Vicarius *D. Angeli Epiſcopi Reatini*, vendit Baptiſtæ Matthiæ unum petium terræ de Maſſa Eccleſiæ. In undecima *Epiſcopus*, & Canonici, vendunt ſeptuaginta quatuor junctas terræ nemoroſæ, & incultæ *Cardinali Sanctæ Crucis*, accepta prius à Sede Apoſtolica facultate iſtud faciendi. Ultima, & duodecima non eſt tanti, ut referri debeat.

7 Tria inſtrumenta quarundam diviſionum bonorum, inter *Eccleſiam Reatinam*, & Commune dictæ Civitatis, ac privatas perſonas. In quorum Primo continetur diviſio tenimenti, quod fuerat quondam Sinibaldi Salecti, anno 1242. In ſecundo habetur mandatum Procuræ Dominorum

Episcopi, & Canonicorum, ad dividendum cum privatis hominibus communalia Montium *Quintiliani*. In tertio continetur eadem divisio communalium *Castri Quintiliani*, facta à Thoma Capitaneo, 1285.

8 Duo Inventaria reliquorum bonorum *Ecclesiæ Reatinæ*, in quorum Primo continentur ea omnia, quæ Presbyter Gedeon Oeconomus *Ecclesiæ Reatinæ* petit à D. Forte Bracchio. In secundo recensentur omnia bona donata *Ecclesiæ Reatinæ*, à Thadæo, & Vitali germanis fratribus, & quæ ipsi per *Ecclesiam Reatinam* tenent, sub anno 1250.

9 Permutationes quarundam terrarum, & possessionum, in quarum Tertia continetur celebris permutatio facta inter *Commune Reatinum*, & *Ecclesiam*, sive Capitulum, de possessionibus juxta *Lacum* positis, & de aliis ultra, & citra Canalem, versus Civitatem, sub anno 1284.

10 Variæ scripturæ separatæ, in quarum Prima, quæ vix ac ne vix quidem, præ vetustate, & mucore, legi potest, *Gentilis Comes* promittit se rediturum, quidquid ex decimis, debebat *Rainerio Episcopo Reatino*, sub anno Domini 1084 In tertia constituitur census trium unciarum piperis, pro Casalitio quodam. In quinta habetur cessio bonorum Johandoni Nicolocti, facta à Fratre Joanne Feliciano Priore Conventus *S. Dominici*, sub anno 1315.

11 Varia Instrumenta simul juncta, in quorum primo continetur emptio facta per *Ecclesiam Reatinam*, à Communi civitatis, de bonis existentibus juxta *Lacum majorem*, cum decreto communis, pro dictorum bonorum venditione. Sequitur donatio facta per Consules civitatis Magistro *Balduino*, & per ipsum, Domui, quam ædificare debebat in *Ducatu Spoletino*, & *Monticulo cervariolo*, de terra, aqua, & palude juxta tenimentum *S. Mariæ*, cum pactis in dicto instrumento expressis, sub anno 1205. Ibidem subnectitur deputatio quorundam bonorum virorum, facta à *Communi Reatino*, ad terminandum res communes, à rebus privatorum, & specialiter à rebus *Ecclesiæ Reatinæ*, tam in flumine *Montuo*, quam in *Treria*, & *Portu Foliani*, sub anno 1240. Habetur etiam ibidem instrumentum, quo *Matthæus Sinibaldi Dodonis Potestas Reatinus*, mittit in possessionem omnium bonorum, & paludum quondam ad civitatem Reatinam pertinentium, Ecclesiam *S. Matthæi de Insula*, sub anno 1209. Denique continetur ibidem, terminatio facta per homines electos ab *Episcopo*, & Capitulo Reatino, ex una parte, & Abbate Joanne, ac Conventu *S. Matthæi de Monticello* ex altera, super finibus, & terminis bonorum existentium juxta flumen *Montuum*, & *Monticellum Cervariolum*, usque ad Monticellum *de Treria*, sub anno Domini 1222.

ARMARIUM V.

Dicatum est rebus Ecclesiæ B. Mariæ, seu Templi Majoris.

FASCICULUS A.

Continet Inventaria librorum, & supellectilis, ornamentorumque existentium in Sacristia Ecclesiæ Majoris Reatinæ.

1 Inventarium bonorum quæ obvenerunt *Ecclesiæ Reatinæ* de hæreditate *Dominici Episcopi Reatini*, factum die 28. Julii, anno 1484.

2 Inventarium librorum existentium in Libraria Ecclesiæ *S. Mariæ de Reate*, factum per Amicum, & Claudium Canonicos dictæ Ecclesiæ, cum alio inventario supellectilis, & ornamentorum, ac vestium sacrarum, quæ servantur in Sacristia superiori.

3 Inventarium omnium bonorum mobilium *Ecclesiæ majoris Reatinæ*, factum per Amicum Stabilem, & Vincentem Carnasalium Canonicos electos à Capitulo, anno 1511. die sexta Decembris, & revisum anno 1513. per Amicum de *monte Gambaro*, & Carnasalium, ex mandato Capituli.

4 Aliud inventarium supellectilis *Ecclesiæ Reatinæ*.

FASCICULUS B.

Continet Indulgentias Summorum Pontificum, & Legatorum, concessas Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & Sacellis Sanctæ Barbaræ, Sacramenti, Rosarii, & aliis.

1 Bulla Indulgentiarum concessarum à *Gregorio XI.* visitantibus *Ecclesiam Reatinam* in festo *S. Barbaræ*, & in festivitatibus *B. Mariæ Virginis*, Dat. Kalend. Decembr. Pontific. ejusdem anno VII.

2 Diploma Indulgentiarum pro *Ecclesia Majori Reatina*, concessarum illi, à *Ludovico S. Laurentii in Damaso Cardinale Aquilejensi*, vulgariter nuncupato, sub anno Domini 1443. indict. VII. die 20. Februarii, Pontificat. *Eugenii IV.* anno XII.

3 Confirmatio creationis Capellaniæ, & Societatis sub invocatione *B. Mariæ de Rosario*, in Ecclesia *Majori Reatina*, facta ab *Innocentio VIII.* Romæ apud S. Petrum, anno 1492. x. Kalend. Junii, Pontific. ejusdem anno 8.

4 Executio literarum Apostolicarum *Innocentii VIII.* pro erectione dictæ Confraternitatis, factæ per *Lucentium Abbatem S. Eleutherii*, Judicem ad hoc delegatum, anno 1492. die 20. mensis Maji, Pontificatus *Innocentii VIII.* anno octavo.

5 Indulgentiæ à variis Cardinalibus concessæ, Capellæ, & Societati erectæ in *Majori Ecclesia Reatina*, sub titulo, & invocatione Sanctissimi Rosarii. Dat. Romæ, in privatis eorundem Cardinalium Palatiis, sub anno Domini 1492. die XV. Aprilis, Pontific. *Innocentii VIII.* anno octavo.

6 Indulgentiæ concessæ à *Paulo V.* Ecclesiæ *Cathedrali Reatinæ*, pro die festo *Assumptionis*, *B. Virginis*, ad septennium tantum, observatis tamen conditionibus, in dicto Brevi enumeratis. Dat. Romæ apud S. Marcum, die XI. Augusti, 1607. Pontificat. ejusdem anno tertio.

7 Bulla Indulgentiarum concessarum à *Nicolao Papa IV.* visitantibus *Ecclesiam Reatinam*, in omnibus festivitatibus *B. Mariæ Virginis*, & per octo dies consequentes, sunt vero unius anni, & quadraginta dierum. Dat. Reate idib. Octobr. Pontificatus ejusdem anno .....

FASCICULUS C.

Continet decreta circa cereos offerendos à castris Communitatis, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, in festo Sanctæ Mariæ de mense Septembris.

1 Decretum sex Consulum Artium, & Communis *Populi Reatini*, quatenus Castra omnia in dicto decreto enumerata, debeant secundum formam Statutorum, portare, & offerre *Majori Ecclesiæ Reatinæ S. Mariæ de Reate*, in festo S. Mariæ de mense Septembris, cereos inscriptos, & ponderis, pro singulorum Castrorum ratione, determinati. Actum anno Domini 1336. men-

42 mensis Julii, die VI. indictione IV. tempore *Benedicti XII.*

2 Aliud Instrumentum circa gestationem cereorum, continens decretum simile huic præcedenti, sed cujus, ob temporum injuriam, & hominum incuriam, maxima pars legi non potest.

FASCICULUS D.

Continet acta in honorem D. Barbaræ.

1 Constitutiones factæ anno Domini 1365. indictione III. tempore *Urbani V.* die XV. Novembris, à Consilio Communis, super petitione producta pro parte *D. Episcopi*, & Capituli Reatini, de honore habendo *Corpori* S. Virginis *Barbaræ*, in ejusdem die festo.

2 Revocatio Constitutionum DD. Priorum, & sex Virorum à Communi electorum, de honore habendo *B. Barbaræ*, facta anno 1391. indictione XIV. mensis Aprilis, die 27.

3 Breve *Gregorii XIII.* impetratum à Fratre *Constantino Episcopo Reatino*, pro Altari Capellæ *S. Barbaræ*, in *Ecclesia Reatina*, ut scilicet in eo celebrantes, non minus possint liberare animas existentes in Purgatorio, quam si pro iisdem animabus, Missam in Ecclesia *Monasterii S. Gregorii de Urbe*, celebrarent. Dat. Romæ, sub annulo Piscatoris, die 1. Januarii 1577. Pontificatus ejusdem anno quinto.

FASCICULUS E.

Continet Testamenta, & legata pia, in favorem, & pro fundatione, & dotatione quarundam Capellarum in Ecclesia Majori Reatina.

1 Particula testamenti D. Joannis Canonici Reatini, in quo dotat Capellam *S. Andreæ* in dicta Ecclesia, cum certis conditionibus, & multa alia pia legata in favorem *Ecclesiæ Reatinæ* facit, anno 1319. die 15. Octobris.

2 Codicillus Domini Jacobi de *Labro* Canonici Reatini, in quo multa relinquit pro dotatione Altaris *S. Mariæ Magdalenæ* in *Ecclesia Reatina*, sub conditione, quod Capellanus ejus instituatur ab Episcopo, & Capitulo Reatino, & aliis in dicto Codicillo enumeratis, anno 1319. mensis Octobr. die VII.

3 Testamentum *Joannis de Pulegia*, in quo legatum pium relinquit, pro erectione, & dotatione unius Capellaniæ in *Ecclesia Majori Reatina*, sub anno Domini 1448. mensis Julii, die nona.

4 Testamentum *D. Jacobi*, *D. Thomæ*, factum anno 1448. mensis Julii, die 30. in quo præcipit fieri Capellam in ..... eique pro dote relinquit vineam in *Quintiliano*.

43 5 Testamentum nobilis mulieris *D. Nicolæ* filiæ quondam *Andreæ D. Rainaldi de Alfanis*, in quo eligit in primis, corporis sui sepulturam in Ecclesia *S. Mariæ de Reate*. Item præcipit quod fiat ibidem una Capella sub invocatione *S. Joannis Baptistæ*, pro cujus fabrica, relinquit ducatos sexaginta boni, & puri auri, cum antea trecentos alios ducatos reliquisset dictæ Ecclesiæ S. Mariæ; & hæredibus suis, absque liberis decedentibus, substituit prædictam Capellam, Actum Reate, in Ecclesia *S. Francisci*, sub anno Domini 1472.

6 Sententia arbitraria lata per Andræutium Petrucii Canonicum Reatinum, arbitrum electum à D. Joanne Georgio Cappellano, & beneficiato Cappellæ *S. Agatæ* in majori *Ecclesia Reatina*, ex una parte, & Rufo Joannis Magliochi ex altera, super anniversario quod fieri debebat in dicta Cappella, ob quondam relictum Domini Rainaldi Magliocchi, sub anno Domini 1431. indictione 9. mensis Martii die 7.

ARMARIUM VI.

Destinatum est negotiis aliarum Ecclesiarum Diœcesis Reatinæ, tam intra, quam extra Civitatem.

FASCICULUS A.

Continet Negotia S. Joannis de Statua, & S. Rufi.

1 Rescriptum D. Petri Saraceni, Domini Papæ Subdiaconi, & Capellani, directum *Episcopo Reatino*, quatenus excommunicatos denuntiet Archipresbyterum, & Canonicos *S. Joannis de Statua*, ob illorum contumaciam, in causa, quam movet adversus ipsos, Accorombonus clericus. Dat. Anagniæ 1260. Octavo Idus Mar. Pontificat. *Alexandri IV.* anno VI.

2 Forma Juramenti quod præstare debet D. Lucarus Archipresbyter Collegiatæ Ecclesiæ *S. Joannis de Statua*, temporibus *Pii II.*

3 Instrumentum quo *Gottifredus Episcopus Reatinus*, auctoritate literarum Domini Papæ qua in hac parte fungebatur, investivit Gualterium Adenulphi Canonicum *S. Rufi*, de beneficio quod vacavit in eadem Ecclesia *S. Rufi*, per mortem quondam Berardi ejusdem Ecclesiæ Canonici, sub anno Domini 1265. indictione IX. tempore D. Clementis PP. IV. Pontific. ejusdem anno primo, mensis Octobr. die 21. Ibidem deponit D. Joan. Petruccius Canonicus, & Oeconomus dictæ Ecclesiæ *S. Rufi*, interrogatus ab eodem *Episcopo*, quod in Ecclesia *S. Rufi*, adest Archipresbyter cum tredecim Canonicis, qui omnes habent vocem in Capitulo, quamvis undecim tantum habeant præbendas distinctas.

FASCICULUS B. 44

Continet Negotia Fratrum S. Dominici, & Monialium S. Fabiani, & S. Agnetis.

1 Venditio quarundam possessionum in tenimento *S. Rufinæ*, facta à Fratre Berardo *de Plagis*, Priore *S. Dominici* de Reate, sub anno Domini 1319. mensis Aprilis, die XXIII.

2 Mandatum Procuræ factum à Priore, & Fratribus Conventus *S. Dominici*, de Reate Ordinis Prædicatorum, in personam Fratris Jacobi Petri, ad agendum, comparendum, & quæcunque alia facienda, in causa litis, quam habebant dicti Fratres cum *Episcopo*, & Canonicis *Ecclesiæ Reatinæ*, sub anno Domini 1387.

3 Venditio unius petii terræ, facta à Monialibus *S. Fabiani* prope Reate, Gentileschæ uxori Jacobi Petroni *de Cerchiara*, sub anno Domini 1418. mensis Maji die 29.

4 Obligatio in forma depositi pro Monasterio *S. Agnetis* de Reate, facta sub anno Domini 1303. Die ultima Octobris.

5 Cessio prædictæ obligationis & summæ in illa expressæ, facta à D. Mabilia, & Monialibus ejusdem Monasterii, Domino Petro de Roccha recipienti pro se, & suis hæredibus, sub anno Domini 1305. mensis Julii, die 25. sub *Clemente V.*

FA-

FASCICULUS C.

Continet Negotia S. Angeli, sive S. Cæciliæ in suburbio Romano Civitatis Reatinæ.

1 Breve *Alexandri.... Papæ*, directum Præposito, & Capitulo *S. Cæciliæ Reatinæ*, quatenus Bartholomæum Rainaldi de Rocca, in Canonicum prædictæ Ecclesiæ recipiant, & de beneficio cum se facultas obtulerit, provideant, non obstante quavis constitutione de certo numero Canonicorum, & quavis Indulgentia Sedis Apostolicæ. Datum Anagniæ idib. Maji, Pontificatus ejusdem anno V.

2 Mandatum Procuræ D. Donadei Præpositi Ecclesiæ *S. Angeli*, & Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, in personam Joannis Romani ipsorum Concanonici, ad compromittendum in D. Berardum D. Matthæi, tanquam in arbitrum, occasione litis cujusdam, super Canonicatu dictæ Ecclesiæ, sub anno Domini 1277. mensis Maji, die 22.

3 Diploma *Joannis Episcopi Tusculani*, directum Præposito, & Capitulo Ecclesiæ *S. Angeli Reatini*, quibus ex commissione sibi data à *Nicolao IV.* confert Præbendam, & Canonicatum dictæ Ecclesiæ, Jacobo nato nobilis Viri Thomasii Sinibaldi de Reate. Datum apud Urbem Veterem, anno Domini 1290. die XIII. Novembris.

45 4 Constitutio D. Jacobi de *Labro*, Præpositi Ecclesiæ *S. Cæciliæ*, & aliorum Canonicorum dictæ Ecclesiæ, quod decedente, aliquo Canonico, liceat alteri Canonico secundum ordinem Prioratus, præbendam illius optare, juxta formam Decretalis *cum in tua*, *de consuetudine*, *&c.* sub anno 1318.

5 Mandatum Procuræ pro D. Thoma Canonico *S. Angeli Reatini*, in personam D. Rainaldi de *Colle Vitelli*, Concanonici sui, ad eligendum Præpositum dictæ Ecclesiæ, cum ipse venire non posset, propter viarum discrimina, sub anno Domini 1329. mensis Februarii, die XI.

6 Mandatum Procuræ factum à D. Francisco Canonico Ecclesiæ *S. Angeli in foro Piscium de Urbe*, & Ecclesiæ *S. Angeli de Reate*, in personas Matthæi Baldini, & Egidii Prioris Ordinis Prædicatorum, ad exigendum omnes, & singulos fructus, & census dictæ suæ Ecclesiæ *S. Angeli*, *&c.* factum anno 1351. mensis Martii, die nona.

7 Excommunicatio publicata à Joanne *de Monte Gambaro*, Canonico Reatino, & R. Fr. *Blasii Episcopi* Vicario, contra detinentes bona Ecclesiæ *S. Angeli*, ad instantiam D. Guillelmi quondam Joannis de Ponticellis, *Ecclesiæ Reatinæ*, & *S. Angeli extra Pontem* Canonici, anno Urbani V. III.

8 Electio Præpositi Ecclesiæ *S. Angeli de Reate*, facta per Canonicos ejusdem Ecclesiæ, anno Domini 1329. die sexta Martii. Electus vero fuit per viam Scrutinii legitime, & recte observari, D. Jacobus Thomas.

FASCICULUS D.

Continet negotia Monasterii S. Eleutherii prope, & extra muros Urbis Reatinæ.

1 Instrumentum quo *Senebaldus Gentilis Comes*, dat, & concedit Ecclesiam *S. Eleutherii*, quæ sita est juxta Civitatem Reatinam, *Ecclesiæ* S. Virginis Mariæ, absque omni conditione, & cum omnibus ad dictam Ecclesiam *S. Eleutherii* pertinentibus. Actum in Castro *Balbiano*, anno 1122. die 1. Julii.

A 2 Copia literarum directarum *F. Episcopo Reatino*, ab *Alexandro Papa IV.* quatenus conferat aliquem Canonicatum, & Beneficium Andreæ Sinibaldi Pauperi Scholastico, & sententia Archipresbyteri *Ecclesiæ S. Rufi*, in favorem dicti Andreæ, contra Abbatem, & Capitulum *S. Eleutherii*, sub anno Domini 1257. mensis Augusti die penultima.

3 Locatio unius petii vineæ de beneficio D. Joannis Canonici *S. Eleutherii*, facta ab eodem D. Joanne tanquam œconomo Abbatis, & Capituli dictæ Ecclesiæ, sub anno Domini 1305. mensis Decembris 26.

B 4 Electio Matthæi D. Angeli Rufi in Canonicum Ecclesiæ *S. Eleutherii*, facta à Vicario D. Andreæ quondam Sinibaldi *Abbatis dictæ Ecclesiæ*, & ejusdem Canonicis, sub anno Domini 1336. mensis Novembris, die 24.

5 Recognitio cujusdam pensionis debitæ Thomæ Cirrino Canonico Reatino, ab *Angelo Abba-* 46
te S. Eleutherii, sub anno 1339. mensis Maji, die 21.

6 Venditio quarundam terrarum, & possessionum, facta cum consensu *D. Angeli Abbatis S. Eleutherii*, sub anno 1345.

7 Copia actorum quæ facta fuerunt tempore
C Potestariæ D. Accursii de Tolentino Reatini Potestatis, pro *D. Joanne Caputosto Abbate S. Eleutherii*, in petitione civili, sub anno Domini 1332.

8 Venditio unius junctæ terræ clericatus Matthæi Bucotii de Reate, clerici, & beneficiati Ecclesiæ *S. Leopardi*, Capellæ immediate suppositæ Ecclesiæ *S. Eleutherii*, facta à *Joanne Baldo de Reate*, *Abbate dictæ Ecclesiæ S. Eleutherii*, cum consensu Canonicorum, & ipsius Bucotii, sub anno Domini 1449. mensis Maji, die 3.

9 Locatio in emphyteusim duarum petiarum Terræ Ecclesiæ *S. Eleutherii*, factum consensu
D *E. Vincentii de Coscia Abbatis*, & Canonicorum dictæ Ecclesiæ, sub anno Domini 1486. In annexa membrana habetur alia locatio facta anno 1465. à Christophoro Valentino de Reate, Canonico Ecclesiarum *S. Mariæ* Reatinæ, & *S. Eleutherii.*

10 Locatio in emphyteusim cujusdam petii terræ Oliveti, positi in territorio Reatino, & in contrada quæ dicitur *lu Monte di S. Eleuthero*, juxta Corrigium, facta Dionysio Honofrii Francisci Aromatarii de Reate, per *D. Lucentium de Cosciariis de Urbe*, *Abbatem Ecclesiæ Collegiatæ*, *S. Eleutherii*, anno 1493. die 3. Decembris.

E 11 Unio Ecclesiæ Collegiatæ *S. Eleutherii* extra muros Reatinos, per liberam resignationem Magistri *Lucentii de Cosciariis* Subdiaconi D. Papæ, mensæ Capituli, & Canonicorum dictæ civitatis, facta à *Paulo II.* ad requisitionem ipsius & Capituli, paupertatem suam, & neglectum divini cultus in prædicta Ecclesia *S. Eleutherii* causantis, sub anno Domini 1506. quinto Kalendas Julii.

12 Venditio Possessionis cujusdam vineatæ quartorum quinque, ad Ecclesiam *S. Eleutherii*, pertinentis, facta Francisco Joannis Arosti, civi Reatino, à D. Petro Paulo de Reate, anno 1529. die 8. mensis Aprilis.

F 13 Quatuor Apochæ, sive quietationes, solutionis factæ annis 1570. 73. 1602. &c. per Capitulum Reatinum clericis Cameræ, & variis aliis Societatibus, & Collegiis, pro annatis Abbatiæ *S. Eleutherii.*

14 Electio Francisci Petri Simeonis in Vicarium Ecclesiæ *S. Eleutherii*, facta ab Joanne Andrea Cechilutii de Reate *Abbate dictæ Ecclesiæ*, anno 1372.

FA-

FASCICULUS E.

Continet Negotia Abbatiæ S. Pastoris.

1 Instrumentum factum anno 1288. die 13. Novembris, quo Petrus Minister, & Capitulum *Ecclesiæ Reatinæ*, subjiciunt Abbati, & Monasterio *S. Pastoris* Reatinæ Diœcesis, Ecclesiam *S. Egidii de Valloniana*, reformandam, sub conditionibus in instrumento explicatis.

47 Locatio unius Casalitii facta à Gentile Monacho, & Occonomo Monasterii *Sancti Pastoris*, Marinutio Pauliecti *de Castro Græciæ*, anno 1339.

3 Constitutio Procuratoris, facta per fratrem Gentilem Abbatem, & Monachos Monasterii S. Pastoris Reat. Diœcesis 1342. die v. Martii.

4 Breve *Martini V.* directum *Episcopo Reatino*, quo ei committit ut bona alienata per *Gasparem Archiepiscopum Reginensem*, & *Commendatarium Abbatiæ S. Pastoris*, & per alios Abbates, ac Conventum prædictum, ad jus, & proprietatem dicti Monasterii, revocare procuret. Datum *Genazani Prænestinæ Diœcesis*, 4. Septembris Pontificatus ejus anno xi.

FASCICULUS F.

Continet Negotia Monasteriorum Farfensis, & S. Salvatoris simul Unitorum.

1 Instrumentum Locationis usque in tertiam generationem, pro Abbate *S. Salvatoris* de Reate, sub anno 1028. in quo pauca tantum ob vetustatem legi possunt.

2 Locatio in emphyteusim variarum terrarum, & possessionum, facta à *Guidone Abbate Farfensi*, & Confratribus suis, pro decem solidis denariorum Papiensium, sub anno Domini 1114.

3 Instrumentum quo *D. Gentilis Abbas S. Salvatoris*, cum auctoritate *D. Conradi Ducis Spoletani*, concedit in emphytheusim, res contentas intra fines enumeratos in dicto instrumento, anno 1185. die mensis Decembris 15.

4 Bulla *Innocentii III.* qua præcipit Joanni Caputiæ Subdiacono, & Capellano suo, ut Abbatem *Ecclesiæ S. Pastoris* excommunicatum denuntiet, injungatque Monachis, ut ad Alterius Abbatis electionem procedant. Dat. Laterani xiv. Kalend. Maji, Pontificat. ejusdem anno xiv. exscripta vero, fuit ex originali anno 1211.

5 Collatio 4. partis Monasterii *S. Angeli*, & totius Ecclesiæ *S. Pasciani*, Nicolao Francisci *de Græcia*, facta à *Gregorio Abbate Farfensi*, sub anno Domini 1312. mensis Aprilis die 4.

6 Mandatum Procuræ, factum ab Abbate *S. Salvatoris*, in causa *Sanctæ Mariæ de Vallibus*, anno 1319. mensis Julii die 26.

7 Commissio data per *Joannem Episcopum Anagninum* conservatorem bonorum Monasterii Farfensis, *Andreæ de Tortulinis Abbati S. Eleutherii*, quatenus inquirat de furtis, injuriis, damnis illatis dicto Monasterio. Dat. Romæ anno 1331. indictione xiv. mensis Augusti die x.

8 Instrumentum quo *D. Philippus Abbas majoris Monasterii S. Salvatoris*, eligit ad rectoriam *S. Mariæ de Vallibus*, Matthæum fratrem suum, mittitque eum ad petendam institutionem Canonicam, à Vicario, & Capitulo Reatino, tanquam à veris Patronis, sub anno Domini 1337. mensis Junii xv.

48 9 Testamentum D. Matthæi de Porsigliano districtus *Abbatiæ S. Salvatoris majoris*, in quo continentur plura legata, tam Ecclesiis dictæ Ab-
A batiæ, quam civitatis Reatinæ, sub anno Domini 1382. die 25. mensis Martii.

10 Collatio beneficiorum *S. Laurentii*, & *S. Andreæ* in territorio *Castri Silvestri*, & *S. Andreæ de Repasto* nullius Diœcesis, in personam Antonii *de Fabris* Presbyteri Reatini, facta ab *Alexandro Cardinale Farnesio S. R. E. Vicecancellario, ac Monasteriorum Farfensis, & sancti Salvatoris nullius Diœcesis, invicem unitorum perpetuo Commendatore*, sub anno Domini 1577. die 2. Julii.

FASCICULUS G.

B *Continet Negotia aliarum Ecclesiarum Diœcesis Reatinæ, quarum nulla ratio quam temporis haberi potuit.*

1 Donatio facta ab Adalberto . . . . . & Petro germanis fratribus, Urso Presbytero, ac servis . . . . . de rebus quas habebant in territorio Reatino, in loco qui dicitur, *Plage*, anno 1025. Instrumentum, est Longobardicis ferme literis exaratum, in cujus tergo scriptum est, *Chartula S. Angeli de Plage.*

2 Instrumentum quo, anno 1111. Berardus filius de Rapiro, vendit Rainaldo Archiepresbytero *S. Mariæ Antredocinæ*, unam petiam de Vinea, quam habebat in dicto territorio.
C
3 Instrumentum media sui parte erosum à soricibus, & referendum inter negotia Ecclesiæ, & Capituli, ad Armarium IV. quo anno Domini 1112. Bonomus de *Monte Gaimaro*, dat *Ecclesiæ Reatinæ*, locum ad ædificandam Ecclesiam, in honorem *S. Bartholomæi*, & Hospitale ad suscipiendum pauperes, in loco ubi dicitur, *Macola de Monte Cornu*, cui Ecclesiæ donavit CC. modiola terræ, in circuitu ipsius Ecclesiæ, &c.

4 Instrumentum donationis quam facit *Gentilis Comes*, *Ecclesiæ sancti Mauri Confessoris*, quæ sita est in Comitatu Reatino, in cacumine montium *Dephanum*, de quibusdam possessionibus, sub
D anno Domini 1134. regnante *Lothario Imperatore Augusto.*

5 Instrumentum factum anno Domini 1171. quo Galganus filius olim Berardi de Ingerzo, concedit pro anima sua, Ecclesiæ *S. Philippi de Vena* Rubra, & D. Stephano ejus Rectori, rem quæ est in pede *Montis Romani*, &c.

6 Instrumentum Donationis quam facit *D. Rainaldus de Lavareto*, de multis terris, & possessionibus, *Ecclesiæ S. Crucis*, quam specialiter absolvit ab omnibus daciis, albergamentis, & jure patronatus, quæ prætendere in ipsam posset, sub
E anno Domini 1196. mensis Martii die 25.

7 Facultas concessa à *Rainaldo Episcopo Reatino*, Dominis de la Cule *terræ Camponiscæ*, quatenus ædificare possint Ecclesiam in honorem *B. Virginis*, in loco qui vocatur *Podium Verolum.* ita tamen quod subjaceat Episcopatui Reatino, & Archipresbyteratui *de Monte Guizo*, sub anno Domini 1220.

8 Donatio facta Joanni Leonis, à Sinibaldo 49
de *Balviano*, de juribus quæ ipse habebat in Ecclesia *S. Angeli de Apamiano*, ac renunciatio ejusdem Ecclesiæ, facta eidem Joanni, à prædicto Sinibaldo, sub anno 1238. die III. mensis Mar-
F tii.

9 Instrumentum Donationis factæ Ecclesiæ *S. Juliani* in Comitatu Reatino, à D. Sabba, de juribus omnibus quæ ipsa habebat in Ecclesia *S. Mariæ de Focis*, sub anno 1292.

10 Tria Brevia *Clementis IV.* directa *Episcopo Reatino*, Patrimonii S. Petri in Tuscia Rectori, & communi Reatino, quatenus Joannam puellam natam q. Roberti de Castellione, quæ à Matthæo de *Luco*, violenter è Monasterio educta fuerat,

in aliquo tuto, & honesto loco servari faciant, ut postquam ad ætatem legitimam pervenerit, si maluerit, matrimonium cum dicto Matthæo contrahat, vel ad idem Monasterium à quo educta fuit, redire possit. Dat. Viterbii 11. Kalend. Augusti, Pontificat. ejusdem anno 11.

11 Facultas concessa ab *Episcopo Reatino*, D. Rainerio *de Podio*, ædificandi Ecclesiam in honorem *S. Hierasmi*, sub conditionibus in Instrumento explicatis, anno Domini 1306. die 5. Maji.

12 Inventarium bonorum mobilium, & stabilium, Ecclesiæ *S. Maronis prope Reate*, factum à D. Bartholomæo Bontempi, & Matthæo Pandolfoni Canonicis, & Rectoribus dictæ Ecclesiæ, secundum constitutionem *Episcopi Reatini*, sub anno Domini 1315.

13 Instrumentum, quo D. Philippa uxor olim Luccarelli, donat fratri Nicolao, & fratri Joanni Cordischi de Reate, religiosis in Eremo habitantibus, unam petiam terræ sylvæ, & deserti, positam in Pede *Vallis Romanæ*, juxta fontem inclusive, ubi est ædificata Ecclesia *B. V. Mariæ*, sub anno Domini 1319. à tergo scriptum erat, *Instrumentum S. Mariæ de Foresta.*

14 Instrumentum, quo Capitulum *Ecclesiæ Reatinæ* denunciavit, Archipresbytero, & Canonicis Ecclesiæ *S. Mariæ de Cesuno*, electionem, & nominationem de 4. Canonicis factam ab ipsis, Sede Reatinæ Ecclesiæ Pastore vacante, esse nullam, sub anno Domini 1339. mensis Maji die XIII.

15 Mandatum Procuræ, factum à Monialibus *Castri S. Felicis de la Posta* Reatinæ Diœcesis, in personas Matthæi D. Matthiæ, & Janduni de *Aquila* ad petendum ab *Episcopo Reatino*, ut confirmare dignetur, electionem factam de Donna Catharina *Celli* in Abbatissam dicti Monasterii pro uno anno, sub anno Domini 1343.

16 Concessio facta per vener. Fratrem *Blasium Episcopum Reatinum*, quatenus Archipresbyter, & Canonici *S. Philippi de Vena rubra*, erigere possint in Capellam, domum quandam sitam in *Castro Scornabecchi*, sub invocatione *S. Philippi*, & in ea Altare erigere, & Campanam, ac Cœmeterium habere, juxta formam Testamenti Gargani de dicto loco, sub anno Domini 1349.

17 Unio Ecclesiarum *S. Stephani de Cereto*, & *S. Petri de Aquaviva*, ad instantiam D. Angeli Perusinelli, ipsarum Rectoris, eo quod tenues ipsarum reditus, non permittebant, divina officia separatim in eis celebrari, facta ab *Episcopo*
50 *Reatino*, anno Domini 1366. die VI. Februar.

18 Breve *Martini V.* directum *Episcopo Reatino*, ut occultos detentores librorum, literarum, ornamentorum, &c. domus Terræ *Montis Leonis*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, moneat, quatenus sub pœna excommunicationis, restituant dictis Fratribus, quidquid ab ipsorum Ecclesia malis artibus sustulerunt. Dat. Anagniæ XVII. Kalendas Septembris, Pontificatus ejusdem anno XII.

19 Ordines facti per universitatem *Castri Burghetti*, districtus *Civitatis Ducalis*, circa servitium Ecclesiæ *S. Rustici*, & *S. Matthiæ*, sub anno Domini 1472. die IX. Augusti.

20 Instrumentum donationis factæ per Jacobum Christophani Rectorem Ecclesiæ *S. Mariæ de Populo*, & Oeconomum dictæ Ecclesiæ, de Jure patronatus, & omni alia prætensione, quæ ipsis competit in Ecclesia *S. Agathæ de Candannolis*, districtus Terræ *Civitatis Ducalis*, & Reatinæ Diœcesis, D. Andreæ Angeli Manni de *Castro S. Angeli*, præsenti, & recipienti, sub anno, & mense, ut in superiori articulo, die vero XII.

ARMARIUM VII.

Continet privata Negotia Clericorum Diœcesis Reatinæ.

FASCICULUS A.

Continet provisiones in Officium Tabellionatus D. Papæ, & Capellaniatus quorundam Cardinalium.

1 Collatio, officii Tabellionatus in personam *P. Stabilis* Civis Reatini, facta ab *Innocentio Papa II.* idib. Februar. Pontificatus ejus anno IX. sub anno Domini 1221.

2 Collatio ejusdem officii in personam Joannis Nicolotti Civis Reatini, ab *Urbano IV.* VII. idib. Februarii, Pontificatus ejus anno primo.

3 Diploma *Poncelli de Ursinis Cardinalis*, quo admittit in suum Capellanum, Bartholomuccium Cecchum Presbyterum Reatinum, anno 1389. mensis Januarii, die XV. *Urbani V.* anno XI.

4 Diploma *Jacobi Diaconi Cardinalis*, quo Bartholomæum de Roccha Canonicum Reatinum, in suum Capellanum admittit, sub anno Domini 1308. *Clementis V.* III. die XX. Octobris.

FASCICULUS B.

Continet negotia Juris patronatus, Pensiones non solutas, & perceptiones fructuum in absentia, ex speciali indulto.

Tria Instrumenta Juris patronatus in quorum Primo *Benedictus XII.* die III. Novembr. Pontific. sui anno III. mandat. *Episcopo Interamnensi*, quatenus Bandam de Arlocta, patronam Ecclesiæ *S. Leonardi de Capitello*, *Aquilejensis Diœcesis*, 51
audiat super lite, quam habet cum Archipresbytero *S. Donati de Forcella.* Dat. Avenioni, anno, & mense prædictis. In secundo continetur Breve *ejusdem Papæ*, directum *eidem Episcopo*, quatenus litem vertentem inter præfatam Bandam, & Nicolaum *S. Veroli*, super Jure patronatus Ecclesiæ *S. Veroli Aquilejensis Diœcesis*, debito fine terminet. Dat. Avenioni, eodem anno ut supra, die vero V. Decembris. In tertio Joannes Jacobiettus Romualdi de Arpajano, de *Civitate Ducali* præsentatur ad Ecclesiam *S. Angeli de Coriano*, Reatinæ Diœcesis, per Joannem Odorisacium, & alios Patronos dictæ Ecclesiæ, coram *Raymundo Episcopo Reatino*, die XXVI. Julii, anno 1344.

2 Præceptum factum ab Aimerico de Scommano, Commissario ad id deputato, ab *Ambaldo Episcopo Tusculano, & Cardinali tituli S. Laurentii in Lucina*, *Episcopo*, & Canonicis Ecclesiæ Reatinæ, ut D. Bernardo de Reate, Capellano dicti *D. Ambaldi*, juxta formam sui Brevis, de fructibus sui Canonicatus, omnimode satisfaciant, sub pœna excommunicationis. Dat. Avenioni anno Domini 1342. die XX. mensis Junii.

3 Breve *Eugenii IV.* directum Vicario generali *Matthæi Episcopi Reatini*, præ sequestratione fructuum, juxta Constitutionem *Clementis V.* de Canonicatu, & præbenda Reatina, in favorem D. Laurentii Paulutii. Dat. Ferrariæ anno 1438.

4 Motus proprius *Nicolai IV.* significatus Capitulo, & Canonicis Reatinis, per *Matthæum Cardinalem S. Laurentii in Damaso*, quatenus Oddo de Pasinellis Canonicus, sub expectatione præbendæ in Ecclesia Reatina, & Capellanus *D. M. Card. tituli S. Mariæ in Porticu*, percipere possit distributiones quotidianas, non obstantibus constitutionibus dicti Capituli in contrarium Dat.

apud

apud Urbem Veterem, anno Domini 1290. Pontific. ejusdem anno IV.

5 Commissio data Aimerico de Scomano, ab *Ambaldo Episcopo Tusculano*, quatenus ex indulto sibi concesso à *Joanne XXII.* faciat integre solvi, & ministrari D. Berardo de Reate Capellano suo, licet absenti à dicta civitate, fructus præbendæ quam in *Ecclesia Reatina* obtinet. Dat. Avenioni 1342.

6 Breve *Eugenii IV.* in favorem Jacobi fratris Joannis, privati ab *Matthia Episcopo Reatino*, perpetua Capellania *S. Lauriani*, vel *Damiani Ecclesiæ Reatinæ*, eo quod mandatum dicti *Episcopi*, de residendo, non observasset. Dat. Romæ apud S. Petrum anno 1444. Pontificat. ejusdem XIV.

FASCICULUS C.

Continet acta Pœnitentiariæ, super dispensationibus Matrimonialibus, & absolutionibus ab irregularitate, nec non literas participationis orationum, & facultates eligendi Confessorem.

1 Dispensatio super gradu 4. consanguinitatis, concessa Francisco de *Podio Bastonis*, & Theodinæ de Reate ejus uxori, per *Gentilem tituli*
52 *S. Mariæ in Montibus Cardinalem, & Pœnitentiariæ Apostolicæ Præfectum.* Dat. Laterani, Pontificat. *Benedicti XI.* anno primo.

2 Commissio data Matthæo Capellano *S. Susanni* de Reate, à *Raimundo Episcopo Reatino, & Almæ Urbis Domini Papæ Vicario in spiritualibus generali*, quatenus intra Missarum solemnia, moneat omnes, & singulos, qui noverint aliquod impedimentum esse, inter Colam, & Margaritam, contrahentes illud, sub excommunicationis pœna revelare debeant. Dat. Reate in Episcopali Palatio.

3 Absolutio super Concubinatu cujusdam Canonici, & licentia tenendi intra domum suam, pro suis honestis servitiis, unam mulierem antiquam, concessa illi à Domino *Donadei, de Narnia Collectore, & spirituali Judice in Patrimonio S. Petri*, sub anno 1396.

4 Absolutio D. Matthæi Presbyteri *Castri de Stirps*, & rehabilitatio ejusdem ad beneficia, concessa illi à *Rainutio tituli S. Angeli Presbytero Cardinale, & Pœnitentiario supremo.* Dat. Romæ, Pontificatus *Pii Papæ IV.* anno X.

5 Duo Brevia facultatis concessæ à *Scipione Burghesio tituli S. Chrysogoni Presbytero Cardinale, & Pœnitentiariæ Apostolicæ præposito.* Discreto viro N. Confessori ex approbatis ab Ordinario, & ad id deputato, ut quosdam absolvere possit, ab irregularitate, propter alienationem bonorum Ecclesiasticorum. Dat. Romæ. 15. Kalend. Octobris, Pontific. *Pauli V.* anno IX.

6 Duæ literæ participationis Orationum, & suffragiorum, Prima *Fratris Joannis Generalis Magistri Ordinis Fratrum Minorum*, concessa D. Thomæ, D. Sinibaldi, ejusque uxori, & liberis, Reate 15. Kalend. Septembr. anno 1300. Altera est *Fratris Guillielmi Abbatis Cisterciensis*, totiusque Conventus Abbatum Capituli generalis, concessa D. Bartholomæo de Roccha Canonico majoris *Ecclesiæ Reatinæ.* Dat. apud Cistertium, anno Domini 1319. tempore Capituli Generalis.

FASCICULUS D.

Continet Literas ordinatorum, sive adscriptorum spirituali militiæ.

1 Literæ Ordinis Subdiaconatus, collati ab *Episcopo Reatino* Bartholomæo de Roccha Ca-
A nonico Reatino, anno 1318. mensis Septembris, die Sabbati quatuor Temporum.

2 Literæ ordinis Clericalis, collati Nanno Cicchi de Reate, à *Petro Episcopo Marsicano, D. Joannis Cardinalis S. Theodori, & Apostolicæ S. Sedis Legati, Cancellario*, & potestatem specialem habente, ab eodem, omnes suæ Legationis scholares, & clericos ad ordines promovendi. Dat. Reate, sub anno Domini 1328. die XIX. Januar.

3 Literæ ordinis Sacerdotalis, collati Bartholomuccio Cicchi de Reate, à *Fratre Blasio Epi-* 53
scopo Reatino, sub anno Domini 1358. indict. XII.
B die Sabbati quatuor Temporum, mensis Decembris XXI.

4 Literæ ordinis clericalis, sive tonsuræ, collatæ Matthæo Jacobi Petroni Balloini, ab *Episcopo Reatino*, sub anno 1380. reliqua ob vetustatem legi non possunt.

5 Tres literæ Ordinationis à *Matthæo Episcopo Reatino* concessæ. Prima quatuor minorum ordinum pro Dominico Cole Rubei, sub anno Domini 1448. mensis Decembris, die XXI. Secunda tonsuræ clericalis, pro Fratre Joanne Monacho S. Salvatoris. Tertia ejusdem Clericalis ordinis pro Agnelo Cole, anno 1449. mensis Julii die 24. in *Castro S. Anatholiæ in Ecclesia dicti*
C *Loci.*

FASCICULUS E.

Continet Mandata summorum Pontificum, de promovendis quibusdam particularibus ad certa beneficia.

1 Breve *Innocentii IV.* directum *Abbati S. Pastoris*, quatenus Donato, & Benedicto clericis Reatinis, per literas legatorum, *Episcopum*, & Capitulum super receptione sua inquietantibus silentium imponat. Dat. Lugduni idibus Janua-
D rii, Pontificatus ejusdem anno VIII.

2 Breve ejusdem *Innocentii IV.* directum *Episcopo*, & Capitulo Reatino, quatenus recipiant in Canonicum, Andream Canonicum *S. Eleutherii.* Dat. Perusii 15. Kalend. Junii, Pontificat. ejusdem anno IX.

3 Breve *Innocentii*..... directum Præposito *S. Angeli*, quatenus Thomasium Scholarem, de aliquo beneficio provideat. Dat. Perusii idibus Februarii, Pontificatus ejusdem anno X.

4 Breve *Alexandri IV.* directum *Episcopo*, & Capitulo Reatino, quatenus *Benincasam*, in Canonicum recipiant, ac eidem de præbenda aliqua
E providere curent, non obstantibus quibusvis privilegiis, aut indultis in contrarium. Dat. Laterani VII. Idus Februarii, Pontificatus ejusdem anno III.

5 Breve *Alexandri IV.* directum *Episcopo*, & Capitulo Reatino, quatenus *Thomasium* natum *nobilis viri Jacobi de Pesculo consanguinei sui*, ob reverentiam Apostolicæ Sedis, & suam, in Canonicum, & Fratrem recipientes, eidem de præbenda aliqua providere curent. Dat. Anagniæ VIII. Kalend. Maji Pontificatus ejusdem anno V.

6 Breve *Alexandri IV.* directum Jacobo de Ca-
F stiglione Cappellano suo, ut Breve supra dictum in favorem *Thomasii de Pesculo*, executioni demandari curet. Datum ibidem anno ut supra.

7 Breve *Nicolai IV.* directum *Episcopo*, & Capitulo Reatino, quatenus Rainaldum Paramani, in Canonicum recipiant, eidemque de præbenda aliqua provideant, non obstantibus quibuscunque oppositionibus in contrarium. Datum Reate XVI. Kalend. Julii, Pontificat. ejusdem anno II.

8 Mandatum D. Nicolai de *Terracin.* D. Pa-

pæ Capellani, directum Capitulo *Ecclesiæ Reatinæ*, quatenus Venturam Rainaldi de Reate, in Canonicum recipiant juxta tenorem literarum *Jo-*
54 *annis XXI.* Dat. Viterbii x. Kalendas Novembris, anno Pontificat. *Joannis XXI.* primo.

FASCICULUS F.

Continet Collationes Beneficiorum Diœcesis Reatinæ, factas cum ab Episcopo, tum à Legatis, & quibusvis aliis personis, ad quas eorundem collatio spectabat, annis millesimo centesimo, ducentesimo, & sequentibus usque ad 300.

1 Attestatio *Rainaldi S. Eustachii Diaconi Cardinalis D. Papæ Camer.* supra legitimatione mandati Procuræ, facti ab Andrea dicto *Vetulo*, in personam Lucæ familiaris D. Papæ, ad petendam præbendam, seu beneficium, à venerabili Patre *Archiepiscopo Cantuariensi*, & illud recipiendum, locandum, &c. Dat. Perusii Kalend. Februarii, Pontificat. *Gregorii IX.* anno tertio.

2 Collatio præbendæ in Ecclesia *S. Cæciliæ*, facta in personam D. Bartholomæi Canonici dictæ Ecclesiæ, à D. Berardo Præposito Ecclesiæ *S. Andreæ Repastensis*, *Narniens. Diœcesis*, executore dato per *D. Clementem Papam IV.* anno Domini 1271. die XXIII. Martii.

3 Receptio in Canonicum, facta per *Episcopum*, & Canonicos Reatinos, de Bartholomæo de Roccha, juxta formam literarum Papalium, & ad mandatum executorum in iisdem nominatorum, sub anno Domini 1289.

4 Executio provisionis per D. Saracenum, subdelegatum ab Abbate *S. Pastoris*, delegato Apostolico, ad Præbendam in *Ecclesia Reatina* vacantem D. Bartholomæo de Roccha conferendam, anno Domini 1292. die 29. Maji, *Romana Sede Pastore vacante.*

5 Receptio Petri Nicolai Gentilis de Prescia, sive Grescia præsentati ab Angelo Nicolai Patrono *Ecclesiæ S. Mariæ de Casalibus*, ad quartam partem ejusdem Ecclesiæ, facta per *Berardum Episoopum Reatinum*, anno Domini 1296. die XIX. mensis Novembr.

FASCICULUS G.

Continet collationes beneficiorum Diœcesis Reatinæ, factas per Episcopum, & alios, ab anno 1300. *ad* 1400.

1 Collatio facta per *D. Episcopum Reatinum*, Ecclesiæ *S. Martini de Turrano* Diœcesis Reatinæ, in personam Oddonis Presbyteri Ecclesiæ *S. Thomæ de Latusculo* Reat. Diœcesis, sub anno Domini 1310. mensis Decembr. die VIII.

2 Collatio facta D. Jacobo de Reate, medietatis *Ecclesiæ S. Cassiani*, & medietatis quartæ partis *Ecclesiarum S. Angeli de Græcia* ad Far-
55 fense Monasterium pertinentium, per Fratrem *Bonum Joannem Episcopum Vegelensem, & administratorem Farfensis Monasterii*, sub anno Domini 1313.

3 Collatio clericatus loci, & beneficii sine cura, in Ecclesia *S. Petri in Campo*, prope Reate, facta ab *Episcopo Reatino*, Francisco de *Pappazuris de Urbe nepoti suo*, sub anno Domini 1313. Kalend. Decembris.

4 Concessio Canonicatus, & præbendæ spectantis ad Abbatiam *S. Salvatoris*, facta in executionem mandati Apostolici, ab *Joanne Episcopo Reatino*, in personam Dominici Nicolai A-
A mati, anno Pontif. *Joannis XXII.* XV.

5 Mandatum Procuræ factum à *D. Joanne Episcopo Reatino*, & Capitulo, quatenus concedantur in beneficium Angelo Petri præbendario dictæ Ecclesiæ, terræ de dicta Ecclesia, æquivalentes tribus junctis, sub anno 1318. mensis Junii die 20.

6 Indultum *Joannis Cardinalis S. Theodori Apostolicæ Sedis Legati*, in favorem Rainaldutii Angeletti, quatenus provideri debeat ab *Episcopo Reatino*, de beneficio aliquo sine cura, in ejus Diœcesi vacante, aut proxime vacaturo. Dat. Romæ III. id. Julii, Pontificat. *Joannis XXII.*
B anno XIV.

7 Collatio tertiæ partis *Ecclesiæ Montis Calvi*, pertinentis ad collationem *Cardinalis Sabinensis*, in personam D. Andreæ de Jannicono, cum dispensatione, quoad retentionem *Ecclesiæ Curatæ de Castellione*, facta per Guilliełmum Gervasii Vicendis, dicti *Cardinalis* Vicarium. Dat. Romæ. anno Domini 1327.

8 Præsentatio D. Petrucci Nicolai de Stipignano, in clericum Ecclesiæ *S. Silvestri de Contrada S. Rufinæ*, per Paulum D. Matthæi de Reate, & Sollatium Simeonis de *S. Rufina*, patronos pro certa parte dictæ *Ecclesiæ S. Silvestri*, coram
C Vicario Generali *D. Joannis Episcopi Reatini*, pro confirmatione dicti clerici obtinenda, sub anno Domini 1332.

9 Mandatum Procuræ factum à Joanne de *Cane Morto*, in personam Nicolai Gregorii *Casellæ*, pro præsentando in Rectorem *Capellæ S. Salvatoris*, sitæ in Ecclesia *S. Laurentii* de Reate, D. Bartholomæum Ciancharonum, quotiescunque, Amicus Archipresbyter *de Catino*, volet renuntiare dictam Capellam, in quam prædictus Joannes de Cane morto Jus patronatus obtinet, in manibus *D. Blasii Episcopi Reatini*, sub anno Domini 1361. mensis Januarii die XI.

D 10 Collatio Capellæ *S. Salvatoris* prædictæ, eidem Bartholomæo Ciancharono, per renunciationem Amici de Catino, facta per fratrem *Blasium Reatinum Episcopum*, eodem anno, & mensis die XXIV.

11 *D. Blasius Episcopus Reatinus*, ad præsentationem Procuratoris Matthæi *Pojani*, & aliorum, confert clericatus, loca & beneficia vacantia in Ecclesia *S. Joannis de Podio Bastonis*, *S. Mariæ de Consonato*, & *Sancti Angeli de dicto Podio* Reatinæ Diœcesis, Francisco Petri Simeonis, sub anno Domini 1363.

E 12 Collatio clericatus vacantis in Ecclesia *S. Petri de Ponte de Reate*, Bartholomæo Cicchi per Fratrem *Blasium Episcopum Reatinum*, anno Domini 1363.

13 D. Rainaldus de Plagis Canonicus Reati- 56
nus, executor subdelegatus per *D. Raymundum Episcopum Reatinum*, secundum formam literarum *Clementis VI.* confert. Lupo Montanari Clerico Reatino, Canonicatum vacantem in Ecclesia *S. Joannis de Statua*, sub anno 1344.

14 Executio mandati *Episcopi Reatini*, per Archipresbyteros *SS. Joannis, & Rufi*, subdelegatos à præposito *S. Angeli*, super provisione bene-
F ficii in *Ecclesia Reatina* vacantis in personam Checcarelli Petri Simeonis, sub anno Domino 1348. mensis Septembris die 2.

15 Collatio clericatus, & beneficiorum vacantium in Ecclesiis *S. Joannis de Podio Bastonis*, per mortem Lupi Montanari, in personam Andreæ Mascii de Reate, præsentati à Georgii Vannis Montanari, earundem Ecclesiarum Patrono, sub anno 1349.

16 Investitura Ecclesiæ *S. Calixti de Monte Gambaro*, & *S. Nicolai de Colle Arnario* in personam

sonam Francisci Petri Simeonis de Reate, per Andream Catalli de Reate, ex commissione *Episcopi Reatini*, sub anno 1362. A

17 Acta litis contestatæ anno 1349. super provisione Bernardi Cottani, in præbendam *Ecclesiæ Reatinæ*, ex indulto *Clementis VI.* multa in eo Instrumento obliterata sunt.

FASCICULUS H.

Continet Collationes Beneficiorum Diœcesis Reatinæ factas ab anno 1400. *ad hoc præsens usque tempus anni* 1638. B

1 Collatio Capellæ *S. Apolloniæ* sitæ in *Ecclesia Reatina*, Fratri Egidio Salomonis de Francia, facta à *Matthia Episcopo*, & Capitulo Reatino, ob merita probitatis ejus, & dona virtutum Musicæ, sub anno Domini 1449.

2 Collatio partis Ecclesiæ *S. Nicolai de Rivo torto*, facta ab *Episcopo Reatino*, in personam Vannis Cicchi de Sambuco Reatini, tanquam præsentati à Magnif. viro, *Francisco de Marerio*, qui ejusdem Ecclesiæ Jus patronatus se habere contendebat, sub anno 1449.

3 Collatio Parochialis Ecclesiæ *S. Sebastiani de Podio filiorum Hugonis*, in personam Dominici de *Monte Gambaro*, facta de speciali mandato *Eugenii IV.* Dat. Romæ apud S. Petrum, anno 1444. III. Kalend. Januarii, Pontificatus ejusdem anno decimoquarto. C

4 Collatio Ecclesiarum, seu Clericalium locorum vacantium in Ecclesiis *S. Joannis de Forca pendula*, *S. Victorini de Burghetto*, *& S. Lazari de Villa Cella Dei*, districtus *Civitatis Ducalis*, pro quarta parte Diœcesis Reatinæ, in personam Nicolai Petrucci Archipresbyteri *S. Mariæ de Cesuno*, facta à Vicario Generali *Episcopi* Reatini, anno 1450. die XIII. mensis Martii. D

5 Collatio Parochialis Ecclesiæ *S. Sebastiani de Podio filiorum Hugonis*, acta per Præpositum *S. Angeli*, ex mandato *Nicolai V.* in personam P.
57 Mariani de *Monte Gambaro*, Canonici Reatini, sub anno Domini 1451. die 20. Octobris.

6 Collatio Ecclesiæ *S. Stephani de Castrico*, & perpetui beneficii ecclesiastici ad Altare *S. Stephani*, situm in *Ecclesia Reatina*, facta ab Andrea de Valle, & Dominico de Rubeis, Canonicis *S. Petri de Urbe*, & Vicario *Episcopi Reatini*, in personam Angeli Dominici de Vanna, ex speciali mandato *Alexandri Papæ VI.* anno 1496.

7 Collatio Capellæ *S. Michaëlis Archangeli*, in Ecclesia Majori *Reatina*, facta Tulio de Crispoltis à *D. Hieronymo Episcopo Amerino*, tunc temporis Vicario *Joannis S. Mariæ in Aquiro Cardinalis de Columna Episcopi Reatini*, anno 1499. E

8 Collatio Canonicatus in Collegiata Ecclesia *S. Mariæ Villæ consonatæ*, D. Hieronymo Crispolito, per *Cardinalem Pompejum Columnam Episcopum Reatinum*, sub anno 1521.

9 Collatio Parochialis Ecclesiæ *S. Mariæ* sitæ in terra *Introduci*, facta per *Julium Cæsarem Segnium Bononiensem. Reatinum Episcopum*, in personam D. Petri Pauli Blasii anno 1590. F

10 Collatio Ecclesiarum *S. Mauri*, & *S. Sabini Castri Manardi* Reatinæ Diœcesis, facta à *Clemente VIII.* in personam Bartholomæi Prosperi, cum ob diuturnam vacationem, ex jure patronatus *Cæsarinorum*, ad Ecclesiam devolutæ essent, sub anno 1592.

FASCICULUS I.

Continet Quietationes, Mandata Procuræ, venditiones, & ejusmodi alia.

1 Quietationes duæ. Quarum prima est anni 1313. in favorem Bartholomæi de Roccha Canonici Reatini, in causa privata. Secunda est anni 1385. indictione 6. tempore *Urbani VI.* qua D. Berardus Buctii, refutationem facit de omni petitione, & actione quam habere posset, adversus D. Bartholomæum Cicchi, pro administratione redituum ecclesiasticorum dicti Berardi, scilicet Canonicalis Beneficii *Ecclesiæ Reatinæ*, *sancti Eleutherii*, & *S. Cæciliæ* de Reate.

2 Quatuor mandata procuræ J. D. Jacobi .... Canonici Reatini, ad comparendum coram Vicario D. Papæ, & absolutionem petendam excommunicationis, ob illatum vulnus alteri Canonico incursæ, anno Domini 1307. Secundum est Berardi Infantis de Reate Canonici, & Sacristæ Carpentoractensis, ac Canonici Reatini, in personam D. Andali, & aliorum, ad exigendum fructus sibi debitos ratione præbendæ dictæ, & Patrimonii sui sub anno 1346. Tertium est D. Joannis Brancaleonis Canonici Ecclesiæ *S. Mariæ de Canetra*, de Valle *Introduci*, in personam Thomasii Capitanei, ad comparendum coram *Episcopo Reatino*, ad petendum, & exigendum fructus dictæ Ecclesiæ, sub anno 1308. Quartum est D. Joannis Cole Capellani *Ecclesiæ Reatinæ*, Procu- 58
ratoris Agneli Simeonis de Reate, substituentis in loco suo Agnelum Matthæi de Reate, ad lites omnes quas habet, vel habere potest dictus Agnelus Simeonis, sub anno 1395. mensis Maji, die XV.

3 Emptio domus sitæ in *Porta Cinthia*, facta per *Dominicum Episcopum Reatinum*, vice, & nomine *Angeli tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyteri Cardinalis*, à D. Mariano Antonio Angeloni Canonico Reatino, pro pretio librarum quingentarum, & decem, sub anno 1469. Novembr. die XXV.

ARMARIUM VIII.

Complectitur Negotia Magistratuum, & Communis Civitatis Reatinæ.

FASCICULUS A.

Continet Instrumenta Locationum, Emptionum, & rerum ejusmodi, facta nomine Communis, & Magistratuum Civitatis Reatinæ.

1 Terminatio *Montis Monticuli*, facta per Poncilianum, & Joannem Gualterum, ex mandato D. Galgani Judicis Maleficiorum Reatini, & consensu partium, sub anno 1251.

2 Sententia *Joannis de Columna* civitatis Reatinæ *Capitanei* pro recuperatione terrenorum Communis Reatini, in contrada *Terriæ* per evidentium terminorum immissiones, quibus res civitatis, à rebus aliis privatorum manifesto sejungantur, & dividantur, sub anno Domini 1275. die 11. Septembr. Habentur primo in dicto Instrumento testium depositiones in favorem Communis, & sententia lata per Bernardum Berardi Judicem, anno 1253. deinde sequitur sententia prædicta *Joannis Columnæ*.

3 Duæ fasciæ oblongæ diversorum Instrumentorum simul junctorum, super lite controversa inter Commune civit. Reat. & Nicolectum Girardi, pro 12. junctis terræ in *Campo Fabale*, quæ tandem adjudicatæ fuerunt dicto Nicolecto, per

varias sententias judicum civitatis Reatinæ, sub anno Domini 1285.

4 Venditio unius Casalitii Carbonariæ veteris, facta à Simone Blasii banditore. Communis Reatini, Berardo Sinibaldi, pro pretio trium florenorum auri, sub anno 1293. *Ecclesia Romana Pastore vacante.*

5 Recognitio Vassallagii, facta anno Domini 1282. coram Guillielmo de Urbe Veteri Potestate civitatis Reatinæ, per Syndicos *Castrorum Abbatiæ S. Salvatoris*, qui omnes promittunt fidem, obedientiam, & servitia necessaria dicto Communi, à quo vicissim protegi, & defendi debent, sub pœna centum marcharum argenti, &c.

6 Statutum circa instrumenta mutui, & de-
59 positi, factum à nobili Viro Hugolino de Lyazariis de Bononia, Potestate Civitatis Reatinæ, sub anno Domini 1304.

7 Capitula quædam, & statuta facta tempore Regiminis nobilis, & potentis Viri *Jacobi* Domini Dm. *de Firmo*, Potestatis Reatinæ, per capita Artium dictæ Civitatis, & Populi Reatini, anno 1308. indictione VI. die XX. Septembris.

8 Constitutio Syndici, & Procuratoris, in personam D. Petrucci Pannucii, per Consilium Civitatis Reatinæ, ad locandum plus offerenti Molendina duo *de Marmoribus*, pertinentia ad dictam Civitatem, sub anno Domini 1318.

9 Chartula proventus, & introitus Cameræ Communis Reatini, qui pervenit ad manus Camerarii dicti Communis, tempore Potestariæ, & Capitaneatus Magnifici, & potentissimi *Sciarræ Columnæ*, Potestatis, & Capitanei dictæ Civitatis, sub anno 1321. die III. Novembris.

10 Sententia lata contra Sylvestrum S. Marci Cancellarium Civitatis Reatinæ, per subdelegatos à Gubernatore dictæ Civitatis, ac ejusdem Prioribus delegatis, in causa vertente inter dictam Communitatem, & præfatum Sylvestrum, super Bullectis duplicatis tempore *Gentilis de Monaldensibus*, olim Gubernatoris Reatini, pro solutione salarii, seu provisione unius mensis, sub anno Domini 1452. mensis Junii 11.

FASCICULUS B.

Continet Controversias, quæ diversis temporibus extiterunt, inter Summos Pontifices, aut Reatinos Episcopos, & Civitatem ipsam Reatinam.

1 Breve *Honorii III.* directum Potestati, & Populo Reatino, quatenus abstineant à destructione *Castri Balviani.* Dat. Anagniæ, idib. Julii, Pontificatus ejusdem anno primo.

2 Confirmatio facta ab *Honorio III.* excommunicationis latæ anno Domini 1218. à *Pandulpho Subdiacono*, contra Potestatem Reatinum, & ejus sequaces, ex eo quod contra mandatum *D. PP. Castrum Balviani* occupare, & destruere præsumpsit. Dat. Laterani IV. nonas Augusti, Pontificatus ejusdem anno tertio.

3 Breve *Honorii III.* directum Priori *S. Petri*, Subdiacono *D. PP.* & Archidiacono Spoletano, quatenus statuta quædam Populi Reatini, pro revocatione possessionum in flumine *Montuo*, quæ tacite redundant in præjudicium *Ecclesiæ Reatinæ*, faciant abrogari, saltem quantum pertinet ad dictam Ecclesiam. Dat. Anagniæ, die XXVI. Martii, Pontific. ejusdem anno VI.

4 Duo Brevia *Honorii III.* unum directum Potestati & Populo Reatino, & quatenus statutum quoddam de Jure emphyteutico, in præjudicium *Ecclesiæ*, de suis Capitularibus abolere teneantur, sub pœnis interdicti &c. Datum Anagniæ V. Kalend. Aprilis, Pontificatus ejusdem anno VI. A-
A liud est *ejusdem Honorii*, directum Priori, S. Pe- 60
tri, & Archidiacono Spoletino, quatenus Potestatem, & Populum Reatinum, parere nolentes superiori decreto, excommunicatos denuntient. Dat. Anagniæ V. Kalend. Aprilis, Pontificatus ejusdem anno sexto.

5 Revocatio, & cassatio Capitulorum, quæ facta fuerant à Potestate, & Populo Reatino, in præjudicium *Ecclesiæ Majoris*, & aliarum dictæ Diœcesis, sub anno Domini 1222.

6 Transumptum Brevis *Gregorii IX.* directi Potestati, & Consilio Reatino, super querela *Episcopi Reatini*, de quibusdam statutis Communi-
B tatis, in præjudicium Ecclesiarum *Majoris*, & *S. Joannis*, ac *S. Rufi*, quatenus dicta statua rescindant, & libere sinant prædictas Ecclesias suis possessionibus gaudere. Dat. Laterani VII. Kalendas Novembris, Pontificat. ejusdem anno decimo quarto.

7 Breve *Innocentii IV.* directum *Episcopo Spoletano*, quatenus statuta, quædam à Populo, & Communi Reatino facta in contemptum, & damnum *Ecclesiæ*, ab eorum chartulariis, sub pœna excommunicationis, abradi curet. Dat. Assisii XVI. Kalend. Julii Pontificat. ejusdem anno X.

C 8 Breve *Urbani* . . . . . directum *Episcopo Reatino*, quatenus districte præcipiat Consilio, & Communi Reatino, etiam sub interminatione excommunicationis, ne Capitaneum, sive Judicem qui de appellationibus cognoscat, sibi eligere præsumant. Dat. apud Urbem Veterem, idibus Februarii, Pontificatus ejusdem anno III.

9 Sententia excommunicationis lata à *Petro Episcopo Reatino*, contra D. Guelfonem, Potestatem, & Rainaldum Judicem maleficiorum dictæ Civitatis, ob gravamina ab ipsis illata clericis *Ecclesiæ Reatinæ*, & vassallis eidem Ecclesiæ pleno jure subjectis, nulla in eo Instrumento nota est
D loci, vel temporis.

FASCICULUS C.

Continet Privilegia concessa à Summis Pontificibus Civitati, & Populo Reatino, ob fidele eorum obsequium, devotionem, &c. in Ecclesiam Romanam.

1 Constitutio Procuratoris facta anno Domini 1357. die X. mensis Aprilis, per Consilium, & Commune Civitatis Reatinæ, ad comparendum coram Magnifico Principe *Jordano de*
E *filiis Ursi*, *Patrimonii S. Petri in Thuscia Rectore*, *& Capitaneo generali*, ad proponendum coram ipso, quod si ipse tanquam Rector dicti Patrimonii, ex officio mero, & solito dicti Rectoratus, faciat parlamentum, non intendit dicta Communitas eidem parlamento inesse, aut aliquem deputatum ad illud mittere propter causas in dicto Instrumento enumeratas.

2 Exemplum authenticum quarundam litera-
rum *Gregorii Papæ XI.* quibus conceditur civita- 61
ti Reatinæ, in præmium fidelitatis ejus, ut maneat semper sub protectione S. Petri, nec possit concedi in feudum, aut alio modo, alicui Mar-
F chioni, vel Baroni. Dat. Anagniæ VIII. Kalend. Julii Pontificatus ejusdem anno VII.

3 Privilegium *Gregorii XI.* quo concedit civitati Reatinæ, ne quis aliud ab ipsa exigat, nomine Cameræ Apostolicæ, nisi 30. libras Paparinorum, census nomine annuatim persolvendas. Dat. Anagniæ, VIII. Kalendas Julii, Pontificatus ejusdem anno septimo.

4 Instrumenta litis agitatæ inter *Rayner. Episcopum Reatinum*, & Bonicomes Potestatem dictæ civitatis, super equo quo vehebatur dictus Episco-

A scopus, quando primum ingressus est civitatem Reatinam, qui ad dictum Potestatem, & ejus servientes, pertinere ex antiqua consuetudine præsumitur, sub anno Domini. 1249.

FASCICULUS D.

Continet Pacta, Conventiones, Confœderationes, & Negotia Civitatis Reatinæ cum aliis Civitatibus, & Principibus.

1 Renunciatio Jurium omnium, & actionum, quæ possunt competere Civitati *Narniensi*, contra Universitatem *Stronconis*, facta de mandato *D. Innocentii Tertii Summi Pontificis*, sub anno Domini 1216. die III. mensis Maji.

B 2 Pacta facta anno Domini 1304. die xv. Julii, inter Commune Reatinæ civitatis, & Universitatem *Rocchæ Cantalicii*, ac Villarum, & districtus ejus, scilicet quod venient ad habitandum perpetuo in Reatino territorio, quod ibidem ement de propria pecunia casalitia & quod homines dictæ Universitatis, præstabunt exercitum, cavalcatas, &c. sub pœna mille marcharum Argenti, &c.

C 3 Constitutio Procuratoris, & Syndici, per Universitatem *Castri Stronconis*, ad comparendum Reate, & ad dictum Castrum, & Universitatem, obligandam, quod observabit omnes conditiones sibi à civitate *Reatina* propositas, & subjiciendam in omnibus, dictam Universitatem, civitati Reatinæ, cujus tunc auxilium, atque protectionem, adversus *Narnienses*, dicta universitas postulabat, sub anno Domini 1307. die v. Junii.

D 4 Instrumentum Pacis initæ, anno Domini 1349. die IX. Martii, inter Andream Nicolai Tielle de Reate, Syndicum dictæ civitatis ex una, & Joannem Magistri Jacobi de *Civitate Ducali*, Syndicum dictæ Civitatis Ducalis, & Andreuccium Vinciprova de *Cantalicio*, Syndicum Rocchæ Cantalicii ex altera, cum mutua remissione damnorum, contumeliarum, &c. hinc inde illatarum, & pacto de non receptando, ac de expellendo rebelles, ac eorum familias existentes in aliquo trium ejusmodi locorum, intra quindecim dies proximos, cum multis aliis conditionibus, & pactis in dicto Instrumento expressis.

62 5 Breve *Gregorii* . . . . . directum civibus Reatinis intrinsecis, & extrinsecis, quatenus sub pœna excommunicationis, servare debeant Treugam indictam per Andream de Viterbio Legum Doctorem, pro bono civitatis *Reatinæ*. Datum Anagniæ Idibus Julii, Pontificatus ejusdem *Gregorii* . . . . . anno VII.

E 6 Breve ejusdem *Gregorii Papæ* . . . . . directum Capitaneo Reginali, quinque antepositis, Camerario, Consilio, & communi *Civitatis Aquilæ*, pro restitutione Campanarum, & aliarum rerum deprædatarum, in civitate, & comitatu Reatino. Dat. Romæ apud S. Petrum IX. Decembris, Pontificatus ejusdem anno septimo.

F 7 Breve *Alexandri IV.* pro juramento fidelitatis, præstando ab omnibus personis civitatis, & comitatus Reatini, quæ ab anno ætatis 14. ad 70. pervenerunt. Dat. Viterbii xv. Kalendas Septembris Pontificatus ejusdem anno quarto.

8 Instrumenta conventionum factarum à Communi, & Populo Reatino, cum egregio milite *D. Blascho Fernando*, pro reparatione *Rocchæ de Lugo*, & protectione ipsius civitatis, apud *D. Legatum Episcopum Sabinensem*, sub anno Domini 1264. & 65. tempore *Urbani V.* die v. mensis Martii.

9 Diploma *Ægidii tituli S. Clementis Presbyteri Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati*, quo rescindit promissiones factas, & jurisdictiones concessas per civitatem Reatinam, censualem Ecclesiæ Romanæ, *Ludovico Regi*, & *Joannæ Siciliæ Regibus*, Populumque Reatinum, à fide prædictis Principibus data liberat. Dat. apud Urbem Veterem, VII. Idus Novembris, Pontific. *Innocentii VI.* anno secundo.

10 Commissio data *Episcopo Reatino*, ab *Ægidio tituli S. Clementis Presbytero Cardinali*, & *Apostolicæ Sedis Legato*, ut Civitatem, & Populum Reatinum, absolvat ab excommunicationis sententia, in quam inciderat, ob præstitam obedientiam *Ludovico*, & *Joannæ Regibus Neapolitanis*, in præjudicium fidelitatis, quam exhibere debebat Ecclesiæ Romanæ. Dat. apud Urbem Veterem, anno, & mense ut supra.

11 Bulla *Innocentii Papæ VI.* qua comprobat acta omnia *Cardinalis Ægidii*, circa relationem pactorum inter *Ludovicum*, & *Joannam Reges Siciliæ*, & commune, ac Populum Civitatis *Reatinæ*. Datum apud Villam Novam, Avenionensis Diœcesis, idib. Aprilis, Pontificatus ejusdem anno Tertio.

12 Instrumentum quo *Cicchar ellus Buctii* de Reate, uti Syndicus dictæ Civitatis Reatinæ, præsentavit, & concessit *D. Ægidio tituli Sancti Clementis Presbytero Cardinali*, & *Apostolicæ Sedis Legato*, stipulanti suo proprio, & *Innocentii Papæ Sexti*, nomine, ad eorum vitam tantum, dominium dictæ Civitatis, sub pactis, & conditionibus in Instrumento enumeratis. Actum anno Domini 1354. in Civitate Urbevetana, in Camera *D. Legati*, die Veneris VII. Novembris, Pontificatus ejusdem *Innocentii VI.* anno secundo.

ARMARIUM IX. 63

Continet acta Civilia inter privatas personas seculares.

FASCICULUS A.

Continet instrumenta venditionum dispositarum ratione temporis, quo factæ fuerunt.

1 Viginti sex venditiones factæ per totum sæculum millesimum centesimum, inter privatas personas, & nihil notatu dignum continentes.

2 Viginti novem venditionum Instrumenta facta ab anno 1200. usque ad 300.

3 Viginti Instrumenta venditionum ab anno 1300. ad 1400. in quibus ut & in superioribus nihil animadversione dignum.

4 Novem Instrumenta venditionum ab anno 1400. usque ad 1500. ejusdem generis cum superioribus.

FASCICULUS B.

Continet Testamenta civilia, & donationes varias.

1 Sex Testamenta facta ab anno 1200. usque ad 1300.

2 Septem alia Testamenta civilia, facta ab anno 1300. usque ad 1400. in quibus nihil notabile, nisi quod in uno, Domina Jacoba uxor. q. nobilis Militis Angeli D. Bartholomæi de Reate, eligit sui corporis sepulturam in *Ecclesia Majori B. Mariæ Virginis*, juxta Capellam Theodasticorum, noviter ædificatam in dicta Ecclesia, cui Capellæ relinquit quinquaginta florenos auri, sub anno Domini 1376. mensis Maji, die 11.

3 Quatuor Testamenta Civilia facta ab anno 1400.

1400. usque ad 1500. in quibus nihil est quod ad Ecclesiam Reatinam spectet.

4 Novem Instrumenta donationis inter privatas personas, quarum tres sunt anni 1000. duæ sequentes sunt annorum 1203. & 1281. Duæ aliæ pertinent ad sæculum 1100. & prius poni debuerunt. Duæ ultimæ sunt 1317. & 1320. in qua ultima, Stephanellus Spranius irrevocabiliter donavit Reverendo Viro *D. Berthuldo de filiis Ursi*, omnes domos positas in Civitate Reatina, in Contrada *Pontis*, *seu Portæ Zinzulæ*.

FASCICULUS C.

Continet Instrumenta Mutui, Depositi, Pignorationum, Quietationum, & similia.

1 Sex Instrumenta obligationum mutui, & pignoris, facta diversis temporibus.

64 2 Sex Instrumenta obligationum depositi facta item diversis temporibus, & nihil in se habentia, quod sigillatim referre sit operæpretium.

3 Sex Instrumenta quietationum, & confessionum solutionis, & acceptæ, pecuniæ, facta diversis temporibus, in quibus nihil est notatu dignum.

FASCICULUS D.

Continet Locationes, mandata Procuræ, & Inventaria bonorum.

1 Octo Instrumenta locationum, quorum vetustissimum est anni 1124. & in omnibus nihil habetur notatu dignum.

2 Novem Instrumenta mandati Procuræ, & ratificationum venditionis, cujusdam domus, seu casalitii, factæ inter privatas personas, anno 1282.

3 Quinque Instrumenta enumerationis bonorum, seu inventaria, in quibus nihil est extra privatorum rationes, & commoda.

FASCICULUS E.

Continet sententias arbitrarias, Testium depositiones, Conventiones dotales, Tutorum constitutiones, legitimationes.

1 Sex Instrumenta compromissionum in certos arbitros, & sententiarum quas iidem arbitri tulerunt in diversis causis privatorum amicorum.

2 Tria Instrumenta depositionis testium in causa particulari.

3 Sex Instrumenta stipulationum Matrimonialium, seu conventionum Dotalium, & constitutionis Tutorum.

FASCICULUS F.

Continet varia Instrumenta, quæ in aliorum ordinem cogi non potuerunt.

1 Quatuor Instrumenta spectantia ad Capitulum Reatinum, in quorum Primo continetur donatio facta *Ecclesiæ S. Mariæ*, à Berardo filio quondam Fragulini, de omni jure quod habuit pater suus in Vinea posita in *Rivo corculo*, sub anno Domini 1205. Secundum continet depositiones testium, quomodo Berardus Vigilantis in nocte, dedit bona sua omnia Reatinæ Ecclesiæ, sub anno Domini 1222. Tertium est renunciatio facta à Ballo quodam, occasione matrimonii ab ipso contracti, cum *D. Lucia* filia *D. Lucii Alfani de Reate*, de omnibus bonis, & possessionibus sibi in præbendam concessis, quas qui-

A dem possessiones, remittit Ecclesiæ Reatinæ, & ejus nomine, Balluino Magistri Joannis Præbendario, & Camerario dictæ Majoris Ecclesiæ, sub 65 anno Domini 1346. Quartum est Breve *Pauli II.* directum Vicario *Episcopi* Reatini, quatenus detinentes bona, possessiones, terras, perlas, lapides pretiosos, vestes, mantellos, lectos, &c. quæ quondam fuerunt *Angeli Dattili Judæi Reatini*, sub pœna excommunicationis impellat, ad hæc omnia restituenda Samueli, & Moysi, dicti Angeli filiis. Datum Romæ sub anno 1467. XIV. Kalend. Julii, Pontificatus ejusdem anno septimo.

B 2 Quinque Instrumenta circa quæstionem bonorum, quæ quondam fuerunt filiorum Joannis Odoriscii de *Plajelardo*.

3 Acta Civilia inter diversas personas, sub anno Domini 1380. simul colligata.

4 Duo Instrumenta in quibus continetur modus procedendi in contumacia, secundum antiquam consuetudinem Civitatis Reatinæ, quorum Primum est anni 1305. Alterum sine die, & Consule.

5 Novendecim Instrumenta parva, & varie perforata nescio quam ob causam, variis in locis, mutui, & depositi, pignorat, obligationum, quie-

C tationum, &c.

6 Duæ promissiones de stando mandatis Episcopi, una in persona Berardi Anstoni, cujus fidejussores sunt Ambrosius, & Reatinus *Vaccarella*, sub anno Domini 1246. Altera in persona Pauli Berardi Jacon, qui examinatus de omnibus articulis fidei inventus est catholicus, & fidelis, sub anno 1246. mensis Julii die XIX.

7 Quinque Instrumenta varia nullius momenti.

8 Duo Instrumenta in quorum primo, *Robertus Rex Siciliæ*, confirmat Angelo de Testo de Reate, habitatori *civitatis Aquilæ* feudum avitum existens in tenimento *Præturi*, sub anno 1327.

D Secundum est executio commissionis factæ, à Joanne Archipresbytero *D. Joannis de Statua*, deputato à fratre *Blasio Episcopo Reatino*, de immittendo in realem possessionem unius præbendæ, vacantis in *Reatina Ecclesia*, Ciccho Petri Simonis clerico de Reate, sub anno Domini 1384. Tempore *Clementis VI.* die Septembr. 11.

ARMARIUM X.

Continet Negotia extranea, & omnino separata à Civitate, vel Diœcesi Reatina.

E

FASCICULUS A.

Continet Collationes Beneficiorum, Pensionum impositiones, & lites Beneficiorum causa.

1 Depositio testium productorum à Bartholomæo Archipresbytero Plebis de *Albareto*, Syndico *D. Guillielmi Mutinensis Episcopi*, producti contra D. Ugolinum Abbatem *Monasterii Fraxinen.* in causa agitata coram Fratre Henrico de 66 Campagnola, Judice subdelegato à priore provinciali Prædicatorum Lombardiæ, judice delegato à D. PP. de jure quod dicit se habere dictus Episcopus in dicto Monasterio Fraxinen. &

F membris ejusdem sub anno Domini 1233. die VI. mensis Novembris.

2 Constitutio *Angeli T. Sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinalis Reatini*, & *Bononiensis Legati*, pro suppressione sodalitiorum existentium in dicta civitate, & erectione Basilicæ S. Petronii de Bononia, in Collegiatam. Dat. Bononiæ anno Domini 1464. die v. mensis Januarii, Pontificatus *Pii Papæ II.* anno sexto.

3 Transumptum literarum *Innocentii VI.* directa

ctarum *Pontio Urbevetano Innocentii VI. in spiritualibus in Urbe Vicario*, & *Sutrinen. Episcopis*, pro revocatione quarundam alienationum, malè, & indebite factarum, de bonis *Hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe.* Dat. Avenioni x. Kalend. Febr. Pontificat. ejusdem anno VII.

4 Assignatio Pensionis 25. Marcharum, concessæ ab *Innocentio IV.* dum ipse Anagniæ commoraretur, anno Domini 1254. indictione XII. die sexta Augusti, & Pontificatus ejusdem XII. Bartholomæo Canonico Legionensi, nato Bontempi familiaris dicti Papæ.

5 Breve *Honorii III.* directum duobus Canonicis Beneventanis, ut moneant *Archiepiscopum Sypontinum*, de solvenda pensione, seu annuo reditu, Odorico, Bobonis, Capellano dicti Summi Pontificis, etiam sub pœna excommunicationis, nisi intra mensem satisfecerit. Dat. Signiæ VII. Kalend. Julii, Pontificatus dicti Pontificis anno 7.

6 Demissio in manibus Summi Pontificis *Nicolai V.* Monasterii *S. Eustachii*, extra *Nursiam* Spoletinæ Diœcesis, facta à *N. tituli S. Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinale*, & collatio ejusdem Monasterii in personam Epiphanii Joannis dicti Monasterii Prioris, sub anno Domini 1454. Kalend. Maji, Pontificat. ejusdem anno octavo.

7 Bulla *Pauli II.* directa *Archiepiscopo Mediolanensi*, & *Episcopo Firmano*; quatenus inducant Matthæum Canonicum Aquilanum, in corporalem possessionem quorundam beneficiorum *S. Mariæ de Fossa*, & *S. Andreæ*, quæ dictus Pontifex in ipsum contulerat. Dat. Laterani anno Domini 1464. XVI. Kalend. Octobris, Pontificatus ejusdem anno primo.

8 Prorogatio Termini solutionis quorundam servitiorum minutorum, concessa *Ludovico Episcopo Aquilano*, ab *Henrico tituli S. Anastasiæ, Presbytero Cardinali, & S. Collegii Camerario*, sub anno Domini 1491. die XX. mensis Martii, Pontificat. *Bonifacii IX.* anno secundo.

FASCICULUS B.

Continet quasdam Indulgentiarum elargitiones.

1 DIploma concessum Religiosis Fratribus *Hospitalis S. Jacobi de Alto passu*, à Fratre *Petro Valven. Episcopo*, quatenus per suam Diœcesim, possint prædicare, congregare Populum,
67 Confessiones audire, & absolvere a casibus reservatis, secundum licentiam illis concessam per literas Apostolicas. Dat. die IV. mensis Junii, apud *Roccam* de *Prætorio*, *Valvensis Diœcesis*, Pontificat. *Joannis XXII.* anno XVI.

2 Indulgentiæ concessæ ad requisitionem Francisci Sanchez Presbyteri Societatis Jesu, quibusdam Granis, Crucibus, Imaginibus, &c. ac earundem authenticatio facta à *Camillo Burghesio Utriusque Signaturæ Referendario*, anno 1592. die XVIII. Febr. Pontificatus *Clementis Octavi* anno 8.

FASCICULUS C.

Continet Mandata Procuræ, Sententias, Locationes, & alia Instrumenta, de rebus ad Ecclesias spectantibus.

1 MAndatum Procuræ, factum anno 1392. die 26. Septembris, à Canonicis *S. Juvenalis de Narnia*, in personam Francisci Santuli de Narnia, ad recipiendum ab hæredibus Petri Infantis de Reate, olim Canonici dictæ *Ecclesiæ Narniensis*, omnem Pecuniam quæ debetur ipsi *Ecclesiæ Narniensi S. Juvenalis*, &c.

2 Sententia pro nullitate Matrimonii, lata à *D. Matthæo Interamnensi Episcopo*, inter Andrel-

A lam Januci de *Pede Luci*, & Petruccium Plantoni, Diœcesis Interamnensis, sub anno Domini 1308. die prima Decembris.

3 Instrumentum locationis Baliæ *S. Antonii de Tuscia*, factæ à Fratre Odinetto de Coyssi. *D. Bertrandi Abbatis S. Antonii* in Tuscia, &c. Vicario Generali. Actum Eugubii sub anno 1378.

4 Subdelegatio D. Guarnerii Alphanti, ad manutenendum bona *Ecclesiæ S. Crucis in Hierusalem*, facta à *D. Pontio Urbevetano* Vicario in temporalibus, ac spiritualibus R. P. D. *Raymundi tituli S. Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali*, sub anno 1351. die secundo mensis Maji.

B

FASCICULUS D.

Continet Acta civilia inter publicas, & privatas personas.

1 PArticula descripta ex libro Maleficiorum, facto, & dicto tempore *D. Angeli de Todateschis* de Reate, honorabilis *Potestatis Civitatis Florentiæ*, sub examine Francisci Bartholomæi de Villa Monaldescha, assessoris dicti D. Potestatis, ad maleficia, in *Quarterio S. Crucis* per ipsum D. Potestatem specialiter deputati, sub anno 1350.

2 Mandatum Procuræ, factum anno 1358. à Consilio generali, & speciali *Civit. Orthanæ*, in
C personam D. Tucci...... ad præsentandum electionem Potestariæ dicti Communis pro sex mensibus, nobili viro *D. Angelo de Theodateschis Militi de Reate*, cum salario mille librarum, &c.

3 Decretum Concilii communis Civitatis Tuscanæ, super syndicatione facienda *D. Thomæ* 68 *sii, D. Sinibaldi* de Reate, olim Vicarii dictæ Civitatis qui volebat, & debebat redire ad terram suam, quo placuit omnibus de dicto Consilio, ut prædictus *Thomas Sinibaldus*, libere possit redire in terram suam cum Bonaventura, qui ab administratione sui officii, & obligatione reddendæ rationis, sit omnino absolutus.

D Instrumentum quoddam situ, & mucore consumptum, circa Allibrationem *Populi Florentini*, factam anno Domini millesimo trecentesimo: reliqua legi non possunt.

Sequitur Fasciculus Fragmentorum, in quibus nihil continetur sani, nihil integri, aut quod separatim adnotasse juvet, cum omnia sint mutila, mucida, exesa, ac si quorundam Episcoporum nomina demas quæ in ipsis conservantur, in vicum vendentem thus, & odores deferenda.

Ne Toga cordillis, ne Penula desit Olivis.

SUpersunt autem viri clarissimi in Archivo ve-
E stro, non pauca alia, nec contemnendæ vetustatis Instrumenta, quorum omnium summa capita licet in adversariis meis exscripserim, non duxi tamen magnopere necessarium fore, ut ea vestris oculis in præsenti syllabo conspicienda subjicerem: cum præsertim iis in voluminibus descripta contineantur, quorum materia ex frequenti studio quod in illis fecistis, vobis prorsus explorata est; & vero istud tantum a me postulaveritis, ut membranas quasdam palantes, & nescio sane qua de causa, huc usque neglectas, in ordinem, quemadmodum feci, redigerem. Verum cum istud etiam muneris in me receperim, ut ex
F ejusmodi chartis, & innumeris ferme aliis, quarum mihi copia cum ex publico Urbis vestræ, tum ex privato Sodalitatum omnium, & Patriciorum quorundam Archivo libenter facta est, Episcoporum vestrorum annales contexerem, nihilo secus nunc quam antea mihi rem istam cordi esse, vobis bona fide polliceor, spondeoque brevi me facturum, ut mentem à lingua mea nihil penitus discrepasse intelligatis.

FINIS.

G. Naudæus.

INDEX TABULARII

ECCLESIÆ MAJORIS REATINÆ.

Divi-

S.

T.

V.

FINIS.



NALDI NALDII,
Florentini,
VITA
JANNOCTII MANETTI,
Senatoris Florentini, ex Ordine Equeſtri, atque in omni Literarum genere Doctiſſimi:

Ubi

Viri hujus de Patria ſua optime meriti

NATIVITAS, STUDIA, MUNERA ET LEGATIONES,

Quibus egregie perfunctus;

HONORES, DIGNITATES, ADVERSITATES AC OBITUS,

Eleganter atque nervoſe recenſentur.

Nunc primùm ex MS. edita, & Indice Nominum ac Rerum inſtructa.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO.

BENEVOLE LECTOR.

Ut magna Jannoctii Manetti *in Patriam & Orbem literatum extiterant merita, ita magnum ejus nomen semper quoque fuit & summa æstimatio, ut vel unicum Gerhardi Joannis Vossii* de Historicis Latinis Libro III. *hic a nobis additum, testimonium demonstrabit. Laudabilem itaque suscepit operam* Naldus Naldius, *dum* Vitam *hanc* Jannoctii Manetti, *cujus gesta ipsi, ut procemium ejus habet, vel immortalitate videbantur digna, aggressus est conscribendam. Nec minorem* Naldius, *laudando* Manettum, *sibi ipsi comparavit laudem, cum provinciæ huic susceptæ, ex sententia Virorum Eruditissimorum, satisfecerit egregie. Hinc & plures Viri magnæ auctoritatis suasores nobis extiterunt, ut elegantem hanc* Vitam *prælo nostro subjiceremus. Quibus, postquam Magnum illud Rei Literariæ Columen,* D. Apostolus Zenus, *nobiscum pro sua benevolentia exemplar ab* Alexandro Verazano, *MD. exscriptum benignissime communicaverat, obsecuti, omnem adhibuimus industriam, ut ea prodiret nitidissima. Nomina propria, & alia, quæ id requirebant, diversis, ut eo facilius pateant, exhibemus literis; Indicem Nominum & Rerum addidimus, ut ordine Alphabetico exhibeantur, quæ sunt notabiliora. His,* Benevole Lector, *felix utere; Vale, nobisque fave.*

VITA JANNOCTII MANETTI

Ex GERHARDI JOANNIS VOSSII *De Historicis Latinis Lib. III.*

Jannutius Manettus, sive, ut eum *Leander Albertus* vocat, *Janetus Manetus*, discipulus erat *Emanuelis Chrysoloræ*, condiscipulus *Dominici Flocci*. Senator fuit *Florentinus*. Equestri dignitate ornatus est à *Nicolao V.* Legationes varias ad Reges, Principesque, atque etiam Pontificem Max. obiit. Vir erat trium linguarum peritus: ut qui ex Hebræo *Psalterium*, ex Græco *Isagogen Porphyrii*, & *Aristotelis Categoriarum* librum verterit. Multa etiam alia illi debemus: interque ea libros VI. *de Illustribus Longævis*; *de Vita Nicolai V.* Pont. Max. libros IV, qui *Romæ* in bibliotheca Vaticana, & *Pisauri* in Serenissimi Ducis bibliotheca, adservantur; *Historiam de Rebus Genuensibus* lib. II; *Laudationem Genuensium*, quæ MSa *Oxonii* exstat in bibliotheca Collegii Novi; *Historiam Pistoriensium* lib. III, quam edidit, cum Reipubl. *Florentinæ* nomine *Pistorium* gubernaret; *Vitam Alphonsi Regis*, quam non absolvit. Item *Vitam Socratis*, *Senecæ*, *Plutarchi*, *Dantis* & *Bocacii*: quarum duæ primæ exstant *Cæsenæ* in bibliotheca *Franciscana*. De eo sic canit *Ugolinus Verinus* lib. II. Florentiæ Illustratæ:

Est quoque JANNOCTI *celeberrima fama trilinguis,*
Plurima qui Hebræo de fonte volumina vertit
In Latium, & nostris dedit hæc noscenda MANETUS.

Ubi pro *Jannocti*, uti Parisina habet editio, malim *Jannotti*, cùm Italis sit *Giannotto*: unde verum nomen sit *Jannottus*, vel *Jannotius*: ut fortasse etiam apud *Leandrum* in *Thusciæ* descriptione [a] ubi *Jannetus* vocatur, *Jannotus*, vel *Jannotius*, debeat reponi. Natus est *Florentiæ* anno cIↄ CCCXCVI, IX. Kal. Jul. Obiit Neapoli anno cIↄ CCCCLIX.

[a] *Pag.* 70. *ed. Colom. ann.* 1567.

NALDI NALDII PROOEMIUM

In

JANNOCTIUM MANETTUM,


Ex Ordine Equestri, atque in omni Literarum genere Doctissimum;

Ad

Ejusdem Nominis ex Filio Nepotem.



enus scriptionis, liberalissime Jannocti, *quo actiones hominum clarissimorum, resque ab illis gestæ continerentur, cum* Græci, *tum* Latini *Scriptores historiam nuncuparunt; hac maxime adducti ratione, quod in ea tanquam oculis cernantur, quæ ordine quodam interrupto temporum a doctis viris describuntur, cuncta sic nobis ante oculos ponentibus, ut ea ipsa, veluti gesta sunt, sic etiam intueri quodammodo valeamus. Nec defuere, qui eandem historiam alio quoque nomine donarent, appellandamque vitæ magistram arbitrarentur, quod ab illa, dum legimus, quæ commendantur memoriæ literarum, instruamur, quonam pacto privatim & publice nos gerere debeamus: ex quo tantam capimus utilitatem, ut cogar affirmare nullum aliud scribendi genus reperiri, unde plura conducibilia sint ad nos perventura. Quanquam enim ab ea Philosophia, qua rerum causas investigamus, plura edocemur, tamen sunt ejusmodi, ut sæpe ad nos quidem doctiores faciendos, quam ad meliores instituendos pertinere videantur. Nam poëtæ, licet quodam divino furore correpti, multa dicant, quæ divinitus feruntur accepisse, tamen nonnulli reperiuntur, qui cum lasciviores describant amores, nos adhortentur potius ad prosequendas voluptates, quam ad* Socraticos *mores amplectendos. Sed dicet fortasse quispiam: nonne illi qui sunt in ea solum occupati Philosophiæ parte, ut præceptis nos & institutis erudiant ad caste integreque vivendum, generi hominum multum afferunt utilitatis? Præclare quidem ab illis cotidie agi non negarim. Cum enim ab his multa referantur, quæ probos spectant mores, ob idque sint profutura omnibus, profecto ad degendam vitam tantum commodi ab eis suscipimus, ut illi sint de nobis benemeriti. Verum cum mente, atque animo ea solum capiamus, quæ ab his traduntur, certe quæ ab historicis ipsis adsumemus, tanto erunt nobis commodiora, quanto etiam celerius arripientur; via duplici ab his, qui ea legent, cum percipiantur, & cogitatione ipsa simulatque sensibus corporeis, ejusmodi sint, ut variis actibus exemplisque confirmata, vel ipsis actionibus ex historia sumptis possint non modo quoscunque invitare, sed vehementer impellere ad ipsam honestatem, in qua consistere, ut doctissimi viri censuerunt, humanæ vitæ finem compertum habemus. Cum enim sensus oculorum, quocunque inclinemus, maxime nos moveat, historiam certe, cum tanquam pictura quædam exprimat, quæ gesta fuerunt, ac velut ante oculos legentibus usque adeo proponat, ut quid deliberandum sit, mente animoque contemplari, eodem tempore atque sensibus corporeis intueri possimus: nimirum plus ea quidem poterunt, quæ plus in se habebunt causarum, quibus impelli queamus & ad consilium capiendum, & ad ea facienda, quæ meliora esse intra nos statuerimus non solum, verum etiam sensu & actione in nos admiserimus. Quod cum & summis viris ac summo ingenio præditis videretur, factum est, ut illi etiam, qui in studiis Philosophiæ maxime floruissent, in eaque consumpsissent universum tempus, animum ad scribendam historiam appellerent, dignamque judicarent, ad quam Philosophorum divina illa ingenia se transferrent, rati, quod res habet, si post illas juges diuturnasque philosophantium disputationes de gravissimis rebus, ea ipsa exponerent, quæ a clarissimis viris facta esse dicerentur, se generi hominum multo magis profuturos, quam si versarentur semper in iis studiis, quibus intra nos cogitamus quidem, contemplamurque potius quæ sint facienda, quam quonam pacto in actionem traducantur, experiemur. Quapropter cum res ita se habeat,* Jannocti, *hac maxime adductus ratione pristina studia, & in quibus diu versatus sum, posthabere in animum induxi, ut facilius ad ea, quæ præclari viri fecissent, describenda me conferrem; eoque liberius hanc rem sum aggressus, quod avi tui actiones esse mihi ejusmodi viderentur, ut dignæ sint vel immortalitate, ut auctorem ipsarum in spem venio certam pro summo ejus ingenio summaque doctrina immortalem futurum; atque ita, ut sperare possimus, si ex his, quæ scripsimus antea, minus gloriæ adsecuti erimus, per ea quæ scribemus ad* Jannoctium *clarissimum Virum pertinentia, quem ut nomine atque animi repræsentas magnitudine, laudem inter illos, qui nostra scripta legent, quibus acta divini hominis illustria continebuntur, me consecuturum. Tantus enim splendor ab illis emanabit, ut non modo se ipsum* Jannoctius *avus, verum etiam domum suam, atque genus, rerumque suarum scriptores, patriamque universam fama ejus nominisque claritate apud posteros sit illustraturus.*



NALDI NALDII, *Florentini*, VITA JANNOCTII MANETTI, *Senatoris Florentini*, *Equitis Honestissimi*.



OCUM satis honestum in *Florentina* civitate *Manetiam* gentem habuisse constat. Nam in urbis summum magistratum ex ea lecti plures magnam ex bene gesta rep. laudem sibi compararunt. Præterea dignitates, quæ nobilium generi debentur, quæve tribui nobilitati mandarique consueverunt, tum domi, tum etiam foris assecuti claruere.

Ex hac igitur *Manetiorum* domo felicibus auspiciis *Jannoctius* nascitur patre *Bernardo*, matre *Petra Guidaccia*, Nonis autem Juniis, anno
1396. sexto atque nonagesimo super trecentos ac mille annos post Christi optimi maximi è cœlo in terras humiles adventum. Is ubi ex infantia excessit, tanta indole puer extitisse traditur, ut quicunque inspicerent, acriusque intuerentur illius ingenium, & quæ signa præ se ferret, ipsum fore in excellentem virum evasurum profecto affirmarent: *Jannoctium*, modo vita suppetat, clarissimum lumen suæ patriæ futurum: quod ille de se factum tam insigne judicium postea non fefellit.

Cum enim per ætatem vix adhuc posse videretur, missus est à parentibus ad ludum litterarium, ubi pro consuetudine communi nostræ civitatis ferunt *Thuscæ* solum didicisse litteras; eumque brevi tantum inde sibi hausisse tradunt, quantum homini satis esse putaretur, qui se ad exercendam mercaturam esset collaturus. Nec multo post curavit item pater, ut à præceptore ad id munus constituto arithmetica instrueretur, in qua tantos progressus ad paucos menses puer admodam fecisse memoratur, quantos illi, qui sunt adulescentes, firmiore jam ingenio, temporisque spatio multo longiore vix facere consuevissent.
1406. Mox vero cum non plures decem annis natus esset, à trapezita est præfectus pecuniæ conservandæ; cumque in eo se aliquandiu exercuisset, librorum cura ei demandata est, in quibus ponderosiores quæ habentur rationes, & in quibus totius mercaturæ, capitisque fundamentum consistere videtur, scribi quidem atque adnotari consuevere.

Quam curam cum per aliquot annos suscepisset, secum cœpit cogitare, quæ materia inesset in hac, cui se antea dedisset, exercitatione consequendæ famæ, atque nominis adipiscendi. Excesserat enim ex ephebis ille; jamque adventarat ingenium validius, quo facile posset, quis finis esset vitæ sibi expetendus investigare. Sed post longam consultationem cum vana statuisset esse omnia, & ad breve quidem tempus duratura præter studium litterarum; quod eæ solæ reperiantur, solæque causa existant, ut homines possint se immortalitati commendare: relictis rebus omnibus, nil differendum ratus, animum vehementissime applicuit ad eas ipsas perdiscendas litte-
A ras, à quibus facile sperare posset, se æternam gloriam consecuturum. Cum autem multum temporis in rebus futilibus (ut ipse ajebat) sibi posuisse videretur, quasi diuturnam sitim explere cupenis, sic assidue in id studium, cui omnino se prius addixerat, incubuit, ut his omnibus se privaret voluptatibus, quibus cæteri mortales libenter frui, ac delectari solent.

Itaque, ut omni sublato impedimento, quod tam vehementer cuperet, assequeretur, clam patre, quoniam esse illum ad rem avidiorem agnovisset, negotium est aggressus. Ne quid autem frequentia popularis eum impediret, se domi
B continebat, ibique posthabita omni cura rerum aliarum, tempus universum, præter illud, quo sibi opus erat ad curandum corpus, in studiis litterarum ponere consueverat: amore quarum ita corripiebatur, ut non plus quinque noctis horis, quo diutius illis dare posset operam, somno indulgeret, neque ullo in tempore dies illucescens cubantem in lecto eum adinvenit.

Ubi ergo se ad Grammaticen contulit, atque penitus ex illis primis, quæ hac tempestate traduntur, præceptis se absolvit, *Latinorum* Poëtarum, *Maronis* ac *Terentii*, qui elegantiores
C multo cæteris utilioresque haberentur, eum dicunt studiosum fuisse. Inde vero nequid homini deesset, quod ad latine sciendum pertineret, *Ciceronis* opera complexus est, adhibitis, domi etiam doctoribus, qui *Jannoctium* erudirent assidue, quique interpretarentur fideliter quæcumque ab illis divinis ingeniis memoriæ litterarum commendata fuissent. Verum quod optime à natura institutus esset, brevi accidit, ut linguam sic addisceret, sic & latine sciret, ut in eo genere multos ei superare contingeret.

Mox vero ubi Rhetoricæ quidem cumulate satisfecit, in studium Dialectices incubuit, in quo
D fortuna juvisse illum non mediocriter visa est. Florebant ea tempestate in cœtu hominum Spirituum ædem incolentium complures, qui omnia, quæ ad Dialecticen, ad Physicen, ad Metaphysicen pertinerent enodendam, singulis diebus interpretarentur. Huc accessit vicinitas locorum, quæ *Jannoctio* non mediocrem commoditatem attulisse videatur. Nam cum hortus *Manetiorum* ædi sacræ, quam populus *Florentinus* dicavit Spiritui Divino, tertiamque in Trinitate Personam gerenti, tantis quidem sumptibus, tanta magnitudine, ut pars una *Florentinæ* urbis,
E cum in quatuor dividatur, ab ea nomen duxerit: ædi ergo sacræ cum hortus *Manetiorum* ita propinquus esset, ut ædem paries ab horto separaret, fecit in pariete hostium *Jannoctius*, unde mira quadam ductus discendi cupiditate ad eos se conferret, quos in Philosophia præceptores sibi ipse statuisset. Numquam hora præteri-

bat, quin aut esset in audiendo aliquid occupatus, aut in prævidendis commentandisque doctissimorum hominum scriptis, quæ paulo post esset præceptor ei expositurus. Cotidie fiebant ibi disputationes. Cotidie in pariete, sive in columna scriptum atque adnotatum proponebatur, de quibus esset rebus eo die disputandum. Assidue disserentium coronæ frequentesque cogebantur, in quibus tantum *Jannoctius* prævalebat, ut nemo reperiretur, qui, præ vehementia illius, validissimis ejus argumentationibus repugnare posset. Ubi operam Dialecticæ satis impendisse visus est, ad Physica se contulit tam ardenti studio, ut in his, præsertim, cum ea repeteret, Socraticoque more commemoraret vesperi, quæ prius à doctoribus acceperat, plurimum proficeret.

Posteaquam in contemplandis rerum causis studium operamque posuisset, Ethica nosse voluit, ut cum mentem atque animum ab ignorantiæ tenebris in lucem traduxisset, eundem quoque expleret bonis moribus, in quibus accipiendis ut *Pisano Evangelista* Magistro usus fuerat, ita in Physicis *Neapolitanum Hieronymum*, atque in Metaphysicis habuit præceptorem: quibus ducibus tantum profecisse memoratur, ut & in scientia de moribus, & in investigandis naturæ arcanis doctissimus evaderet. Fuit enim primus ex ipsa nobilitate, qui gravioribus disciplinis operam impenderet, & qui primus ex litteris interioribus fructus etiam uberrimos colligeret.

Cum autem Physicen, per suas omnes evagatus, in quas distribuitur, partes, accepisset, ad Theologiam vehementer animum applicuit. Hoc enim frequens verbis usurpabat, ut diceret eos sibi videri homines incassum laborare, qui ætatem consumunt in studiis rerum humanarum, nisi ad divinitatem contemplandam se tanquam è procellosis fluctibus tempestatum in portum aliquem traducerent quietum. Cætera, quæ legerentur, ajebat percurrenda: denique consistendum in Theologia, continuandumque in ea, dum vita superesset, permanendumque nobis in legendis contemplandisque scriptis rerum divinarum, dum vitam finiremus. Itaque scriptorem, qui diversorum sententias uno volumine complexus est, non modo curavit, ut sibi homines doctrina præstantes interpretarentur; verum etiam quæcunque in eum librum commentandi causa docti viri meditati essent, se velle cognoscere in animum induxerat, ut cumulatissime, quæ affert scientia hæc, quæ pertinet ad contemplandam immortalis Dei naturam, consequeretur. Inde libri ejus, qui ab *Augustino* inscribitur *de superna civitate*, arsit cognoscendi incredibili quadam cupiditate; illoque perlegendo ita diligenter dedisse fertur operam, ut eum constans fama esset ad verbum edidicisse quæcunque in illis voluminibus continerentur: unde sibi sumptas sæpe quidem commemorabat sententias, dum disputaret ille, in rem suam confirmandam. Hinc ardentiore *Jannoctius* in *Augustinum* afficiebatur amore, quam in ceteros, qui Christianæ religionis scriptores haberentur; idque sæpe adduci solebat, ut diceret, libenterque multis audientibus prædicaret, orbem terræ duos habuisse ingenio ac doctrina præstantes, quos ille obstupesceret: *Augustinum* inter illos, qui Christum pro Deo colerent, ac venerarentur: *Aristotelem* inter homines philosophos, qui antiquissimis temporibus doctrina & ingenio præter cæteros in universa *Græcia* floruissent. Præterea quas Divus *Paulus* epistolas scripserat, & *Aristotelis* ethica ad verbum ediscens, memoriæ commendavit. Nulla enim pars vel minima temporis abibat sibi vacua, quin aut ipse per se legeret aliquid, aut ex aliis acciperet, quos ille sibi doctores statuisset.

A Nec vero multo post ad Geometriam se contulit discendam, comite sibi adscito ad eam rem *Benedicto Strozia*; Præceptore autem *Johanne* Mathematico, qui Arithmeticæ ludo in urbe *Florentina* præfectus erat. Nemo fuit *Jannoctii* tempestate, qui ex ea disciplina, quæ ad mensuram terræ pertinet, plura cognovisset.

Cum ergo, quæ Liberales appellantur, propterea quod apud *Romanos*, qui liberi habentur, ad eas hauriendas potissimum se conferrent, ordine cunctas didicisset; Græce scire in animum induxit, & acceptis primis illis, quæ dari rudibus atque inexpertis solent, ex *Ambrosio*, qui ædi sacræ Angelorum præerat gubernandæ, quædam Græca volumina, sic vocem audiens hominis doctissimi, accepit, ut præter cætera Pædiam Civicam diligentissime cognosceret. In hac lingua cum non minus proficeret, quam in cæteris generum diversorum sumendis antea *Jannoctius* profecisset, jubebat, ut quispiam *Aristotelis* Ethica Latine perscriptam sumeret in manus, ipse vero *Græca* suscipiebat, atque tanta cum *Latini* sermonis celeritate, quæ Græce legeret, interpretabatur, ut qui ethicen de *Græcis* conversam percurreret, tametsi velox esset in legendo, illius tamen festinationi, qui *Latinis* pronunciaret verbis, quod *Græce* scriptum erat, par esse in celeritate, ac respondere non posset. In his animi vehementissimis applicationibus ad studia litterarum consumpsit annos novem, tanta quidem firmitate, ut nunquam per aliquem è quatuor pontibus, quibus urbs *Florentina* distinguitur, ad *Transarninas* classes se conferret. Antelucano tempore, ubi à somno excitaretur, quamprimum ingrediebatur templum augustum, quod in nomen illius quidem Spiritus, qui tertiam gerit personam divinæ Trinitatis, conditum est; atque inde, posteaquam sacris interfuisset, ad sua studia redibat litterarum.

Post novem annos, ut quod esset doctrinæ adsecutus, palam faceret omnibus, prodire cœpit in apertum, atque in forum se publicum conferre; ibique aut sub Pisana tecta, quo docti omnes ea tempestate convenire soliti erant, versabatur; aut ad prætorias ædes assidue veniebat, ut inter Bibliopolas colloquens, aut disputans cum amicis experiretur, quid de se præstare posset inter homines doctissimos, qui huc secum convenissent. Nam præter quod summo esset ille præditus ingenio, memoriaque plurimum valeret, hoc *Jannoctius* habebat, ut quia frequens disputantium coronis interfuisset, nemo melius illo, nemoque facilius Latine loqueretur. Non enim secus hac lingua utebatur, quam in qua natus esset: cujus facultatis ille multa sæpe quidem signa præ se tulit; præsertim eo die, in quo docti plures erant in forum conventuri: quos inter cum *Leonardus Arretinus*, Florentini populi scriba, extitisset, acerrime de Philosophia disputatum est: in qua disputatione cum *Jannoctius* ita se strenue gessisset, ut omnes, qui adfuerant, in cœlum eum tollerent divinis laudibus, *Leonardus* tamen vehementer indoluit judicatum ab omnibus disputationis principem è tanto certamine palmam sustulisse, eumque propterea jurgio lacessivit. At *Jannoctius* ita benigne respondit, ut *Leonardus* pudore afficeretur, ineptiæque suæ pœniteret. Nam disputatione absoluta, cunctisque, qui disseruissent, diversis itineribus domum abeuntibus, *Leonardus* se ipsum colligens cœpit cogitare, quam aspere se in *Jannoctiam* gessisset. Ergo postea quam dies illuxerat, nulla suæ dignitatis habita ratione, hominem convenit. At ille ubi aspexit venientem, quod erat vir magnæ auctoritatis atque famæ, dixit vehementer admirari quoniam ad se domum *Leonardus* venisset, ad quem æquum fuerat,

rat, ut ipse minor natu accessisset. Ad hæc *Leonardus* Jannoctio nihil respondendum ratus, quod ad ea properaret, quæ mox erat dicturus, jussit, ut secum domo abiens veniret, quod quædam, remotis arbitris, cum eo communicare in animo haberet. Itaque ubi ad *Arnum* fluvium, qui urbem mediam intersecat, perventum est, ad ejusque ripas illi adstiterunt, *Leonardus* in Jannoctium conversus, ita inquit: *Heri cum jam vesper adventasset, gravi contumelia te videor adfecisse. Verum præsto fuit pœna parata mihi. Nam insomnem universam noctem ducens, nunquam animo consistere potui, donec te ipsum convenirem, ac ingenue faterer, in quo deliquissem.* Ad hæc *Jannoctius* Leonardo benigne respondens dixit, *ei nihil fuisse, ut apud se tali excusatione uteretur, quem non modo amaret, verum pro summo ejus ingenio summaque doctrina vehementer coleret observaretque plurimum, essetque, dum vita fungeretur, loco eum patris habiturus. Inde quicquid ab eo in se acerbius dictum fuisset, affirmavit se tulisse animo æquo, in bonamque accepisse partem, tantumque sibi moleste accidisse, si dignitati suæ, quam imminuisse videbatur in se homine privato domum adeundo, quod ante id tempus facere nunquam consueverat, quicquam detraxisset.*

Erat in *Jannoctio* præter cæteras virtutes, quæ in eo elucerent, tanta humanitas, tantaque clementia, ut neminem ex his, qui etiam infimæ conditionis essent homines, aspernaretur; verum omnes prosequeretur benivolentia, quos amari dignos judicaret: omnibus benigne polliceretur: libentissime in omnes beneficia conferret, tam aperta in omnes cum significatione amoris sui, ut cuncti quamprimum ad hominem diligendum corriperentur, seque solos in amorem illius effunderent.

Tradunt præterea in religionem Christi optimi maximi eum sic fuisse affectum, ut nemo reperiretur, qui eam majori haberet in honore, atque melius de illa sentire videretur. Quare hoc frequens verbis usurpabat, ut diceret, quam nostri fidem vocitant, id est credere ut sint quæ oculis non cernuntur, nequaquam illo appellandam esse nomine, sed indubitatam potius certamque rem sibi nuncupandam videri propter illa, quæ cotidie miracula intueretur: cum neminem sua tempestate vidisset à fide aberrantem, cui non ultionem ab immortali Deo paratam aspexisset. Ad quod probandum confirmandumque ille multa profecto veterum exempla commemorabat eorum, quibus gravia male credentibus in vita accidissent.

In his autem propulsandis vitiis, quæ per bacchum cereremque committuntur, continentia utebatur. In cibo atque potu, ne mentem occuparet, parcus erat. Paucis enim minimisque contentus ita victum extenuabat, ut macilentus redderetur, suique metuerent, ne *Jannoctius* esset in phthisim propediem casurus, eoque inde morbo laboraret, quem tacita quædam perpetuaque febris adurensque semper in medullis ossium afferre consuevit. Quin etiam sic aspernabatur curam earum rerum, quæ ad esculenta optime condienda pertinerent, ut comederet ille quicquid sibi apponeretur, neve ulla aut repostarum, aut æquo plus elegantium epularum cupiditate afficeretur. Postea vero quam omnes bonas artes didicisset, & hos præsertim, quæ liberis conveniunt, hisque cum peritiam *Græcæ* linguæ adjunxisset, quonam modo *Syrii* loquantur, nosse statuit, ut divinarum legum quæ origo esset, aut quo principio constarent, optime percipere posset. Decreverat etiam adversus *Syrios* digredientes à vero invectivas scribere, quod multo commodius se facturum arbitrabatur, si quæ suo illi sermone tractavissent, ex fontibus eorum hausta cognovisset.

A Præceptorem habuit è *Palæstina* oriundum hominem, & qui plus duobus annis eum domi erudiret. Postea vero cum *Manuelles* item *Syrius* Florentiæ moraretur, qui præter linguam patriam *Latine* quoque sciret, inter se convenere, ut libros ille, in quibus sacræ ab orbe condito historiæ sermone quidem *Syrio* scriberentur, prius aperiret: *Jannoctius* autem utramque Philosophiam, & quæ ad contemplandas rerum causas pertinet, & quæ probos docet mores, vicissim enodaret atque interpretaretur: verum hac inter illos imposita conditione, ut singulis diebus *Palæstinus* ille duabus horis, antequam dies illuxisset, ad se domum ve- **B** niret: Postea vero quam vesper adventasset, accederet rursus ille, ad tresque noctis horas brumali quidem tempore continuaret interpretandi officium.

Cum ergo bis jam miræ magnitudinis librum, quo à prima mundi origine sacra continetur historia, perlegisset; quæ ab auctoribus variis ponderosiora quidem commentaria in eosdem libros scripta essent, cognoscere voluit, ne quid sibi ex illa sacrarum rerum percipienda historia defuisse videretur. Mox ad ea diturnius memoriæ imprimenda, quæ prius acceperat, *Jannoctio* placuit linguam **C** *Syriorum*, quam nuper didicisset, atque *Græcam* non minus sibi esse familiarem, quam *Latina* extitisset. Quod ut facilius consequeretur, *Græcos* homines domi duos aluit, unumque *Palæstinum* eodem in tempore, qui se tamen Christianæ religioni addixisset. His tribus utebatur ad id, quod facere in animum induxerat: sed hac tamen lege, ut *Græci* cum *Jannoctio* semper Græce loquerentur: *Syrius* autem sermone uteretur patrio & suo. Adhuc extant, qui audierunt hominem canere per jocum eandem sacram odem lingua triplici: cum enim à Romana principium fecisset, ita Græce quæ media fuerant prosequebatur, ut ad extre- **D** mum in *Palestinam* desineret: in qua lingua cum non minus quam in cæteris doctus evasisset, magnus terror *Syrios* invaserat propter summum ejus ingenium, summamque sermonis illorum cognitionem, atque ita ut vererentur, metuerentque hominem, qui longe plus quam ipsi è *Syriorum* fontibus hausisse videretur.

His omnibus de causis cum in tanta jam esset existimatione apud omnes, ut facile princeps inter doctissimos cujusque facultatis haberetur, quidam eruditi homines, quibus *Florentina* civitas ea tempestate abundabat, ab eo petiere, ut *Aristotelis* Ethica illis enodaret: quorum honestissimis **E** postulationibus atque studiis non potuit ille non obtemperare. Qui autem interfuerant interpretanti graves locos in Philosophia, in primis extitere *Matthæus* atque *Benedictus Stroziæ*, *Antonius Barbadotus*, & *Alexander Arighius*, compluresque alii ex nobilitate omnes, inter quos *Angelus Acciajolus*, Eques splendidissimus, *Jannoctii* auditor fuisse memoratur. Præterea incepit politica edocere *Jacobum Lucensem*, qui postea in eum quidem ordinem à *Pio* P. M. adscitus, unde obtinuit consuetudo, ut illi deligantur, qui summi sunt Pontifices futuri.

Jam pervenerat ad quintum ac vigesimum æta- **F** tis suæ annum, cum propinqui, atque familiares eum hortari cœperunt, multumque suadere, ut jam duceret uxorem. Sed durior fuit in deliberando, ne cura rei familiaris studia litterarum impedirentur. Animi quoque dubius ob hanc causam existimatur fuisse, quod ad elegantiora spectaret sanctioraque vitæ munera, ad eaque cotidie licet ipse meditaretur, nunquam tamen, quod fuisset facturus, explicandum putavit: sed retinuit semper clausum in pectore, quod intra se cogitasset. Quantum autem conjectura conse-

qui possumus, tale fuit, ut appareret, si fecisset id *Jannoctius*, maximum quid Christianæ religioni se fuisse additurum. Victus tandem ac defatigatus precibus *Angeli Acciajoli*, qui sororem hujus, quam tradere *Jannoctio* studuerant, uxorem duxisset, illis est assensus, qui eum in rem uxoriam detrudere conati essent.

Ex uxore igitur, quam duxit nobilissimam, suscepit liberos virilis sexus quatuor, fœminei tres. Ex maribus unum, quem vehementissime dilexerat, nomine *Antonium*, septemque annos natum dicitur amisisse: cujus obitu magnum cœpit dolorem, non tam quia esset ille sibi amantissimus filius, quam quod natura erat præter cæteros homines clementissimus omnium, non modo in eos, quos ipse genuisset, verum etiam in omnes qui sibi noti essent, & quos, facta virtutis significatione, dignos qui ab eo amarentur, censuisset. Cum amissi nati mœrore in quandam villam, cui *Vacciano* nomen erat, tanquam se in solitudinem proripiens secessisset, ut lectione rerum optimarum, quæ à summis ingeniis mandatæ litteris fuissent, ibi suum consolaretur dolorem, *Angelus Acciajolus*, quod hominem coleret, accersito famulo, ad eum misit litteras, quibus vehementer *Jannoctium* rogaret, ut ad templum *Certorianum* ille se conferret, quo plures viri insignes accessissent; Præsertim *Nicolaus*, qui templo præfectus esset, quique vitæ sanctitate quasi lumen eluceret. Lectis litteris eo sine ulla temporis exceptione profectus est, ubi disputationes quædam de rebus ad consolandum hominis dolorem accommodatis, ut fierent, erant institutæ; eoque magis, quod *Gherardinus* Ferrariensis legatus, vir doctus & prudens, ibidem esse putaretur interfuturus. Ex disputationibus illis, ubi sunt confectæ, dialogus quidam ortus est, quem pater de obitu suavissimi filioli scripserat, tanta cum verborum elegantia, rerumque gravitate, ut à legentibus scripta illa in cœlum tollerentur divinis laudibus.

Post *Antonium* ex liberis alter *Jannoctio* fuit, nomine *Bernardus*, qui cum doctrina, & consilio, rerumque gerendarum usu, & experientia plurimum valeret: tanto est in rep. gubernanda usus temperamento, ut gratus æque illis acceptusque foret, qui superioribus temporibus in nostra urbe rerum potiebantur, atque his, qui post recuperatam, ut ajunt, libertatem nostra tempestate ad nutum populi gubernaculum tenentis gerunt omnia. Hunc tertius, cui nomen *Angelo* extiterat, cum sequeretur, tanta indole fuit præditus à puero, ut pater iisdem artibus eum institui curaret, quibus & se ipse antea instituisset. Ita enim memoria ingenioque valuit, ut cum adhuc in puerili esset constitutus ætate, tres tamen linguas edidicisset generum diversorum. Quare sic apposite characteres earum exprimebat, ut præceptores æquaret licet peritissimos. Cum ergo non in *Palæstinis* modo, sed in *Græcis* quoque *Latinis*que litteris non mediocriter profecisset, tanta omnium expectatione se ad remp. contulit, ut adhuc in tenera positus ætate amplissimo Legati munere perfunctus sit apud *Galliæ* Regem.

Extremus autem liberorum, quos *Jannoctius* suscepisset, quartum locum *Johannes* obtinuit, qui à suis non degenerans, cum incumberet ipse quoque in studia litterarum, multos est honores atque magnos in rep. consecutus. Tales igitur natæ, præter cæteras virtutes, quibus pater esset *Florentinæ* civitati profuturus, ita in communem procreavit utilitatem, ut ob illos ad normam virtutis educandos magnam ab omnibus laudem assequeretur.

Maxima natarum Jannoctii *Constantia* dicta

A est, nupsitque homini erudito *Petro Boninsegnæ*. *Ginevram* vero alteram in matrimonium *Alexandro Albitio* collocatam ferunt. Tertiam, cui *Petræ* nomen inditum, prior duxit uxorem *Bernardus Uguccionius*: secundus eidem vir fuit *Antonius Puccius*, qui ad tantas devenit opes in *Florentina* civitate, ut ab omnibus facile inter principes haberetur. Cum enim *Petrus Medices* Cosmi filius, *Lucas*que *Pittius* ex ordine equestri tunc rerum potiti dicerentur, sic medius inter illos *Antonius* extiterat, ut sæpe unus quidem in rep. plus duobus illis posse videretur.

B Hinc magna erat *Jannoctius* apud omnes in existimatione, magnumque sapientiæ tanquam lumen effulgebat non modo generi familiæque suæ, verum etiam universæ civitati. Hinc plurimas est adeptus atque amplissimas in rep. dignitates. Hinc sæpe unus fuit ex eo civium collegio, qui summo semper adhærent magistratui, præsuntque semper aliquid è rep. statuenti: quo quidem in tempore duas fertur de justitiæ laudibus scripsisse orationes, quas magno concursu plurimorum *Jannoctium* orantem audire vehementer cupientium habuit in *Florentina* curia. Præfectus sæpe fuit gymnasio instituendo eligendisque Doctoribus artium ingenuarum, & qui possent in quo-

C cunque genere ita diligenter & accurate discipulos docere, ut excellant, magnoque sint patriæ ornamento futuri: quod fecit *Jannoctius* pro summa ejus auctoritate in collegas suos tanta cum diligentia & cura, ut quo tempore gerebat ille magistratum litterarum, studia in urbe *Florentina* maxime florerent.

Cum de rebus autem gravioribus legati *Januam* mittendi esse viderentur; *Veneti*, qui jure fœderis nobiscum icti eadem, quæ nos, sentiebant, *Pasqualem Malepierum*, qui postea in Principem ab illis lectus est, oratorem miserunt. *Florentini* 1437.

D autem *Jannoctium* ex omnibus potissimum legatum statuere, *Leonardo Arretino* suadente maxime, qui pro concione ita hominem laudavit, ut omnibus pene suffragiis orator à summo magistratu ab universoque collegio crearetur *Januam* profecturus: ad quam cum se urbem conferret pulcherrimis vestibus, summoque apparatu, secumque duceret juvenes primarios, atque ex media lectos nobilitate, gratissimus accidit Principi civitatis, ab eoque honorificentissime exceptus est. *Thomas* enim *Campofregosius* tunc *Januæ* potiebatur rerum, vir multis exornatus virtutibus, ad quem cum mitteret *Jannoctius* librum à se scriptum *de origine prima*, *deque urbis Januæ laudibus*, cum elegantia

E & copia, magnus benivolentiæ cumulus accessit ad eum amorem, quo jam *Thomas* à principio in advenientem illum affici cœpisset.

Post reditum in patriam à publico consilio hæc illi demandata est provincia, creato etiam in rem præsentem magistratu, qui à *Florentinorum* subjectis atque municipibus ad triginta millia nummûm ex solido auro solvenda reip. curaret. Hæc igitur provincia *Jannoctio* demandata est, ut ex illis unus existeret hominibus, qui exigendæ pecuniæ à subditis præfecti essent; utque præter cæteros pro summa ejus prudentia huic publico negotio

F prospiceret; quod diligenter ille quidem fecisse videatur. Nam & imponenda hæc tributa sic æque omnibus distribuit, sic juste inter omnes partitus est, ut facile illa quidem exigerentur, nemoque repertus esset in universo agro *Florentinorum*, qui, quoniam invitus solvisset, quereretur, aut moleste ferret: quod quidem præter illius rei, atque temporis accidit conditionem, cum plerique angi soleant potius, & conqueri, propterea quod cuique videatur plus æquo tributorum pendere urgeri. Collegæ namque persuasi ab illo in re

re honestius tractanda, *Jannoctium* meliora suadentem sunt secuti.

Nec multo post cum se bene gessisset in subditorum pecuniis æque distribuendis, iterum homini mandata cura est, ut tributa sacerdotibus *Florentinæ* ditionis imponeret: prius tamen ne quid contra jus divinum peccaret, aut ne quid committeret contra pontificale institutum, ab *Eugenio* Pontifice impetrata venia, ut id sibi liceret, quod summus *Florentinæ* urbis magistratus homini æquissimo, ut faceret, mandavisset. Hoc igitur negotium ut exequeretur diligentius, totum fere pondus rei conficiendæ accepit suis humeris sustinendum. Nam quoscunque proventus nosse voluit sacerdotum omnium, qui agrum *Florentinum* incolerent: tum impartienda cuique tributa divisit tanta cum æquitate, ut non minus acquiescerent in nomine *Jannoctii* non nihil oneris æque illis imponentis, quam si arbitrio suo, suaque voluntate rem omnem ipsi confecissent. Accessit & ad gratiam, quod operæ laborem in tam difficili negotio sine ullo emolumento dicitur impendisse. Quod enim præmium pro suscepto labore ab ipsis legibus homini debebatur, ita conspectu summi magistratus, cum ejus collegæ omnes interessent, recusavit accipere, ut qui à populo iisdem auspiciis, quibus ille, creati fuissent, *Jannoctii* hortatu illud idem factitarent.

Post biennium, re quidem postulante, obnitentem eum, atque obsecrantem cives singulos, ne hanc sibi provinciam demandarent, bonis ac possessionibus illorum, qui tributa non solvissent, vendendis præfecerunt: in quo licet annotare, quam juste, quam prudenter, quam moderate *Jannoctius* se gesserit. Nam cum res invidiosa esset per vim cogere cives ad ea solvenda, quæ non facile possent, tanto temperamento usus est, ut ex quo cæteri à multis vituperari solent, ille gratiam & laudem reportaret: quam ut cumulatiorem assequeretur, quod pretium à lege tradebatur ei pro suscepto labore, id una cum collegis suis, quibus persuaserat ita esse faciendum, si honesto inservire vellent, repudiavit: quod affirmaret bonos cives sine spe præmii utilitatem patriæ afferre oportere. Hoc *Jannoctii* factum ita reip. fuisse conducibile memoriæ proditum est, ut ad quinquaginta millia nummûm ex solido auro sine cujusque injuria exigerentur; & quod nisi vi adhibita vix solet ab invitis extorqueri, solutum est ab omnibus concordi voluntate. Non bona vendita cujusquam, ut assolet. Non à veris dominis vetustisque possessoribus pars ulla est alienata bonorum. Nemo in carcerem detrusus. Bona venia singulorum confecta sunt omnia; & quod antehac in urbe *Florentina* inauditum est atque insolitum, ex ea re *Jannoctium* multis laudibus universi cives prosecuti sunt, ex qua cæteri odium, atque invidiam subire consueverunt.

Non multo post tempore sorte ductus est Vicarius. Id autem præturæ genus est ita dictum, quoniam populi *Florentini* vices in regendis municipibus oppidisque gubernandis illi gerant, qui hoc prætorio munere funguntur. Cum autem provincia sibi Piscia obtigisset, cara erat annona, quando illuc est profectus, à qua licet omnes graviter premerentur, ipse tamen impensæ non pepercit, sed longe plures, quam ei præscriberetur secum duxit famulos, pluresque quam cæteri solent, equos aluit, ut in gerendo magistratu honoratior, magisque pertimescendus provincialibus & oppidanis, qui juri stare nollent, appareret. Quo die oppidum ingressus est ille, plurima jumenta in medio foro parata erant cum sarcinis, & onusta fasciculis palearum atque lignis, quæ apta essent igni nutriendo. Hæc ubi

A *Jannoctius* circumlustrans oculis intuetur, rogat oppidanos quidnam ista simul tot coacta in unum locum jumenta sibi velint. Ad hæc cum homini qui astabant, responderent esse de more illius gentis, ut cuique Vicario advenienti sponte quidem hæc afferrent munera, jussit pro imperio, ut ista quisquis auferret, secumque dixit tantum attulisse pecuniæ, ut ad coëmenda, quæ sibi atque suis essent necessaria, cumulate satis facultas traderetur, eoquelibentius neglexit, quæ ultro afferebantur, ut *Terentianum* illud expleretur inique comparari, ut hi qui minus quidem possident, semper aliquod addant ditioribus. Cum enim a-

B pud illos justitiam esset administraturus, voluit profecto vir ille prudentissimus in his, quæ ad se ipsum pertinerent, eam prius exercere, ut intelligerent omnes, qui sibi ipse minus pepercisset in jure, aliis æque administrando, neminem se fore excepturum. Antequam tribunal, jus dicturus, ascenderet, ministris ad se omnibus accersitis, præcepit, ne quid agerent se quidem inconsulto, ne quid aggrederentur, ne quod munus caperent. Mandavit præterea, ut quantum non modo intus frumenti, sed extra quoque oppidum reperiretur, adnotarent diligentius. At cum animad-

C verteret, quod oppidani collegissent, ad eos nutriendos non satis futurum, agnosceretque municipium ita paupertate laborare, ut per se prospicere suis necessitatibus non posset, tam multas eis pecunias mutuo dedit sine spe ulla sumendæ utilitatis, ut ex *Gallia Cisalpina*, quod frumenti deesset, sic abunde compararent, ut multo minore id pretio emerent, quam antea ibidem, & in urbe *Florentina* emi consuevisset. Hinc pro immortali beneficio, quod in eos *Jannoctius* contulisset, tot laudibus hominem prosecuti sunt, ut verbis illæ vix explicari possent.

Dum hæc ita gererentur, evenit, ut ex ministris unus dicto non pareret; verum id aggre-

D deretur tentaretque faciendum, quod vetitum illi à Vicario fuisset: quam rem cum vehementer *Jannoctius* indignaretur, ad se illum accersivit, acrioribusque in hunc modum verbis eum increpuit: *Quam te male mulctassem, ni perturbatus essem? Verum ne omnino impune commiseris, caveto, ne posthac excepto die hoc te domi meæ offendam, fuga tibi consulturum.* Summa cum celeritate minister dicto paruit, sibique non conducibile parum effecisse visus est, si ultrices *Jannoctii* manus tam juste indignantis, evasisset. Hoc factum acrius exemplo fuit omnibus, ne quid inportunum per licentiam committerent. Si qui ad eum mu-

E nera tulissent, jubebat, ut domum ea reportarent: quod nulla capere omnino statuisset. Quin etiam hoc suis præceperat, ne ullam sumerent ab illis pecuniam, qui debitorem in jus vocaturi accessissent. Frequens verbis usurpabat, *lites esse nullas de datis & acceptis tam discordes, qui componerentur, in ea re si quis laborare vellet.* Ad eum igitur si quando proficiscebatur petiturus, ut debitor in jus vocaretur, jubebat reum ad se accersiri: inde nulla vi adhibita sic utrosque audiebat, ut optime cognito, in quo maxime differrent, componeret illos, concordesque ita face-

F ret, ut ab æquitate, quam servandam suasisset, non discederent

Cum hæc à *Jannoctio* benignitate summa tractarentur, fuere tamen, qui eum calumniarentur, dicerentque, contentiosos homines nimis toleranter audire consuesse, nimisque patienter ferre solitum, quas ingererent molestias: ad quæ calumniatoribus vir prudens ita respondebat, *eos ignorare quanti homo esset faciendus, quantaque præditus esset à natura dignitate, quandoquidem illi omnia inservire deberent. Homines enim arbitra-*

batur sic esse ab immortali Deo institutos, ut vel ex eo ipso, quod os humanum gererent, minime negligendi esse viderentur: verum promereri, ut omnes dignitati, qua hominum genus afficeretur, indulgerent. Hinc ergo litigantes facile componebat, dato etiam spatio, ut quæ solvere in præsens tempus non possent, debitori ad constitutam diem soluturi essent, pollicebaturque, ne suspicaretur creditor, ei se vadem pro debitore futurum. Hoc enim frequenter habebat in ore, *qui mitterentur rectores in provincias, non ad exhauriendas mitti, aut bonis spoliandas, sed ut refrenatis animi cupiditatibus more parentum eas conservarent, atque tutarentur; eisdemque profuturi in pace semper, & in tranquillitate retinerentur.* Magnifica vox, & hoc digna homine, quem per omnem vitam se ille præstitisset. Huc accedit, quod cum omnibus, quibus posset, modis prodesse hominibus provincialibus studeret, armisque jam hostilibus, quam tueretur, regio strepere cœpisset: magnis enim copiis magnisque exercitibus *Nicolaus Piccininus* petebat subditos, municipesque nostros: equo vectus opidi mœnia cotidie circuibat, prospiciens ne quid oppidanis deesset, ad hostes repellendos, dum bello premerentur. Quum etiam si qui plus æquo graves inimicitias exercuissent inter se, laborabat vehementer, ut eos traduceret ad pacem, omnibusque injuriarum seminibus extirpatis dabat operam, ut intra una mœnia viverent, futuri unanimes, qui antea inimicissimi profecto extitissent. Sic quam ille provinciam disjectam sane, debilitatamque acceperat, & auxit quoad potuit, & undique collectis, quæ ad illius defensionem arbitraretur oportere, compositam optime validioremque reliquit. Quocirca pro immortalibus beneficiis, quæ in homines provinciales contulisset, tot laudibus *Jannoctium* è provincia discedentem prosecuti sunt, ut parum abesset, quin hominem tanquam deum cælitus in terras demissum colerent, eique adhuc vivo divinos honores haberent.

Sed quamvis tot ille occupationibus provinciæ gubernandæ, tamque variis teneretur, ut propter diversas rerum curas distractus à musis nihil scribere videretur potuisse; tamen ita tempus omnium pretiosissimum partitus est, ut superesset à negotiis provincialibus ocium sibi ad *Socratis* vitas conscribendas, quas ad *Alphonsum* Regem *Neapolitanum* inscriptas ejus nomini dicitur misisse: ad quem non multo post legatus missus est à populo *Florentino*, dum in agro *Piceno* ille moraretur, *Eugenio* P. M. ut opem ferret contra *Franciscum Sfortiam*, qui *Picentes* fere universos, invito domino, jam in ditionem suam redegisset. Cum igitur ad Regem perveniret, maximo est exceptus honore cum ab ipso Rege, tum ab ejus purpuratis omnibus, tametsi contraria illi, & quæ Pontifici summo adversarentur, erat expositurus. Eodem quoque tempore *Venetus* orator huc se contulerat *Zacharias Travisianus*. In castris regiis *Panormita* versabatur, ut *Alphonsum* Regem in omnes doctos homines magnificentissimum sequeretur, vir sine ulla dubitatione doctissimus. Is ergo cum *Titi Livii* tertiam decada Regi enodaret, ejusque purpuratis, sæpenumero accessit & *Jannoctius* ad audiendam vocem hominis eruditissimi, ne alienus à musis, quibus erat deditissimus, esse videretur. Ibi cum dies aliquot mansisset, *Nicolaus Piccininus* in agro etiam *Piceno* moram faciens cum *Alphonso* junctus est, ut communi consilio copiis conjunctis *Eugenio* Pontifici opitularentur.

Ubi ea, quæ à summo *Florentinorum* magistratu sibi mandarentur, exposuit, discedens ille, quod ille ut faceret, novis ab urbe mandatis acce-

A pisset, se se ad *Franciscum Sfortiam* contulit. Vexabatur autem *Picenus* ager ab innumeris militibus, qui ex diverso illuc confluxissent. Dum legatus *Florentinus* iter faceret, octo equi atque sarcinæ sibi abvectæ sunt ab his, qui *Nicolaum* ducem sequebantur. Sed cum perveniret ad *Franciscum Sfortiam*, illique narraret, quod sibi accidisset, *Angelus Acciajolus*, eques *Florentinus*, qui apud *Sfortiam* morabatur, pollicitus est *Jannoctio* se pro amicitia, quæ sibi erat cum *Roberto* ex monte *Albotto* oriundo, uno ex primis ductoribus, quos *Nicolaus Piccininus* secum in castris

B haberet, daturum operam, ut omnia quæ sibi adempta fuissent, restituerentur. Verum frustra rem *Angelus* per famulum tentavit: quod cum *Jannoctius* accepisset, inquit: *At ego experiar, utrum amicitia tua plus valitura sit, an litteræ, quæ à me scribentur.* Hoc autem argumento ad *Nicolaum* tradunt fuisse perscriptas: *Ceteros sui temporis duces auri ductos cupiditate bella gessisse. Solum autem Nicolaum excitum gloria, immortalitatisque amore flagrantem facta maxima resque gerere pulcherrimas, cujus virtutes innumeras pertinere ad ejus quoque milites, ut diligenti ratione imitentur.* Has igitur cum uni ex suis ad *Nicolaum* ferendas dedisset, hæc homini mandavit, ut quamprimum

C se in castra recipiens nonnisi *Nicolao* duci redderet, ejusque in manus tantum daret litteras, nec ad se priusquam responsum accepisset, reverteretur. Inpigre famulus mandata executus *Nicolaum* hastæ cuidam parvæ innitentem cogitabundumque adinvenit, cui cum repræsentasset epistolam, illeque uni ex scribis suis legendam dedisset, accurate auditurus quæ ad se scriberentur, jussit eum in castris pernoctare, dixitque, ubi dies illuxisset, sine ulla exceptione se postulata facturum. Cum mane adventasset, militibus suis imperavit, ut *Jannoctio* cuncta restituerentur, quæ illi arripue-

D rant, & simul ei ad singula rescripsit humanissime, ac multa benigne pollicitus, dimisit eum qui sibi literas legati *Florentini* nomine reddiderat; præcepitque suis, ut famulum inde abeuntem in tutum usque locum comitarentur. Mox redeunte ad *Jannoctium* puero cum litteris rescriptis perhumaniter, cumque rebus omnibus, quas restitui legato Florentino *Nicolaus* imperasset; *Franciscus Sfortia*, & *Angelus Acciajolus* vehementer se mirari dixere, quod epistola unius tantum ponderis apud hostes habuisset: in quos conversus ad ea quæ locuti essent respondens illis *Jannoctius* inquit: *Vel ex hoc etiam quas literæ apposite scriptæ in se vires habeant, intelligere potestis*: quod ita esse,

E ut declaratum fuerat, nec multo post res ipsa indicavit. Nam cum *Angelus* eques sine fide publica urbibus hostium appropinquaret, fuerunt ejus sarcinæ direptæ, atque famuli cum equis capti omnes, & nisi quod ipse forti equo vehebatur ac celeri, ut sui & ipse pariter in hostium manus devenisset. Ad duo enim ac triginta stadia currendum ei fuit, ne ab hoste caperetur, & quamvis habenas bis aut ter manu capientes ii, qui *Angelum* insequebantur, quum sistere voluissent, semper tamen elapsus est è manibus, dexteritateque corporis evasit, cum optime artem equi-

F tandi teneret. Itaque homo, quem nullæ a se scriptæ literæ commendarunt, nihil ex his rebus, quas nuper amisisset, recipere potuit ab hostibus.

Mansit dies aliquot *Jannoctius* apud *Franciscum Sfortiam*, qui per id tempus *Alphonsi* Regis, *Nicolai*que copias fugiebat. Hoc enim gravius illi ac periculosius acciderat, quod ubi ex aliqua urbe, quam cepisset, *Sfortia* discesserat, deficiens ab illo statim rebellabat; ex quo ingenti premebatur dolore, cum plane perspiceret, quam validi

lidi quamque fortes eum hostes à tergo insequerentur, quorum primus erat *Eugenius* P.M. Rexque *Alphonsus* septem regnis potentissimus in secundo loco; in tertio autem Princeps ille fuerat, qui *Mediolanensibus* imperabat, totiusque *Galliæ Cisalpinæ* principatum tenebat. Cum *Sfortia* igitur se videret in magnum quoddam discrimen incidisse, ac pene de re sua desperaret, *Jannoctio*, qui aderat frequens, ita inquit: *Ego Jannocti, faciam ut nauta, utque navis gubernator solet, qui ubi fregit antennam atque malum, videtque ipsa vela propter tempestatem ad imum cecidisse, se recipit in puppim, ut inde speculetur, si quis forte ventus oriatur, qui sit eum præsenti è periculo tandem liberaturus. Sic ego tanquam ex aliqua specula prospiciens expectabo, si qui proficiscantur, qui mihi periclitanti graviter, atque in omni pene rerum desperatione versanti opitulentur.* Jannoctius contra, ut poterat, *Sfortiam* consolabatur. Sed nihil proficiebat, cum eo angustiarum jam ille devenisset, ut præter fugam ei nulla essent remedia profutura.

Legatus *Florentinus* cum paulo post in urbem revocaretur, sorte ductus est unus ex Collegio, quod summo hæret magistratui. Dum hæc ille in rep. dignitate fungeretur, *Leonardus Arretinus*, scriba populi *Florentini*, diem suum obiit: qui vero ea tempestate rerum potirentur, quique in summo dignitatis gradu collocati essent, ingenti *Leonardum* honore sepulturæ afficiendum putarunt; placuitque nonnullis hominibus doctissimis, qui in consilium adhibiti fuere, revocare quandam consuetudinem desuetumque sepeliendi morem, qui apud priscos longe antea viguisset, ut *Leonardum* pro summo ejus ingenio summaque doctrina laureola ornarent, orationeque funebri pro concione habita vita ejus celebraretur, ut & ipsum merita laudatione honestarent, & cæteri ad decus & ad gloriam excitarentur. Hæc autem provincia hominis exornandi *Jannoctio* demandata est, qui & orationem scripsit cum omni elegantia & copia, illumque habuit ex loco editiore ad caput pheretri, quo *Leonardus* jacebat indutus sericeam vestem colore ferrugineo, supra pectus ejus apposito libro, in quo ille historiam populi *Florentini* magna sua cum laude prosecutus fuisset. Ubi vero ad locum pervenit orationis, quo significaretur decreto publico *Leonardus* summo esse afficiendus honore, donandusque pro summis ejus meritis laurea corona, orator ipse suis manibus eam *Leonardi* capiti apposuit, frontemque cinxit lauro Apollinea, spectante universo populo *Florentino*, cum omnes minores præter summum, qui minus accesserat, ne pro majestate sua funere cujusquam pollueretur, Magistratus adessent. Quin etiam Legati complures adfuere, qui à Regibus diversis ac Principibus multis Christianæ reip. ad Pontificem summum, qui tunc *Florentiæ* morabatur, missi essent. Præterea docti omnes in quocunque litterarum genere, qui Pontificalem sectabantur curiam, ante *Jannoctium* orantem audierunt. Est in manibus oratio ab eo scripta tanto cum ornatu verborum, atque tanta cum sententiarum gravitate, ut ex ea non modo summus honor ad scriptorem perveniret; verum etiam is dies, quo recitata fuit, universæ civitati honestissimus haberetur.

Quid referam, quo tempore indignatus Pontifex nobiscum *Florentiæ* morabatur, quam egregie *Jannoctius* in patriam se gesserit, quamque utilis extiterit universæ civitati, cum in promptu sit omnibus? cum enim *Baldaccium Anglariensem* Eugenius pecunia conduxisset, qui optimus instruendis ductandisque peditibus existimaretur, eique ad octo millia nummûm ex auro tribuisset,

A multos sermones populo *Florentino* dedit; causaque fuit, ut idem populus multa de ipsius Pontificis tam subito discessu loqueretur: cum graviter ferrent cives *Florentini*, jam constituisse *Eugenium* Florentia discedere, cujus jam nomen invitus audiretur, quia odio ferretur in nos graviore. Nam cum populus *Florentinus* in duas partes divisus ad arma concitaretur, atque Pontifex eum ad pacem auctoritate sua traducere conatus esset, jamque intra urbem sedata esse omnia viderentur, pars altera eorum, qui *Pallantem Sfortiam*, sequebantur, depositis armis, uti suasisset Pontifex, ad quietem se conferret. Altera, quæ B *Cosmiana* quidem dicta est, multo majoribus quam antea viribus assumptis, magis egregios adversæ factionis cives atque plures in exilium pepulit. Hinc justo odio exarsit in iram & in indignationem *Eugenius*, quod invito se, atque ne id facerent vetante, Florem nobilitatis exire de civitate, atque contra omne jus fasque domos laresque patrios relinquere coëgissent. Qui retentis armis in urbe multo aliis valentiores, multoque potentiores cæteris evaserant. Quamobrem in animum induxit se non prius quieturum, quam eos, qui se fidei suæ credidissent, ab exilio in patriam revocaret: quod ille ut commodius assequeretur, fœdus percussit cum *Philippo* Duce *Mediolanensium*, C & cum *Alphonso* Rege *Neapolitano*. Quod factum *Florentini* cum ægre tulissent, ac *Baldaccium* ob id existimassent à Pontifice conductum, ut bellum esset illis illaturus, quamprimum de homine interficiendo cogitarunt: ad quam etiam cædem festinantius committendam sunt adducti, ut *Francisco Sfortiæ* cum exercitu in agro *Piceno* commoranti faverent, *Cosmo Medice* id bellum procurante, ut viro forti è medio sublato, *Eugenii* copiæ minus augerentur. Itaque postridie ejus diei, quo *Baldaccius* fuit conductus à Pontifice, cum in foro sub *Pisana* tecta deambularet, visusque esset à principibus urbis, apparitorem miserunt, qui eum accerseret. Is cum dicto paruisset, D è fenestra curiæ, quæ spectat in cohortem, in qua merces continentur, donec vectigalia solvantur, ejecerunt, adhibitis etiam ad rem perficiendam fortissimis hominibus ex agro *Pistoriense*, quod *Baldaccii* virtutem, atque vires, quæ solent etiam crescere in extremo periculo, metuerent. Ubi devolutus in præceps è loco editissimo ille solum attigit, securi percussus est, avulsumque humeris est caput, & à carnifice tractus in forum, spoliatusque omni veste, qua corpus tegebatur, ut ibidem spectandum omnibus cadaver nudum ad majorem hominis ignominiam relinqueretur. E Quod ubi *Eugenio* nunciatum est, quamprimum misit è suis unum ad dominos urbis, qui hanc tam insignem injuriam expostularet, tamque gravem casum dolens nomine Pontificis vehementer quereretur. Ut primum igitur *Florentinam* est ille curiam ingressus coram summo magistratu nonnullisque primatibus, qui forte se in curiam proripuerant, ita verbis eum minabundis usum fuisse tradunt, ut domini urbis cives illos, qui prudentiores haberentur, & quorum consilio Resp. nitebatur, accerserent, ut una secum consultarent, quid in tanto, quo premebatur Pontifex morte hominis amicissimi, dolore F faciendum esse arbitrarentur. In hanc illi concordes sententiam discesserunt, aliquem mittendum ad Pontificem, qui mollioribus eum verbis esset populo *Florentino* reconciliaturus. Sed qui aptior ad id munus videretur præter *Jannoctium*, statuerunt esse neminem. Post igitur factum de illo eligendo senatus consultum homini mandarunt, ut sine ulla temporis exceptione se conferret ad Pontificem, mitigaturus eum prudentia

sua

sua, ex odioque gravi, quo potissimum in *Florentinos* principes agebatur, in benivolentiam erga nos amoremque traducturus.

Jannoctius ne qua mora teneretur, è vestigio ad *Eugenium* profectus stantem illum adinvenit, tantaque affectum perturbatione, ut non cessaret unculum, quo libri annectuntur, ita digitis frequenter commovere, ut modo librum, quem manu tenebat, aperiret dissoluto unculo, modo clauderet eodem annexo, non satis ille præ indignatione aspiciens, dum illud idem præfixa quadam cogitatione sæpissime usurparet, quam indecenter faceret. Tandem conversus in *Jannoctium*, verbisque usus in nos asperioribus in hunc ille modum locutus est: *Vos, vos*, inquit, *in Baldaccio crudeliter interficiendo summa me affecistis contumelia. Verum scitote me tantum scelus acriter vindicaturum, meque, ne impune evadatis, dum vita suppetet, fore operam daturum. An hoc mea postulant in vos beneficia? Hæ sunt gratiæ illæ, quos speravi totiens pro multis meis & ingentibus meritis in Florentinam remp. vos mihi relaturos? Quæ tanta vestri vos tenuit fiducia, ut præsente me ac pene oculis inspectante hominem mihi deditissimum è fenestra editissima deturbare ausi estis? Certe significo vobis ex hac me urbe propediem discessurum, ne videam præsens fieri à vobis, quæ summam mihi afferant molestiam.* Post hæc eodem impetu animi adductus est, ut singula *Jannoctio* explicaret, quæ antea in *Florentinos* beneficia contulisset. His addidit, quæ sua post se creatum Pontificem Maximum in *Florentinam* civitatem merita constitissent.

Ubi omne virus evomuit acerbitatis suæ, finemque verbis imposuisse visus est; *Jannoctius*, qui prudens expectarat, donec silentium consequeretur, orationis, quam esset habiturus, ita fertur principium dedisse: *Sint ista vera, Summe Pontifex, quæ tu narrasti omnia; sed plura consilio prætermisisti, ac de industria, ne illa nobis exprobrare videreres. Nos autem, qui accepimus, optime recordamur, semperque meminerimus, dum sol occiduis quadrigis suis, ut ajunt Poëtæ, ingredietur aquas. Tanti enim à nobis fiunt, quæ tu in nos hactenus beneficia contulisti, ut vetustas nulla possit ex animis hominum illa extirpare.* Mox quæ Pontifex omiserat, sic explicavit ordine, ut visus sit *Eugenium* ab ira in *Florentinos* graviore ad quietem animi tranquillitatemque revocare. Quod ubi animadvertit se fuisse adsecutum, à Pontifice veniam cum impetrasset discedendi, ad suos quamprimum voti compos rediit. Ii postquam audiere, quæ consecuta erant, mirari satis non poterant in *Jannoctio* tantam eloquentiam fuisse conjunctam pari prudentia, ut solus potuerit oratione sua Pontificem in nos ad id clementiæ traducere, ad quod non plures, ut arbitror, lecti è prudentioribus nostræ civitatis deducere potuissent. Tanta enim gravitas in homine, tantusque lepos erat, ut quicunque sermonem cum eo inivisset, hunc esset *Jannoctius*, quo vellet, traducturus. Itaque ubi summo magistratui principibusque civitatis, quod à se factum esset, aperte declaravit, sic admirati omnes eum laudavere, ut ex eo quod sapienter egisset, & summam gratiam, & gloriam consequeretur, magnumque nomen diserti oratoris adeptus esset.

Cum autem *Eugenius* à nobis discessisset *Romam* profecturus, orator quidam *Britannici* procuratorque regis, nomine *Andreas*, Florentiæ relictus est, in quo multa quidem egregia, laudeque digna esse dicerentur: multæ doctrinæ vir, & qui ante illa tempora diu in gymnasio *Britanniæ* versatus fuit. Is cum in hanc incideret cupiditatem, ut doctis omnibus convivium pararet, qui sedes *Florentiæ* suas posuere, præter cæteros *Jannoctium* invitavit una cum multis aliis apud se cœnaturum. Post ubi modus epulis factus est, mensæque sunt remotæ, de gravissimis rebus cœptum est disputari: *Jannoctius* autem ut Christo deditissimus ad ea se differens convertit, quæ ad immortalis Dei naturam pertinerent: quo autem in rem suam probandam uteretur, hoc potissimum extitisse tradunt. Ea omnia, quæ scriptis hominum probatissimorum sancirentur, sic vera constare, ut triangulus vere ex suis constat partibus. Si enim duæ lineæ à principio sui ortæ simul junctæ ex parte una ducantur in duas item partes, paulatimque illæ seipsas aperiant, æquo donec spatio, & quod æquale parque sit uni linearum, inter se quidem distare videantur, si tertia quoque linea primis illis ex obliquo ponatur, forma trianguli fiat necesse est; cujus speciem si veram esse arguere velint, qui de his rebus differunt, minimo id quidem negotio assequantur. Nam præter rationes, quæ à mente animoque proveniunt, oculis etiam corporis utuntur in his rebus arguendis, quæ sensibus apparent, qui decipiuntur nusquam in his præsertim judicandis, quæ aut tangi à nobis, aut cerni posse videantur. Quamobrem sic ea, quæ jam firmata essent argumentationibus, monstravit vera esse, veraque à nobis omnibus existimari oportere, ut quod proposuit in disputando ille, quodque argumentis firmavit gravioribus, id profecto universi concederent, qui adversus eum acerrime disseruissent, ob idque inter disputantes facile primum locum obtineret, palmamque omnium judicio ex certamine tanto magna sua cum laude domum reportaret. Postquam est disputatum, *Carolus Arretinus*, vir græcis & latinis litteris eruditissimus, ad legatum Regium, qui & convivii magister, auctorque disputationis extitisset, conversus ita inquit: *Minus eum mirari oportere, si Matthæus Palmerius, qui & ipse unus è convivis fuisset, in eo consessu nullum verbum fecit, cum id ex inscitia, quia esset doctus ille, minime proveniret; sed quod tanta illorum, qui astitere, legatique reverentia hominem fregisset, ut id loqui non posset, ad quod diligenter meditatus fuisset.* Hinc secutum est, ut in majore, quam antea, existimatione cum apud convivas omnes, tum maxime apud legatum Regium *Jannoctius* haberetur.

Interea cum *Eugenius* Pontifex in extremum tempus etiam sui Pontificatus perseveraret in ira, contraque *Florentinos* vehementer indignaretur, & quod ex nobilitate plures invito Pontifice in exilium ipsi expulissent, & quod *Baldaccium* Pontifici deditissimum è fenestris altioribus *Florentinæ* curiæ crudeliter deturbassent; ad eos legatum misit *Johannem Carvagielem*, præstantissimum hominem, & qui sequentibus temporibus in eum quidem ordinem adscitus est, qui esse seminarium Pontificum existimatur. Huic Pontifex mandata dedit hæc nobis exponendi, ut, nisi agerent *Florentini*, quæ ab eo peterentur, aqua & igni populo interdiceretur. Postquam igitur *Eugenii* sententiam exposuit, summi magistratus princeps, & cui à vexillo justitiæ ferendo nomen est inditum, Pontificali legato ad ea, quæ in illos dixisset, ita fertur respondisse: *Florentinos quempiam è suis missuros, ut quid facturi essent, Pontifici significarent.* At Johannes orator à Pontifice missus, cum esset *Hispani* generis vir, ob idque propensior in indignationem, graviter exarsit in iram, responsumque non tulit æquo animo. Verum cum à nostris se despici arbitraretur, indignabundus verbis ita inquit acrioribus: *Edico vobis, Florentini principes, ut aperte intelligatis, apud vos nulla circuitione usurus, antequam Florentia discedam, mandata Pontificis me execu-*

cutu-

futurum, prorsusque me daturum esse operam, ut plane perspiciatis, tanti esse me, tantique fieri à Pontifice Maximo, ut præsenti respondere mihi ad omnia, quæ vobis explicavi, debeatis. Hæc ubi est locutus, ad Directorium se contulit, hoc animo & hac voluntate, ut urbem *Florentiam* quibusdam diris execrationibus, uti mandatum ab *Eugenio* fuerat, insequeretur. At qui primum in urbe locum tenet, cum animadverteret se non parum in respondendo deliquisse, gravique legatum Pontificis sic affecisse contumelia, ut ille tanquam magistratum remorsurus acriter respondere coactus esset, talibus *Jannoctium* est allocutus verbis: *Cum prudentia tua, quodcunque nobis molestiæ acciderit, quodammodo vaticinans prævideris futurum; huic errato velim ne grave ducas, neve dedigneris remedium afferre, alloquive oratorem ita miti oratione, ut res, de qua cum illo dissentimus, componatur.* Jannoctius, licet præcipientis difficillima, tamen dicto summi magistratus paruit, & quam præstare posset operam pollicitus, oratorem, qui ad nos missus esset à Pontifice Summo, convenit quam celerrime. Sed cum esset ille animo vehementer perturbato, non expectavit, ut qui mittebatur à nobis, prior loqueretur, ut res postulare videbatur. Verum evomens virus acerbitatis suæ concitato animo hæc in *Jannoctium* conversus verba fecit: *Quo in loco isti, quos appellatis dominos, me invenisse arbitrantur? Nondum cognovere, quo in eos animo, & quam male Pontifex Maximus in illos sit affectus; sed scient propediem.* Jam *Jannoctius*, qui optime nosset, quid opus facto esset, oratione accommodata rei atque tempori mollire cœpit hominem, locutus in hunc modum: *Si Florentini principes putassent responsum, quod tibi dedere, sic moleste te fuisse laturum, ut te offenderent, quem honestum esse cupiunt, nunquam commisissent.* Denique hunc reconciliavit civitati cum inaudita quadam mansuetudine animi, tum consilio gravi & prudentia sua: cum enim Pontificalis legatus sapiens haberetur, non alia potuit ad pristinam in nos voluntatem deduci ratione, quam per eum, qui certe illo prudentior extitisset, nemini, dum inter se disputarent, nisi multo sapientiori, cessurus.

Hoc cum esset à *Jannoctio* factum, ei contigit & aliud, quod dignum esse non minori laude videatur. Decreverunt enim, qui gerebant in nostra rep. personam civitatis, legem promulgare, quæ in præteritum respiceret. Legis argumentum tale dicunt extitisse, ut quicunque in sui census annotandi scripto præteriisset aliquid, hoc ipsum eidem scripto ad constitutum tempus addere liceret. Quin etiam creandum in urbe Magistratum censuerunt, qui cum populo æquam haberet potestatem, utque ii Conservatores novæ legis appellarentur, qui Magistratum inivissent. His autem datum est negotium, ut si qui jussis, quæ servanda omnibus lex constituisset, minus obtemperarent, gravi pœna punirentur. Sed quanquam *Jannoctium* conditores cælavere, quod vererentur, ne ab eo lex impediretur, quam omnino ferre illi statuissent; tamen quod erat unus ex hominum collegio, qui summo semper adhærent Magistratui, res ab illis diu cælari non potuit. Legem enim collegis suis aperire confirmaturis eandem necessitate cogebantur. Itaque cum eam *Philippus* scriba solis principibus illis, qui Domini rerum appellantur à nobis, perlegisset, *Jannoctius* inquit: *Ego quanquam solus tributis premor gravioribus, quam cuncti vos, qui geritis primum in rep. magistratum, propterea que mihi sit hæc uni lex profutura magis; quod quanto plures pecuniæ colligentur ex soluturis pluribus; tanto pauciores solvendæ mihi sint: tamen quoniam lex spectat in præteritum, iniqua mihi, neque sancienda videatur, præsertim cum contra quos fertur, non sint æquo animo laturi. Quamobrem causa vos eritis, ut hæc civitas sit grave damnum susceptura; & tu, Philippe, ob à te scriptam legem honore publico & munere privabere, funditusque corrues:* Et simul his dictis illum hortatus est, ut sibi legem relinqueret emendaturo. Sed neque permiserunt, qui legis erant auctores, neque *Philippus* præceptis obtemperavit salutaribus. Verum inde non prius abeundum putavit, quam perspexit oculis, quod urgebat negotium, fuisse absolutum. Summus enim magistratus illo referente, qui locum primum tenet inter primos, condendæ legis subito factus auctor, ne ad rem disturbandam spatium daretur, ea concors decrevit, quam celerrime potuit. Mox ad collegas retulit. Ii sine ulla temporis exceptione unanimes decretam comprobarunt. Hinc relatum ad populum, qui accersitus advenerat, de lege cum fuisset, sic suffragiis pene omnibus sancivit, quæ adfuit multitudo, ut nemo reperiretur, qui ab ejusmodi sententia discreparet. Sed rei gestæ fama cum manaret è curia, perque civitatem confestim vulgaretur, primates urbis in unum convenere; questique graviter iniquam ferri legem, inter primas actiones *Philippum* scribam exulem fecere, parumque abfuit, quin vita privaretur, & qui jam ante per decennium urbe pulsi exulassent, his propter suspicionem exilium prorogatum est. Præterea filii proscriptorum, ac nepotes pariter, uti majores sui antea, sic exules facti sunt, multique nobiles privati dignitatibus, maximaque hinc civium diminutio facta est; ut non minus vere *Jannoctius* urbi cecinerit gravissima futura, quam ii facere solent, qui ex quodam oraculo certissimam sumpsere vaticinandi facultatem: ut maxime mirandum sit in tanto civium numero *Jannoctium* solum prævidisse, tanquam ex aliqua specula, tempestatem futuram. Quare diligenter considerandum est omnibus, qui aut vivunt in regno, aut remp. in libertate positi gubernant, quantum momenti ad res optime gerendas unus quidem vir doctus & prudens vel in utramque fortunam sit semper habiturus.

Sub idem fere tempus iterum ad *Alphonsum* Regem *Neapolitanum* una cum *Honofrio Parentio* missus est legatus ad celebrandas nuptias: quod esset *Ferrandus* Regis filius uxorem ducturus. Profectus est autem ornatus magna pompa magnoque comitatu. Plures enim secum duxit equos faleratos egregie, pluresque famulos vestes sepositas indutos, juvenesque primarios *Florentinæ* civitatis, inter quos *Pandolphus* dicitur fuisse *Pandolphinus*. Is postea cum ingenio atque doctrina in civem egregium evasisset, dum sequentibus temporibus honestissimo legationis munere fungeretur apud *Ferrandum* Regem, diem suum obiit, ab eodemque magnificentissimo est honore sepulturæ affectus. Ii ergo dum per urbem *Romam* iter facerent, *Eugenium* Pontificem viserunt: quos ab eo clementer exceptos, ubi cubiculum ejus ingressi sunt, sereno vultu salutavit prior, quam ipsi quicquam loquerentur, jussitque illis bene ac feliciter evenire. Præterea his verbis usus est: *Ego summa quadam afficior in populum Florentinum benivolentia, quod divinæ religioni, ut mihi videtur, est maxime addictus: sed quosdam tamen ex toto illo excipio, quos oderim.* Hæc ubi est locutus, præcepit, uti juvenes primarii, qui cum legatis accesserant, qui non admissi ad hostium expectabant, cubiculum ingrederentur, osculaturi pedem ejus, ut consuetudo est. His peractis legati à Pontifice Summo petiere, ut bona ejus venia discedere liceret. Mox

iter inceptum prosecuti, cum ad tertium lapidem *Neapolitanæ* jam urbi appropinquarent, legati omnes, qui cum ex *Italia*, tum ex urbibus ab *Italia* disjunctis illuc prævenissent, cunctique Principes regni *Neapolitani*, purpuratique omnes, qui apud Regem commorabantur, legatis *Florentinis* obviam iere. Quin etiam tot tibicines, quique tuba canerent, adfuisse tradunt generum diversorum, ex gentibusque diversis profectos ad Regias illas nuptias honestandas, ut præ tibiarum sonitu ingenti; præque maximo clangore tubarum ad longissimum quidem spatium audirentur. Erant viæ cuneis hominum refertæ, omnes ad hoc visendum tam insigne spectaculum, cum propter dignitatem hominum clarissimorum, qui legatos nostros erant in urbem deducturi, tum propter tam late vulgatam *Jannoctii* famam, quem vehementissime cuperent videre omnes, & os ejus intueri. Magnus profecto numerus eorum fuit, qui vecti equo *Florentinorum* legatis obviam venere. Ad duo enim millia equitum fuisse existimantur, inter quos *Venetus* accessit orator, tametsi nomen *Florentinum* Venetis invisum nunc esse crederetur. Tot enim tantæque fuerant Regis cohortationes, ut populariter omnes proficiscerentur ad nostros ingredientes urbem *Neapolitanam* oratores honestandos, ut *Venetus* facere nequierit, qui Regi graviter monenti obtemperaret.

Postridie ejus diei Rex *Alphonsus* legatos *Florentinos* audire publice constituit. Itaque maximus undique concursus ad Regiam factus est, ut exponentibus, quæ à suis accepissent, mandata, *Florentinorum* legatis interessent. Cum igitur ordine sederent, atque Rex (ut æquum fuerat) cæteris multo eminentior in solio ejus consideret aurato, *Jannoctius* luculentam habuit orationem, revocavitque vetustissimam consuetudinem atque multis intermissam temporibus, cum laudes nuptiarum (ut mos erat apud priscos) enarraret. Quare ita omnibus, præsertim Regi grata ejus oratio fuit, ut nusquam ab ore dicentis totus pendens dimoveret oculos, sed tanquam signum quoddam æneum in audiendo fixus permaneret, sic intentus orationi, ut cum muscæ os illius atque faciem acrius figentes diutiusque vexarent, ne manum quidem moverit ad illas expellendas: neque injuria, ut mea fert opinio. Ita enim sapientibus sententiis gravibusque verbis referta oratio & perpolita fuit, ut notarii complures adessent, qui celerrime scribentes, quæcunque ab illo dicerentur, adnotarent; atque unico ut verbo me expediam, cum omnes, qui ante illum dixissent, facile *Jannoctius* superasset, causa fuit, ut eo die nominis atque famæ ad eum magnus cumulus accederet, *Florentinæ*que civitati magnam etiam laudem compararet, usque adeo, ut de magis ac lætius celebratis nuptiis *Florentini* victores facti palmam domum reportarent.

Florebat ea tempestate urbs *Neapolitana* hominibus in omni literarum genere doctissimis, qui ad *Alphonsum* Regem propter summam in eos munificentiam, non aliter quam ad *Alexandrum Macedonum*, aut ad *Cæsarem Romanum* confluxerant. Ii cotidie frequentabant domum regiam, utebaturque Rex illis valde familiariter. Itaque procuravit, ut constituto die singuli *Jannoctium* non expectantem, & quasi de improviso eum aggredientes de variis rebus, ut varia extiterant illorum ingenia, variæque facultates, alii post alios diligentissime interrogarent, dubitationesque afferrent, quæ à *Jannoctio*, si victor evasisset, solverentur: si aliter accidisset, tanquam victus succumberet. Sed tanta fuit hominis prudentia in re deprehendenda, tanta in

A respondendo vehementia, tantum in excogitando acumen, tanta in explicando ubertas atque copia, ut obruerentur omnes argumentationibus illius divinarum rerum & humanarum scientia refertissimis, contraque accideret, quam arbitrati essent. Tantus enim stupor invasit universos, ut livorem, si quo afficiebantur, facile virtute, ac doctrina invidiam superante, in admirationem converterent, cotidieque viserent eum domi omnes, ut, de quibus dubitarent, à *Jannoctio*, ut ipsi concupierant, erudirentur. His rebus factum est, ut cum *Alphonsus* Rex aperte cognovisset, quam maximæ clarissimæque virtutes in
B *Jannoctio* elucerent, summo illum amore prosequeretur.

Dum hæc *Neapoli* gerebantur, solemne quod statutum est à majoribus nostris ad corpus Christi O. M. celebrandum intervenit: ad quod quidem honestandum cum de more sit, ut ipse Rex per urbem proficiscatur supra Christi corpus umbellam suis manibus laturus, omnes invitavit & legatos & principes, ut seipsum ad hoc divinum ministerium comitarentur. *Jannoctius* igitur, ut tam laudabili pareret consuetudini, quamprimum se ad Regem contulit, qui jam consederat cum oratoribus cæteris: inter quos
C *Januensium* legatos in consessu Regio cum ante se positos conspicaretur, æquò non passus est animo tam insignem notam suæ reip. inuri, sed tacitus discessit. Rex vero lustrans oculis cum perspexisset deesse numero *Jannoctium*, discessus illius perspecta causa & cognita, graviter tulit eum abiisse. Quapropter misit è suis complures, qui Regis nomine *Jannoctium* rogarent, ut ad sacra Christi O. M. celebranda se conferret. Ad hæc illis *Jannoctius* respondens negavit se commissurum, ut *Florentina* resp. esset de primo cum *Januensibus* loco disputatura: neque sibi jus aut æquum videri affirmavit, ut quos ille subditos
D haberet, hos *Florentinis* in libertate constitutis in honore præferret. Itaque non prius domo censuit abeundum, quam intellexit ex pluribus, datum esse locum sibi, atque socio, qui dignitati eorum convenire videretur.

His igitur de causis commotus Rex *Alphonsus* de honore equestri huic demandando cogitavit. Sed ut erat *Jannoctius* summa vir prudentia, summeque pertimescens invidiam à suis, non est assensus Regi. Verum cum non putantem aggredi statuisset, prudenter eo die, quo res facienda erat, *Jannoctius* à Rege salutando se abstinuit. Mox egit per amicos communes, ut *Alphonsus*, quod
E de dignitate equestri *Jannoctio* mandanda sæpe antea cogitaverat, ab incepto desisteret.

Post celebratas nuptias à summo magistratu legatis *Florentinis* mandatum est, ut se *Romam* conferrent ad *Eugenium* Pontificem, quo cum ita *Jannoctius* se gessit, ita prudenter gubernavit omnia, ut quamvis de rebus Pontifici molestis ejusque collegio esset tractaturus, eo tamen in omnibus temperamento usus est, eaque animi moderatione, ut & à mandato suorum non discederet, & Pontifici Summo gratissimus accideret: quod mirum omnibus videri debet propter difficultatem, in
F qua si qui bene seipsos quidem gesserint, magnam laudem assequantur. Tunc enim hominis consilium quam sit sapiens, intelligi potest; at in quo difficultas nulla sit, nullo quidem id geras negotio; propterea quod in rem minime difficilem nervi omnes non sunt à nobis intendendi, sed satis sit mediocres animi vires adhibuisse: quæ summa sunt, non nisi summi facient, & qui ad summam rerum sapientiam pervenere: cujus generis cum *Jannoctius* noster inter primos reponendus existimetur, quod semper domi atque foris Reip. suæ maxime

pro-

profuerit, iterum atque iterum ii monendi videntur, sive sint Reges, sive optimates, sive populi etiam, qui rerum potiuntur, cum de mittendis legatis deliberaturi cogitabunt, ut eos eligant in oratores futuros, qui tanto muneri convenire videbuntur, ne qui postea ex his, quæ habere debent, qui legati mittentur, sint desideraturi; neve, cum sæpe multa ceciderint disputanda cum his, apud quos morabuntur, prudentibus viris & in omni litterarum genere doctissimis, interrogati ab aliquo de improviso hæsitent, & tanquam ignari quid respondendum sit, ad singula sæpissime quidem inter obscitantes opprimantur. *Eugenius* igitur (ut illuc nos, unde digressi sumus, redeamus) graviter *Florentinis* succensebat, atque illis præsertim, à quibus gubernacula reip. tenebantur, propterea quod de componenda inter cives seditione, ac de tractanda concordia Pontifici fideliter agitanti, dum *Florentiæ* moraretur, qui tunc in civitate principes habebantur, minime obtemperare voluissent. Quapropter ob hanc ulciscendam tam insignem injuriam fœdus percussit cum *Alphonso* Rege primum, deinde cum *Philippo* Mediolanensium Principe. Quamobrem cum cotidie *Jannoctius* se frequens conferret ad Pontificem, frequensque modo hunc, modo illum adiret ex his, qui dignitate post primum primi existimarentur, quod à suis mandatum acceperat, tanta ingenii dexteritate exequi conabatur, ut neque Pontificem summum, nec quenquam illorum, qui apud eum plurimum valerent, offendisse videretur, atque ita, ut ex re digna capitali odio benivolentia per eum in nos orta diceretur, mirificeque Pontifex diligeret *Jannoctium*, atque omnes ii, qui una cum *Eugenio* habenas Christianæ reip. tunc moderabantur. Hinc domi proceres multi *Jannoctium* visebant. Verum præter cæteros *Bononiensis* antistes, qui *Eugenio* postea in honore successit. Is enim legatum tanti nostrum faciebat, tantoque amore prosequebatur, ut cum sequenti tempore *Florentiam* peteret legatus & ipse missus à Pontifice, *Jannoctius*que (in urbem enim jam redierat) ad eum visendum privatus accederet, miro ad se venientem pontificalis orator exciperet honore, atque ita, ut cum post multos sermones ultro citroque habitos de rebus gravissimis, domum tandem *Jannoctius* abiret, eum perhumaniter comitaretur, multoque ulterius, quam dignitas Pontificis, quem referebat ille, postulare videbatur. Nam & scalaram gradus è pavimento in atrium descendit quidem omnes, repugnante tamen, quoad potuit, ne id faceret, *Jannoctio*, & usque ad partem vestibuli, qua hostium attingitur, pervenit, ut eum magis præsentia sua honestaret: quo quidem dimisso convertit se ad illos, qui præsentes extiterant, è quibus unus fuisse perhibetur, qui nobis argumentum vitæ hujus, quam in manibus habemus, subministravit, in hancque sententiam legatus verba fecit: *Nulla vos, amici, teneat admiratio, quod tam honorifice Jannoctium dimiserim, tantoque illum affecerim honore. Ita enim ut in eum me gererem, summa hominis hujus merita postularunt. Nam cum superioribus mensibus hic idem apud Pontificem Maximum honestissimo legationis munere fungeretur, tanta cum prudentia se gessit apud sacros proceres, tantaque animi moderatione omnia gubernavit, ut cum parum grata Pontifici venisset tractaturus, & à mandato suorum non recederet; & eam tamen gratiam apud Pontificem Summum ejusque collegium iniret, ut quæcunque ab illis expeteret, facile ab omnibus Jannoctius impetraret, nihil ei denegantibus, quod adsequi concupisset. Sic enim est habitus, sic & cognitus nobis, ut affirmare possim hunc esse non ex genere hominum, qui nunc reperiuntur, sed valde similem cui-*

A *vis illorum, qui Romæ, cum magis illa floruit & copia civium, & rerum gestarum gloria, pro clarissimis eorum virtutibus & nomen & famam consecuti fuere.* Qua laude nullam puto huic dari potuisse ampliorem, cum certe ab eo proficisceretur homine, qui & doctissimus esset in quocunque litterarum genere, atque tanta etiam præditus virtute, ut pro summis ejus meritis pontificalis dignitas divino consilio paulo post sub *Nicolai* nomine demandanda foret. Doctrina igitur potuit, probitate ipsa debuit rectissime judicare, quantopere *Jannoctius* sibi esse laudandus videretur.

Vetus consuetudo erat in urbe *Florentina*, &
B multos jam servata per annos, ut quicunque in provincias essent rectores profecturi de sacculo, aut ex urna sorte ducerentur, si tamen iidem illi lustris singulis prius quidem ivissent in suffragia populi, peripsumque licuisset, ut nomina eorum parva quidem pagella descripta inter sortes miscerentur. Nunc autem ubi res ad nutum populi delata est, qui mittendi videntur aut in prætores, aut in vicarios rectoresque urbium, atque regionum, rejecto more prisco singuli ejusdem populi suffragiis eliguntur. Ex vetere itaque consuetudine illa *Jannoctio*, cum prætor sorte duceretur,
C *Pistorium* obvenit. Ad quam urbem ut primum est profectus, morem suum servavit, ut neque ab ullo munera susciperet, licet ultro ei offerrentur, neque duceret ex lege quamvis accipiendas pecunias, quæ à petentibus jus in debitorem rectori primum ex lege dari consueverant. Deinde vero cum civitatem universam maxime intentam ludo tesserarum invenisset, damnaque gravissima ob id subituri *Pistorienses* viderentur, edixit per præconem, ut ab ejusmodi ludis abstinerent. Si quis edicto prætorio minus paruisset, has daturum pœnas, ut quater rudentis tormento premeretur. Verum tanta fuit hominis auctoritas, ut nemo repe-
D riretur, qui ludis lege exceptis & à prætore vetitis se auderet immiscere, usque adeo, ut funditus perniciosa consuetudo extirpata, quamvis inhæsisset propter vetustatem, tamen è medio tolleretur. Cum autem urbs in partes duas divisa esset, à nullo res diligentissime inquirente *Jannoctius* deprehendi potuit in utram ipse partem magis inclinaret, aut in utram propensior videretur: ita æquum se præbebat omnibus. Quin etiam cum litibus variis dissensionibusque referta civitas esset, plurimum operæ ponebat in illis componendis, atque ita toleranter, ita æquo animo dissen-
E tientes inter se vel ad multas horas audiebat, ut bona partium venia ex controversiis gravibus ad pacem cunctos tranquillitatemque traduceret. Unde tanto universi amore propter summam in omnes æquitatem *Jannoctium* prosecuti sunt, ut pari eum benevolentia diversæ factiones complecterentur, pariterque ipsum colerent, pariterque observarent. Quamvis enim duæ partes in urbe *Pistorio* inter se divisæ quidem esse dicerentur, ac cæteris in rebus multum dissentirent, tamen ad honestandum pro viribus *Jannoctium* in unam eandemque sententiam concordes facile omnes convenere, atque ita, ut
F ex utraque parte lecti singuli prætore inscio ad urbem dominam legati mitterentur: ex factione altera *Jacobus* Cancellarius: ex altera *Gualterius Panciaticus*: viri ambo ex media nobilitate. Ii ergo *Florentiam* profecti posteaquam summum magistratum adiere, in hanc sententiam orationem habuerunt: *Si cupitis nobis, illustrissimi principes, bene ac feliciter evenire, recteque apud nos omnia gubernari, summis precibus à vobis contendimus, ut Jannoctio, quem ad nos tam felicibus auspiciis rectorem provinciæ misistis, pro vestra erga nos clementia continuare magistratum sex alios menses jubeatis. In hanc enim diem ita se gessit ille, ita*

optima quadam ratione, institutis, & legibus temperavit omnia, ut si per idem spatium temporis, quod fuit apud nos, universæ civitati optime consulturus in honore præturæ per vos confirmatus erit, perpetuam fit ille Pistoriensibus cunctis salutem pariturus. Hæc legatorum verba tam honorifice facta de *Jannoctio* sermones multis *Florentiæ* dedere. Legati subito re infecta dimissi. Ii posteaquam domum redierunt, non dici potest, quam graviter questus sit *Jannoctius* & cum principibus urbis, & cum his præsertim, qui duces partium illarum haberentur: quod dum arbitrarentur se dignitatem ejus aucturos, ansas nonnullis *Florentinis* dedissent *Jannoctii* prætoris graviter reprehendendi, tanquam qui rerum omnium conscius, quos illi ex seipsis fecissent, cuncta fieri à *Pistoriensibus* procurasset: neque solum verbis se purgavit apud omnes; verum etiam per litteras ad amicos ejus scriptas, quas *Florentiam* misit, facti hujus ita culpam à se removisse visus est, ut cunctis fidem faceret, *Pistorienses* tantum per seipsos sine *Jannoctio* mittendæ legationis auctores extitisse, cum operæ pretium sibi esse videretur, ut, qua premebatur, minime invidiam augeret petendo extra ordinem, ne livori, cujus motus sit omnium maximus, tandem succumbere cogeretur: verum ab eo se potius acerrime defenderet.

Dum gessit præturam, quanquam multis ac variis occupationibus sic detinebatur, ut ocium illi ad scribendum minus suppeditari posse videretur; tamen *Pistoriensium Historiam* scripsit, &, quæ ab urbe condita ibi gesta essent cognitione digna, cum elegantia & copia memoriæ litterarum commendavit: quem librum purpurea sericeaque theca exornatum illi servant in penetralibus curiæ, tanquam divini cujusdam hominis reliquias. Defunctum magistratu, *Pistorio*que discedentem insignibus eorum vexillo quodam pulcherrimo expressis, atque galea cœlato argento ornatissima donarunt. Quin etiam propria hominis insignia, quæ vulgo & apud nos *arma* vocitantur, miro sculptoris artificio atque marmore expressa, seorsum ab aliis in turri quadam campanaria posuerunt in loco magis celebri: ut ubi talia signari mos non esset, neque tamen id cuiquam ibi antea concesserunt. Hæc *Pistorienses* tot in hominem pro summis in eos meritis ornamenta congessere. Non enim fortunas eorum conservavit modo, sed auxit pro viribus, nulla propriæ utilitatis habita ratione. Nam exacto præturæ magistratu cum à cæteris aurei complures lucro apponi soleant, *Jannoctio* vix pecuniolæ quædam, atque paucæ, quos *Thusci* nostri temporis nunc *liras*, quasi libras, nuncupant, superfuere, ut vel ex hoc uno, quicunque in provincias rectores proficiscuntur, possint didicisse, non ad exhauriendos spoliandosque homines mitti Provinciales, verum ad conservandos augendosque in rebus omnibus. Cum autem operam invidi antea dedissent, ne quidquam temporis *Jannoctio* prorogaretur, causaque fuissent, ut legati *Pistoriensium*, qui *Florentiam* id petituri accesserant, frustrati spe domum reverterentur, virtuti tamen officere non potuere. Quanto enim magis opprimitur illa, vexaturque ab indignis, tanto magis, ut palma quidem solet, ponderi resistit, tormentisque superatis omnibus, evitatisque impedimentis, tanto fortius pericula contemnit, & tanquam aspernatur: quod sæpe nos experientia edocti priscis heroibus, si res à nostra memoria remotas ex litterarum monumentis repetamus, accidisse inveniemus. Idem autem *Jannoctio* accidisse, quia cernere oculis intuerique potuerimus, multo magis compertum habemus. Quo enim gravius invidi hominem deprimere conati sunt, eo semper ille altius evolavit, majoraque sibi præter opinionem cecidere.

A Nam cum *Eugenius* P. M. diem suum obiisset, atque in demortui locum eligeretur *Nicolaus* Eugenio in amplissima dignitate successurus, *Florentiæ*que de mittendis ad eum legatis ageretur, qui summæ Pontificis dignitati, quam nuper adeptus esset, *Florentinæ* urbis nomine vehementer gratularentur, *Jannoctius* quia nondum *Pistoriensem* præturam absolvisset, lege vetabatur, ne posset, nisi exacta prætura, munus aliud in rep. gubernanda sustinere, aut aliam gerere personam civitatis. Quapropter coacti sunt necessitate iidem illi homines, eundemque gerentes magistratum, qui paulo ante prorogationem honoris *Jannoctio* denegaverant,
B legi derogare, qua obire posse munus aliud, dum præturam gereret, vetabatur: ut homini liceret ante tempus *Pistorio* discedere. Non enim confidebant se quenquam in suis reperturos, cui tantum oneris imponerent, nisi *Jannoctium* à dignitate, in qua tunc erat ille, in urbem revocarent, præsertim cum ad summum ingenium ejus summamque doctrinam nobilitas quoque generis accederet, qua facile cuivis in *Florentina* civitate par esse videbatur. His igitur de causis hunc absentem, ignarumque rerum omnium, quæ *Florentiæ* agerentur, mittendum oratorem suffragiis omnibus sui cives declararunt, ut unus sal-
C tem è legatis, qui plures mittebantur, Pontificis doctrinæ conveniret ac moribus. Qui autem electi à populo præter *Jannoctium* in legatos dicuntur, fuere quidem ex equestri ordine *Angelus Acciajolus*, *Jannoctius Pictius*, & item *Alexander* de nomine familiæ dictus *Alexandrius*. Hinc alii duo etsi minus equestribus insigniti ornamentis, è principibus tamen fuisse memorantur, quorum alteri *Nerio Caponio*, alteri *Petro Medici* nomina extitere. Ii maximo pucherrimoque comitatu *Romam* proficiscuntur. Ingredientibus illis obviam ierunt quicunque ad urbem ex diversis orbis terræ partibus
D confluxerant.

Pontifici Summo vetus consuetudo fuit, ut Reges atque Imperatores publice in locoque publico audiret: *Florentinos* autem cæterosque generis ejusdem privatim atque in illo cubiculo, in quo psittacus avis admodum industria humanæque vocis imitatrix cavea quadam detinetur ornatissima. Hinc rumor exierat legatos *Florentinorum* privatim audiendos: jamque *Jannoctio* declaratum fuerat, quo in loco esset orationem habiturus: paraveratque jam ille se ad privatam dicendi rationem; ad idque jam sæpe meditatus erat: cum Pontifex Maximus mutato consilio, mutataque jam vetere consuetudine decrevit, quo magis eos
E honestaret, quos unice diligeret, ut *Florentini* publice ab eo audirentur: qua percepta & cognita summi principis voluntate, *Jannoctius*, cui à suis orandi cura demandata fuerat, non potuit non vehementer commoveri. Itaque cum signa quædam subiti palloris præ se ferret, rogatus à suis, quare ita mutaretur, respondit eventum orationis se varium pertimescere, quod non modo in conspectu Pontificis, sed in orbis terræ concilio, unde multi se ipsos præstantes ingenio viri *Romam* contulissent, audientibus cunctis orationem esset habiturus, periculumque subiturus etiam gravissi-
F mum, ne labores annorum quadraginta, quos consumpsisset in studiis litterarum, minima quadam offensione, atque uno eodemque brevissimo temporis momento funditus deperirent: præsertim cum *Nicenus* atque alii principes ejusdem ordinis testati essent, nonnullos & ingenio & doctrina præstantes, qui ad mille trecentaque stadia distarent ab urbe *Roma*, solum ut *Jannoctium* orantem audirent, illuc se contulisse. Hæc igitur omnia cum non mediocri eum afficerent timore: qui enim optime dicunt, magis pertimescunt expectationem

A tionem hominum: collegis suis *Jannoctius* mandavit, ne se meditantem ad ea, quæ dicenda esse viderentur, interpellarent: si quid autem cum eo tractaturi essent, id profecto ipsum in consequentem diem reservarent. Postero die, cum ad Pontificem visendum accessuri essent, tunc illum evocarent. Hinc subtracto cibo atque potu cum solo scriba secessit in cubiculum. Ibi multis partibus oratione immutata, circiter septem ei paginas adjunxit: reliquum tempus posuit in oratione, quam per noctem instaurasset, memoriæ commendanda: tantus amor incesserat non proprii jam consequendi nominis aut gloriæ, cui satis abunde fecisse videbatur; sed jam honestandæ patriæ: B quod quicquid in dicendo præconii assequeretur, ad *Florentinæ* civitatis laudem redundaret.

Jam plenus existebat universus ille, ad quem Pontifex Maximus paulo post perventurus erat, ornatissimus consessus cum sacrorum principum, tum etiam illorum, qui reip. administrandæ, regnique gubernandi curam gererent. Horum enim legati complures, aliique præstantes viri pene innumerabiles, & qui sponte sua illuc sine publico mandato confluxissent, adfuere tanta pellecti cupiditate *Jannoctii* audiendi, ut multi antelucano tempore se in curiam proriperent, ut locum ad audiendum in pontificali aula longe aliis sibi caperent commodiorem. C Jam Summus Pontifex venerat legatos auditurus, mediumque se locaverat; jamque illi, qui explent pontificale collegium, etiam accesserant; jamque omnia sedilia complerant. Jam tot hominum clarissimorum adfuerat multitudo, ut vix loco illo, quamvis amplus esset, præ cuneis angustissimis capi posse videretur: cum *Florentinorum* legati adventarunt induti vestes ex purpura & cocco: admissique subito per medios cuneos Pontificem adiere, prostratique ad pedes revolutique, ut mos & consuetudo est, manum quam benigne porrexerat, cum D oscularentur, inde stare jussos perhumaniter singulos amplexus est. Salutato Pontifice è loco editiore, ubi erat pontificale solium, ad suos quidem, id est ad duodecim juvenes primarios redeuntes descenderunt, quos ex omni lectos *Florentina* nobilitate secum duxerant, ornatos item vestibus purpureis. Ii namque stantes in morem dimidiatæ lunæ ad primos gradus, quibus ad Pontificem ascenditur, legatos expectabant, qui cum ire juberentur ad constitutum illis locum, post sedilia pontificalis collegii stetere. Inde *Jannoctius* cœpit verba facere, submissa primum voce, mox ita sublata in grandiorem sonum, ut æque ab omnibus per totam undique aulam exaudiretur. Ab E ore dicentis tanta suavitate tantaque elegantia & copia fluebat oratio, ut mirum procul dubio sit consecutum silentium. Pendebant enim ab ore loquentis sic attente omnes, sic non modo auribus, quæ diceret, excipiebant, sed ita orantem cupide intuebantur, ita oculos conversos in eum fixosque tenebant, ut nemo sit visus non dicam loqui verbum, sed ne membrum quidam ad ullam (ut fit) corporis necessitatem commovere. Quam gratus autem in orando cunctis *Jannoctius* extiterit, vel ex hoc intelligi potest, quod cum jam horam integram & quartam alterius partem in dicendo consumpsisset, ita brevi lapsum fuisse tempus visum F est, ut nemo fuerit ex omnibus, qui non multo plura multoque longiora se audire in optatis haberet. Tanti faciebant, cum orationem habitam, tum hominem ipsum, qui omni eam gravitate recitasset: quam cum in très partes distribuisset ille, sic ad singulas Pontifex *Jannoctio* respondit, ut & memoriter simul ac magna cum dignitate responsum petentibus dedisse videretur. Egredientibus autem è curia legatis *Florentinorum*, multi optimum orationis eventum vehementer gratulabantur: simul etiam dicebant futurum, ut posteritas diei hujus meminisse deberet, nullaque posset hanc minuere laudem diuturnitas temporis, quæ tanto cumulatior existimaretur fuisse, quanto causa prior *Jannoctii* oratio visa est, ut Pontifex Maximus sequentibus temporibus legatos nostros pariter ac Regum legatos in audiendo dignaretur, & ab hoc principio consuetudo manaret, ut qui *Romam* ex urbe *Florentina* Pontifici nuper creato gratulaturi proficiscerentur, non aliter, quam si à Regibus, aut ab Imperatoribus missi essent, publice quidem atque in maximo plurimorum hominum concursu à Pontificibus Summis audiantur.

Si qui autem nondum ex his, quæ modo sunt à nobis enarrata, compertum habebunt, quanti ponderis fuerit *Jannoctius* apud omnes, qui eum audierunt, id quidem nosse poterunt ex consequentibus negotium. Cum enim pontificali essent in collegio quidam principes ex genere *Veneto*, scripsere ad suos, quæ *Romæ* agerentur: quin etiam sunt adducti, ut exemplum orationis à *Jannoctio* habitæ *Venetias* mitterent: quod ubi accepere, oratoribus, quos *Veneti* jam instituissent, *Romam* profecturos, alium ex ingenio & doctrina præstantem designatis prius addiderunt, qui posset aut vincere, ut ipsi arbitrarentur, aut saltem æquare in orando legatos *Florentinorum*: quod cum ex aliis conjecturis deprehensum est, tum ex eo maxime, quod in oratione, quæ à *Venetis* recitata fuit, vel integræ partes, quas à *Jannoctio* accepissent, annotatæ sunt ab his, qui utrisque orantibus interfuerunt. Quin etiam collegæ, qualis fuerit *Jannoctii* oratio, maxime declararunt: siquidem peroranti & gratias egerunt, & in eum ex illis *Nerius Caponius* ita locutus verbis inquit honorificis: *Nunquam cogitavi, ô Jannocti, quo in loco nostra civitas extiterit periclitandi honoris, nisi post felicem tuæ orationis eventum, atque ita, ut vehementer casum illum exhorruerim, in quem te vidimus incidisse Viterbii, cum equus, quo ipse vehebare, per rupem cecidit, satis cum periculo, ne tu deperires, honorque patriæ ipsius, atque noster una etiam deperire videretur. Nam ne nobis blandiamur, nemo ex omnibus, qui huc tecum adventavimus, scisset cogitare, nedum exequi, quod cum tua summa hodie, cumque omnium nostrorum patriæque laude approbantibus omnibus es feliciter executus. Quare tibi patria communis ita debet, ut non minus seorsum ab illa nos tibi privatim debeamus.* Jure igitur *Nerius* est adductus, ut hæc tam honorifice in *Jannoctium* loqueretur. Nam si unus vir & doctus & sapiens tot commoda in patriam, totque ornamenta congesserit, quot nec multi homines simul congerere posse videbantur; quæ causa est, cur non plura quoque præmia, quæ multis simul pro cujusque merito tribuenda fuissent, in unum optime promeritum conferantur? Profecto sive qui remp. gubernant, sive qui vivunt in regno, tanto debent in honore habere præstantes ingenio ac doctrina viros, ut nihil inconsultis illis tentare audeant in administranda rep. Cum enim soli sint eruditi homines, qui multo cæteris prudentius suæ possint consulere patriæ, cogi videntur reliqui mortales illorum præceptis obtemperare. Si quid autem domi aut foris grave intercideri, dare operam tenentur, ut per doctos viros id conficiatur, ut ex actione illorum patria communis fructus capiat profecto uberiores, quam si à nescientibus litteras, & ab imperitis res agatur. Hoc enim pacto & illud adsequemur, quod est apud *Platonem* scriptum, divinitus beatas illas respublicas existimari oportere, quæ aut à philosophis principibus gubernarentur, aut ab illis regerentur, qui doctos unice dili-

diligerent, tantique illos facerent, ut nihil paulo gravius absque doctissimorum consilio in regendis civitatibus, & populis aggrederentur.

A Cum igitur *Jannoctius* ad id doctrinæ pervenisset, ut facile princeps inter litteratos haberetur, procul dubio eveniebat, ut à suis civibus sæpe propter urgentem necessitatem legatos mitterentur: quod experiuntur in his, quæ ad remp. pertinerent, ab illo nihil unquam nisi feliciter tentatum fuisse. Itaque cum antea bis ad *Alphonsum* Regem orator missus esset; tertio ad eundem mittendus erat, qui *Tibure* morabatur, nisi *Philippi* Mediolanensis audita mors id vetuisset fieri. Jam enim Rex *Alphonsus* nos suis copiis urgebat. Jam capiti nostro imminere videbatur, quod ille facere ut posset commodius, *Sigismundum* Arimini Principem regiis conduxerat pecuniis propter hanc causam, ut *Florentinos* magis vexare posset, magisque cogeret in ditionem suam devenire. Cum nostri cives animum Regis conspicati, simul etiam perspicientes quanto in periculo versarentur, si hominem bellicosissimum suis *Neapolitanus* copiis adjungeret, mutata voluntate *Jannoctium* miserunt cum mandato publico, ut *Sigismundum* omni conditione distractum à Rege in nostram conaretur traducere sententiam: quæ spes conficiendæ rei, quam de *Jannoctio* acceperant, minime illos fefellit. Nam ut primum ad *Sigismundum* pervenit, multisque rationibus id potissimum, ad quod eum hortabatur, monstravit esse faciendum, labascere incepit. At legatus Regius cotidie instabat, ut propediem *Sigismundus* se Regi conjungeret, de animi ejus immutatione nihil suspicatus. *Jannoctius* vero post collocutiones varias aperte declaravit, ut si nobis assentiretur, atque in nostram cederet sententiam, fore, ut ex eo semper *Sigismundus* esset saluti suæ optime consulturus, ad quem conversus *Ariminensis* Princeps ita inquit: *Si eas componeres lites, quæ mihi sunt cum Principe Urbinate, fortasse tibi in sententiam cederem.* Ad hæc *Jannoctius* cum optime nosset, si se *Ariminensis* ad *Florentinos* conferret, salutem inde non mediocrem consecuturos; sin contra, magno id nobis detrimento futurum: *Sigismundo* respondit, se spem habere non mediocrem, ut facile sit postulata facturus. Inde nihil immorandum ratus, quam celerrime potuit, ad *Urbinatem* se contulit Ducem, à quo cum honorificentissime, ut solitus erat, exciperetur, propter quæ ad eum venisset, ita sapienter gubernavit omnia, ut uterque rem, de qua inter se altercarentur, uni *Jannoctio* mandaret dijudicandam, pollicereturque, quamcumque ille sententiam tulisset, concordes ambos se fore approbaturos. Quod illi cum optime observarent, factum est, ut ad multa tempora hunc tanquam concordiæ auctorem omni laude dignum arbitrarentur, justitiamque hominis æquitatemque ambo in cœlum quidem tollerent divinis laudibus. Ubi autem legatus *Florentinus* Sigismundo in re cum * *Ariminense* componenda satisfecit, non cessabat modis omnibus suadere homini, ut, quod promiserat *Jannoctio* se esse facturum, si res sibi ex voto cecidisset, tandem exequeretur, nobisque se conjungeret. Parte alia Regius instabat orator, ut *Sigismundus* moveret equitatum, & quo *Alphonsus* eundum statuisset, eo se quam celerrime conferret. At *Jannoctius*, qui nunquam nisi confecta re quieturus videbatur, ita eum suadendo, ut partes nostras sectaretur, deduxit in angustum, ut pridie quam erat ad Regem profecturus, *Florentinorum* pecuniis *Sigismundum* conduceret, remque jam confectam ita obfirmaret, ut maxime *Jannoctius* compertum haberet, *Ariminensem* promissis mansurum.

* Urbinate.

Postquam igitur acta sunt transactaque omnia, quæ pertinebant ad *Ariminensis Urbinatis*que animos componendos, *Jannoctius* per jocum dicitur *Sigismundum* rogasse: *quid sis legato Regis responsurus, si dolens animi tui mutationem, dicet se grandem tibi pecuniam dedisse. Respondebo*, inquit, *diu hanc mihi debitam, propterea quod Regi Neapolitano diligentem in castris ductando exercitu operam præstiterim superioribus temporibus.* Non dici potest, quanta ex *Sigismundo* conducto ad *Florentinos* utilitas pervenerit. *Alphonsus* enim sic rem ipsam instituerat, ut *Ariminensis* suis copiis *Pisanum* agrum peteret, ibique castra poneret, ut duobus ex locis diversis, maximeque disjunctis, à duobus exercitibus uno eodemque tempore vehementissime opprimeremur, & tanquam duplici bello premeremur. Quod si esset factum, omnino actum erat de libertate patria: ut quod adhuc extamus; quod liberi sumus; quod urbem incolimus; quod tuemur civitatem; quod leges nostras exercemus; quod spiramus; quod vivimus, id omne *Jannoctio* acceptum referatur: cum tantum apud *Ariminensem* potuerit eloquentia sua, ut eum impulerit ad ea facienda, quæ fuerint profutura nobis, quæ sibi ipsi nocitura. Causa enim Rex *Alphonsus* extitit, quem *Ariminensis* graviter offendisset, ut agri magna pars adempta *Sigismundo* eriperetur, utque oppida quædam idem ille magno suo cum dedecore amitteret, magno etiam cum salutis periculo. Sed nihil est tam arduum, tam difficile, tamque munitum, quod ab ipsa eloquentia facile non possit expugnari, præsertim si conjuncta sapientiæ fuerit, ut in *Jannoctio* fuisse certo scimus, ex multis ut nos signis judicare possumus. Verum ex hoc potissimum argumento, quod *Sigismundo* in regendis populis & civitatibus maxime versato, reique militaris peritissimo, & quod usus rerum afferat, optime càllenti persuadere potuerit offensionem Regis maximi pro nihilo ducendam, ejusque gravissimas inimicitias, in quas se manifeste cernebat incursurum, nihili faciendas, modo se *Florentino* populo conjungeret, à quo sperare posset vel maxima omnia se mox consecuturum. Verba enim *Jannoctii* tantam vim habuere, ut nulla periculi sui habita ratione legato *Sigismundus* in sententiam cederet, à quo persuaderi, quam ab alio maluit, quoniam propensior esset in benivolentiam hominum eruditissimorum. Quare cum *Jannoctius* in magno esset apud *Sigismundum* honore, vehementer concupivit ad doctissimi viri nomen illustrandum, ut hominis ingenium experiretur.

Itaque convivium instituit magno quodam apparatu, adhibitis etiam ex genere *Syrio*, qui *Ariminensem* agrum incolebant, ad illas etiam epulas legatum *Florentinum* invitavit. Ubi convivio modum imposuere, cœptum est disputari inter *Jannoctium* ac *Syrios* homines, ad multasque horas ducta est disputatio, in qua hic noster tanto acumine, tanta usus est vehementia, tantaque verborum copia, & sententiarum gravitate partes suas semper tutatus est, ut facile cuivis in disputando princeps evasisse videretur. Cæterum cum *Syrii* commoditate suæ linguæ niterentur, dicerentque, ut magis differentes fallerent, qui plures astitere, scriptum aliter apud suos reperiri, quam nostris loquerentur; confutabat eos *Jannoctius*, eaque detegebat, quæ à *Judeis* falso dictarentur, cum doctrina ejus maxima, tum peritia ipsius linguæ *Syriæ*, quam non minus quam illi teneret. Quæcunque igitur ab illis afferebantur, si minus vero convenirent, sic aperiens ea faciebat palam omnibus, ut *Syriorum* telis eosdem confoderet, obrueretque illos tot argumentationibus, ut nesci-

scirent, quo se verterent, cogerenturque in tanto conspectu hominum clarissimorum se victos ingenue confiteri. Hoc addidit *Jannoctius* præclaris suis facinoribus dignum procul dubio non minori laude, quam cætera, quæ sæpe alias ille in vita factitasset; ut parentes qui sunt, didicisse debeant ad hujus viri normam ea liberos suos edocere, quæ sint per universum tempus vitæ duratura, quæve ab illis etiam nec in morte quidem valeant auferri.

Post hæc autem cum in ea tempora incidissemus, ut gravia nobis atque periculosa bella imminerent, præsertim à Rege *Neapolitano*, sæpe opus esse videbatur, ut à nobis legati ad diversos mitterentur. Sed cum exploratum esset omnibus *Jannoctium* in legationibus exercendis plurimum valere, profecto accidebat, ut cum dignus vindice nodus intercideret, ad *Jannoctium* iretur, tanquam ad eum hominem, qui optime sciret, atque vellet ea facere, quæ ad reip. utilitatem redundarent. Itaque cum jam antea duo *Senas* legati à nostris missi essent, cumque ii propter *Senenses* in nos male affectos *Florentiam* tandem re infecta reverterentur; visum est faciendam, ut, quoniam res difficultatis plurimum in se habere videbatur, *Jannoctium* Senas oratorem mitterent. Erat autem cum *Senensibus* tractaturus, ne commeatum *Alphonso* Regi subministrarent eo quidem in tempore, quo *Plumbinum* urbem obsidebat, quam tueri deberent, propterea, quod illa se in tutelam *Senensibus* defensionemque tradidisset. Cæterum ob id res difficultatem habitura videbatur, quod ex principibus *Senensium* civitatis qui tunc putarentur, *Ghinus Bellantius*, & *Antonius Rossius* ex ordine equestri mirum in modum *Alphonso* Regi favebant, ejusque partes vehementer tutabantur. Ita quicquid *Jannoctio* suadenti negabant, culpam omnem in populum, ut se ipsi excusarent, rejiciebant: quod nullo modo dicerent eum adduci posse, ut contra esset *Alphonsi* rem facturus: quod cum legatus noster deprehendisset, fallaciam fallacia trudere instituit; mutatoque consilio tractandi cum principibus, se velle rem cum populo agere significavit, quod illis legato concedentibus, sumentibusque spacium dierum paucorum, dum populum subornarent, *Jannoctius*, qui plane perspiceret in civitate non amica quantum periculi substineret, *Galeottum Ricasolensem* per literas admonuit, qui *Brolii* morabatur, ut quingentos pedites in armis haberet, quicquid ille imperasset, facturos, iique tanquam in subsidiis manerent prope urbis portam, qua tenditur ad *Galeotti* municipium, eo ipso die, in quo erat ille populum *Senensem* allocuturus. Hæc ubi à *Jannoctio* instituta, & multitudo *Senensis* coacta est in curiam, quodcunque legatus noster petiisset negatura; *Jannoctius* pro concione habuit orationem ita rei accommodatam, atque tempori, ut omnem concionem ab eo, quod illa contra facere statuisset, in suam omnino traduceret sententiam. Tanquam enim furore quodam perciti, qui ad legatum audiendum convenissent, acclamarunt omnes voce altiore, non esse dandos *Alphonso* commeatus. Cum autem qui contra nitebantur, aperte cognovissent, multo rem cecidisse aliter, quam ipsi putavissent, concordes ambo legatum convenerunt, verbisque summi *Senensium* magistratus ei significarunt, ut quoniam quæ a populo vellet, tam facile impetrasset, eo die nihil ultra esse conandum; satis superque fuisse consecutum: quod omnes præ se tulerint, voce etiam declararint, quæ petiisset ille, se esse facturos. Legatus autem cum plane perspexisset, quam male affecti essent, periculum præsens evitandum ratus *Florentiam* redire constituit. Quapropter ubi ad armatos pervenit, quos ille ad tutelam sui corporis accersierat, oblongam exuit urbanamque vestem, induitque ad equitandum aptiorem; nec prius conquievit, quam reversus est in patriam. Hoc *Jannoctii* factum cum omnibus placuisset, laudatus est à Senatu *Florentino*, & quod in exequendo legationis munere optimam quidem ille operam navasset, & quod eodem quoque tempore vitavisset, ne quid *Senenses* contra ipsius, contraque reipublicæ *Florentinæ* dignitatem, ut velle videbantur, molirentur. Cum autem à principibus *Senensium*, quos dixi, populares plebeique homines increparentur, quod tam facile præter suam opinionem, præterque institutum legato assensi essent, responderunt non se ductos in eum benivolentia, neque quod obliti essent mandatorum, id fecisse: verum quoniam incredibilis quædam, & ante id tempus inaudita suavitas orationis causa fuisset, ut dulcissima quadam harmonia verborum ac sententiarum contra positionem ipsorum, contraque voluntatem coacti fuissent *Jannoctio* assentiri: cum tanta vocis jocunditate res eum graves pronunciavisse affirmarent, ut non minus voluptatis auribus eorum, quam lyra solet optime concordans, ubi musici cujusdam peritissimi digitis fila ejus consona tanguntur, attulisset. Unde secutum est, ut quotiens illhac iter faceret *Jannoctius* aliquo profecturus, virtutis ejus, ac doctrinæ *Senenses* bene memores magno eum exciperent honore, multisque semper ipsum laudibus prosequerentur.

Eodem fere tempore *Jannoctio* eidem legationis munus demandatum est à nostris, *Venetias*que missus non levem ob causam. Nam cum Rex *Alphonsus* eo ambitionis devenisset, ut velle toti jam *Italiæ* imperitare videretur, mores ejus tam superbos pati atque ferre *Veneti* non potuere. Quapropter & ipsi antea *Florentiam* legatum miserunt nobiscum tractaturum, ut communi consilio *Renerium*, quem vi ex *Neapolitano* regno *Alphonsus* expulisset, è *Gallia Transalpina* in *Italiam* accersirent, ut opponeretur *Alphonso* pene omnibus tacite quodammodo minitanti, sed præcipue cupienti, ut postea declaratum est, *Florentinos* suis copiis vexare. At cum *Venetus* orator, quod *Florentiæ* tentaverat, infectum reliquisset, *Venetias* Florentini *Jannoctium* misere, ut quod fuisset omissum hic à *Veneto*, ibi noster iterum susciperet expediendum, daretque operam, ut quod utrique vehementer concupissent, id saltem *Venetiis* conficeretur. Jam mandata diligenter exequi *Jannoctius* festinabat, jamque à *Venetorum* Principe, atque ab iis, qui post illum habiti prioris cæteris primum tenent in civitate locum, humanissime simul atque honorificentissime factis utrinque amanter amplexibus, datoque vicissim osculo exceptus erat, cum in remotiorem curiæ partem eum adduxerunt, quo lecti cives ad sententias dicendas convenire solent. Huc ergo cum frequentes *Veneti* Senatores se conferrent, ut hominem intuerentur, orantemque audirent: venerat enim propter famam ejus non mediocrem vehementer quidem expectatus ab omnibus: pro concione cœpit de loco editiore, quæ data ei fuissent, mandata exponere, ita intentis omnibus, ut dum *Jannoctius* concionaretur, spuerit nemo, nedum quisquam os ad faciendum verbum aperuerit. Magna quidem laus, atque digna priscis illis oratoribus, qui pauci nominantur, quæve alicui antiquorum convenire videatur: neque mehercule injuria, cum *Jannoctius* his potissimum admirabilis orator visus fuerit, qui optimum de dicendo ex arte judicium habere debuissent, quod plerumque versentur in verbis componendis, ac sæpe studeant ornatui, & orationis elegantiæ. Fecit autem ver-

verba *Jannoctius* plus horæ ſpatio concionaturus in hanc ſententiam apud *Venetos* Patres, ut eos hortaretur ad *Renerium* cum exercitu ex *Gallia Transalpina* in *Italiam* evocandum, ut *Alphonſi* Regis inſolentiam conatusque audaciſſimos reprimeret. Præterea *Florentini* à *Venetis* per legatum petiere, ut ad quatuor millia equitum pararent, & ad duo millia peditum, qui *Renerio* venienti ad augendas ejus copias atque vires ſubminiſtrarentur. At ipſi ad duo millia equitum duntaxat ſe exhibituros pollicebantur ſine ullis peditibus, idque ſe continuaturos, dum in *Gallia Ciſalpina* bellum gereretur. Hac tamen conditione hos equites promittebant ſe in armis habituros, ut cum quopiam illis inconſultis nihil convenire, nullum fœdus nobis percutere liceret, niſi prius illi aſſentirentur, judicarentque id eſſe faciendum. Poſt hæc de inſtaurando fœdere mentio facta eſt: quod tamen *Jannoctius*, uti mandatum ei fuerat, neque recuſabat, nec vehementer cupere videbatur: rem differri volebat, quod *Florentiæ* reperirentur, qui de imminuenda *Venetorum* potentia cogitarent, & ad *Franciſcum Sfortiam* Mediolanenſium Principem ſtatuendum meditarentur, quod *Veneti* ſuæ ſtudentes magnitudini nolebant. Verum ſi forte caſu quodam eveniſſet, ut propter *Blancam* Sfortiæ conjugem, *Philippi* Ducis, qui jam deceſſerat, filiam, *Sfortia* lectus in Principem fuiſſet; tunc *Veneti* affirmabant ſecum *Florentinos* icti jure fœderis adverſus *Franciſcum* ituros tanquam contra hæredes à *Philippo* relictos, quos utrique, ut debebant, concordes bello & armis inſequerentur. *Jannoctius* contra non ad id, quod ipſi dicebant, verum ad utriusque reip. firmitudinem, ſtatumque defendendum percuſſum fœdus interpretabatur, movebatque jam illos quicquid vellet ſuaſurus, niſi Princeps negaſſet poſſe facere, quod paulo ante *Jannoctius* à *Venetiis* petiiſſet: quoniam ſubſtentandas nutriendasque ingentes copias, id eſt ad quindecim millia equitum, peditumque decem millia in caſtris haberent: tamen legatus noſter propter virtutem ejus & auctoritatem ad quodcunque vellet, *Venetos* traduxiſſet, niſi graviſſimos apud *Caravegium* conflictus accepiſſent, propter quæ ita cecidere animis, ut una cum rep. omne quidem imperium *Veneti* amiſiſſe viderentur. Ad curiam cum jam ille perveniret, ut quereretur doleretque tanti caſus gravitatem, ibi *Venetos* reperit pullatos eſſe omnes, metuque perterritos, ut illis uſu evenire ſolet, qui elatiores habentur: ruunt enim gravius, cum in calamitates quasdam inciderunt: his autem verbis *Jannoctium* venientem allocuti ſunt: *In quo ſtabat res Veneta, Jannocti, amiſimus, neque remedium huic damno tam gravi, neque tanto noſtro malo reperire poſſumus.* Hic Jannoctius oratione uſus rei atque tempori accommodatiſſima, rogavit, *ubi animos Veneti ante id tempus invictiſſimos ita meticuloſe abjeciſſent: non decere magno fortique animo præditos dolore ullo frangi: ſed cogitare potius, ut rebus adverſis fortiter obviam eant: quod ut facilius conſequerentur, offerre ſe dixit quascunque vires Florentini haberent, præſtoque ſemper futurus illis pollicitus eſt. Præterea ſuas, ut privatus, ſe promiſit facultates etiam in commune daturum, quibus illi pro ſuis uterentur.* Ad hæc ſtatim *Venetorum* Princeps pro tempore pauca *Jannoctio* reſpondit, ſe certo ſcire *Florentinos* Venetorum res adverſas graviter moleſteque laturos, ut ipſi quoque, ſi *Florentini* res infeliciter gererent, pro conjunctione fœderis & amicitiæ vehementer quidem contriſtari deberent. Quod autem *Venetos* ad capeſſendum fortem animum cohortaretur, monitis ejus, quoad poſſent, libenter fore obtemperaturos, cum ut à ſapientibus conſiliis non diſcederent, tum

A etiam ut reip. conſtanter quidem prudenterque conſulerent, in eaque ſtatus firmitate conſervarent, in qua *Veneta* res antea ſemper exſtitiſſet.

Jannoctius autem cum plane perſpiceret, quanti ponderis conflictus ille haberetur, quo vehementer *Veneti* omnes conſternati eſſent, ab eo, quod tractaturus veniſſet, ſuperſedendum ratus, *Florentiam* ad ſummum magiſtratum ſcripſit litteras, ut cautius ſtatueret, quid eſſet faciendum. ad quas cum *Jannoctio* reſponderet ſe diligenter quærere, ad idque dare operam, ut conventa cum *Alphonſo* Rege atque pacta facerent, idque poſtea legatus B noſter principibus *Venetis* ſignificaret, hortati ſunt, ut cum *Neapolitano* noſtri ſuo jure convenirent, dummodo quod egiſſent, ſibi poſtea denunciarent. Pari ratione, cum item *Veneti* convenire poſſe cum *Franciſco Sforzia* ſperarent, id planum fecerent legato *Florentino*, & quæ pepigiſſent, aperte declararunt, ut ſingulis menſibus ad quotuordecim millia nummûm ex ſolido auro *Franciſco Sforziæ* traderent, donec ille *Mediolani* urbe potiretur. At *Florentini* cum ſuſpicarentur *Venetos* promiſſis non manſuros: ad hoc enim cum hoſte, id eſt cum *Franciſco Sforzia* convenerant, ut periculum præſens, quod grave quidem illis imC minebat, evitarent; ſententiam mutarunt, ſcripſeruntque ad *Jannoctium*, curaret diligenter, ut rite novum fœdus percuteretur, quo *Veneti* homines, *Florentini*que, ſimul *Franciſcus Sforzia* continerentur ad ſe ipſos resque ipſorum ab hoſtibus defendendas. Hoc enim optimum factu eſſe *Florentini* putabant ad *Venetos* cum *Franciſco Sforzia*, cui maxime favebant, in fide retinendos. *Jannoctius* igitur cum quod à ſuis accepiſſet, *Venetis* planum faceret, pluribusque verbis declararet vel eſſe honeſtiſſimam, quæ à *Florentinis* peteretur de novo fœdere percutiendo, quia conveniret tribus illis omnibus, utilitatemque eſſet alD laturum; *Veneti* occultioribus verbis reſponderunt nihil opus eſſe novo fœdere, cum in conventis & pactis, quæ quidem eſſent ſibi ipſi cum *Franciſco Sforzia*, *Florentinos* nominaſſent accipiendos in ſocietatem, ac *Sforzia* honorifice ſatis admittendos putaviſſet, cum polliceretur in *Venetos* nusquam, dum viveret, ſe bella geſturum: quod autem eſſet promiſſis manſurus, *Florentini* præſtarent, ut confidebat facturos. Hocque pacto ut fœdus aliud inſtauraretur, opus non videri, præſertim cum adhuc quod ictum prius à *Venetis* cum *Florentinis* fuiſſet, ſeptem annos duraturum inter utrosque affirmarent. Sed ut quod intus latebat, E palam facerent, dictitare cœpit Dux atque Princeps *Venetorum* arbitrari hæredem *Philippi* Ducis non *Mediolanenſem* populum, qui curam ſuſceperat urbis gubernandæ; verum clam annuebat, *Franciſcum* eſſe *Sfortiam*, ut ſi quando *Veneti* datam ei minus ſervarent fidem, neque manerent promiſſis, haberent, quo confugerent, eſſetque illis parata excuſatio, qua in eo, quod ſtatuerent, uterentur. *Jannoctius* autem, cum ſatis acute cognoviſſet, quo tandem *Veneti* eſſent evaſuri, ante meridiem in curiam venit, ibique cum princeps adeſſet, ſummusque magiſtratus, civesque alii F complures intereſſent, apud eos in hanc ſententiam verba fecit; dixitque palam omnibus, *mirari ſatis non poſſe, ut tanti principes ſibi minime conſtarent, & à promiſſis legati eorum, dum Florentiæ moraretur, longius, quam ratio poſtularet, diſcederent: Præſertim cum illa graviſſimi cujusdam ponderis fuiſſent, atque digna, quibus illi manerent.* At *Veneti* tergiverſari, verbisque variare, nihilque concludere, ne quid facturi eſſent in *Sfortiæ* utilitatem, cum in ſpem venirent ſe *Mediolani* urbe potituros: ſed longe falſi ſunt opinione, neque in

in hoc, ut exitus indicavit, quantum haberi volunt, sapientes fuere. *Jannoctius* enim cum plane perspexisset, neque in agendo constare sibi *Venetos*, neque in respondendo, talium virorum leves animos atque inconstantiam æquo animo ferre non potuit; sed justa quadam excandescens indignatione à principio repetere instituit quicquid antea dixisset, & quæ *Veneti* responsa sibi apud illos dicenti dedissent; magnaque serie atque ordine rerum detexit commentitias illorum sententias omnes ita manifeste, ut subterfugere, aut negare non possent, quæ à legato nostro dicerentur. Itaque dum commentabantur inter se, quid essent responsuri, nonnulli extitere, qui è consilio digredientes, quod ea non probarent, quæ ibi acta essent, inter eundum hæc ita cum amicis loquerentur: *Fierine potest, ut hic tantum valeat eloquentia sua, nemo possit ut ei repugnare? Si profecto haberemus, quem cum hoc conferre possemus, pluris faciendus sit à nobis, quam unum è nostris oppidis nobilioribus.* Qui autem à rep. instituti essent, ut legato ad ea, quæ dixisset, responderent, nihil attulerunt, nisi *Venetos* responsa confirmare, quæ antea dedissent. *Jannoctius* vero animadvertens, quam obstinate agerent, optime declaravit, quis ejus esset animus, multoque ante omnibus prædixit, quid esset illis usu eventurum, admonuitque graviter, ad id potissimum ipsi meditarentur, ne si periculum quoddam gravissimum evasissent, in aliud multo etiam gravius incurrerent, annuens, si *Franciscus Sforzia* potiretur rerum in *Gallia Cisalpina*, præsertim *Florentinis* in causa adjunctis, hostem illis eum multo etiam acerbiorem futurum.

Postridie ejus diei, quo hæc acta sunt, ad legatum mittuntur è *Florentia* litteræ, quæ hominem à legatione in urbem revocarent. *Venetiis* discedentem amantissimis sunt verbis, atque honorificentissimis *Jannoctium* prosecuti; citoque cum ea evenirent, quæ futura prædixerat, in magna eum existimatione habuere cum propter alias ejus maximas clarissimasque virtutes, tum quod integerrimum, atque ab omni fraude maxime alienum repperissent. Orationem autem, quam thusce apud eos recitaverat magna sua cum laude *Venetiis*, edidit in latinum conversam. Hæc igitur tanto est habita in pretio, ut auctorem illius, absentem licet, memoria quidem colerent sempiterna, usque adeo, ut cum *Petrus Molinus* P. V. Jurisconsultusque nobilis post multos annos à *Venetis* legatus *Florentiam* mitteretur, atque is, qui argumentum vitæ hujus nobis subministravit, rogaret, an *Jannoctium* nosset, ita respondit, *eum non modo Florentinæ civitatis, sed temporum suorum ornamentum atque decus extitisse; ex illoque semper in summa veneratione habuisse Jannoctium, dumque sibi vita suppeteret, semper habiturum.*

Vix ergo *Florentiam* redierat, cum iterum missus est *Venetias* legatus, qua in urbe dum moraretur, præsensque esset, vidit suis oculis cuncta evenire, quæ ventura in priore sua legatione vaticinatus fuisset. Ea tempestate *Franciscus Sforzia* Mediolanum obsederat. Sed dubitandum erat, ne *Veneti* eum tanquam hæredem *Philippi* Ducis, qui hostis fuerat illorum acerrimus, insequerentur, eumque impedirent. *Jannoctius* autem, qui præcipue illud in mandatis habebat, summa ope nitebatur, ne *Veneti* quicquam contra *Sforziam* molirentur; verum ea observarent, quæ antea promisissent se esse facturos. *Florentini* enim hoc in primis per legatum curari volebant, ne dum *Sforziæ* opitulabantur, à *Venetis* tamen dissentire viderentur, donec ille *Mediolanensium* urbem in ditionem suam redegisset. Jam *Veneti* errata sua nosse inceperant, & quam graviter deliquissent, cum

A *Sforziam* hostis loco potius quam amici habendum inter se statuerunt. *Florentini* etsi compertum haberent, quæcunque à legato eorum peterentur, *Venetos* negaturos, *Jannoctium* tamen esse *Venetiis* æquo animo patiebantur, ut eos admoneret præsentia sua non servati officii, & quam inconstantes fuissent in his omittendis, quæ alias *Jannoctio* promiserant se esse facturos. Nam etsi pudore afficiebantur propter *Jannoctium*, qui aderat tanquam spectator eorum, quæ ab illis agebantur, tamen impetum animorum diu quidem sustinere non potuerunt, quin *Franciscum* ut hostem tractarent, *Florentino* legato *Venetiis* adhuc moram faciente,

B quocum antea convenerant *Francisco Sforziæ* opem se esse laturos, donec ille *Mediolano* potiretur. At sero sunt conati *Sforziam* impedire. Ita enim vires ejus creverant, ut hominem ab incepto dimovere non possent. In hoc autem legatus noster multum profecisse videbatur. Illo enim de variis rebus cum *Venetis* disputante, tempusque conterente, profecto habuerunt oppugnandi, atque impediendi *Francisci Sfortiæ* suspensas rationes, sibique ipsis ob deliberandæ rei tarditatem impedimento fuere, ne *Galliam Cisalpinam*, uti animo destinaverant, totam occuparent. Quo factum est, ut eo res deduceretur, quo maxime

C *Cosmus Medices* suæ studens magnitudini deduci concupierat; quod ubi à *Venetis* deprehensum est, in multis rebus, quasi tumidiores facti, legato nostro assensere, quas prius aspernati neglexerant. Videbant enim *Florentinos* ex *Mediolano* à *Sforzia* suscepto, quia homini favissent, in magnum prudentiæ nomen amplitudinisque gradum perventuros. Quin etiam posteaquam nuntiatum est illis *Franciscum* Mediolano potiri, cecidere animis, neve quo se verterent scire; quoniam ei viro, qui ad maximas jam opes devenisset, nusquam fidem servandam putassent. Hæc omnia *Venetis* eo graviora videbantur, quia præter spem accidere. Pun-

D gebat rursus illos multum existimationis amisisse, quod ambitione impediti non præviderant, quæ *Jannoctius* illis tanquam divinus quidam vates prædixerat futura. Hinc, legatus noster cum, quod petiturus accesserat, facile à *Venetis* obtinere posset, non tamen id *Florentinis* curæ fuit. Nam postea quam *Sforzia* Mediolano potitus est, in multo minore quam antea *Venetos* pretio habuere, quod arbitrarentur *Franciscum Sforziam*, quem juvissent modis omnibus, ut primum *Mediolani* princeps factus esset, *Venetis* bellum esse illaturum. *Cosmus* enim *Medices* ubi tandem pervenit, quo

E multo ante pervenire statuisset, in portu sibi navigare videbatur, neque tanto, ut antea consuevisset, *Venetos* faciebat. Itaque cogitavit, abrupto fœdere, de illis relinquendis: siquidem ubi vellet Cosmus, *Sforzia*, qui jam de hostibus superatis victoria potitus erat in *Gallia Cisalpina*, *Venetis* bellum esset illaturus. Id autem pro magnitudine sua *Medices*, ut fieret, procurabat maxime. Quapropter cum *Jannoctius* Florentiam litteras mitteret, quibus suos certiores faceret, *Venetos* esse ad omnia, quæ *Florentini* velint, paratos, ad hæc *Jannoctio* responderunt cum illis ipsum non ulterius progressurum; verum expectandos fore

F *Nerium Caponium* ac *Petrum* Cosmi filium, cum *Mediolano* reverterentur, ad quam urbem se illi contulerant, ut *Florentinorum* nomine *Francisco* principi nuper *Mediolanensium* rerum potito gratularentur. Legati enim hac illi conditione lecti fuerant, ut in reditu eorum, posteaquam *Bononiam* pervenissent, *Venetias* proficiscerentur cum ejusmodi mandatis, ut una cum *Jannoctio* in his, quæ optarent, *Venetis* gratificarentur. Hæc omnia cum *Jannoctius* illis, apud quos erat, explicaret, facile passi sunt oratores illos, qui jam

iter ingressi essent, expectare. Cum ergo *Veneti* cum *Nerio* atque *Petro* legatis nostris, qui jam *Venetias* advenerant, eadem tractare cœpissent, quæ agitata prius cum solo *Jannoctio* fuere, non difficiles, neque pertinaces erant; verum parati ad omnia, quæ *Florentini* velle videbantur. Interea nostrates sententiam mutarunt, venisse tempus rati, in quo *Venetorum* contumaciam, qua illi sæpe usi sunt, antequam *Franciscus Sforzia* in *Gallia Cisalpina* rerum potiretur, maxime deprimerent. Instabant *D. Johannis* solemnia, ad quæ celebranda cum *Venetorum* Princeps legatos *Florentinorum* invitasset, prior illos advenientes compellavit perhumaniter, precatusque est immortalem Deum, ut bonum illis felicemque diem esset allaturus; dixitque *Venetos* Patres omnia, quæ *Florentini* vellent, libentissime esse facturos. Nostri collaudata Principis clementia, licet ad tempus ficta videretur, responderunt non se quicquam prius deliberaturos, quam à summo magistratu de re perficienda fierent certiores. At cives, qui remp. domi gubernabant *Florentinam*, nihil concludi volebant, neque pactis aut conventis ullis cum *Venetis* astringi fas esse ducebant; quod vehementer cuperent à *Mediolani* Principe jam constituto *Sforzia* in eos bellum quam gravissime inferri. Hinc secutum est, ut qui *Florentiæ* summum gerebant magistratum, ne quid in *Venetos* honorifice parum statuisse viderentur, *Cosmo Medici* curam, negotiumque respondendi legatis ad ea, quæ ipsi per litteras quæsierant, darent, ut privato consilio ille, quicquid placuisset sibi, demum esset responsurus. Scripsit igitur ad *Petrum* filium litteras, quibus eum hortabatur, ut ipse solus *Florentiam* reverteretur. Fore namque ajebat, ut reliqui duo unius ducti exemplo idem facturi essent. Perceptis & cognitis, quæ à *Cosmo* scriberentur, *Nerius* atque *Petrus* cum *Jannoctio* re communicata cogitabant, inter seque communicabantur de Principe *Venetorum* adeundo, priusquam ab urbe discederent, cum *Jannoctius* ad socios conversus ita inquit: *Isti autem de nobis quid loquentur? Videbimur enim verba his dedisse.* Ad quæ confestim ei Nerius respondit: *Non sum, o Jannocti, cum leone congressurus, neque mihi est animus cum tam forti bellua, cum longe inferior sim, viribus palæstram exercere. Nolo enim, si contra quid effecero, quam nostri ad nos scripsere, mitti in exilium à patria procul.* Cum hæc *Jannoctius* audiret, planeque perspiceret ex *Nerii* verbis, quam id esset conducibile suæ reip. futurum, facile assensus est, censuitque faciendum, quod *Nerio* videretur. Itaque concordes facti, cum ad *Venetorum* Principem, & ad summum illorum magistratum pervenissent, qui spe quadam ducebantur, ut res, quam vehementer cuperent, à legatis tandem nostris conficeretur: ita *Nerius* apud *Venetos* verba fecit, se cogi, atque collegas suos, qui aderant, gravioribus de causis, ut *Florentiam* quamprimum se conferrent. Ad hæc *Veneti* cum nihil legatis respondissent, quasi taciturnitate faterentur, id jure sibi obtigisse, qui antea totiens nobis illusissent, alii alios inter se aspectantes, tandem hæc dixere, nihil velle aliud, nihilque postulare, nisi ut nomine ipsorum excelsos Principes *Florentinos* salutarent. Cum autem hæc molesta *Venetis* à nobis, præterque opinionem accidissent, nihil tamen apud homines licet natura ipsa elatos imminutum est de *Jannoctii* existimatione; sed pariter, ut antea, propter integritatem ejus, propterque doctrinam, ut multis postea signis perspectum est nobis atque cognitum, in honore semper habuere, memoriaque coluerunt sempiterna.

Jannoctius vero ubi *Florentiam* rediit, honestissimoque legationis est munere perfunctus, Octovir iterum creatur, cui magistratui Principes civitatis jus potestatemque omnem decernendi quod vellet, quoniam bella quædam imminere cœpissent, demandarunt, ne populus terrore afficeretur in Decemviris creandis; quia Decemviratus ille, non nisi gravissimo belli tempore, & cum resp. magno versatur in periculo, creari consueverit. Rei bellicæ Octoviris datum est negotium: quod *Jannoctius* pene solus confecisse videatur. Cum enim civitas pestilenti morbo laboraret, cæteri, ne contagione deperirent, procul absuere. Solus ex collegio ille, ut suo fungeretur officio, remanserat in urbe, quo in tempore cum stipendium militibus non daretur, Princeps *Urbinas*, atque *Neapoleon* ex iis unus, qui turmis equitum præessent *Florentinorum*, in agrum *Samminiatensem* populabundi accessere, quicquid illis objiceretur deprædaturi, atque ita, ut multa damna accolis inferrent: quod ubi *Florentiæ* nuntiatum est, qui personam totius gerebant civitatis, ad prædatores illos quamprimum duos oratores misere, quorum alter fuisse memoratur *Angelus Acciajolus* ex ordine equestri: alter *Jannoctius* hic, quem in manibus habemus. Ii ergo cum se ad prædæ duces contulissent, ita mitibus verbis, suavique oratione, quod esset in rem *Florentinorum*, illis persuasere, ut sine ullis acceptis pecuniis, quibus indigebant maxime, in hiberna discederent: quod legatorum factum cum summo magistratui, tum principibus civitatis admirabile visum est, præsertim cum majorem prædæ partem possessoribus illi prius restituerent, quam ab oratoribus nostris digrederentur.

Sequentibus temporibus quarto legatus est profectus ad *Alphonsum* Regem *Neapolitanum* ob pacem confirmandam. Ita enim frequens missus est orator à populo *Florentino* ad diversos Principes, ut ad obeundum legationis munus non modo à natura institutus, sed ab immortali Deo factus esse videretur. Is igitur honorifice cum exceptus à Rege semper fuit antea, tum hoc tempore maxime. Plures enim è purpuratis illis, quos apud se haberet, legatosque omnes, qui ad eum venissent, obviam *Jannoctio* Rex *Alphonsus* misit urbem ingressuro. Postridie vero audiit latine habentem *Jannoctium* pulcherrimam orationem *de pace conservanda*, cum adessent familiares Regis, purpuratique omnes, cunctique oratores, qui ad eum cum ex *Italia* confluxerant, tum ex his regionibus, quæ præter *Italiam* in reliquo terræ orbe haberentur. Cum ergo summa cum gratia & gloria *Jannoctius* apud Regem suasor pacis extitisset, quæ illi cum *Florentinis* ad eam diem perdurasset, id æquo animo *Veneti* ferre non potuere, quod meminissent legatos *Florentinos* eis gravem notam inussisse, quo tempore fuerant *Venetiis*, infectaque omnia reliquerant, quæ prætermitti non nisi nephario scelere *Veneti* arbitrarentur. Agitatum est enim de novo fœdere percutiendo, quod post *Franciscum Sforziam* Mediolano potitum *Veneti* cupiebant; Prius autem sic aspernati fuerant, ut *Jannoctius*, qui auctor extitisset fœderis componendi, infecta re *Florentiam* reverteretur. Alio præterea in *Florentinos* odio afficiebantur, quoniam, dum illi ferrent opem *Sforziæ*, causa extitissent, ne *Cisalpina* ipsi *Gallia* potirentur. Quapropter apud *Alphonsum* Regem legatus *Venetorum* summa ope nitebatur, ut pacem, quæ inter *Florentinos* atque Regem in eam diem viguisset, quoad posset, perturbaret maxime. *Jannoctius* vero, quæ ab utrisque tractarentur, percipiebat omnia. Præterea quicquid *Florentini* suspicarentur de perturbanda pace, quicquid ex multorum litteris audirent, ad *Jannoctium* scribebant, ut litteris fieret certior de his, quæ clam *Neapoli* à

Venetis

Venetis agitarentur, ne quid eum præteriret. Legatus autem noster palam Regi faciebat omnia. Ad hæc Rex illi respondebat, nihil esse dubitandum de suo in nos animo, neque se commissurum, ut pacis minus staret, nisi à *Florentina* civitate occasiones sibi mutandæ voluntatis offerrentur. At qui *Florentiæ* morabantur, tametsi *Jannoctio* per litteras significarent, dubitare se, ne pax rescinderetur, id fieri tamen facile patiebantur: neque enim bellum *Venetis* à *Mediolani* Principe jure poterat inferri, nisi contra nos ita Regem irritassent, ut minime pacem duceret nobiscum continuandam. Itaque quamvis Rex proprio etiam chirographo declararet, quam sibi cordi esset cum *Florentinis* amicitiam servare, *Florentiæ* tamen diligenter curabatur, ut *Venetis* à *Francisco Sforzia* bellum inferretur, quod fieri non posset, nisi contra nos illi gravius aliquid molirentur. Hinc nostri, ut ansas *Venetis* præberent de nobis cum Rege obloquendi, utque illum adversus nos irritarent, conventa quidem, atque pacta, conditionesque pacis posthabere cœperunt, quæ tales extitere: *Ut Florentini nullos injussu Regis præter quos haberent milites conducerent.* Contra nostri *Alexandrum Sforziam* conduxerant. Cum igitur *Jannoctius* negotium, propter quod accessisset *Neapolim*, urgeret apud Regem, *Veneti* contra niterentur; cumque Rex *Alphonsus* plane perspiceret, quanto ad altiora *Franciscus Sforzia* contendebat, tanto magis crescentem ejus in dies magnitudinem pertimescendam fore: ob hanc causam Regi facile *Veneti*, quod vehementer cuperent, persuasuri videbantur. Dicebant enim *Alphonsum*, atque ipsos in graviore periculo cotidie versari debere, si ad eam magnitudinem, ad quam *Sforzia* jam pervenisset, cumulus quoque aliquis accederet, majorque fieret, quam antea extitisset. His addebant præterea minime existimandum fore, ut *Florentini* pacem cum *Alphonso* Rege continuaturi essent propter summam necessitudinem, qua cum *Mediolanensium* Principe jungebantur. Hæc ita se habere, ut illi prædicaverant, magno esse argumento, quod *Florentini* pacis conditiones minus Regi observarent, quoniam injussu ejus *Alexandrum Sforziam* conduxissent. Talibus Rex adductus est rationibus, ut *Venetis* assentiretur de nobis male suadentibus. Quamobrem *Florentiam* constituit legatos duos hac mittere conditione, ut inde se *Venetias* conferrent. Ii habebant in mandatis, ut cum *Florentinis* quererentur in pace continuanda non servatam fidem. Nomina legatis perhibent fuisse *Antonio Panormitæ*, atque Fratri *Puccio*. Ii *Florentia* discedentes, ubi ad *Venetos* profecti sunt, inter se facti subito concordes in hanc cum *Venetis* sententiam convenere, ut ad constitutam diem alter è suis regnis, alteri è *Venetiis* nostri generis homines expellerent, atque ita, ut eodem in tempore diversis in locis *Neapoli* atque *Venetiis*, quæ clam statuissent, hæc per præconem omnibus palam fierent. Sed quam indiligenter, & quam inconsiderate sunt acta hæc ab illis, vel ex hoc intelligi potest, quia nihil fuerat ex omnibus, quod *Florentinæ* civitatis principes fieri ab illis magis expectarent, quodque *Franciscus Sforzia* vehementius cuperet, ut faciliores ansæ sibi traderentur ad bellum *Venetis* è *Gallia Cisalpina* inferendum. Nisi enim Rex *Neapolitanus* atque *Veneti* tam insigni injuria *Florentinos* affecissent, nunquam è populo qui erant *Florentiæ* adduci potuissent, ut posthabita pace sese bellis implicarent. Sed cum ita occulte rem illi contra nos à principio egissent, ut ea percipi nisi conjecturis non posset, nonnihil tamen *Jannoctius* suspicabatur, deque ipsa re paulo post futura dubitabat. Itaque quo die detegenda erat propalandaque in

A vulgus, quod tam inhonestæ actionis eum suppuderet, ad turrim Græcam *Alphonsus* se contulerat, quo ei tamen sæpe accedere consuetudo erat. *Florentini* vero *Neapoli* audita præconis voce imperantis, ut inde ad unum omnes migrarent, consternati animo ad legatum eorum confugerunt. Ille vero solatus verbis cunctos pro tempore, ut potuit, æstu quidem in medio profectus est ad Regem; statimque admissus, impetrataque venia, ut quod vellet, *Jannoctius* impune loqueretur, audacius multo quam antea consuevisset, talibus in *Alphonsum* Regem verbis invectus est:

Facere non possum, o Apuliæ *Rex, quin graviter*
B *doleam te tam inconstanter cum* Venetis *convenisse, atque contra quam mihi iterum atque iterum pollicitus fueras, proprioque chirographo sanctissime confirmaras te esse facturum. Nam cum ad* Florentinos *de hac re ut de confecta quidem tibi fidem habens litteras scriberem, causa fuisti, ut eodem inconstantiæ morbo laborare videar, quo ipse laboras, dum tibi crediderim significanti quædam verbis, re ipsa tamen contraria facienti. Neque, ut tibi verum dicam, te ut Regem gessisti, dum commiseris, ut quidam non ita egregii, neque nobiles, ut haberi ab omnibus existimarique volunt, sed cupidi potius dominandi omnibus, te in rem tam turpem, tamque procul ab hone-*
C *sto deducere potuerint, ut contra humanitatem, contraque justitiam, & cum non parvo tuo incommodo, & damno è regnis tuis* Florentinos *mercatores expuleris, in quo neque tu ipse, neque* Veneti *satis perspexere, quam illi rei sit, quæ optatur à vobis, inutile futurum. Nam cum illi suspicentur, ne quod bellum inferatur sibi è* Gallia Cisalpina, *nihil agere potuerunt, quod magis pertineret ad petendos bello* Venetos, *quam quod tam nepharie in* Florentinos *statuere. Non enim qui* Florentiæ *populares morantur, adduci unquam potuissent ad bellum capessendum cum* Alphonso *Rege, nisi gravissima quædam causa, ut illa fuit, cujus paulo ante mentionem fe-*
D *cimus, intercessisset. Quapropter te certo scire volo, ut primum hæc vos fecisse resciverint, & Decemviros* Florentiæ *creandos propediem, & complures pecunias ab eisdem colligendas, quæ sint materiam & pabulum futuro bello præbituræ. Sed quid hanc queror adversus nos illatam à vobis tam insignem injuriam? In vos, inquam, in vos gravius deliquistis. Tanta enim vesania in aggredienda re tam nepharia correpti estis, ut præ celeritate officiendi nobis consilium etiam cum mente amiseritis. Nam* Florentini *omnes, qui* Venetiis *commorantur, longe plus quam centum & quinquaginta millia nummûm ex solido au-*
E *ro* Florentiam *importaturi dicuntur collegisse: qui autem in tuis regnis negotiantur, plures quidem ducentis millibus possident. Ii ergo cum in patriam redibunt, fortunasque suas ipsi secum ferent, suasque facultates, civitas respiraverit, sitque adhibitura quas cives sui redeuntes secum tulerint pecunias ad bellum inferendum. Itaque longe aliter, quam ipsi egeritis, vobis potius faciendum fuit. Vos enim oportuit, si mens non læva fuisset, utilius multo consuluisse vobis, id est, ut* Florentini *qui vellent, libere quidem possent accedere* Venetias, *atque in tua regna venire, immunesque secum suas ferre divitias, & sine vectigalibus, ut eodem in tempore* Florentinam *urbem eva-*
F *cuaretis facultatibus suis, & vos easdem, ubi opus esset, in rem vestram adhibere possetis. Quod autem* Veneti *adeo imprudenter se habuerint, ut contra quam res atque utilitas eorum postularet, fecisse videantur, mirum cuiquam videri non debet. Nam cum ambitione ducti admodum in tenebras ferantur, jam multis ante annis nihil aggressi sunt, quin contra quam putarant, semper illis acciderit. Quid dicam de inconstantia illorum? quæ quidem tanta est, ut tibi affirmem quatuor integros menses non prætermituros, quin fidem, non promissis mansuri, viola-*

bunt, neque agent quicquam ex illis rebus omnibus, quas tibi promiserunt, se esse facturos. Hæc prædixi tibi, non ut calumniis Venetos *afficerem, sed ut ex ipsa experientia vere tibi affirmarem hoc futurum. Bis enim naturam moresque ipsorum expertus sum, quo tempore bis missus ad eos legatus accesserim.*

Hæc *Jannoctio* dicente, cum Rex plane perspiceret, *Florentinum* oratorem nihil simulati locutum, aliquandiu cogitabundus, oculosque humi figens silentium obtinuit. Inde vero, ut magni solent homines, qui nunquam in re quapiam redargui æquo animo patiuntur, sicut potuit, quicquid effecisset, jure factum defendit. Paucis post diebus cum *Florentia* litteræ ad eum mitterentur, quæ Regem erudirent in urbe nostra confecta esse omnia, quæ *Jannoctius* prædixerat futura, vera esse, Rex factus certior litteris, quas acceperat, confirmavit, quæ ille more vaticinantis paulo ante ventura prædicasset. Hinc secutum est, ut longe magis, quam antea, fidem *Alphonsus* Jannoctio habuerit, nihilque homini sit ausus negare, quod à Rege in utilitatem *Florentinorum* expetiisset: quam quidem indulgentiam hominibus nostris maximo usui fuisse compertum habemus. Is enim præter cætera obtinuit, ut nostris pro ea temporis quantitate, qua illi eguissent, fidem daret publicam; quod nisi esset factum, omnino fides corruisset *Florentinorum:* tantum detrimenti ex tam subito repentinoque discessu à *Neapolitana* urbe accepissent. Unus ergo *Jannoctius* effecit profecto, ut multi servarentur, ad pluresque menses, dum res eorum optime componerentur, *Neapoli* permanerent.

Mox vero post viginti dies, quam jussi erant *Florentia* discedere, cum *Veneti* nihil ex his, quæ Regi promisissent, observare in animo haberent, factum est, ut cum Rex arcem novam habitaret, legatusque *Venetus* ad eum visendum se conferret, minime sit admissus, quamvis ad hostium cubilis dum expectaret ille adeundi tempus, hora jam abiisset. Cum enim se deceptum putaret, significare voluit ea cunctatione admittendique tarditate, qua esset *Alphonsus* in *Venetos* voluntate: quod ut apertius ille præ se ferret, ad *Jannoctium* misit, qui ad se illum accersirent. Is ut primum adventavit, sine ulla temporis exceptione intromissus est, legato *Veneto* ad hostium expectante, multoque diutius ibi moram faciente, quam dignitas ejus postulare videretur. Ut apparuit Regi, rogatus est ab eo, quod ipsi nomen esset. Cum responderet, se *Jannoctium* appellari, conversus in eum Rex inquit: *Ne te amplius* JANNOCTIUM, *sed* VATEM *nominato. Nondum enim viginti præteriere dies, ex quo fœdus cum Venetis percussimus; nec tamen illi, qui tot pollicebantur, quicquam ex his, quæ se promiserant facturos mihi, observarunt.* Et simul his dictis graviter questus est propter non servatam à *Venetis* fidem, cum interea legatus eorum magno suo cum dedecore ad hostium Regium expectaret, nec dum tamen obtinere potuisset, ut intromitteretur. *Jannoctius* autem ob ejus integritatem Regi admodum perspectam & cognitam ab *Alphonso* in deliciis habebatur; atque nihil erat, quod pro *Florentinis* expetisset, quin facile à Rege impetraret.

Tandem revocatus à suis *Florentiam* rediit, cum hac tamen conditione, quam à summo quidem magistratu accepisset, ut inter redeundum adiret *Nicolaum* P.M. *Romæ* commorantem, à quo unice diligebatur, & à quo inscius omnino electus erat in eum, cui arcana creduntur graviora; atque id quod fecisset, *Nicolaus* scripto etiam pontificali confirmarat, quod cum ipse Pontifex manu porrigens *Jannoctio* ad se venienti exhiberet, mirifice verbis & oratione singularem suam in eum benevolentiam liberalitatemque subsecutus est.

A Post annum, quo hæc acta sunt, *Fredericus* Imperator se in *Italiam* contulit, ut ad urbem *Romam* proficisceretur à Pont. Maximo coronam petiturus: quem *Florentini*, cum per fines illorum iter faceret, honore summo excipiendum statuere. Sed quoniam Imperatoris mentionem fecimus, non alienum videtur, unde hoc ductum nomen sit, & quid sibi velit in medium afferre, ut qui hæc nostra scripta legent, rem nosse possint universam.

Duces, qui cum exercitu obsequente in omnibus aliqua ingenti victoria de hostibus potiti fuerant, Imperatores in castris salutabantur à militibus, quasi gratias imperanti acturis, quoniam B Dux ipse, quæ ad optime remp. foris administrandam ita imperasset, ita milites præceptis suis & adhortationibus incitasset ad manus cum hoste feliciter conserendas, ut & virtute militum, & imperio Ducis sapienter adhibito *Romani* victores evadere potuissent. Sed licet magnum id nomen esse videretur, non tamen perpetuum fuit, verum ad tempus aliquod, ac dum effervesceret illa gratulatio. Hoc autem nomine Imperatorio quamvis *Romani* Duces, ut diximus, qui vicissent hostes, in castris donarentur à militibus, non tamen hæc apud *Romanos* potestas prima fuit. Reges enim à primordio urbis conditæ rem *Romanam* tenuerunt, potentia quorum profecto erat C maxima, solique Reges ita cæteris pro arbitrio, quodcunque libuisset, superbe mandabant faciendum omnibus, ut neque socium in potestate, neque parem habituri viderentur. Expulsis Regibus, cum se jam civitas odio diutinæ servitutis in libertatem vendicasset, cœpti sunt, cum grave quicquam immineret, creari Dictatores; iique soli, cæteris in urbe cessantibus præter Tribunos plebis magistratibus, remp. administrabant, quibus ita summa dabatur auctoritas ab universo populo *Romano*, ut similis omnino parque esset Regiæ dignitati: D præter quam quod non continuabatur Dictatura, sed ad tempus dabatur, donec illa insigniti cives patriæ vehementer laboranti aliquo graviore bello prospexissent; quorum majestas tanta fuit in rep. ut nisi se ipsos iidem illi, qui gessissent Dictaturam, magistratu abdicassent, in ultimum vitæ diem fuisse continuaturi honorem viderentur. Imperator autem castrense nomen apud priscos erat; sed in posterum ex castris hæc eadem dignitas traducta est in urbem, legitimaque semper habita sine ulla invidia. Illi enim, qui Senatus Populique *Romani* jussu mittebantur cum exercitu deducendo ad manus cum hoste conserendas, sive qui accessuri essent in aliquas provincias, E ut illas quidem temperarent institutis, & legibus, easdemque, si oportuisset, imperio cohiberent, imperatores vocabantur, ut in locis pluribus apud ingenuos invenimus auctores, & in ea præsertim oratione, quam *Cicero* habuit de Imperatore deligendo. Nondum enim *Pompejus* ad regendos milites *Lucullanos* se contulerat; quippe qui nondum creatus fuisset dux exercitus, cum *Cicero* eum appellavit hoc nomine. Qui autem cum imperio mittebantur, singuli duos habebant legatos, iique non domini, ut Reges semper habiti, ut quandoque Dictatores, sed ministri reip. putabantur. F Quare invidia omni caruerunt propter hanc causam, quod & Senatui parerent, & Populo *Romano*. Sed qui *Romæ* regnarunt ab ipsa urbe condita, digni odio non mediocri extitere, propterea quod continuandæ potestatis diuturnitate superbientes ob intolerabilem dominatum ferendi non essent. Verum quamvis potentia Regum, quam Imperatorum major haberetur, hanc tamen longe mitiorem, quam illam fuisse, compertum habemus. Postea vero nomen hoc Impera-

peratorium, quod ab ortu primo caruit invidia, & odio, quove insuper non nisi maxime promeriti, & qui res in bello pulcherrimas gessissent, donabantur, in tyrannidem verti cœptum est, cum qui plus cæteris in rep. potuissent, quique jam patriæ libertatem occupassent, ut evitarent invidiosa nomina, Imperatores cuperent nuncupari: quod quidem antea concedi alicui, tribuique non nisi optimis de causis, & ab excellenti virtute provenientibus consuevisset. Hos igitur, qui primum ita continuata potestate locum in rep. tenerent, ut domini rerum (ut erant) existimarentur, cum posteritas cerneret nomine Imperatorio donatos, eodemque appellari ab omnibus, hinc manavit consuetudo, atque usurpatum est in hæc usque tempora, ut is, quem dignitate præferri vellent, omnibus Imperator diceretur, tanta cum majestate, ut nomen hoc ceterarum dignitatum, præter Pontificem Maximum, nomina tempestate nostra facile superare videatur.

Quapropter cum ad hunc ipsum *Florentini*, quem Imperatorem vocitant, honestandum meditarentur, legatos viginti creavere, qui venienti obviam essent profecturi, quamquam duos antea *Ferrariam* misissent. Ex viginti legatorum numero unus fuisse *Jannoctius* perhibetur. Huic, qui erat ex collegio, quod summo semper adhæret magistratui mandatum est, ut nomine populi *Florentini* ad Imperatorem esset orationem habiturus, quocunque in loco eum adinvenirent. Legati cum accessissent magna quadam pompa, quod eos ducenti equites, multique juvenes primarii vestibus pulcherrimis ornati comitarentur, in planitie *Valliæ*, quæ vicus est ad septimum lapidem, Imperatorem *Florentiam* versus proficiscentem invenere, ibique illum prope flumen adierunt hoc modo, ut juvenes nobilissimi, qui cum legatis erant, in duas alas scinderentur: in medio ipsorum excepturi venientem legati consisterent. Hoc spectaculo tempestate illa nihil fuisse visu pulchrius multi tradidere, cum è principibus civitatis complures ornatu ingenti, vestesque sepositas indutos Christianæ rei moderatorem adeuntes intuerentur illi, qui quidem, ut se tantum honestissimi conventus spectatores præberent, illuc accesserunt. Appropinquante Imperatore *Florentinis* oratoribus, ad terram ex equis, veneraturi eum, prosiliere omnes. Ille vero ubi venit in conspectum legatorum, dicitur constitisse una cum purpuratis suis hominibusque nobilissimis, quos secum baccis unionibusque multis, compluribusque gemmis pretiosioribus generum diversorum ornatissimos duxerat; inter quos *Æneas* vir doctissimus adfuit, & qui sequentibus temporibus sub nomine *Pii* Calisto Pontifici esset successurus. Tunc *Jannoctius* luculentam habuit orationem loco, tempori, ac personæ accommodatam: cui ad ea, quæ dixisset, *Æneas* respondit, ut omnium, qui cum Imperatore adventassent in *Italiam*, eloquentissimus; neque aliter decuit, cum pariter suos doctrina, ingenio, eloquentia *Jannoctius*, qui antea perorasset, facile superaret.

Hic ego præteriisse nolim *Jannoctii* responsum in *Cosmum Medicen*, qui tunc in urbe nostra tantas opes habebat, ut illius potentiam omnes pertimescerent, illiusque offensionem vererentur. Imperator enim, cum faventibus *Venetis* in *Italiam* multis cum militibus venisset, magnam injecerat *Florentinis* suspicionem, ne quid contra eos, aut in *Mediolanensium* Principem, quo cum eramus benivolentia conjunctissimi, gravius ille adveniens moliretur, præsertim cum habere in *Gallia Cisalpina* se aliquid juris Imperator affirmaret. *Florentiæ* igitur, cum quidam è principibus civitatis convenissent in curiam, ex hisque *Cosmus*

A *Medices* unus extitisset, conversus in *Jannoctium*, ut publici metus culpam homini adscriberet, talia verba in eum locutus est: *Si fœdus inter nos percussum esset, atque inter Venetos, de quo tu ipse tractaveras, cum Venetias legatus accessisti, non dubitaremus.* Huic *Jannoctius* intrepide respondens, ac nihil veritus illius magnitudinem, inquit, maxime fretus conscientia sua: *Per quem stetit, o Medices, quo minus res conficeretur, nisi per te ipsum? Tu enim litteras scripsisti ad Petrum filium, quibus ei præcipiebas, ut re infecta, & inconsultis nobis, qui una cum eo legati eramus, Florentiam reverteretur. Hinc nos ea quidem, quæ pene conclusa essent,*

B *Venetis id gravissime ferentibus, imperfecta relinquere per te coacti sumus.* Hæc non minore animi præsentia quam exacta quadam ratione *Medici* ad ea, quæ dixerat, respondit *Jannoctius*; ut eodem tempore veritati simul, cujus erat studiosus, inserviret, atque suæ præstanti naturæ, suique animi magnitudini morem gereret.

Mox vero cum summus magistratus una cum ducentis civibus, qui vestes essent induti ornatissimas, domi visere statueret Imperatorem, qui jam urbem *Florentinam* ingressus erat, dandumque foret alicui hoc negotii, ut latine apud eum loqueretur, maxime convenire videbatur, ut hæc

C *Jannoctio* provincia demandaretur, quoniam ex collegio esset hominum illorum, qui primi esse in urbe post primos censentur ab omnibus. Verum *Cosmus Medices*, ne tanto *Jannoctius* honore afficeretur, operam dedit, ut *Carolus Arretinus* Florentini populi scriba, quem unice diligebat, esset orationem habiturus, quod quidem sumpto bidui spatio ad cogitandum quod foret dicturus, effecit ille satis sua cum laude: sed cum *Æneas* vir eloquentissimus ad ea quæ verba fecerat *Carolo* respondisset, factum est, ut cum quædam ille nomine Imperatoris à summo magistratu expetisset, quibus respondendum ex tempore videretur, nun-

D quam *Carolus* adduci potuerit, ut respondendi curam esset suscepturus. Nam licet Principes instarent civitatis, atque pro imperio summus eum jam magistratus cogeret, ut quod jussus esset *Carolus* exequeretur; negavit tamen id se esse facturum, nisi prius ad ea, quæ responsurus erat, per aliquod spatium meditatus fuisset. Quamobrem, qui antea *Jannoctio* invidissent, coacti sunt summis precibus contendere ab eo, ut hanc susciperet respondendi provinciam, quia nemo reperiretur in tanto conventu hominum, qui melius illo sciret, aut elegantius posset latine verba facere. Cum aliquandiu *Jannoctius* honestissima de

E causa, non autem pertinacia obstitisset suadentibus, tandem victus charitate in patriam illis assensus est, qui eum obsecraverant. Respondítque Imperatori ad ea, quæ paulo ante petiisset, tanta cum elegantia, & copia, ut admirarentur omnes atque obstupescerent. *Cosmum* vero illius, quod antea cepisset consilium impediendi hominis, maxime pœniteret; cum plane perspiceret, quodcumque in *Jannoctium* tentasset, ad summum ipsius laudem redundare. Cum affirmarent omnes multo elegantius ex tempore *Jannoctium* fuisse locutum, quam præmeditatus *Carolus* antea dixisset: ut qui de imminuenda *Jannoctii* fama cogitarant,

F causa extiterint, ut majore in pretio, quam fuerat, haberetur. Postea vero, quoniam se optime gessisset, magno consensu omnium additus est numero duorum legatorum, qui cum Imperatore *Romam* erant profecturi; quorum alter *Bernardus Junius*, alter *Carolus Pandulphinus*, equites splendidissimi, fuisse memorantur. Tertius orator cum *Jannoctius* accederet, *Romæ* fuit ad plurimos menses, donec à *Nicolao* Pontifice Maximo in eorum ordinem ascitus est, qui donantur militiæ in-

insignibus, quique nostra quoque tempestate appellantur equites, atque propter dignitatem reliquis apud nos civibus in honore præferuntur; qua quidem dignitate cum Pontifex Maximus *Jannoctium* ornaret, honorificentissimis est verbis eum prosecutus. Ubi autem *Florentiam* rediit, primates omnes, & qui facile tunc in republica principes haberentur, urbem ingredienti obviam iere, tributaque sunt illi, ut homini meritissimo bina insignia populi *Florentini*, quæ totius civitatis magnum, perpetuumque amorem in eum testarentur. Hoc autem quo fuit *Romæ* tempore, de Imperatore coronando scripsit orationem, quam coram non habuit. Verum editam misit ad eundem, dum *Romæ* moram faceret. Ab *Eugenii* Pontificis nepote, uno ex principibus illis, qui primi post primum habentur, de improviso invitatus ad convivium, cum ignoraret *Jannoctius*, qui secum ibi essent convivæ futuri, *Pasquales Malepierus* tantum dicitur adfuisse: curante, ut ita caderet *Eugenii* nepote, ut *Veneto Venetisque* gratificaretur. Post cœnam cum ii duo legati una cum Cardinali homine in cubiculum secederent de rebus gravibus inter se locuturi, forte accidit, ut princeps *Mediolanensis* bellum *Venetis* movens, eos jam in angustum adduceret; cui futuro civitatis *Venetæ* detrimento cum *Pasquales* cuperet remedium adhibere, conversus in *Jannoctium* hæc verba fecit: *Suntne Venetorum errata in eum Spiritum commissa: qui tertiam personam gerit divinæ Trinitatis: ut ignoscendum illis nemo arbitretur? Ingenue fateor, Venetos nihil gravius committere potuisse quam cum Florentinos ex urbe sua pepulere, quod si adfuissem, procul enim aberam; nunquam permisissem, ut tantum in vos à nobis peccaretur. Nunquam id Veneti ut facerent in animum induxissent: sed cum res in hunc locum deducta sit, ut difficultatem habitura videatur, tamen si confidis hæc, de quibus inter nos dissentimus, per te componi posse, optime quidem transigerentur omnia. Nam libere mihi mandatum est à meis, ut quod Principes Florentini statuent nos promittamus facturos.* Jannoctius ad hæc *Pasquali* respondens explicavit ordine: in quo ipsi rebus *Florentinos* offendissent, atque propterea in tantam offensiones illas devenisse difficultatem, ut his remedium adhibere minime quidem posse arbitrarentur; neque ullum se de hac re mandatum habere à summo magistratu *Florentinorum* dicebat: verum se certo scire, si quid de hoc scriberet ad suos, qui moleste id ferrent, complures futuros. Tandem fatigatus precibus illorum promisit, se, quantum in se esset, rem ipsam tentaturum: quanquam affirmavit *Florentinos* huic sententiæ minus assensuros, quoniam nollent, si cotidie ad idem frustra cum illis tractandum redirent, eodemque revolverentur, à *Venetis* defraudari. Scripsit ergo litteras ad *Florentinos* principes, quæ non ex mente, qua sunt scriptæ à *Jannoctio*, acceptæ fuerunt: Siquidem tanquam suspicantes aliquid, ad eum rescripserunt, ut his rebus omnibus, quas ad eam diem cum *Venetis* tractavisset, perpetuum silentium imponeret, cum minuere illi, si possent, *Venetorum* superbiam statuissent: quod profecto *Mediolanensis* princeps brevi procul dubio videbatur facturus, si *Florentini* durare sex alios menses, aut ferre onus impensæ voluissent. Majorem namque agri partem, quem in ipso continenti possidebant, *Venetis* ademisset. Sed cum animadverteret, *Florentinos* pondus belli subterfugere, cum *Venetis* clam egit de pace componenda, nostris tamen ignaris, perseverassetque in celandis illis, nisi *Dietisalvius Nero Mediolanum* quidem legationis munere perfuncturus accessisset; daturusque operam quoad posset ille, ne pax conficeretur. Quamvis enim

A *Florentini* aperte rem non percepissent, nonnihil tamen de re suspicabantur. Cæterum tanta pacis cupiditas utrosque incesserat, ut factu ea difficilis non fuerit, neque *Dietisalvius* potuerit, quo minus conficeretur, eam impedire. Eodem fere tempore cum adhuc Romæ *Jannoctius* moraretur, Imperatorque *Romam* Neapoli rediret; ierat enim ad *Alfonsum* Regem salutandum, cumque omnes redeunti obviam proficiscerentur, *Venetus* orator præteriens prope domum *Jannoctii*, qui se antea *Romam* legatus contulerat, iter fecit quasi eum expectaturus, ut simul equitarent. Sed cum *Jannoctius*, quod *Venetorum* ingenia optime calleret, ne cum illo proficisceretur, cuncta effecisset, B tanta tamen in expectando fuit importunitas hominis, eundum ut fuerit; de qua profectione cum suos faceret per litteras certiores, quamquam ab invidis in malam partem res excepta est: tamen à bonis viris, & qui nulla essent suffusi malignitate, sic approbata fuit, ut propterea *Jannoctii* factum laudaretur. Cum autem mox peracta legatione *Florentiam* reverteretur, ostenderetque se pecuniæ multum consumpsisse in equis nutriendis, & in alendis famulis; quod annona *Romæ* eo anno carior multo extitisset, pro impensa tam honesta, tamque necessaria, merces C publica ei denegata est; nolueruntque solvere *Jannoctio* postulanti, quod non modo scripta Lex, verum etiam diuturna quidem consuetudo in eam diem omnibus, qui perfuncti essent legationis munere, tribui præcepisset; quod quidem, ut æquum fuit, ægre *Jannoctium* tulisse ferunt. Questus est enim graviter de injuria tam insigni cum *Cosmo Medice*, qui tum in urbe nostra quasi rerum potiri videbatur: cum & habenas teneret reip. illique præesset inter primos gubernandæ. Re igitur ostendit atque opera sua, se multa in patriam beneficia contulisse, cum pro tuenda illa ipse unus plura solvendæ pecuniæ onera substinuisset; D quam quisquam alius ex omnibus præter ipsum *Medicen*. Quoniam quinque ac triginta millia numûm supra centum è puro, solidoque auro in commune solvisset. Huc accedit, quod nulli unquam labori *Jannoctius* pepercit, à nullisque abstinuit periculis adeundis, dum civium suorum tueretur salutem, atque ut resp. surgeret, efferretque caput inter urbes alias, magisque amplificaret suam pristinam dignitatem. *Pro benefactis*, inquit, *quale pretium tulerim non modo tu, Cosme, optimus es testis, sed universi Cives etiam, qui rempublicam gubernant, & quorum interest, hæc bene nosse omnia.* Dum in hac *Jannoctius* agitatione E mentis versaretur, magistratum adeptus est, quem ultimum esset extra urbem administraturus. Vicarius enim forte ductus ad *Scarperiæ* municipium, ut nostri dicunt, eo animo se contulit, eaque voluntate, ut si unquam se antea bene gessisset in subditis recte, atque juste instituendis, optime tunc in eisdem regendis temperandisque esset se ipsum gesturus: quod aliter immortali Deo, conditorique omnium (ut ipse ajebat) satis facere non posset. Itaque ut primum illuc est profectus: eundem in subjectis juste clementerque gubernandis secutus est ordinem: quo antea quidem in duobus aliis magistratibus generis ejusdem usus F erat. Cum enim *Mucellanum* agrum dissensionibus plenum offendisset, quod omnes, aut plerique inter se capitali odio dissiderent; cuidam ex amicis dixit, arbitrari se nihil immortali Deo gratius facturum, quam si ad pacem eos homines traduceret, quos sub ditione teneret: quod plane perspiceret familias omnes, atque domos universas quæ armis rem decernerent, funditus ruituras. Primum igitur ubi divinam opem invocasset, computatione facta cœpit diligenter annotare, quot

quot ſibi eſſent diſcordiæ, atque ſeditiones in toto agro *Mucellano* componendæ: quas cum decem ſupra centum eſſe comperiſſet: à prima initio facto, cum quibus potiſſimum de rebus inter ſe illi diſſentirent, patientiſſimis auribus attente audiviſſet, compluresque antea graviſſimas inter ſe diu quidem inimicitias exercuiſſent: benivolentia *Jannoctius* conjunxit, cauſaque fuit, ut in pace degerent, & in tranquillitate. Hoc enim *Jannoctio* perhibent ingenium à natura tributum, atque ita manſuetum, ut quicumque ipſum alloqui vellent, quamvis illi longiores, faſtidioſique eſſent, ineptique in loquendo ab omnibus haberentur, eos tamen benigne audiret, donec quæ narrare vehementer ipſi cuperent, ſingula explicarent. Ubi autem verbis tandem poſuiſſent finem, ita graviſſimis argumentationibus quoſcumque impellebat ad id quod ſuaſiſſet, ut omnes uni cederent, ſeque totos ad voluntatem prudentiſſimi hominis accommodarent. Quamobrem nihil erat tam difficile, quod ille diligentia, & ſtudio, eloquentiaque ſua non aſſequeretur. Nonnunquam evenit, ut eſſent huic dirimendæ lites, ſedandæque diſcordiæ hominum crudeliorum, & qui nivoſas *Alpes*, locaque frigidiſſima incolerent: quos cum ſuſpicaretur parentes dicto non futuros: propterea quod illi ſine legibus, ſine moribus tanquam bruta viverent, animadvertens in ſe pondus rem habere, ipſe ad eos proficiſcebatur, quem cum rudes illi homines ad ſe venientem intuerentur; tantaque clementia in eos uti, & humanitate perſpicerent, ut ad illos cauſa ipſorum venire tantus vir non dedignaretur, pudore victi, ac præſtantiſſimi hominis præſentia commoti: ſuaviſſimaque perſuaſi oratione dedere manus, vetuſque odium, licet capitale fuiſſet, depoſuere quamprimum: ac ſine ulla exceptione, quidquid cenſuiſſet *Jannoctius*, fecere: ut videatur idem, quod de *Orpheo*, aut de *Amphione* dicitur, *Jannoctio* contigiſſe: quorum alterum ſuaviſſime canentem auritæ quercus, ut apud Poëtas habemus, ſequebantur, id eſt homines rudiores: alteri dulcem lyram pulſanti lapides paruere, id eſt duriſſimi mortales; quoniam efferatos quorum homines, atque nulla ſe regentes ratione *Jannoctius* commoverit eloquentia ſua, & orationis mira quadam ſuavitate vehementer compulerit ad tuenda jura: quorum antea vix nomen illi accepiſſent. Non enim mittebat ad diverſa ſuæ juriſditionis loca *Jannoctius* miniſtros, aut ſatellites ſuos tantum ad exigendas ab egeſtate oppreſſis pecunias, ut multi conſuevere, quos animo excelſo præditus aſpernabatur, ſed ipſe quoque, ubi oportuiſſet, accedebat: ut eos tanquam in portum è tempeſtatibus variis traduceret quietum: atque ut ad ſummam colligam, è diſcordiis omnibus, quas complures eum diximus in provincia ſua comperiſſe, nulla ſuperfuerit, quam ille non componeret: ſedanſve (quoad potuit) è mentibus illorum non radicitus extirparet. Quamobrem non modo inter homines; ſed apud immortalem Deum, qui omnia recte facta æquis aſpicit oculis, & gratiam, & gloriam eſt ipſe conſecuturus. Qui vero de datis, & acceptis inter ſe litigarent, perſpecta, & cognita veritate, concordes illos à ſe factos ſine impenſa ulla dimittebat. Benigne tractati omnes: non cuiquam, qui non ſolviſſet, illata vis: nemo detruſus eſt in carcerem. Emolumenta enim propter hoc rectoribus tribui dicebat ab hominibus provincialibus: ut adminiſtrent jura; non ut omnes deprædentur; ſubditoſque bonis ſpolient: dum eos cogunt ad quas non poſſunt, & ad quas non debent pecunias perſolvendas. Cum à multis rogaretur, cur tantopere in magiſtratu ipſo, quem nuper adeptus fuerat, gubernando la-

A boraret: hoc modo ſolitus erat reſpondere: *ſe triplici adductum de cauſa, ut ita faceret in animum induxiſſe. Prima, ut Deo gratificaretur immortali. Secunda, ut ſuo in ſubjectos, quibus ex ipſo jure omnem operam deberet, officio fungeretur. Tertia, quod hunc magiſtratum eſſe ultimum auguraretur: quem nomine urbis ejus, quam ſibi matrem eſſe duceret; quæve in lucem ſeipſum pertuliſſet, foris eſſet aditurus: res enim dicebat ille, videtur à me poſtulare: ut in hoc actu, qui extremus mihi agendus ſupereſſe videatur, tanquam non iners poëta, vehementius etiam, quam in cæteris conſueverim, debeam laborare.* Quod autem ſibi eſſe ita eventurum

B *Jannoctius* arbitraretur, à metu invidiæ ducebat originem, qua uſque adeo ille premeretur, ut crederet ob livorem non alios in poſterum ſibi magiſtratus datum iri. Id tamen ut homo addictus religioni ferebat æquo animo, pollicebaturque cotidie magis in eo, quod honeſte cœpiſſet, ſe perſeveraturum: voluntateque divina, quidquid adverſi accidiſſet, ad utilitatem hominum, putabat eſſe conſtitutum. Eodem tempore, quo populi *Florentini* vices gerebat in agro *Mucellano*, forte accidit, ut luſtrum fieret in *Florentina* civitate, in quo & cenſebantur capita ſingulorum, &

C ſecundum cenſum tributa illis atque, ut nos dicimus, onera imponebantur. Itaque cum *Jannoctius* quaſi vates in dijudicandis rebus futuris pro graviſſimo ejus judicio, & maximo à natura inſtitutus eſſe videretur, multo ante cognovit ex nimio ſe pondere in præceps ruiturum. Poſſem multa in medium afferre, ni veritus eſſem, ne longiores in ſcribendo eſſe videremur, quæ multis ante annis quam illa evenirent, tanquam ex oraculo divino vaticinaretur: ſic eveniſſe omnia, uti antea ille prædixiſſet futura. Quamvis autem pluribus quidem afficeretur curis, cum in dicendo

D *Mucellanis* jure, tum in diſcordiis ſedandis, atque diſſenſionibus, ut ſupra diximus, inter ſubditos componendis; librum tamen *de hominis excellentia* ſcripſit elegantiſſime; cujus libri ſcribendi quidem cauſa ab *Alphonſo* Rege proveniſſe videatur. Cum enim multa prius de dignitate hominis inter ſe diſſeruiſſent: rogavit Rex *Jannoctium*; ut ſibi aperiret, quod præcipuum eſſet hominis officium, ad quæ cum Alphonſo *Jannoctius* reſponderet, ad hominem maxime pertinere, ut agat, & intelligat; adductus eſt, ut plura quæ cogitarat ille ad rem pertinentia, & ad quæ antea meditatus fuerat, litteris mandaret, librumque hunc componeret: quem Regis nomine inſcriptum

E miſit ad eundem. Atque ut aliquid de moribus ejus attingamus, nuſquam in vita leviuſcule dicitur luſiſſe, ne tempus pretioſiſſimum omnium fruſtra contriviſſe videretur: nemo ex omnibus fuiſſe invenitur, qui ocioſos laſcivienteſque ludos magis vituperaret, magiſque deteſtaretur. Frequens verbis uſurpabat, ſæpeque ipſe habebat in ore, immortalem Deum ita hominibus facturum, ut ii qui præſunt rationibus primique ſunt in mercatura exercenda; utque argentarii, trapezitæque ſolent: cum pecunias capſulæ fidiſſimo cuſtodi tradunt aſſervandas: ſæpeque jubent computum à cuſtode fieri, reddique rationem: an recte quas

F accepit pecunias cuſtodierit: ut, ſiquid defuerit, ſibi cum ignominia, & damno id ſit trapezitæ redditurus: pari ratione dicebat immortalem Deum præcepturum, atque ita ut homines quot tempora vixiſſent ipſe Deus computaret, quantum in dormiendo ſpatii, quantum in capiendo cibo ex neceſſitate poſuiſſent, diligenter conſideraturus annos, menſes, dies, horas, atque momenta brevia: qui vitam inutiles negligenter duxiſſent, convenientem factis mercedem illis redditurus. Ob hanc igitur cauſam, quod ſibi datum

tum

tum erat ad vivendum tempus, ita dispensabat, ut ex eo nihil unquam perdidisse videretur. Cum autem conficiendi lustri tempus jam instaret, atque capita civium censenda essent omnia: *Jannoctius* suspicabatur, ne tam sibi gravia tributa imponerent, ut ea ferre substinereque non posset: vehementerque pertimescebat quosdam homines, qui virtuti ejus sæpe, ac multum invidissent; qui quidem tam legitimus *Jannoctium* timor non fefellit. Cum enim palam factum esset omnibus, quantæ cuique civium *Florentinorum*, quotque essent pecuniæ in commune solvendæ, nuntiatum est *Jannoctio* tantum sibi tributi, atque oneris impositum, ut pro qualibet pecuniæ portione, quæ ipsi reip. pendenda quidem foret, sex atque sexaginta aureos supra centum esset soluturus; quod nuntium cum ille accepisset, non nihil est mutatus in faciem, animadvertens illud esse fortunarum suarum gravissimum exitium futurum. Inde domum rediens cœpit cogitare tanto suo incommodo quale remedium esset adhibiturus. Itaque *Francum Sacchettium* misit ad *Cosmum Medicen*, qui tunc facile in rep. princeps habebatur. Is autem homini ad se scitatum sententiam suam venienti ad ea, quæ nosse cuperet, respondit, morbum quo *Jannoctius* premeretur non ei mortem esse allaturum, significans ab illo posse liberari: quod *Francus* accipiens confestim ad *Jannoctium* reversus est, quasi rem non ingratam homini significaturus. At *Jannoctius*, qui *Cosmi Medicis* ingenium optime calleret, ita *Franco* rem exponenti respondit, morbum de quo *Medices* loqueretur, corpori quidem, non autem animo mortem præbiturum, quasi hoc significare vellet, illos, qui tributa nimis magna exigenda imposuissent, ab eo posse auferre pecunias; & bona quæ fortunæ putarentur, quæ animi essent, ut constantia, ut gravitas, ut fortitudo, à se ipso deduci, amoverique non posse Ait enim: *ita ego me geram, ut neque mihi, neque liberis meis possit probro dari, me parum officii patriæ meæ præstitisse. Non autem imminui, quod fuit in ea laudabile; sed auxi, quoad potui, atque ita ut hoc præconium laudis, quod ex benefactis in patriam jure mihi debetur, sim liberis meis relicturus. Potius in exilium proficiscar voluntarium; quam aut immortali Deo displiceam, aut sim hominibus parum grata facturus. Si enim veneratus sum patriam, ejusque amplificavi dignitatem, non committam, ut contra sim inposterum acturus.* Hac ille cum esset in remp. voluntatate, multi tamen urgebant ipsum verbis acrioribus, conabanturque hominem fortissimum è sua sede dimovere, atque ut eam deponeret vitæ integritatem, à qua nusquam per omnem vitam oculos dimovisset, sed frustra conabantur. Mens enim atque animus illi semper immotus erat, atque in sede sua ita semper *Jannoctio* erat permansurus, ut ab eo quod semel honestum esse statuisset, ille unquam dimoveri non posset. Verum cum secum ipse cogitaret uxorem, liberos, patriam, omnium charissimam sibi esse relinquendam: non potuit animo dubio non esse, ne id quamvis esset sapiens non moleste ferre. Huc accessit *Nerius Caponius*, qui cum multa homini referret, quæ contra eum agerentur, augebat dolorem. Nam etsi opem *Jannoctio*, quem unice diligebat, minus ferre posset, tamen in quodcumque periculum, atque discrimen esset ille casurus, faciebat eum quam diligentissime certiorem, quæ hoc animo licet à *Nerio* dicerentur, ut in re sua ille cautior redderetur, tamen quia grave damnum ei, malumque minarentur, non potuere non moleste ferri: præsertim cum aperte declararetur *Nerius* à principibus civitatis cuncta pervenire, quæ in eum tentarentur; siquidem affirmaret illos non contentos his, quæ

A in *Jannoctium* gravia meditati essent, verum etiam multo esse in illum graviora illaturos: nisi pecunias solverit, quæ sibi ex imposito tributo solvendæ evenerunt. Cum ergo jam intra suum animum ob tantas rerum angustias *Jannoctius* Florentia discedere statuisset, tamen multa ei obversabantur, multa hominem vexabant, uxor, liberi, amor ingens erga patriam, amici complures: quorum erat *Jannoctio* magna pro summis ejus, clarissimisque virtutibus multitudo. Hæc omnia ita ejus animum commovebant, ut difficillima omnino deliberatio migrandi à patria procul, & à suis laribus futura videretur, ea præ-
B sertim in ætate, in qua solent homines ex peregrinationibus libenter domi conquiescere. His ergo gravioribus animi, & corporis sic agitabatur curis, ut noctes viginti pene duceret insomnes. At Deus omnipotens, qui non destituit, qui virtuti se dedunt, inspiravit ex alto Cælo mentem, animumque cuidam ex iis viris, qui religioni nostræ vehementer addicti montem incolunt oleis refertum. Cum enim huic viro probitas atque virtus *Jannoctii* nota esset, audiret ex multis, quantis in difficultatibus, quotisque in ærumnis ille versaretur, nemine suadente domum ejus profectus est, qui pulchritudine corporis, ac digni-
C tate quadam auctoritatem præ se ferret, *Jannoctium* convenit in pluteo commorantem, variasque agitantem in pectore curas: isque hominem aggrediens, ubi manu validiore pectus cepit ejus, vim illaturo similis, atque inquit: *O Jannocti, persta in sententia, & in tenore vitæ anteactæ persevera, & à tua gravitate, constantiaque tua ne discede. Mundus veterascens, & in multo pejus cotidie inclinans ad breve tempus videtur duraturus: amaroris plenas ille affert epulas, afferretque in posterum: neque tales solum, quales in præsentia degustasti: verum etiam his longe amariores.* Hoc facto principio loquendi gravissima oratione, atque vehe-
D mentissima usus est, ut eum ad sanum ex multo animi morbo revocaret: *Ubi*, enim, *prudentiam*, inquit, *tuam Jannocti reliquisti? ubi sapientiam? quem fructum ex tot, quæ perlegisti hominum eruditissimorum voluminibus es tibi consecutus? cum omnia, quæ in religione Christi scripta sunt, optime cognoveris, sintque tibi notissima, quibus graviter admonemur, ut quæcunque molesta, & adversa nobis accidunt, æquo animo feramus. An ignoras quid tibi sit faciendum, neque te movent exempla hominum clarissimorum, neque sanctissimorum graves, quid sit optimum factu, erudiunt sententiæ; Certe si alia te fugerent, quæ à Christo optimo maximo præcepta nobis sunt ad vitam instituendam, deberes memi-
E nisse, & admoneri ab eisdem, excitarique ad ferenda omnia mente, atque animo tranquillo: quæ graviora istis evenire tibi possent, cum beatos appellet eos homines, qui propter servandam justitiam æquo animo patiuntur, ut cæteri mortales omni genere injuriarum eos persequantur; permittatque item Deus eosdem in superis quoque regno esse potituros.* Hæc ubi dicta sunt ab illo, rogavit *Jannoctium* sacerdos, ut finem curis imponeret, neve committere vellet, ut quisquam eum tanquam superatum ab ærumnis posset inconstantiæ condemnare; præsertim cum alia illi essent in vita usu eventura majoris deliberationis, majorisque difficultatis,
F quam ista, quibus ille vexaretur, extitissent. Hæc verba hominis pronuntiata tempore, ac loco, tantam vim habuere, ut sine ulla temporis exceptione omnem curam *Jannoctius* deponens animo conquiesceret, confestimque statueret, quod sibi potissimum esset faciendum. Itaque cum sacerdoti gratias egisset de singulari ejus in se amore, manu cepit hominem; comitatusque ad hostium vehementer rogavit, antequam missum faceret, ut

apud

apud immortalem Deum pro se castas preces funderet, à Deoque contenderet, ut deliberandi ejus, quod esset conducibilius, sibi daret facultatem. Inde constituit *Florentia* Romam commigrare, ut ad *Nicolaum* Pontificem Maximum, arcanis cujus præfectus erat asservandis, & à quo unice diligeretur, se conferret: quod quidem consilium cum uno tantum, aut cum duobus ad summum ex amicissimis communicavit; quorum unus dicitur *Mariottus Banchus* extitisse; siquidem cum gravissimo periculo sui, fortunarum suarum *Jannoctium* abeuntem *Mariottus* ad urbem *Typhernatem* comitatus est. Duos autem præmisit ex filiis, mandavitque illis, ut se patrem *Typherni* præstolarentur. At minor natu è liberis, nomine *Johannes*, cucullo indutus religiosi hominis, uti pater instituerat, ab urbe discessit. His peractis *Jannoctius* idem fecisse videtur, quod factitarat ante *Scipio Africanus*; cum post tot victorias triumpho dignissimas, postque tanta in populum *Romanum* à se collata beneficia, *Romani* petiere, ut imperii summa sua cum laude administrati computum faceret, pecuniæque susceptæ redderet rationem populo id postulanti vehementissime; quam rem ille vehementer indignatus: cum nihil divitiarum ex imperio sibi comparasset, quod in paupertate viveret, hæc in Patriam ubi verba fecit, *cum ingrata in me fueris, cineres meos in urnam non recondes*, migravit *Roma* in exilium voluntarium; hoc idem *Jannoctius* fecisse videatur. Nam cum propter multa præclara, quæ optime vir ille in remp. gessisset, dignus putaretur, ut magnis quidem afficeretur præmiis, coactus est ob invidiam migrare à patria procul tanquam in exilio futurus voluntario. Cum igitur *Florentia* discedens *Typhernum* pervenisset: qua in urbe filii ex mandato patris eum præstolabantur, ubi liberos vidit adventasse incolumes, permultum est ex illius cura diminutum. Hos ergo, postquam in unum convenissent, ita est allocutus: *Hoc suspicor, nati mei amatissimi, futurum, ut summus nostræ urbis magistratus spatio temporis mihi constituto præcipiat nobis, ut dicto pareamus; cui nisi obtemperaverimus, una sim vobiscum in exilium profecturus, quod quidem ubi acciderit nobis, nam profecto eveniet, cogitare debetis, quod vobis sit faciendum.* Illi patri ad ea, quæ dixerat, responderunt, videri sibi satis effecisse, quod eo se contulissent, atque propterea illos judicare, minime ulterius proficiscendum fore. Major autem natu sic parenti respondit, ubi necesse fuerit, tunc deliberandum videri, quod consilium fuerit sibi ipsis ejus natis capiendum. Senex autem prudentissimus, ob experientiam, atque usum rerum, quo juvenes carere consueverunt; cum tanquam ex aliqua specula jam prope oriendam prospiceret tempestatem, relicto Typherno, *Romam* una cum suis liberis accessit: ad quam urbem ubi perventum est, quamprimum sine ulla temporis exceptione visit Pontificem Maximum; narravitque ordine quæcunque graviora sibi accidissent. Hæc Pontifici cum magnam afferrent molestiam, quod hominem vehementer diligeret, humanissimis verbis eum solatus est, admonuitque graviter, ne de ulla re dubitaret, aut suspicaretur, sed confideret *Nicolaum* Pontificem Maximum necessitati ejus nunquam defuturum; quæ promissa Pontificis minime *Jannoctium* fefellerunt. Nam ut degere posset, quemadmodum conditio ejus postularet, statuit; ut quotannis *Jannoctio* aurei sexcenti traderentur præter illud emolumentum, quod eidem, quoniam secretis, arcanisque pontificalibus esset interfuturus, obveniret. Ubi domum rediit à visendo Pontifice; non cessabat filiis affirmare id venturum, quod ille quidem antea prædixisset: quam opinionem fuisse veram rei exitus probavit. Qui enim universæ gerebant personam civitatis, accersiere cives, qui consilio boni haberentur. Ii ut cupidiores publicæ utilitatis viderentur, acerrime in *Jannoctium* invehebantur; qui autem minus perturbatione afficerentur, quive temperatiores essent, homini potius ignoscebant; quod gravi adductum necessitate arbitrabantur à patria discessisse. Princeps autem summi Magistratus ad Senatum retulit de *Jannoctio* puniendo, injustus quidem ille, nec animadvertens, quanta injuria tantus vir, & quam gravi de causa coactus esset *Florentia* discedere. Tenebat primum locum in primo urbis magistratu *Loysius Guicciardinus*; ex collegis ejus fuerant *Antonius Puccius*, & *Antonius* Thaddei filius. Ii cum ad ipsius rei causas deveniebant, nullæ profecto reperiebantur, quibus jure possent homini, qui ab omni procul esset crimine, nocere. Tandem cum in eo nihil ex vero invenirent, quod supplicio dignum, atque gravi pœna videretur: huc omnes proruperunt, ut *Jannoctio* imperarent, ut ad decimam diem ab illis constitutam, *Florentiam* rediens ad summum magistratum se conferret; quod nisi faceret, nisi dicto pareret: exulandum ei una cum liberis *Placentiæ* fore per universam vitam: intra quam urbem exilio futuro assignatam nisi permaneret, perduellionis pœnam fore illis subeundam. Hæc ubi statuere Principes civitatis, ad prætorem urbanum miserunt, qui summi magistratus jussu præciperent ei: ut quidquid esset in *Jannoctium*, atque in ejus liberos constitutum, in acta referret. Sed cum essent assignandæ causæ, atque foret enarrandum, cur ita decrevissent, prætoremque omnes aliæ deficerent, admonente jure consulto nescio quo hanc solam conficti criminis causam assignarunt; quoniam ad *Alphonsum* Regem librum *de dignitate hominis* regio inscriptum nomini, dum pax vigeret, essentque tranquilliora tempora, misisset, qui populi *Florentini* ea tempestate hostis haberetur. In quo profecto licet intueri omnibus, qui recte quidem judicare dedicerunt, non modo quam inique, sed quam insulse fecerunt. Nam ex quo *Jannoctius* afficiendus præmiis videbatur, quod summo ejus ingenio, summaque doctrina *Alphonsum* hostem acerrimum nobis aut reddere minus infestum, aut reconciliare potuisset, ob id hominem damnarunt, ut non tam *Jannoctio* inimici haberentur, judicio meo, qui hæc factitarunt, quam patriæ communi, cum illum ipsum male quidem mulctassent, qui civitati suæ quoquo modo profuisset. Sed illi ob stultitiam pretium tulerunt. Ex his enim, qui ad *Jannoctium* insequendum conspirarunt, plerique aut ipsi exulaverunt, aut perduellionis pœna rebelles à patria fuere, neque solum qui auctores extiterant confingendi criminis; verum etiam qui *Jannoctium* sine ullo periculo poterant defendisse, nec fecere tamen, eandem pœnam multi subiere. Siquidem eundem vitæ exitum, quem superiores sortitos esse diximus, sibi adinvenere, quod *Jannoctius* multo antequam res cecidisset illis, quasi divinaret, prædixerat futurum. Ubi vero, quid potissimum de ipso exule statuendum esset placuisset, decreverunt planum homini per tabellarium facere. Sed quamvis gravior exilii metus, ut rediret ad constitutam diem vehementer cogere *Jannoctium* videretur, tamen inimici ejus id fieri à *Manetto* noluissent, cum quia defendere non poterant jure factum, quod in eum statuissent, tum quia nonnulli rebus, quas ille in exilium profectus reliquisset, vehementer inhiarent. Verum inter cæteros, qui de iis, quæ acciderunt, certiorem *Jannoctium* fecere, quidam magnus videlicet

cet vir, fuit autem *Cosmus Medices*, ad eum scripsit litteras, quibus admonebat, ut *Typhernum* se conferret. Dicebat enim fore, ut in ea urbe *Thomasum Jacominium*, qui fidem ferret publicam, esset reperturus, quod tamen falsum fuisse eventus declaravit. Adventarat enim ille quidem, qui fuerat venturus; verum sine publica fide, quod iccirco factum esse tradunt, ut *Jannoctius* desperatis rebus in animum induceret *Florentiam* nunquam sibi esse redeundum: quod profecto effecisset, nisi amor ingens filiorum eum sententiam mutare coëgisset. Ergo cum *Romæ* adhuc esset, atque inter suos, qui secum domi viverent, forte, ut fit, colloqueretur, diceretque se minime ingenia civium suorum ignorare, atque propter hæc arbitrari, ut jam pœna parata sibi ab illis impenderet, nisi dicto parens summi magistratus ad constitutam diem *Florentiam* reverteretur: ecce hostium pulsatur à tabellario, quasi de industria deditaque opera, dum sermo de re ipsa, quam ille nuntiaturus venerat, haberetur. Is afferebat ad *Jannoctium* litteras, quibus lectis cum agnovisset optime, quæ *Florentiæ* contra se acta essent, accersivit suos, jussitque considerare, utri eorum verius vaticinati essent, an illi, an *Jannoctius*. Cui admirantes responderunt, eum sibi non modo virum prudentia præditum, sed vatem quendam divino spiritu afflatum videri: ita res uti gestæ fuerant, ex vero ille prædixerat futuras. Post redditas sibi litteras, perlectasque familiaribus, quamprimum se contulit ad Pontificem Maximum, omnia, quæ sibi accidissent, explicaturus. Hæc ubi *Nicolaus* audivit, vehementer admiratus, quod tanto à suis livore *Jannoctius* afficeretur, fuit animo ancipiti. Cum autem ille Summum Pontificem consuleret, quod sibi faciendum esse videretur, rogavit eum Pontifex, an his, quæ nuper ad illum scripta essent, remedium excogitasset; quod cum negaret ille, affirmavit *Nicolaus* se illud adinvenisse. Hoc autem fuerat, ut *Florentiam* accederet Pontificis Legatus cum litteris pontificalibus, qui fidem facerent oratorem mitti à Pontifice Summo ad populum *Florentinum*. Videri hoc remedium saluti ejus accommodatissimum: præterea nullum; quod consilium cum *Jannoctius* vehementer approbasset, *Nicolao* egit gratias, tanquam inventori optimo. Is autem ut exequeretur ipsa re, quod verbis antea pollicitus fuerat, *Nocetum* jussit *Petrum* accersiri, eique mandavit, ut quæ ad instituendum oratorem *Jannoctium* pertinerent, conficeret omnia, quod eum ad *Florentinos* esset legatum missurus; quæ posteaquam constituta fuere, *Nicolaus* admonuit *Jannoctium*, ut iis uteretur, si necessitas cogeret; sin minus abstineret à legationis munere. Confectis omnibus à Pontifice Maximo, quibus ille ad eam rem, quam parabat, indigere videbatur: quamprimum se instituit ad iter capiendum, quoniam ut dicto summi pareret magistratus, qui jusserat ei, ut antequam decima dies præteriret, ad urbem patriam reverteretur, *Florentiam* versus esset profecturus, de qua profectione varii varia diversaque sensere; plures tamen in hanc conveniebant sententiam, ut ad urbem patriam *Jannoctius* non esset accessurus; præsertim quibus compertum erat hominem fide publica fraudari debere, ut ejus adversarii statuerant. Digressus *Roma* longis itineribus *Typhernum* pervenit; qua in urbe *Jacominius* eum præstolobatur. Quem ubi convenit *Jannoctius*, hominem rogavit, an fidem ille publicam secum attulisset: ad hæc se mirari *Jacominius* respondit, dixitque totam se rem ignorare. Cum autem, quod sibi minime placeret, ex *Jacominio* accepisset, cœpit intra se cogitare, quodnam sibi esset facien-

A dum. Ubi autem plane perspexit, hanc tam insignem injuriam in se ab adversariis fuisse illatam, ut re desperata *Florentiam* non veniret, atque ut interea bona ejus illi occuparent, uti postea deprehensum est à multis, animadvertens non sibi satis superesse temporis ad fidem publicam per litteras sibi expetendam: statuit quamprimum *Florentiam* se conferre: nihil damni, aut mali suspicans, quoniam ut pontificalis Legatus *Florentiam* urbem esset ille petiturus; Quamquam scripserat summus magistratus litteras ad Burgensem prætorem, ut cum illac *Jannoctius* iter faceret, eum ipsum in vincula conjiceret, *Florentiam*que
B mitteret detrudendum in carcerem: tamen non passus est prætor ille justissimus, & qui rei nosset æquitatem, homini nobilissimo hanc inurere notam. Verum eidem aperiens, quod consilium adversariorum extitisset, negavit se facturum, quod summus *Florentinorum* magistratus ei, ut faceret, per litteras præcepisset. O rem omnium vituperatione prosequendam! omni genere injuriarum hominem insequebantur cives iniquissimi: qui bona plurima, vel summa etiam virtute sua, suaque doctrina, vitæque integritate in remp. contulisset. A Burgo digrediens eo Jovis die, quem nostri ob memoriam Christi Optimi Maximi sanctum appellarunt, *Florentiam* petiit. Ibi visurus
C summum urbis magistratum, curiam ingreditur. Ubi ad eos perventum est, qui potiuntur rerum, iis usus est verbis, talem habuit orationem: *Si, Florentini Principes, immortali Deo, à quo sum in hanc deductus lucem, ita fideliter inservissem, obtemperassemque, ut omnibus vobis; & qui hanc vestram sedem, curiamque tenuere, sum semper obsecutus, pro meis in Deum meritis ad pedes Johannis Baptistæ collocandus essem. Quod autem præmium tantæ meæ in vos observantiæ, tantorumque sim laborum assecutus: malo vos judicare pro vestra prudentia, quam*
D *id à me vobis explicari.* Hæc ubi est locutus, non defuere, qui lachrymas emitterent, cum ipsi cogitarent intra se, quam inique, quam præter hominis dignitatem cives invidi *Jannoctium* tractavissent. Hinc misericordia moti, eum benigne perhumaniterque monuere, ut domum abiret, aliasque, ubi à labore itineris conquiesset, sibi dari posse facultatem, ut eos viseret animo tranquilliore, utque ad eos, posteaquam se à laboriosa profectione illa refecisset, commodius reverteretur. Digressus ab illis se ad Prætorem contulit Urbanum, ut ei planum faceret, se intra constitutum tempus adventasse, à quo exceptus est honorificentissime; siquidem de cubili *Jannoctio*
E exivit venienti obviam se facturus, atque detecto capite, ut fit, sic hominem salutavit, sic veneratus est, ut quanti faceret *Jannoctium*, profecto daret omnibus documenta maxima. Inde domum abiens cives suos visere instituit optimis quibusdam rationibus, quoad posset ille, his persuasurus, darent ipsi operam, ut summus eum magistratus missum faceret, utque liceret ei *Romam* esse redeundum. Præsertim cum ea foret erga suam patriam voluntate, ut eodem inposterum tenore sic esset illi profuturus, quemadmodum antea semper in eam diem profuisset. Quibus *Jannoctius*
F suasionibus tantum potuit apud cives singulos: ut quidquid honeste petiisset, ab illis obtineret. Non dici potest, quot eum domi salutaverint boni viri, quantaque ab eisdem redeundi gratulatio facta sit. Cum autem per urbem iter faceret, intuebantur eum, aspiciebantque venerabundi omnes, & quasi moleste laturi, quod paulo post, uti rumor erat, civis tanta virtute præditus à *Florentina* esset urbe migraturus. Colebatur enim vehementissime ab omnibus præter admodum paucos, quia neminem in vita offendisset, quin

potius

potius omnibus gratificari studuerit. Ita enim in rebus se gerebat contrahendis, ut nemo repertus sit in tota civitate, cui vel quadrantem *Jannoctius* deberet. Fuit ea vitæ integritate, ut multi multas lites, atque varias ad eum solum tanquam ad æquissimum judicem deferrent dirimendas. Qua spe minime illi fallebantur: qui enim inter se dissentiebant, his concordibus factis per *Jannoctium*, tanta ipse cum æquitate componebat lites, quas ante dijudicandas accepisset, ut utrique *Jannoctio* tanquam homini justissimo, de re bene composita magnas gratias agerent. Cum jam à summo magistratu veniam impetrasset, ut quando vellet ipse *Romam* esset rediturus, cumque jam se pararet ad iter capiendum; pridie quam erat ille discessurus, Decemviri creandi fuere in *Florentina* civitate. Hic magistratus non nisi dubio reip. tempore, cum graviora bella imminent, creari consuevit. Huic data à populo cura, potestasque omnis, ut videat, ne quid detrimenti resp. capiat. Mos erat, & consuetudo in urbe *Florentina*, ut, cum Decemviri creari deberent, qui potiebantur rerum una cum collegis suis, qui octo, ac viginti numero habentur, in curiam convenirent; utque cum iis etiam utrumque consilium interesset; duo enim superioribus temporibus extitere, quæ modo coacta commixtaque in unum, confusaque sunt; quod quidem in se complectatur universam populi *Florentini* majestatem. Cum ergo simul omnes cogerentur, quilibet ex iis, qui prima potirentur in rep. dignitate, quique essent ex collegio, unum nominabant in suffragia iturum, quem si multitudo illa sanciret, Decemvir haberetur. Sed quamvis hæc forma esset, ac species reip. ut populariter creari magistratus viderentur, tamen pauciores qui fuerant, atque potentiores, summa ope nitebantur, ut decem homines, quos illi antea privaturi designassent, in Decemviros legerentur, operamque dabant, ut ii tantum, quos volebant, confirmarentur ab his, qui se ita polliciti facturos paulo ante conjurassent: Cæteri excluderentur. Verum Deus immortalis, qui jacere sinit ex iis neminem, qui spem omnem in eo collocatam habent, conatus eorum injustos atque vergentes in manifestam tyrannidem irritos fecit omnes. Nam cum homines, qui primam incolunt ipsius urbis partem, quæ à Spiritu divino nomen ducens, *Spiritua* nuncupatur; in quatuor enim partes distincta urbs *Florentina* dividitur; primi quoque suos nominare deberent: *Jannoctius* præter opinionem eorum, qui contra nitebantur, inter subornatos illos, taciteque designatos quodammodo nominatus ivit in suffragia tanto cum omnium, qui aderant, favore, ut pene omnibus suffragiis Decemvir declaratus esset; Illi vero qui ex eadem classe de industria instituti fuerant à factione tacita, ut mox eligerentur, caderent quidem omnes, nemoque foret, quem inter Decemviros numerandum populus censuisset. Sic universa civitas affecta lætitia *Jannoctio* vehementer gratulata est, atque omnes qui loqui posse videbantur, palam prædicabant, quanto magis ab invidis honor *Jannoctio* minuebatur: tanto hunc eundem ab his magis augeri, qui optime quidem de republica sentirent: quique patriæ communi bene omnia cuperent, ac feliciter evenire. Profecto si ea cogitemus, memoriaque repetamus, quæ paulo ante sunt à nobis explicata: pro comperto habebimus, virtutem fortunæ casibus non subjici: quandoquidem *Jannoctius*, qui ob invidiam mittendus una cum liberis modo in exilium putabatur, suavissima quidem patria cariturus, spe amissa omni, huic tanto malo posse remedium afferri; paulo post idem vir propter virtutem, & probitatem extortus omnino è manibus hominum

A sceleftorum, & qui omni ex parte penderent ex fortuna, liberatusque à periculo tam gravi: hunc est cum primatibus urbis magistratum consecutus, qui uti belli tempore ponderosior existimatur omnibus in *Florentina* civitate, ita cæteris quoque illustrior habetur. Itaque ut primum Decemvir renuntiatus est, tota repente civitas summo quidem gaudio affecta est; atque *Jannoctio* de curia exeunti cives omnes gratulabundi obviam iere: Partim manu hominem prehensabant, partim amplectebantur lætitia gestientes. Ubi magistratum ille, collegæque ipsius inierunt, cum florentissimum haberent *Florentini* exercitum; Decemviri cogitare cœperunt, esse conducibile ipsi

B reip. ut vere primo exercitus omnis statim, ubi tempestas apta esse videretur, in campum, planitiemque prodiret, ut reciperent illud, quod prius amisissent. Numerus eorum, qui castrametabantur, peditibus computatis una cum equitibus ad viginti millia hominum traditur fuisse, quo quidem exercitu nostram civitatem jamdiu non habuisse florentiores copias, multi prædicebant. His militibus Decemviri ex procellosa tempestate, quoniam castella multa, nonnullaque municipia minime contemnenda, & amissa prius fuerant, & in manus hostium devenerant, rem perditam

C in portum traducere quietum statuerunt, antequam ipsi extremam manum imponerent magistratui. Cum itaque pecunias parassent, quibus opus esse ad tantum bellum videretur, statuere, ut unus ex collegio eorum una etiam cum privato cive aliquo in castra se conferret, diligenter curaturus, ut omnia rite administrarentur à ducibus ipsius exercitus, utque milites imperio parerent, utque suo fungerentur officio. Sic enim cives *Florentini* consuevere in castra mittere binos è prudentioribus civibus, qui vices gerant totius civitatis, tanta cum auctoritate, ut omnibus in exercitu imperitent; nam summa his permittitur

D potestas in omnibus, qui castra sequuntur populi *Florentini*; Decemviri ergo in hanc sententiam convenere, ut *Jannoctius* esset unus ex duobus, qui vices in castris gesturi essent reipublicæ. Alter *Bernardettus Medices* in re militari sic versatus, sic etiam expertus, ut sæpe à populo *Florentino* gubernandi exercitus eidem provincia, & cura demandaretur. *Jannoctius* itaque in castra profectus, summa cum diligentia faciebat omnia, quæ ad officium ipsius, quæve ad collegarum suorum dignitatem amplificandam pertinerent. Ut enim à ducibus exercitus, & à militibus postea intellectum est, ita se gerebat in negotiis

E militaribus, ut semper curam instituendi exercitus per omnem vitam suscepisse videretur. Quapropter sic à Ducibus colebatur, ut in maxima quoque apud milites haberetur existimatione. Cum autem *Malatestæ Sigismundo* sceptrum tanquam Duci primo dandum esset, atque exercitus omnis curæ unius Ducis subjiciendus esse videretur, mandatum est *Jannoctio* ab universa civitate, ut munus obiret constituendi Ducis, sceptrique tribuendi: quo esset ille cunctis in exercitu militibus imperaturus; in quo munere *Jannoctius* obeundo pulcherrimam in patenti campo è regio-

F ne arcis *Vadæ* habuit orationem, omnibus, qui essent in exercitu, attente audientibus, atque ita propter elegantiam, & gravitatem orationis in stuporem conversis, ut summam laudem atque gloriam consequeretur. Est oratio in manibus, ac tanta omnium in existimatione, ut affirment universi, qui legerunt, neque plura, neque meliora, quam ab eo collecta fuerint, ab ullo quidem afferri potuisse. Hujus orationis à multis exempla multa sumpta fuisse memoriæ proditum est, ut haberent homines, unde rei miltaris laudes,

magno cum ornatu verborum, atque gravitate sententiarum in medium adductas ediscere possent. Dum vices *Jannoctius* in castris gessit populi Florentini, *Vadam*, castellaque omnia, quæ nostri prius amisissent, receperunt, quod factum est magno cum labore. Oportuit enim exercitu, & copiis circumdare illa prius quam in nostram ditionem devenirent, atque ita, ut non tam adjuti à fortuna illud factitarint, quam sapientissimo consilio, quo usus est *Jannoctius*, cum in exercitu prudentissime instituendo, tum in exhortandis Ducibus eloquentia sua, ut facinus aliquod pulcherrimum aggrederentur; donec illos adeo vehementer inflammavit ad viriliter pugnandum contra hostes, ut magna cum laude recuperaremus ea, quæ antea cum dedecore nos perdideramus. Qua ex re magnum *Florentini* per *Italiam* nomen consecuti fuere; Conduxerant enim peritiores multo aliis Duces in re militari, & qui primi omnium in orbe quidem *Italo* haberentur. Quare mirum cuiquam videri non debet, si victoria potiti sunt; siquidem omnia Decemviri summa cum prudentia gubernarunt. Parte alia fortuna, quæ in rebus bellicis magnum habet imperium, illis sic afflavit, ut secunda pugnantibus nostris, atque prospera subministrare videretur. Hac tam ingenti victoria cum essent nostri milites potiti, atque in castris circiter viginti millia equitum, peditumque *Florentini* haberent, ipsius exercitus ductoribus visum est, ut *Senensem* agrum invaderent, atque popularentur. In hanc enim omnes conveniebant sententiam, atque concordes erant universi, ut spatio non amplius viginti dierum *Senensibus* erepturi essent quidquid possiderent, nihil his præter *Senas* relicturi. Quod illi cum omnino se affirmarent facturos, idque nobis etiam per litteras pollicerentur: ipsis tamen, qui *Florentini* civitatis Principes haberentur, visum non est faciendum, neque id sunt consilium secuti: quod invidia in Decemviros, ac præcipue in *Jannoctium* premerentur. Quoniam, ut in superioribus dictum est, tunc exercitus in castris populi *Florentini* Vicarius militum, gubernatorque extitisset. Quamobrem Principes civitatis ad exercitum scripsere, ut abstinerent ab injuria *Senensibus* inferenda, quoniam suspicarentur, ne justo gravius nobis illi succenserent, si à nostris aliquid contra eos tentaretur. Fine igitur imposito rebus omnibus, quas Decemviri feliciter gessere, defuncti magistratu cum gratia sunt, & gloria, quod ea illi optime composuissent, quæ disjecta prius, dissipataque invenere. Quapropter factum est, ut multa sequentibus temporibus ex optima Decemvirûm administratione in remp. conferrentur. *Jannoctius* autem summo cum laudis præconio Decemviratus munere perfunctus cum invidiæ motum in se quorundam civium graviorem esse factum agnovisset, de discessu à *Florentina* urbe cogitavit, *Romam*, unde prius adventasset, rediturus. Quamobrem nihil intentatum reliquit, ut sibi liceret sine cujusquam offensione ab urbe patria discedere; præsertim cum tot tantisque tributis, oneribusque, ut nos dicimus, subeundis pecuniæ in publicum solvendæ premeretur, ut ponderi potius succumbere deberet, quam satis esset oneri substinendo futurus. Discedendi à patria veniam cum tandem à summo magistratu impetrasset, è foro domum rediens quendam offendit amicum, & affinem, qui ea tempestate unus erat ex iis principibus civitatis, qui præter cæteros remp. gubernarent. Cum eo *Jannoctius* inito sermone, ubi multa inter se sunt locuti, plane perspexit, eum non ita pro se ipso defendendo laborasse, ut amici, & affinis officium postulare videbatur; benigne tamen allocutus ho-

A minem *Jannoctius* ei planum fecit, in quo ille contra se deliquisset, deseruissetque se ipsum, cum maxime eguisset auxilio amicorum. Mox continuans sermonem vaticinatus est, quid usu esset illi eventurum, cum ita diceret, ei non exploratum esse, quem vitæ finem foret ille habiturus. In cælo nisi consilia mutentur, quæ sempiterna sunt, ventura fore, cum non expectabit tempora, in quibus fortunæ ictus in se graviores debeat experiri. Hæc vir dixit cum ab eo digrederetur, conversus in comites tanquam vates futura denuntians apud eos talia verba fecit: *Scitote quoddam venturum esse tempus, in quo Angelus eques una*
B *cum liberis mittetur in exilium ab his, pro quibus ille tam multa factitavit; nec aspernamini, quæ à me referuntur; nam ut prædixi vobis, sic omnia evenient.* Nec verbis fides defuit. Vera enim cecinisse *Jannoctium* exitus probavit, ut & nobis etiam experientia edoctis, qui certe interfuimus, cum illi exules facti sunt, licuit intueri. Post hæc ad *Lucam Pittium*, visurus hominem, se contulit, à quo gravissimum tributum ei fuerat impositum pecuniæ in commune solvendæ; quod cum ita esset, tamen non nisi verbis apud eum est usus mitioribus, cum ultro tanquam magnum quoddam beneficium ab eo suscepisset, polliceretur *Jan-*
C *noctius* ejus causa se facturum esse omnia. Ad hæc *Lucas* frigide *Jannoctio* respondens, ut scivit, & ut potuit inepte satis offerens non nihil egit gratias. Denique ubi summum visit magistratum, eosque salutavit, qui principes civitatis habebantur, ab omnibus abeundi facile impetrata venia *Romam* est profectus eo consilio, ut *Nicalao* Pontifici Maximo per omnem vitam fideliter inserviret in rebus omnibus, apud quem in magno fuit pretio; siquidem *Jannoctio* sexcentos aureos quotannis præter eas, quas ex præfectura secretorum capiebat, pecunias dari *Nicolaus* decrevisset, quem sæpissime non modo visebat, verum
D etiam principes illos sacros, qui maximi post ipsum Pontificem putantur, cotidie ita frequens salutabat, ut non tam amaretur ab illis, quam etiam coleretur. Magna erat inter eos dissensio, qui ex minori ordine *Divo Francisco* addicti memorantur. Qui enim auctoris sui duriora præcepta servare consuescerent, & qui ex re *Observantes* dicerentur, Ducem habebant ex suis lectum, quem illi sequerentur moderatorem optimum illius quidem portionis, atque sectæ, quæ magis Stoice magisque Socratice viveret. Hujus autem consuetudinis, ut ii quempiam è suis legerent in principem; Vicariumque nuncuparent, auctor fuit *Bernardinus*
E *Senensis*, qui postea in catalogo eorum, qui vitam duxere integerrimam, cum nominaretur, relatus est in numerum divorum pro moribus aureis, & pro vitæ sanctitate. Hunc Vicarium, & principem, ut diximus, illorum, qui *Observantes* iccirco dicti sunt, quod præcepta observent divina, & melius, & cautius, *Robertus* ex eodem ordine vir, sed qui laxiorem in conventu vitam ageret, tollere percupiens, ut tota res ad unum generatim ab omnibus creatum deferretur, occulte conabatur apud Pontificem Maximum, ut melior pars illa, castiorque Duce suo illo privaretur, à quo temperabatur semper optimis institutis, & moribus. sed non
F passus est *Jannoctius* rem honestam ab indignis oppugnari. Nam posteaquam optime cognovit mentem, atque animum illorum, qui rei justissimæ adversabantur, ita persuasit Pontifici Maximo, minus esse faciendum, quod *Robertus* petierat, ut scriptum illud quo declarabatur jam confectum negotium ex *Roberti* sententia, spectante *Jannoctio*, à Pontifice conscinderetur, ne quid detrimenti caperent admoto Duce, qui magis ex re-

li-

ligione vitam ducerent. Nihil enim unquam denegavit Pontifex *Jannoctio* petenti, cum plane perspiceret, non nisi quod rectum, honestumque foret ab eo postulari. Dum *Romæ* tanta in existimatione esset apud omnes, *Nicolaus* Pontifex diem suum obiit, cujus morte nihil ipsi gravius, nil luctuosius accidere potuit. Huic cum *Calistus* in honore succederet, eadem voluit emolumenta de se *Jannoctium* accipere, quæ *Nicolaus* antea illi tribuisset. Dum *Romæ* versaretur, hoc sibi etiam adversi accidit præter opinionem, quod eo tempore, in quo nemo *Florentinorum* in regno *Neapolitano* permanere posset, quidam ejus procurator cum ibi esset, mercaturam exercuit nomine *Jannoctii*, quod tandem illi periculosum non fuit, cum Rex *Alphonsus* Jannoctio soli permisisset, ut quascunque merces vellet in regnum ejus importari juberet, sed cum pecunias contra leges ultra regni fines, uti commodum fuerat, in diversa loca mitteret, non solum capitale crimen fuit, sed quæcumque possideret, in fiscum erant redigenda; quapropter cum sæpe injussu Regis in idem ille pecuniæ mittendæ ad regiones alienas vetitum recidisset; accusatus est ab homine sibi admodum familiari: ablatisque pecuniis, & libris rationum, rebusque aliis omnibus, uti lex jubebat, in carcerem detruditur, quod *Jannoctius* accipiens, ordine palam fecit Pontifici Maximo, uti res gesta fuerat. Ille vero quod homini doctissimo faveret, quamprimum scripsit ad Regem breves quidem litteras, cæterum quæ vehementissime tamen *Jannoctium* procuratoremque ejus *Alphonso* commendarent. Has ubi litteras accepit à Pontifice ad Regem perferendas, *Neapolim* est profectus. Ibi principem adiens offendit eum satis accommodato rei suæ tempore: siquidem *Alphonsus* in bibliotheca erat una cum viris pluribus eruditissimis de Trinitate acerrime inter se disputantibus; quam disputationem cum *Jannoctius* quoque aggrederetur, sic rei difficillimæ nodos exsolvit ille omnes, ut Rege ipso judice palmam ex pulcherrimo illo certamine omnibus assentientibus domum reportaret. Cum disputationi extrema esset imposita manus; *Alphonsus* uti frequens illi consuetudo erat, ad bibliothecæ fenestram, quæ in mare prospectum habet jucundissimum, consedit. Ibi *Jannoctius* tempus magis accommodatum nactus, quam unquam antea, posteaquam ea, quæ procuratori suo ceciderant, exposuit Regi; pontificales eidem litteras reddidit, quibus lectis amice Rex arguens diffidentiæ *Jannoctium*, monstravit illum à *Calisto* minus accipere de re sua litteras oportuisse præ ingenti fiducia, quam in se ut semper ille prius habuisset, ita & inposterum semper esset habiturus. Ast ubi animadvertit Regem talia fuisse locutum, ut pudorem ferre possent: veritus ne graviuscule tulisset, quod cum Pontifice egerat de scribendis ad eum litteris, se apud *Alphonsum* quam diligentissime purgavit, cum diceret non iccirco Pontificem scripsisse ad eum ipsum, quoniam id antea procurasset, aut quia clementiæ Regiæ diffideret: sed quod ille sponte sua faciendum putavisset, quo tutius, atque utilius *Jannoctio* ad Regem proficiscenti, ut crimen à procuratore suo deprecaretur, culpamque amoveret, consuluisse videretur. Hinc Rex benigne pollicitus rem perditam *Jannoctio* restituit, procuratorique suo vitam condonavit, atque ut magis confideret ipse, Regem omnia ejus causa facturum, invitavit perhumaniter hominem, ut secum esset, secumque (ut dicitur) viveret, hortatus est. Cohortationibus addidit & preces, ut facilius eum in suam adduceret sententiam, cum sic affirmaret ad exprimendum magis regium erga illum amorem; si panis unus sibi tantum superesset: hunc ipsum fore se cum *Jan-*

[A] *noctio* divisurum. Hic cum se ille collegisset, *Nicolaumque* cogitasset Pontificem, qui cuncta in eum ornamenta, & commoda congesserat, è vita discessisse, *Alphonso* Regi primum egit gratias pro liberalitate ingenti, magnificentiaque Regia, qua in se usus esset. Inde pollicitationibus respondit aperte, se omnia libentissime facturum, quæ vellet ille, quæve Regi essent placitura clementissimo. Vix exceptus est, honestatusque scripto regio declarante maxime quam optimis conditionibus esset apud Regem permansurus, cum statuit *Alphonsus* ut noningenti aurei singulis annis ei traderentur. Deinde vero suam humanitatem [B] clementiamque talibus verbis subsecutus est: *Certo scio, qui se totos contulerunt ad studia litterarum, nolle frustra bonum ocium conterere. Quamobrem Jannocti te vehementer moneo, ut in tua optima studia incumbas; quibus te meque ipsum immortalitati, cujus amore flagrasti, semper commendabis, visendi autem mei, veniendique ad me domum, quo tuis melius studiis fruare, mitte omnem de pectore curam. Cum enim opera mihi tua opus erit, ultro ad te mittam, ne suspicere absentia tua incommodum aliquod te mihi allaturum. Satis enim ad magnam meam laudem redundabit, si homines intelligent, esse te apud me, atque nostris etiam te vivere auspiciis.* Hæc ubi dicta sunt, [C] cum omnibus affluentiis *Jannoctius* abundaret, haberetque Rex illum in deliciis, plures equos cotidie pluresque domi famulos suis quidem nutriebat sumptibus: Plures habebat scriptores, & nuntios, qui sibi adjumento essent; sive transferret è Græca Palæstinaque lingua in Latinam sententias hominum doctissimorum graviores, sive quippiam ex se ipso effingeret, quod esset manu illorum adnotandum. Multi doctrina ingenioque præstantes visebant eum domi. Sæpe aderat *Jannoctius*, ubi consilium cogebatur. Sæpe Regem visebat, neque tamen quidquam omittebat ex iis rebus, quæ ad studia, & litteras pertinere viderentur. [D] Nam circiter tres annos curam posuit in transferendis carminibus, quæ à *Davide* poëta Divino composita fuere, misitque librum latine factum ad *Alphonsum* Regem: quam rem multi, qui *Jannoctio* æmulabantur, vituperare non dubitaverunt, quod à *Hieronymo* dicerent eadem translata fuisse ad nos, & à duobus, ac septuaginta interpretibus. Quin etiam è *Syria* oriundi homines *Jannoctii* factum non probarunt, quoniam ille à scriptis eorum (ut ipsi ajebant) dissentire videretur. His omnibus, quæ sibi ab æmulis objicerentur, ut occurreret, palamque cunctis faceret, quid potissimum sentiret, minimeque vellet ab eo, qui verior sensus [E] putaretur, aberrare; diligenter curavit, triplici ut ordine liber describeretur; & hac conditione, ut in prima chartæ ipsius portione duorum ac septuaginta interpretum sententia notaretur. In secundo autem ordine versus collocaretur à *Hieronymo* expositus. Tertio in loco translatum à se carmen poneretur, ut de re ipsa omnes, qui hæc lecturi essent, judicium facere possent, *Jannoctium*que nolle à veriore sensu abhorrere, plane perspicerent, aperteque intuerentur. Post hæc libris quinque ab eo compositis more apologiarum defendit omnia se recte transtulisse; cùm ostenderet nihil esse adnotatum in his, quæ *Latina* fecisset, quod ibi [F] non scriptum esset ad quoddam divinum mysterium significandum: quam quidem rem optime omnium facere illum potuisse affirmarunt. Duos enim & viginti annos consumpserat in linguis tribus ediscendis. Nam & *Syriorum* loquendi morem noverat, & *Latine* sciebat. *Græco* autem sermone ita exprimebat omnia, ut in mediis *Athenis* natus esse videretur. Transtulit etiam ad nostros, *Neapoli* cum esset, omnia è *Græcis*, quæ pertinent ad eam historiam, quæ scripta est post

Christi adventum, quave actiones ejus, atque facta, resque omnes ab eo gestæ continentur, dum inter mortales in terris versaretur. De illo enim cuncta *Græce* fuerant commendata memoriæ litterarum, præter illa, quæ à *Matthæo* scribuntur, atque *Divi Pauli* epistolam, quam scripsit ad *Syrios* sui generis homines. Ea namque tempestate lingua *Græcorum* orbi pene universo communis facta in usu erat omnibus. Hinc causa proficiscebatur, ut scriptis ille, quæ sacra vocitantur, esset deditissimus. Quin etiam librum transtulit ad nos, in quem *Aristoteles* Philosophus ea quidem congessit, quæ magna Moralia dicuntur. Bina præterea volumina Ethicorum; Altera quæ adhuc nemo apud *Latinos* interpretatus erat, quæve ipsi quidem *Eudemio* ab auctore inscribuntur, quorum libros sex fuisse compertum habemus. Altera item *Ethica Nicomacho* inscripta in *Latinum* convertit, quæ tamen *Leonardus Arretinus* ad nostros antea è Græcis transtulerat. Eodem quoque tempore eos illi putavit inscribendos, misitque ad eundem, quia primus auctor *Jannoctium* Rex ipse ad scribendum impulisset. Præterea non modo emendavit libros decem, quos antea ille in *Judæos* scripsisset; verum etiam his adjunxit duos, ut ad duodecim numerus librorum, qui decem antea fuissent, proferretur. In his scribendis palam fecit omnibus, quantum Christi Optimi Maximi tribueret religioni, atque huic quantopere addictus esset, quantumve coleret, quæ Christo sacra fiunt. Sunt etiam Auctores, qui hunc eundem dicant *Alphonsi* vitam scribere cœpisse, quam comparabat ille *Philippi* vitæ Regis *Macedoniæ*; sed præventus morte id minus absolvit, quod antea summa cum diligentia incepisset. Hæc omnia, quæ à nobis supra memorantur, sive transtulerit ille, sive composuerit, hoc triennio toto, quod *Neapoli* fuit, fecisse videtur; quod eo magis mirari debeamus, quoniam in multis, ac variis occupationibus tum privatis tum publicis, quibus ille distraheretur, sic otio utebatur, ut plura scriberet in negotio, quam cæteri soleant otiosi, ac nullis actionum impediti curis. Nam præter operam, quam præstabat ille in tuendis apud Regem *Florentinis* omnibus, qui *Neapoli* morarentur: Rex enim quidquam illi denegare petenti minime consueverat: nihil accidebat quod honorem suæ patriæ, utilitatemque spectare videretur, quin conficeret ille sine ulla exceptione, aut occupationis, aut temporis. Cum autem *Neapoli* multa *Florentinis* gravia cecidissent, illud accidit præter cætera gravissimum, quod Rex concessit uni ex purpuratis suis in *Florentinos* petenti, ut statuto tempore merces eorum, fortunasque omnes occuparet ille, detineretque, ut sibi libuisset; quæ bona ubi suis erepta dominis fuere, sub hastaque venire cœpta sunt, omnes judicarunt, nisi aureis quinquaginta millibus, ab antiquis possessoribus ea redimi non posse, quod tanti fierent, tantique empta essent. Hi vero, quibus hæc arriperentur, cum desperarent se esse in ullis aliis, præterquam in *Jannoctio* remedium tanto damno reperturos, ad eum confugerunt contendentes ab illo summis precibus, ut quam celerrime ad *Fodiam* se conferret, Regi supplicaturus, ne ablata quæ fuerant à *Florentinis* bona perderentur. Quæ tametsi magna ex parte civium illorum esse dicebantur, qui *Florentiæ* tributis impositis eum gravissime oppressissent: usque adeo ut cogeretur ille tanquam exulare à patria procul: tamen cum id, quod esset facturus, ad communem utilitatem redundare videretur, statim ad conveniendum Regem profectus est. Sed cum ille venatum accessisset, expectandum aliquamdiu fuit, donec ille à venatione reversus esset; quem dum præstolaretur, ac deambularet in aula, ut mos est expectantium,

A hoc accidit, ut Rex antequam ipsum rediisse *Jannoctius* deprehenderet, verbis de improviso alloqueretur: juberetque illum feliciter advenisse, rogaretque perhumaniter, qua de causa illuc accessisset: Cui cum responderet ob detentas merces, bonaque *Florentinorum*, benigne pollicitus serena fronte significavit ei se morigeraturum. Qui autem operam dederant, ut hæc bona detinerentur, ii præsentes erant, atque in *Jannoctium* conversi dixerunt, eum ut à defensione suorum deterrerent, patrocinium *Florentinorum* non jure suscepisse, cum non perhumaniter illi neque juste in urbe *Florentina* ipsum tractavissent. Hinc multo factus audacior, quam prius extitisset, honestate

B causæ, aperte declaravit, se immortali Deo primum, deinde ipsi patriæ se plurimum debere, pro qua se quoque omnia facturum non init inficias. Moleste id responsum tulere, qui sese opposuerant *Jannoctio* suos defendenti: quid tamen ipsi honestissime in patriam locuto responderent, non habuerunt. *Alphonsus* vero, quem unice diligeret, hortatus est, ut apud se caperet quietem; & simul dari huic jussit locum, ubi honeste quidem ille conquiesceret; promisitque postridie se negotium ex sententia illius expediturum, sequentis

C cum extrema pars venisset, essetque prope intempesta nox: Rex *Alphonsus* scribæ *Marcovellæ* mandavit, ut *Neapolim* scriberet ad suos, uti bona, quæ *Florentinis* erepta essent, cuncta illis restituerentur. Acceptis litteris à scriba Regio *Jannoctius* Neapolim se contulit, ubi vehementer à suis expectabatur, qui tamen in eam sententiam propensiores erant, ut crederent à *Jannoctio* de tanta re nihil esse potius confectum, quam arbitrarentur id quod de *Alphonso* petierat fore consecuturum. Ubi litteras *Neapoli* repræsentavit Regias, factum est, ut adempta omnia, vel minima etiam *Florentinis*

D redderentur, in quo maximam dicunt fuisse difficultatem: cum aliquæ res ter jam venditæ fuissent, ac ter jam devenissent in manus diversorum: in quo profecto licet intueri, quanta esset *Jannoctius* animi moderatione, primum quia nihil accipere ab his in animum induxit, qui ei magnam partem bonorum, quæ per eum ipsum recuperaverant, in mercedem laboris obtulissent; deinde quod apud Regem pro illis deprecatus est, à quibus gravissima prius esset ille affectus injuria; ut actione hac non tam philosophos priscos superasse, quam viris etiam illis, qui moribus aureis, & vitæ sanctitate in religione Christi floruere, parem se

E præstitisse videretur. Sed quamvis *Jannoctius* Neapoli sedes posuisset, dum ei vita suppeteret, apud Regem futurus, putavit tamen ante videndam semel urbem, à qua duceret originem, quam vita fungeretur, ea mente, atque animo, ut nunquam in patriam, ubi eam visens ad extremum valere jussisset, per omnem vitam esset rediturus. Posteaquam *Florentiam* pervenit, eo consilio ut ad breve tempus ibi moram faceret: honore summo à suis exceptus est, & à quocunque hominum genere, qui civitatem *Florentinam* incolerent; A multis enim diligebatur ille; A multis colebatur; quorum magno afficiebatur desiderio, quo maxime

F impulsus ad eos visendos venisset. Denique cum jam tempus adventaret, in quo esset ille à civitate *Florentina* migraturus, nemo in discessu ejus repertus eorum, qui privati essent, & à quibus merces ullas coëmisset, cui vel quadrantem *Jannoctius* deberet. Nullo enim utebatur mendacio, quibuscum ille contrahebat, ut quicquid eis se promisisset daturum, nusquam falleret ad constitutam diem; nusquam defraudaret, qui creditores essent. Nunquam dejeravit: affirmabat enim, aut abnegabat verbo simpliciore, quod factum ille infectumque volebat. Hinc mendacibus cunctis maxime infensus

sensus erat, cum ita diceret, eum, qui mendacio uteretur, minime sibi annumerandum inter homines videri. Hac vitæ integritate tantum sibi nomen, quocunque ille accederet, boni viri comparabat, ut omnes ei fidem haberent in rebus omnibus, essetque magnum probitatis exemplar. Quamvis autem *Florentiæ* brevi moram fecerit, uti constituerat, in illis tamen temporis angustiis multi eum viserunt. Nam ex amicis, & propinquis nulli; ex aliis autem paucissimi fuere, qui salutandi ejus gratia non *Jannoctium* adirent. Ita enim mitis, ita clemens, ac jucundus erat, ita lætus, atque hilaris, ut nunquam aut raro irasceretur. Si quando autem prorumperet in iram, nunquam id faciebat, nisi gravissima de causa, & quæ ipsum ratione quadam potius, quam perturbatione animi ad irascendum commovisset, fuisse videretur. Duo genera hominum dicebat inveniri, quæ ob inscitiam ipsorum ferre nequeas; alterum eorum qui serviunt, tam ipso animo, quam corpore; Rusticorum alterum, & qui procul ab urbibus degentes, atque civitatibus in proscindenda terra, pecoreque in silvis nutriendo pastoriam exercentes artem, occupantur. Cum tanta igitur extiterit animi tranquillitate: ab hoc ediscant, qui æquo impatientiores habentur, & qui levissima de causa gravissime irascuntur; mentem componere, animum vincere, iracundiam cohibere; huncque tandem imitentur hominem tanta moderatione, ut cum gravioribus philosophis meo quidem judicio conferendus esse videatur. Quadam die ad convivium multos invitavit tum amicos, atque familiares, tum propinquos, & affines, ut secum essent una, secumque cibum caperent, ac epularentur. Inter convivas ipsos brevissime recensuit, quicquid in anteacta vita effecisset, quasi formulas quasdam vivendi recte suis relicturus: cum meminisset procul à patria sibi esse moriendum: quia discedere ab illa cogeretur, ac ponere sedes in alienis regionibus. Frequens verbis usurpabat, ut diceret obsecrandum sibi esset Deum immortalem, ut patriæ ignosceret: quod quasi noverca quædam asperior in eum tantopere sævisset, & tamdiu, ut ab inferenda injuria adhuc illa non cessaret. Verbis læsit neminem, neque invectus est odii exsatiandi causa in quemquam. De nullis questus est. Humanus, clemens, benignus erat in omnes, vel in eos ipsos, à quibus damnum aliquod, aut malum accepisset. Non maledicebat cuiquam. Quemque laudibus prosequebatur, quem laudari dignum comperisset. Qui autem vituperandi essent, subticebat potius, quam aliquam infamiæ notam illis putaret esse inurendam, ne injuriam inferre hominum alicui videretur. Ita mens pacata illi, animusque procul à perturbatione fuit, ut ultro inimicis omnibus ignosceret, reque illos & verbis amice tractaret; quam quidem animi moderationem, ut de nostris taceam, fuisse in *Socrate* philosopho memoriæ proditum est, ut possimus jure nostro carmen illud pro magnis meritis ejus proferre in Jannoctium: *Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.* Sed licet moderate ita vitam instituisset, ut maledictis neminem offenderet, multi tamen tum ex vetustissimis, tum etiam ex nostris contra factitarunt, ut magis mirandum sit, temperantiam, & modum orationi suæ inter tot egregios oratores, qui nulla in maledicendo modestia usi sunt, *Jannoctium* adhibere voluisse. Hos igitur relinquamus, imitemurque potius, qui nunquam vituperare quemquam voce sua, nec scripto notare passus est. Nos enim decet ita in laude hujus versari amplificanda, ut cæterorum vitia detegere ad illius normam, qui laudavit semper, vituperavit nunquam, minime velimus. Quin etiam si quis

A viri alicujus scriptis detraxisset, pro animi sui æquitate vituperari quempiam, præsertim cum id ab invidia proficisci videretur, ferre *Jannoctius* non poterat; affirmabat enim scribendi laborem (ut est) sic etiam gravissimum existimari oportere, neque temere in eos obloquendum, qui hanc sibi scribendi provinciam deposcerent, sed potius studium illorum arbitrabatur laudibus prosequendum. Ii fuerunt *Jannoctii* mores; hæc mansuetudo animi: neque tamen potuit hac vitæ integritate, atque immortalibus in remp. meritis mentes aut animos illorum commovere ad se quidem retinendum in civitate, qui causam præbuissent, ut B statueret *Jannoctius* ire à patria procul; dedissentque operam, ut vitam duceret extra solum patrium, quoniam tueri partes eorum ille nunquam in animum induxisset, qui non bene de rep. sentirent. Jam dies adventaverat, in qua *Jannoctio* erat ab urbe *Florentina* discedendum, cum omnes in unum convenere pro amicitia, & propinquitate, ut eum ante viderent, quam ab urbe discederet: quo extremo tempore multa uxori, liberis, sanguine conjunctis, & amicis, ac familiaribus dixit; multa commemoravit ad bene vivendum pertinentia; quemque oculis intuens ita desiderio suorum, quibus erat brevi cariturus, col- C lachrymavit, ut eosdem impelleret aspectu suo lachrymabili ad idem faciendum. Gravissimum est enim patriam relinquere, cum res suavissima sit, charissimaque omnium. Verumtamen illuc si proficiscare, ubi melius quam domi tibi sit, & honestius futurum, atque ubi sis elegantius victurus, non erit ab re ibi male consistere, ubi vitæ ante actæ tenorem, ac dignitatem tuam servare posse, tuerique videaris, uti *Jannoctio* contigit, qui semper armatus contra fortunam, munitusque virtute ita fuit, ut omnes ictus ejus graviores in seipsum magno impetu corruentis evitaverit, effeceritque, ut ille quocumque se conferret, cum D splendore viveret, & cum dignitate, semperque integrum illi esset, quamdiu ei placuisset ad patriam redire, ut potius videatur ab ea discessisse, quod ibi noluerit esse, quam quia nequiverit. Quamobrem hoc animo ad Regem *Apuliæ* reversus est, ut per omnem vitam esset apud eum permansurus. Vehementer enim ab omnibus *Neapolitanis* amabatur, sed ab ipso Rege tanto quidem vehementius, quanto magis Rex fortuna, & dignitate cæteros anteire videretur. Quicunque *Florentini* se *Neapolim* conferebant, à *Jannoctio* domi excipiebantur, atque in omnibus negotiis, quæ sibi confici, expedirique cuperent, opera *Jannoctii* apud Regem utebantur; aderat enim cunctis præsto semper fu- E turus, conficiebatque omnia, quæ ab eis peterentur. Quin etiam domus ejus semper floruit hominum doctissimorum familiaritatibus, atque principum, & purpuratorum Regis, qui eum cotidie visebant, ut cum eo essent, tantique viri colloquio fruerentur. In hac tanta celebritate nominis, ac famæ, *Jannoctius* Neapoli permansit tempus illud universum, quod postquam illuc profectus est, vixit Rex *Alphonsus*: hoc autem triennii spatium fuisse memoriæ proditum est. Verum quo tempore uberrimos anteactæ vitæ fructus erat consecuturus, eodem prius *Nicolai* Pontificis, F deinde *Alphonsi* mors secuta est, quæ consilia ejus impediret, frangeretque cogitationes illius, antequam portum contingere potuerunt. *Alphonso* Regi *Ferdinandus* successit in Regno *Neapolitano*, qui, quæcunque ornamenta de Patre *Jannoctius* acceperat, eadem jussit rata esse filius, sancteque confirmavit. Post *Calisti* mortem cum *Pius* in demortui locum Pontifex Maximus crearetur, quæ ornamenta in *Jannoctium* ante se duo eadem potiti dignitate, congessissent, sic firma esse voluit, ut eum

eum quoque arcanis pontificalibus præficeret, ut alii superiores etiam præfecissent. Bibliothecam habuit insignem, & quæ referta esset multis voluminibus. Nam ut omittam, quæ ad humanitatem, & ad Philosophiam pertinerent, quicquid scriptum fuerat in Medicina, quicquid in Jure Civili, sic apud se habebat, ut nullius facultatis ille libris caruisse videretur, iis præsertim, quæ quidem *Græco*, *Palæstino*que sermone tractata fuissent. Sed præter cætera, hæc habere voluit, quæ sacram ab orbe condito historiam in se continerent: nec solum libros, in quibus ab origine prima religionis Christi jacta essent fundamenta maxima; verum etiam quoscunque commentarios è *Syria* in bibliam, ut nostri dicunt, edidissent, operam dedit, ut apud se haberet. Hoc enim mente, animoque agitabat, nisi morte præventus fuisset, ut *Florentiæ* in æde Spiritua, in qua multam operam Philosophiæ impendisset, bibliothecam conderet, in memoriam sui nominis, qua omnes pro arbitrio cives peregrinique uterentur. Sed hoc fuit hominis consilium: ut non tam libri aliorum in ea servandi ponerentur quam sui, atque proprii, & quotcunque ille in vita edidisset: ne usu idem *Jannoctio* eveniret, quod plerisque hominum doctissimorum solet: ut prima librorum, quos ipsi post obitum relinquant exemplaria, sic brevi depereant, ut nusquam reperiantur, nec posteritas commode his uti possit ad se ipsam instituendam. Quapropter non mediocrem laudem *Nicolaus Nicolus* promereri videatur, qui cum adhuc esset in juvenili constitutus ætate, tamen in æde Spiritua bibliothecam suis sumptibus faciendam locavit, in qua libri, quos *Johannes Bocchavius* composuisset, ac volumina omnia, quæ idem sua manu exscripsisset, conderentur, in hanc servata diem ad arbitrium illorum, qui aut ea legere, aut intueri voluissent. Properandum est igitur, cum aliquid facturi sumus, nec expectandum, donec mors importuna præveniat, quæ sæpe cogitationes nostras interrumpit, antequam, quæ cogitaverimus, exequi valeamus; quo fit ut quæ peragenda duxerimus, nisi valde properemus, imperfecta relinquantur, & in oblivionem deveniant, nec ullum vestigium in terris appareat illius, quod in memoriam nominis nostri extare volebamus. Sed ut tandem ad ea, quæ de *Jannoctii* moribus supersunt enarranda, veniamus: erat illi mens sana in corpore sano, ita ut ad multos annos in vita nullo morbo laboraret, quamvis multa ille adversa pateretur, quæ impedire illius valetudinem facile potuissent. Quod autem ita in omnes partes valeret, præstabat corpus optime à natura institutum, & incredibilis quædam ejus continentia, qua cum assidue in his uteretur, quæ invitant homines ad blandiores explendas voluptates: sanus, atque valens ita reddebatur, ut valetudo corporis, animi quoque valetudini, quæ summa in eo fuerat, æquaretur, optimeque responderet. Memoria rerum omnium thesauro maxime vigebat. Magni capitis, staturæ mediocris erat, neque macilentus, neque pinguis nimium, inter utrumque tenebat quendam modum. Nunquam huic stomachus, caputque doluere. In aspectu benignus, atque hilaris præ lætitia semper in ore suo risum gestare videbatur. Plurima canities *Jannoctio* inerat, jam tunc à juventa, ut ipse affirmabat, venire in hominem cœpta. Mediocritate in tondenda etiam ipsa coma utebatur. Minima fuit in eo calvities, quam tamen revocatis à vertice capillis obtegebat. Algoris, æstus, maxime patiens erat. Raro igne utebatur, nisi vesperi, atque post cœnæ tempus, ut exteriore igne interiorem stomachi calorem excitaret, atque cibus nuper sumptus facilius coqueretur. Post cœnam ubi cum amicis aliquid confabulatus esset: semper enim nonnulli à domesticis, ac familiaribus adfuerunt: mox accersire filios ad se consueverat, rogareque singulos, quid die illo effecissent, quasi more *Pythagoreorum* vellet eos vesperi memoria repetere, quicquid per universum diem accepissent. Inde vero quid insequenti die facturos arbitrarentur; sic idem statuebat, ut nulla pars temporis vacua illis relinqueretur. Summa utebatur diligentia in liberis educandis, nec quidquam, licet parum deliquissent, ab illis committebatur, quin statim *Jannoctius* reprehenderet, eos emendaturus, ne, si frequentes in parvis aberrassent, in magnis deinde gravius peccarent. Hæc ubi confecisset, dormitum ibat, ut somno indulgeret. Mane cum adhuc obscurum esset, tres horas antelucano tempore in hyeme quidem surgere consueverat ad studia Philosophiæ. In pluteo ad horam diei tertiam ita permanebat, ut cum alii è somno excitarentur, jam quinque horas in perlegendis aliorum scriptis, aut in suis componendis consumpsisset. Curam rei familiaris sic aspernatus est, ut hanc omnem uxori feminæ primariæ demandaret, cum familiæ gubernandæ aptissima esse videretur. Tempus illud, in quo quadraginta diebus non nisi semel nostri epularentur, idque in meridie, diligentissime observabat, nec unum ex cunctis diem, quin conficeret, quod præciperetur, posthabebat, continans in finem, ne cibum vesperi sumeret, dum Christi Optimi Maximi ab inferis redeuntis hoste superato sacra solemnia rite celebrarentur. Ut primum domo ante meridiem exierat, ad immortalis Dei templum accedebat, non antequam sacrificium Deo fieret, inde discessurus. Diebus, quibus feriæ indicuntur, atque homines à rebus agendis vacare consuerunt; post horam diei secundam, & vigesimam domo exire solitus, non amplius uno, aut duobus ad summum comitibus, si clara tempestas esset, montem Divi *Miniatis* petebat, ut & corpus ipsum ad valetudinem conservandam exerceret, & ut levans mentem à curis corporeis ad res contemplandas graviores instauraret, aut si spatium temporis sinebat, ad planitiem *Jullariam* proficiscebatur, ut ibi aliquamdiu conquiesceret: ex eoque loco multa variaque prospiciens animum recrearet ad laborem novum. Inde per portam *Georgiam* rediens in urbem, si oportuisset, curiam ingrediebatur: sin minus, in forum, quod est ante curiam, se ipsum conferebat non diu immoraturus. Inde cum domum rediisset, pluteum introibat ad tertiam noctis horam ibidem permansurus. Hoc ille dum faceret, à nemine volebat impediri; quin etiam cum inter pluteum, in quo manebat ille, tricliniumque hostia tria essent: illius jussu omnia claudebantur, nequis strepitus impediens ad ejus contemplantis aures esset perventurus. Unde accidebat, ut nemo quidem auderet, nisi gravissima de causa *Jannoctium* interpellare in penetralibus latitantem, ut se vehementius ad studia artium optimarum applicaret, quoniam gravem ejus viri offensionem vererentur; qui moleste ferret se in otio tam honesto impediri. Neque aliter *Jannoctium* facere decebat; quam illa tempora sancte colere, atque observare, quæ musarum sacris ille dedicavisset tanta sua cum laude, ut non modo *Etruria* tota, sed jam *Italia* universa summum ingenium ejus summamque doctrinam admirarentur. Inter cæteras hujus hominis virtutes hæc inprimis elucebat, quod sæpe quasi vaticinaturus prædicaret vera: non aliter quasi ab oraculo divino edita, quæ referebat ille, fuisse viderentur. Hoc autem non solum à natura; sed à quadam diuturna lectione acceperat rerum divinarum, & quæ ab hominibus mandatæ litteris fuere, quos Deus immortalis divinos vates statuisset

isset futuros apud illud mortalium genus, cui divina consilia palam esse voluisset. Cum ergo hac esset *Jannoctius* mente præsaga futuri, accidit, ut quidam de nostratibus filium amitteret magnæ cujusdam existimationis; quod cum ille audiret, in amicissimum conversus, inquit, *ab immortali Deo constitutum est, ut ille moreretur hac de causa, ut pater nati obitu suavissimi, quæ sua essent errata, cognosceret. Sed cum non sit genitor ob nati mortem ad meliorem frugem rediturus, nec emendaturus, quæ committet assidue, hoc illi usu etiam eveniet, ut Deus altero quoque sit eundem filio privaturus, quia deteriore nato è duobus qui supersunt patri superstite relicto, quem multo pluris facit, auferetur sibi.* Cum pauci deinde laberentur anni, resque caderet ad unguem, velut ille prædixerat futuram: ex eventu *Jannoctius* admonuit judicia divina maxime pertimescenda nobis. Ulciscitur enim Deus ipse omnipotens, quæ ab omnibus scelera committuntur, neque pœnam mortalibus ullam, dum in vita versantur, afferre potest graviorem, quam cum filii eripiuntur parentibus, ut in multis sacræ historiæ locis annotatum se invenisse testatus est. Rursus cum quodem die ad id faciendum constituto rogatu amici diligenter inspiceret, quantum ditissimus quidam ex rationibus suis lucro apposuisset, eumque longe digressum ab æquitate adeo inveniret, ut magna ejus errata minime ferenda esse viderentur, in eum versus dixit: *A sacra ego admonitus historia, qua res ab orbe condito divinitus gestæ continentur, prædico tibi tales pro rebus injuste administratis te daturum pœnas, idque sic volente Deo palam fiet omnibus, perspicieturque ultio divina non in te solum, sed in tuis etiam liberis, ut civitati universæ sitis exemplo futuri.* Deinde cum ad eos, qui præsentes aderant, se converteret, affirmavit, si memoria tenerent, quæ modo ille quasi vates prædixisset, fore tempus, quo illi *Jannoctium* verissima locutum possint experiri; idque eventus rei denique comprobavit. Non præteribo silentio rem, ut mihi videtur, memoratu dignam; de qua vir tanto præditus ingenio, tantaque doctrina libenter solebat sententiam ferre. In *Florentinam* enim maxima civitatem affectus charitate dicere solitus erat; hanc ex omnibus, quæ urbes in *Italia* tunc reperirentur, sibi cæteris laudabiliorem videri propter multa egregia, quæ in ea spectarentur: quod viros illa insignes protulisset non modo in rep. gubernanda, sed in cæteris etiam, quæ quidem ad bonas atque ingenuas artes excolendas pertinerent: atque huic rei maximo esse argumento, quod sua prudentia, suaque virtute ex parva magnam illi effecissent, imperiumque, quod à majoribus suis non amplum accepere, honeste satis protulissent, finesque suos ulterius multo, quam majores eorum possederant, propagassent; sed dolere tamen, atque graviter angi, quoniam sua tempestate cives egregii complures jam deficere in urbe cœpissent, neque præsto esse, qui & animi præstantia, & virtute priscis illis essent successuri, atque propterea vehementer suspicari, ne diutius famam, & nomen, imperiique magnitudinem, ad quam pervenisset, illa conservare posset. Perspiciebat enim ad potentiam paucorum rem jam vergere cœpisse, quod ille pro summa ejus æquitate nullo modo ferre in animum induxerat, non ob duram cervicem, ut quidam objiciebant, aut quod foro nesciret ille uti, aut quod sui consilii nimis amator esset, aut non persuasu facilis. Nemo enim ex omnibus in nostra urbe fuit, qui aut scientior illo, consuetudinum forensium, aut communi sensui accommodatior, aut in quemvis facilior haberetur, modo privatim honesta quisque petiturus à *Jannoctio* contenderet, modo de rep. bene sentiret ille. Cæterum cum jacta quædam semina tyrannidis futuræ animadvertisset, quæ in exitium patriæ mox posse crescere plus æquo viderentur, se illis opponebat privato consilio, dabatque operam, ut illa procul dubio à rep. extirparentur. Hinc illa odia in *Jannoctium*. Hinc tributa illa homini reip. prospicienti gravissima imposita, ut desperatis rebus, aut è civitate cederet, ac tanquam in exilium proficisceretur voluntarium, aut obtemperaret illorum voluntati: quam plus posse volebant, quam leges, quam jura, quam pietas, quam religio. Ut autem erat *Jannoctius* integer animi, & apertus, occultansque nihil ad fallendos homines, sic odisse consueverat, qui aliud promptum in ore, aliud in pectore clausum haberent. Siquidem ut sapientissimi viri tradidere totius injustitiæ nulla gravior est habenda, nulla capitalior, quam eorum, qui dum cæteros maxime fallere conantur, in eo tamen occupati sunt, ut boni viri esse videantur. Denique cum *Neapoli* scabie *Jannoctius* laboraret, qua vexabatur sæpenumero, ibique moleste ferret, quod sibi magno impedimento esset ad studia litterarum, nihil intentatum relinquebat, ut se tam acri molestia liberaret. Hinc quot in ea urbe Medici extitissent, plures autem fuere, tot ille consuluit ad morbum, quo acriter premebatur, expellendum. Verum cum familiari cuidam è suis mandavisset, ut legeret *Avicennæ* scripta quædam, eumque *Jannoctius* attente audiret, eo pervenit in legendo, ubi Medicus ille nobilissimus testatur, scabiem, quæ senibus adveniat, ad interitum ducere, mortemque significare propediem adfuturam. Hoc ille cum acciperet, non nihil est perturbatus, in horroremque incidens aliquandiu suspenso fuit animo, tanquam suspicaretur, quod de scabie accepisset, in perniciem suam facile sibi homini jam senescenti eventurum. Postero die cum ex Medico quæreret, qui curandam ejus valetudinem suscepisset, quonam maxime modo celeriter posset à scabie illa liberari, et Medicus consuluit, ut ad balnea *Puteolana* proficisceretur, quod præsens remedium illud sibi visum esset ad expellendam ægritudinem. Id *Jannoctius* consilium secutus, ubi corpus medicina, pharmacisque expurgavit, eo profectus est, quo Medicus eundum esse illi consuluerat ægrotanti. Sed quamvis offenderet balnea ita fervescentia, ut calorem magnum æstuantis aquæ robusti homines vix tolerare possent, invalidus tamen dies quatuor in eis se lavit. Ubi dies quartus adventavit, cum aqua nimis æstuans scabiem intro adurgeret, in febrim subito incidit ardentiorem; quam cum ille deprehenderet, in animum induxit sibi esse conducibile futurum, si *Neapolim* rediret, ut in ea urbe curaretur pro facilitate rerum, quæ ibi reperirentur accommodatæ satis ad pristinam valetudinem recuperandam. Sed postquam eo pervenit, ita febris augeri cœpta est, ut cum pharmaca ipsum, balneaque debiliorem reddidissent, vehementer cœpit de salute sua dubitare, eoque magis, quod ad tertium jam sexagesimumque annum ille pervenisset, qui numerus multiplicato novies septenario ægrotantibus præsertim fatalis esse, instareque consueverit. Itaque cum res ita se haberet, misit ad Montem (ut nostri ajunt) Olivetum, rogitantem, ut duo ex accolis illius loci ad seipsum venirent, qui quoniam præstarent vitæ sanctitate, in tempore adessent, *Jannoctio*que gravi morbo laboranti cuncta subministrarent, quæ vita cedentibus solent adhiberi, ex præcepto religionis, cui addicti sumus. Ii postquam adventarunt, & ingenue fassus est uni ex illis *Jannoctius*, quicquid more hominum in vita deliquisset,

quisset, & ita mente, atque animo Christi Optimi Maximi corpori adhæsit; ita illud intra suum pectus homini communicans, quæ divina essent, cupide admisit, ut omnibus, qui spectantes adfuere, maximum virtutis haberetur atque religionis exemplar. Hæc ubi confecta sunt, sacerdos, qui eum audierat secreta mentis propalantem, interrogavit, an ipse vellet testamentum condere. Ad quæ illi *Jannoctius* respondit, se id facere minime quidem oportere, ad quod eum religioni addictus cur ille invitasset. Nam cum tres sibi superessent liberi, quos pari amore prosequeretur, commemoravit fore, ut tertia cuique pars esset obventura bonorum, quæ moriens hæredibus erat ille relicturus. Hæc ubi est locutus, *Hieronymi* epistolas dono sacerdoti dedit liberaliter, quæ ornatissimo quodam volumine continerentur, pro labore suscepto in sacris rebus ab eo caste subministratis sibi mox è vita discessuro. Cum ergo dies ultimus instaret, quem homines vel fortissimi etiam horrere consueverunt, tamen constans præsenti animo *Jannoctius* eum expectabat, atque fronte hilari, ut qui speraret fretus conscientia sua in morte se illuc evolaturum, ubi pro vita ejus integerrime acta sempiterno ævo frueretur. Quamobrem cum tandem sua composuisset omnia, seseque ab his rebus caducis, in quibus mortales versantur assidue, tota mente atque animo distraxisset, ad ea tantum meditabatur cotidie, quæ mortem commentarentur, & quæ sibi viam evolandi ad superos aperte monstrarent, quod ei factu difficile non fuit. Cum enim sex annos *Romæ Neapoli*que versatus semper in his litterarum studiis fuisset: quæ nos Deo conjungunt, quæve solum pertinent ad res divinas, cælestesque contemplandas, cumque se nusquam per idem temporis spatium sive in republica, sive in regno etiam his rebus pertractandis miscuisset,

A

B

C

unde labem aliquam contrahere posset: facile mente atque animo tranquillus erat, purgatusque à vitiis, quæ cunctos mortales transversos agunt: quod quidem nulli mirum videri debet. Ita enim *Jannoctius* se gesserat per omne tempus ætatis, ut mirari hunc non debeamus tanquam nobilissimum poëtam extremum actum optime voluisse agere, qui sua summa cum laude cæteros vitæ suæ actus semper optime egisset. Et jam tres dies gravissime quidem ægrotarat, jamque ita morbo invalescente debilitatus erat, ut animus ipse divinus corpus illud, quo instrumento ante usus fuerat ad res optime in vita peragendas, ulterius tamen propter molem ponderosam substinere non posset. Quapropter ille vir, qui tot pulcherrima, totque optima in vita peregisset, septimo Kalendas Novembris circiter nonam horam noctis, divinæ cessit voluntati jubenti; naturæque cogenti, ut terrena relinqueret, peteretque immortalem Deum, in quo videndo felicitatem illam, quam semper in terris quæsivisset, in superis tandem esset reperturus. Sic Doctissimus omnium, quos illa ætas pertulisset, cunctis qui adfuerant, vita cedens triste sui desiderium reliquit, cum jam vixisset tres supra sexaginta annos, atque menses quatuor, cui à *Neapolitanis* Regiæ pene sunt exequiæ confectæ; ad quas iere celebrandas purpurati omnes, & qui primi erant apud ipsum Regem, atque populariter sic *Neapolitana* nobilitas frequens ivit in *Jannoctii* exequias, ut qui se non conferrent ad prosequendam pompam, celebrandumque tanti viri funus, nulli reperirentur. Sui adfuere pullati omnes, decorantes vita functum lachrymis, totque sunt ad honestandum hominem clarissimum à principibus civitatis congesta ornamenta, ut profecto *Neapolitani* Reges *Jannoctio*, & viventi, & mortuo in re nulla defuisse viderentur.

Τ Ε Λ Ο Σ.

JANNOCTII MANETTI OPERA.

Quæ autem à *Jannoctio*, dum viveret, mandata Litteris fuerunt, & quæ ex se, & quæ à *Græcis*, & à *Syriis* transtulit, ordine à nobis in inferioribus explicabuntur; quæ iccirco sunt ad extremum reservata, ne filum orationis seriemque interrumperent.

De Liberis educandis ad *Colam Cajetanum*, dum *Puteolis* fuit. *Lib.* I.
Laudatio Januensium. *Lib.* I.
Laudatio Agnetis Numantinæ. *Lib.* I.
Apologia Numii Hispani. *Lib.* I.
Historia Januensium. *Lib.* II.
Dialogus de morte filii. *Lib.* I.
De illustribus Longævis. *Lib.* VI.
Contra Judæos, sed opus imperfectum. *Lib.* X.
De Dignitate, & Excellentia hominis ad *Alphonsum*, Regem *Neapolitanum.* *Lib.* IIII.
De Terræmotu ad eundem. *Lib.* III.
De recta Interpretatione ad eundem Regem. *Lib.* V.
Historia Pistoriensium. *Lib.* III.
Simposium. *Lib.* I.
Vita Socratis. *Lib.* I.
Vita Senecæ. *Lib.* I.
Vita Dantis. *Lib.* I.
Vita Petrarcæ. *Lib.* I.
Vita Bocchaccii. *Lib.* I.
Vita Nicolai Quinti Pontificis summi. *Lib.* IIII.
Oratio de secularibus, & pontificalibus pompis ad Nardum. *Lib.* I.
Oratio in funere Leonardi Arretini. *Lib.* I.
Oratio ad Regem Alphonsum in nuptiis filii sui. *Lib.* I.
Oratio ad Senenses, dum Alphonsus Plombinum obsideret. *Lib.* I.
Oratio ad Venetos, dum Alphonsus Plombinum obsideret. *Lib.* I.
Oratio ad Alphonsum Regem de pace servanda. *Lib.* I.
Oratio ad Nicolaum V. Pontificem summum de creatione sua. *Lib.* I.
Oratio ad Federicum III. Imperatorem de creatione sua. *Lib.* I.
Oratio ad Calistum III. de eligendo Imperatore contra Theucros. *Lib.* I.
Oratio in funere Jannoctii Pandolphini equitis. *Lib.* I.
Epistolæ plures ad diversos.
Vita Regis Alphonsi, opus imperfectum, & in plures distinctum libros. *Lib....*

Hæc sunt quæ transtulit ex Syriis:

Psalterium de Hebraica veritate. *Psalmi* CL.

Ex Græcis transtulit

Evangelium Matthæi. *Lib.* I.
Evangelium Marci. *Lib.* I.
Evangelium Lucæ. *Lib.* I.
Evangelium Johannis. *Lib.* I.
Epistolas Divi Pauli. *Lib.* I.
Epistolas Canonicas. *Lib.* VII.
Apocalypsim Johannis. *Lib.* I.

Præterea hæc Aristotelis opera ad Latinos transtulit:

Ethicorum ad Nicomachum. *Lib.* X.
Ethicorum ad Eudemium. *Lib.* VIII.
Magnorum Moralium. *Lib.* II.

Τ Ε Λ Ο Σ

INDEX

INDEX
NOMINUM ET RERUM
NOTABILIORUM.

 Floren-

Manet-

F I N I S.




MARTINI MANFREDI,
Lucensis,
MONUMENTORUM HISTORICORUM URBIS LUCÆ
LIBRI QUINQUE,

Ubi,

Quæ Notabiliora circa Mutationes & Conversiones Ditionis ac Regiminis hujus Civitatis ab Origine ejus ad Annum usque Domini MDCLXI. contigerunt, comprehenduntur.

Nunc primum è MS. Italico Latine *versi & publicati*, *Indiceque Nominum & Rerum instructi.*





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

INTERPRES
Lectori Salutem.

Luca, *celebris illa* Italiæ *Civitas*, *quanti nominis & famæ a prima usque sua origine fuerit, plura Auctorum, qui Res ejus consignarunt, satis prolixa testantur volumina. Illa tamen, Virorum de Civitate ista optime meritorum opera non ubique ejus esse commoditatis, quam exoptant Lectores, cum deprehenderet* Martinus Manfredi, *in jucundam brevitatem contrahere voluit, quæ illi de Patria sua fusius pertractaverant. Delituerunt hæ Auctoris, testibus Viris Eruditissimis, Præstantissimi lucubrationes MS[tæ] inter alia Bibliothecæ cujusdam in* Italia *ornatissimæ Cimelia, donec Viri Gravissimi, Rei Literariæ Mæcenates maximi, pro sua studium Antiquitatum & Historiarum juvandi benevolentia, easdem nobis prælo committendas benignissime transmitterent. Horum jussis morem gerentes ex* Italicis Latine *versum, Tibi*, Benevole Lector, *hoc exhibemus compendium. Instituti rationem Auctor ipse in præfatione reddit; Quantum vero idem præstiterit, ut tanti Viri testantur, ita & Opusculi, confidimus, evincet Lectio: Quæ ut reddatur eo facilior, Nomina propria & alia, quæ id exigebant, diversis a contextu exhibemus literis; & Indicem Nominum ac Rerum Notabiliorum adjecimus. Quibus nostris conatibus, in tui gratiam*, Benevole Lector, *susceptis felix utere, nobisque fave, ac Vale.*

DEO CRUCIFIXO,
REGI REGUM, ET DOMINO DOMINANTIUM,
MONARCHÆ UNIVERSALI COELI, ET TERRÆ,
URBISQUE LUCÆ PECULIARI PATRONO,

in ea Residenti, Corona Regia insignita Sacra ejus Effigie, quæ nuncupatur

IL VOLTO SANTO,

MARTINUS MANFREDI,

Minima ejus Creatura.

Divinæ Majestati tuæ, Rex æterne, ac omnipotens, offero, & consecro præsens hoc opus; quoniam, qualecumque sit, partus est genii, & ingenii à te Magno Luminum Patre, mihi infusi. Domino Terræ fruges producunt plantas in recognitionem extracti succi & alimenti: fluxu veloci tributarii delabuntur ad Oceanum parvi rivuli, nec fatigantur, usque dum sese in undosam ejus abyssum effundentes proprium amittunt esse, ne ingrati videantur: An ego igitur plantæ cedam, vel ab insensibili elemento me præveniri patiar? Neutiquam, mi Deus; quoniam præter gratitudinis debitum, dedicatio parvi hujus Theatri, quod repræsentat frequentes atque priscas mutationes & revolutiones Status Patriæ meæ, nimis debetur tibi, qui absoluto ac supremo imperio vices ac mutationes scenæ hujus Mundi moderaris. Felix *Luca*, quamdiu cultu obsequioso & operibus tibi peculiari suo possessori felicitatis suæ clavos relinquet: scies, Optime Domine Deus, perpetuam ei tribuere firmitatem & tranquillitatem. Et quamvis fortunæ ejus rota præteritis seculis prodigiose volubilis & inconstans extiterit; Clavi sanctæ tuæ Crucis, qui ultra ducentos annos eam firmam reti-

 nent,

nent, quadratum ex ipsa immobile formabunt constantiæ. Pergat igitur, ut facit, dilecta hæc nostra Respublica agnoscere verum nec fabulosum *Achillem* securitatis suæ, unicum, ac inexpugnabile propugnaculum Libertatis suæ, sacrosanctam imaginem tuam. Permittat interea Bonitas tua divina meo huic libello ad instar naturalis tabulæ gratias, præteritis & præsentibus temporibus, in hanc patriam collatas, & quam tibi ea devincta sit, publicare. Solent ut plurimum homines, in conscribendis cogitatis suis sibi ut polum arcticum, & pyxidem nauticam præscribere gratiam, protectionemque Magnatum; ego vero, qui semper infortunatus, vel imperitus talium navigationum fui, nec scio, nec possum, proram meam aliò dirigere, quam ad portum protectionis tuæ, Mi supreme, ac Omnipotens Domine: Oh, me felicem! si eò appellere mihi concederetur; possem tunc verè exclamare cum Euripide:

Deus cum favet, non est opus amicis,
Sufficit ipse Deus, juvat nos si velit.

Ad pedes tandem tuos confugit Compendium hocce meum historicum: quum enim conatus sim in eo conscribendo ducem habere, & comitem veritatem; veritas, inquam, ea, quæ ut plurimum approbationis & gratitudinis loco, odium incurrere solet & livorem, ne in errorem incidam, me ad te deduxit, qui es veritas ipsa, Magister, Prototypon, & originale: in terram igitur prostratus, & meam agnoscens inanitatem, in Altari cordis, Majestati tuæ divinæ hunc parvum dedico laborem, pro cujus remuneratione aliud à te non expeto, nisi, ut mihi suggerere digneris ingenium & animum, tempus quoque, & aptitudinem, ut sciam, atque valeam in hoc ultimo vitæ meæ actu, Tibi soli potius, quam mihi ipsi impendere talentum, qualecumque sit, à te acceptum; tandem te adoro, atque celebro.

AUCTORIS PRÆFATIO.

Lectori Benevolo.

Animi Propensiones (ut alibi dixi) Mercuriique industrii ac innocentis prædominium a multis jam Lustris me docuêre, tempus furari tempori, fructusque dicare illi, quæ sola jus in Tempus habet, id est Historiæ.

Quum ad manus meas Chronica, sive Historiæ quædam hujus patriæ celebriores pervenissent, quæ manuscriptæ circumferuntur, earum Lectio tempore ipso, & auctorum, & Lectorum me misereri coëgit: Auctorum, quia isti excessivis & majori ex parte, non necessariis, occupati fuerant laboribus; Lectorum ob molestiam, quam essent subituri, fatigantes oculos, & studium sese inde instruendi; illi enim consumpserant plus temporis, & Chartæ, quam opus fuerat: hos autem defectura videbatur aut voluntas, aut facultas, tantum impendendi temporis & patientiæ.

Hoc apprehensum inconveniens de remediis me reddidit sollicitum: unde credidi, si prolixam molem illam dictarum historiarum in compendium redigerem & ad solas mutationes, & alterationes præcipuas Status, & Gubernii hujus Urbis, temporum præcedentium, attenderem, facile me approbationem obtenturum, & gratiam initurum illorum, quibus parum superest temporis, vel qui brevitatem diligunt, ac relationes, alienis & importunis digressionibus haud interruptas; & præsentia conscribere aggressus sum; An scopum obtinuerim, ignoro; illius tamen certus sum, quod vehementer exoptavi, cuique omnibus meis viribus incubui. Dices forsitan, benevole Lector, opusculum nimis esse exiguum, paginisque tenue; ratione ingentium voluminum summariè hic relatorum. Sed si ex molis magnitudine æstimanda essent opera, artificesque laudandi, infelix fuisset industria illius, qui in exigua Mappa orbem universum delineare, ac repræsentare valuit; sicut & ejus, qui exiguum illum invenit carcerem ferreum (Horologium puto) in quo inter rotas & aculeos restrictum & coactum tempus est. Neque hoc dictum esto, ad confi.enda aut manifestanda furta nostra. Alias enim excellentes illi viri laboriosa sua industria nil, nisi contemtum loco admirationis, & applausus, sibi comparassent. Ostenderes tandem (si mihi hoc objiceres) te parum esse peritum artis pingendi, quæ summa cum laude in exigua tabula figuram aliquam contractam minori forma exhibet, ac eodem tempore in majori tabula figuram gigantis repræsentat. Qui scribit (ut mihi quidam faciendum) horas, momentaque furando, non potest nisi contracte & compendiose scribere; & qui Epitomen, aut compendium conscribit, legi minoris brevitatis magis adstrictus est, dummodo ea clara, nec in essentialibus mutila, in quibus nullibi me defecisse puto.

Nec tamen Libellus hic (parce mihi) tam exiguus est, ut quidem videtur: tibi enim & Posteritati servire potest, Theatri loco, repræsentans totidem personis, quot sunt vices, revolutiones & mutationes, quæ temporibus præterlapsis urbi huic acciderunt; & nostrorum temporum felicitatem, quibus optima forma regiminis viget hujus Excellentissimæ Reipublicæ (dominæ meæ) quam divina protegit Gratia, omnique beat tranquillitate, fortunamque ex volubili rota inconstantiæ in firmo ejus prudentiæ quadrangulo fundavit.

Precare mecum supremam Majestatem eam, a qua motus accipiunt & Fortuna, & Fatum, ut magis, ac magis Patriam firmare, ac in firmitate sua immutabilem Libertatem huius Patriæ, & felicem statum reddere dignetur. Acceptum interea tibi sit hoc opusculum, cujus forma mea est, materia autem aliorum; animum mihi insuper adde aliis incumbendi operibus, quæ omnia mea, majorisque erunt voluminis. Vale.



MAR-



MARTINI MANFREDI
COMPENDIUM MOMUMENTORUM HISTORICORUM
URBIS LUCÆ.

LIBER PRIMUS.

LUCA, Urbs Provinciæ *Etruriæ* in *Italia*; omnium eodem nomine nuncupatarum, quarum tres numerantur, una in *Hispania*, altera in *Germania*, & tertia in *Gallia*, nobilissima, & illustrissima, sita est sub sexto Climate, gradus habet triginta sex longitudinis, latitudinis vero quadraginta duos cum minutis quadraginta, in centro planitiei, à montibus, collibusque circumdatæ, quorum alii amœni & deliciosi, alii non inculti nec steriles, formosam, & amœnam circumferentiam, admirandumque illi constituunt Theatrum.

Urbs hæc in circuitu suo hodierno interiori spatium trium circiter milliarium Italicorum comprehendit; Incolis, juxta communem sententiam, triginta circiter millium gaudet, temporibus contagiosis & pestiferis exceptis; ædificiis habitationi aptis, pulchræque structuræ, quod ad privatos cives; quod autem ad publica, magnificis, & sumptuosis, ornata existit.

Præsenti tempore, præter plurimas, ac antiquiores ædes, pro illorum sæculorum more, in illa reperiuntur firmissimi mœnium ambitus, eaque in urbem regiam, secundum hodiernam architecturam militarem restaurata est; quum sit (si excipias duos à septentrionali plaga inter totidem propugnacula murorum frontes, qui præter penultimum ambitum, ab annis circiter quadringentis constructi) tota novis muris cincta, lateribus ad partem exteriorem incrustatis; ad interiorem vero firmissimo vallo munitis; ubi ampliore platea pro militibus in ordinem redigendis, & pro ambulacro Nobilium Virorum, ac Fœminarum relicta, terminatur in amœno ac jucundo nemore arborum in ejus declivio sitorum; tam pro restaurandis Urbis ædificiis, quam ad construenda (oppugnationis casu) nova propugnacula, & munimenta. Ad latus mœnium horum decem ingentia antemurana apparent valla, quorum quodlibet plana quadam area, arboribus ornata, atque eodem modo, ac muri munitum via subterranea pro eruptionibus faciendis, & auxiliis submittendis instructum; & tandem exterius defenditur à Lacu, ac profunda fossa, aquis copiosis fluminis *Serchii* non solum exceptis; sed fontibus variis in eum se

A effundentibus; & a duodecim propugnaculis, quibus a semiformi luna nomen est, porticis, viis coopertis ad aquas recipiendas aptis.

Brevia & angustia ejus sunt confinia Dominii, quorum circumferentia septuaginta milliaria haud excedit; sed tamen in tam angusto ambitu ultra centum millia mandatis suis obsequentium habet hominum, quorum militiis, ac ordinibus adscripti duo millia numerantur peditum, inter sclopetarios, & loricas gestantes, omnes armis probè muniti, ac optime instructi. E speculis, ac turribus, talia dari queunt signa, ut celeritate mi-
B randa, paucis horis ad urbem adjuvandam accurrere possint isti, brevissimoque temporis spatio ad statuta loca convenire.

Luca in secularibus, à tribus fere seculis, pacifico, liberoque sui Status Dominio sub *Aristocraticæ* Reipublicæ regimine gaudet, cujus caput & Princeps est supremum Majus Consilium (Generale vocatum) centum, & triginta complectens personas, supremum scilicet novem Seniorum Magistratum, & Justitiæ Vexilliferum, cum centum insuper & viginti civibus æqualiter à tribus Tertiariis electis, in quas, ut suo loco vide-
C bimus, divisa est Civitas. Ex eo majori Consilio, quasi à primo mobili, motus suos recipiunt, auctoritatem, & Leges cæteri magistratus, in quos Reipublicæ regiminis administratio diffunditur.

Seniores, & Justitiæ Vexillifer, Reipublicæ Principatum præ se ferunt, & Vexillifer Justitiæ præcipue, qui veste purpurea indutus, pileum ejusdem coloris gestans Ducalem, Ducis personam sustinet. Hi publici repræsentantes, continuo in dominationis palatio resident, quolibetque bimestri mutantur, & innovantur spatio. Jus habent supremum in peregrinos, & cives; sed in cives sa-
D tis limitatum, casibus, remediisque provisionalibus restrictum. Eorum præcipuum munus est, proponere Senatui, seu Generali Consilio supradicto res omnes, de quibus deliberandum est; & hæ per Justitiæ Vexilliferum, & Commendatorem executioni mandantur; quo titulo & munere quolibet triduo alternatim gaudent Seniores ad Collegii regimen electi; & ad gravium rerum curam; ad sigilla præcipue servanda, atque ad Epistolas, & diplomata subscribenda.

Seniorum electio, & Vexilliferi Justitiæ, quolibet triennio celebratur, solenni functione media, quæ in tres dies divisa (juxta ordinem antedictum tertiariorum) vocatur *delle Tasche*. Electores ii constituunt peculiare quoddam consilium, ab ipsorum numero, *Triginta Sex* nuncupatum: Seniores & Justitiæ Vexillifer pro tempore sedentes, & additi octodecim nobiles ad hoc electi; à quibus nominantur tribus suffragiorum quadrantibus tercenti & sexaginta viri; centum & viginti, scilicet, pro tertiario, (præter quadraginta subrogatos, absentium, mortuorum, ac illorum quibus aliquod occurrit impedimentum, loco substituendos. Illorum describuntur nomina, totidem inscripta clausis schedulis, qui in octodecim ponuntur urnas, & globulis, juxta dispositionem ab antedictis Octodecim nobilibus viris factam. Ex urnis iis quolibet bimestri, sorte extrahitur Collegium, aut Decemviratus, novem scilicet Seniorum, & Justitiæ Vexillifer. Quilibet ex inclusis iis triennii spatio necessario extrahitur, & sic per duos menses dignitate, ad quam electus fuit, fruitur quisque.

Magistratus reliqui, curam Regiminis, & Reipublicæ Gubernii gerentes plures sunt, *Secretariorum* nempe *Abundantiæ*, *Redituum*, *Litium*, *Jurisdictionum*, aliique minoris ordinis, ex nobilibus compositi viris. Descriptio muneris auctoritatis, & jurisdictionis cujuscumque horum, huc parum refert; sed opus nimium extenderet, nimiumque à proposito me aberrare faceret; de Regimine vero spirituali aliqua exponere aggrediar.

Sedem habet urbs *Luca* Episcopalem, subordinatam vero, ac immediate à Pontifice dependentem, & æqualem in usu Pallii, omnibusque aliis privilegiis Archiepiscopalibus sedibus concessis. Præter XXXI. Cardinales, & quatuor Summos Pontifices, *Eutichianum* nempe martyrem, *Joannem Duodecimum*, *Lucium Primum* martyrem, & *Lucium Tertium* temporibus præteritis hanc illustrantes Patriam, hodierno quoque die Ecclesiam *Lucæ* regit Cardinalis *Hieronymus Bonvisius*, ad gradum Eminentissimi propriis potius meritis, quam fortuna evectus, quæ singulari illi modo adversata; & tamen post longum certamen à vi, & constantia virtutis ejus superata; eo tempore, quo, exemplo raro, (immo absque exemplo inter *Lucenses* memorias) ad splendorem, & ejusdem Patriæ gloriam, & decora duæ aliæ Cardinalitiæ Purpuræ, non minori virtute gerebantur ab Eminentissimis *Marco Antonio Franciotto*, & *Joanne Baptista Spada* concivibus suis. Ex iis, *Franciottus* Episcopus pariter *Lucæ*, reservatorium adhuc tenet redituum Episcopatus illius, cum facultate quoque, & indulto Pontificio, conferendi beneficia ejusdem Diœcesis vacantia, mensibus sedi Apostolicæ reservatis.

Atque hæc sufficiant curioso Lectori, harum rerum haud perito, pro compendiosa quadam descriptione Chorographica, Politica, & Militari, præsentis hujus urbis Status, cujus monumenta rerum ante gestarum referre nunc aggredior.

Multæ, variæque sunt opiniones priscorum, hodiernorumque scriptorum circa originem, nominisque urbis Etymologiam.

Asserunt quidam ædificatam fuisse ab *Arcadibus*, populis *Græciæ*, qui sub *Oenotrio* suo Duce, primi fuêre e dicta regione in *Italiam* accersiti circa annos Mundi (juxta communiorem Chronologiam) MMCCCL; & vocatam *Lycam*, à *Lyco* dicti *Oenotrii* fratre; quod Græcum *Lyca*, idem est ac Latinum *Luca*, quoniam *y* Græcum vertitur Latine in *U*; vel à *Lycia* seu *Lycea*, urbe *Arcadiæ*.

Alii putant, ipsam fuisse ædificatam à *Pelasgis*, populis pariter *Græcis*, qui secundo hujus nationis

A transitu constituerunt novam, & secundam in *Italia* Coloniam, & in *Etruria* circa annum CCCLX. post *Arcades*. Hi secundi populi, uti *Pisam* ædificarunt (secundum aliquorum sententiam) verisimile est *Lucam* quoque adeo proximam erexisse, nomen ad se ipsos alludens, illi tribuentes; idem enim sibi vult Græce *Pelasso*, ac Latine *Lucidum*, & *Clarum*. Quam opinionem corroborare videtur conjectura ad nostra usque tempora ducta à loco *Lucæ* proximo, qui, secundum horum mentem, nuncupandus est *Vicus Pelasgus*, licet nomine corrupto, nominetur *Vico Pelago*.

B Existimant alii originem suam traxisse ab *Elæis*, qui in quarta, & ultima *Græcorum* transmigratione in *Italiam* morati sunt cum *Pelope*, suo Duce in *Etruria*, circa mundi annum MMDCCLXX; eosque urbi ab ipsis ædificatæ, *Lucæ* nomen à *Lyco*, Duce suo, tribuisse. Sententia equidem aliquam vero similitudinem habens; in nominibus quippe quarundum Villarum, ac Castellorum *Lucensium*, puta, *Sereglio*, *Coreglio*, *Brandeglio*, & aliis, vestigia apparent nominum quorumdam *Eleorum* Ducum, quorum à pluribus Græcis auctoribus fit mentio, ut *Sera Elio*, *Corebo Elio*, & *Brialte Elio*.

C Attribuunt alii *Lucæ* ædificationem, non *Græcis*, sed priscis *Etruriæ* populis, qui *Aborigines* vocati, posteris (ut valde probabile est) *Comeri*, cognominati *Galli*; vel ut alii volunt, *Chittimi*, aliter *Cetimi*, filiorum *Japhet*, ac nepotum *Jani*, in scripturis sacris *Noë* vocati; qui LX, vel LXX. annis post universale diluvium in *Italia* commoratus est; Idiomate tamen *Hebræo*, ac in sacris scripturis vocatur *Chittim*.

Quantum vero ad nominis Etymologiam, putant aliqui vocatam fuisse *Lucam* à verbo Latino *Lucus*, (quod antiquitus significabat, *nemus Diis sacrum*, *Altare*, vel *Templum sacrum*,) quia ibi
D existebat priscis sæculis celebre aliquod Templum, vel locus sacer.

Credunt alii, ipsam antiquissime, ac à prima sua origine vocatam fuisse *Arringam*; innitentes pariter variis, gravibusque conjecturis, hanc *Arringam* deinde *Lucam* nuncupatam, Coloniam extitisse *Arringianam*; à *Marco Portio Catone*, ac ab *Antonio Viterbiensi* numeratam inter duodecim primas urbes, & Colonias ædificatas à *Noë*, vel *Jano*, posterisque ejus (secundum opinionem à me postremo relatam) id est, *Janicula*, & *Arrignana* ad *Tyberim*: *Fiesole*, & *Aringiana* non procul ab *Arno*, *Friginio*, *Volscis*, ac *Volaterra*,
E & *Carraria*, procul à litore maris; *Oggiana*, *Aritia*, *Rosella*, & *Volsinia* Mediteraneæ; hanc autem *Arringiam*, seu Coloniam *Arringianam*, progressu temporis nomen accepisse *Lucæ*, quum ibi natus fuerit, suamque habuerit sedem *Lucius Lucumo*, qui regnavit in *Italia* anno mundi MMMCCL, illustris, ac potens inter cæteros *Lucumones*, quorum duodecim numerantur, & apud antiquos *Tuscos* Capita præcipua, ac perpetui duodecim præcipuarum, ac priscarum urbium ipsius Provinciæ gubernatores fuerunt, eamdem obtinentes auctoritatem, & gradum, quo fruuntur apud nos Comites, & Marchiones, similesque alii
F Magnates, homagio, & obedientia præstitis Regi, seu supremo *Etruriæ* capiti, cui nomen erat *Larti*. Hoc in loco omittendum non est, (licet absolute affirmare *Lucam*, unam ex duodecim dictarum extitisse urbium, nimis audax, parumque secura esset assertio,) illam nihilominus per aliquod forsan tempus in earum fuisse numero; opinio valde probabilis, ac verosimilis. Antedictæ enim urbes non eædem semper permanserunt, sed destructis, vel devastatis, per longum seculorum cursum majori ex parte priscis Coloniis antedictis, earum locum aliæ occuparunt urbes; quæ etiam varia-

variatæ sunt pro mutationibus, statuum vicibus & temporum revolutionibus. Quoniam vero (temporibus minus remotis præcipue, quum armis floreret, ac potentia, *Romana* Respublica) famosa, & illustris *Luca* erat Civitas, ut apparet, ex receptu in ipsam, ad constituendam eandem diribitorium, *T. Sempronii* Consulis post conflictum ad *Trebbiam*, & ex pluribus aliis insignioribus monumentis; possibile non solum, sed valde verosimile est, ipsam quoque, vel temporibus dicti *Lucumonis Lucii*, aut recentioribus sæculis, locum obtinuisse quemdam inter urbes illas duodecim. Ut autem ad *Lucæ* nominis etymologiam relictam redeamus: alii tandem ejus sunt sententiæ, hoc nomen ortum esse, vel à multitudine, altitudine, & pulchritudine turrium, quæ numerum (secundum aliquos) quingentesimum, secundum alios vero septingentesimum priscis temporibus in urbe hac conficiebant; *Hebraica* enim lingua, ut & prisca *Etrusca*, idem significat *Luca*, ac *altum*, vel *altitudo*; vel forsan propter ornamenta aurea in summitatibus turrium harum tunc splendentia.

Postremæ huic opinioni, *Lucam* nempe cum antiquioribus *Etruriæ* urbibus primam traxisse originem, ac habitatam ab antiquis *Thuscis*, oriundis ab Hebræis, *Japheti* posteris, favent non solum utriusque populi prisci mores, & præcipue circa cultum divinum (cum *Locumones*, de quibus superius diximus, non solum ceremonias, cultum divinum spectantes, curare solerent, & in sacrificiis saltare, ut *Judæi*) sed & linguæ insuper. *Aramæa* enim valde conformis est *Tuscæ* antiquæ. Aliæ adhuc adduntur conjecturæ, consideratione haud indignæ: ut conformitas in regimine politico: *Aborigenes*, vel *Tusci* antiqui, in duodecim regimina vel Principatus sese distribui consueverant, sicuti *Hebræi* in duodecim tribus; & *Lucenses* soliti fuerunt, habitare potius dispersi in villis, ut de ipsis scriptum reliquit *Strabo*, *Vicatim:* quam sociati in urbibus, sicuti idem de *Aboriginibus* priscis plures testantur Auctores.

Quæcumque autem sit *Lucæ* origo, ejusque nominis Etymologia, in materia tam prisca, reddita est prorsus obscura, pluribus publicorum Archivorum conflagrationibus, & frequentibus rerum mutationibus, quæ in illa urbe acciderunt ab anno Domini MCCC. usque ad annum MCCCC; ac à non minus sollicita, quam tyrannica omnium antiquarum scripturarum, ac monumentorum tam publicorum, quam privatorum perquisitione, & suppressione a *Pisanis* facta, cum ipsam oppressam tenerent. Ego vero nec uni, nec alteri dictarum adhærens sententiarum, liberum relinquo lectori arbitrium, fidem habendi, ac magis probabilem amplectendi. Ab hac eadem principii incertitudine pro certissima conclusione ejus antiquitatem deducere possumus, quæ temporis longinquitate veris, ac authenticis monumentis orbari potuit. Populorum quoque, qui post diluvium *Etruriam* habitarunt, & *Latium*, incerta est origo; quapropter, ut dixi, *Aborigines*, quasi sine origine, vocati fuêre. Propter eamdem tamen rationem, nullus inter scriptores reperitur, qui eisdem primatum antiquitatis inter alios *Italiæ* populos haud concedat. Si tamen sequi sententiam vellemus recentiorum, asserentium, urbem *Lucam* sic vocatam fuisse à *Lucio Lucumone*, deinde *Larte*, seu Rege *Thusciæ*, qui ibi natus, & commoratus est; antiquior *Luca* nihilominus fuisset *Roma*. Supradictus autem *Lucumo* quum regnasset quindecim circiter annis post *Romam* conditam, necessario ex antecedenti sequitur, *Lucam* multis ante natum *Lucumonem* annis extitisse.

Floruit *Luca* post primam suam originem, seque per multorum sæculorum spatia servavit (ut

A verisimile est, vel saltem historiæ haud contradicunt) in prima sua naturali libertate, proprio Consilio, propriisque Legibus se regens; quamvis, quoad regimen Provinciæ generale, decreta sequeretur sancita in Conciliis generalibus populorum *Etruriæ*, qui quibusdam temporum intervallis, mediantibus suis *Lucumonibus*, seu Gubernatoribus, præsidibus, & directoribus, *Lartibus*, *Regibus*, sive *supremis Capitibus*, uti dixi, in Templo *Feroniæ*, in *Sabinis* congregati, usque donec occupata, ac diu possessa fuit à *Liguribus Apuanis.* *Gneus Domitius Calvinus*, Consul *Romanus*, cum populis eis dimicans, per longam obsidionem eis illam eri-

B puit, eamdemque Reipublicæ subegit *Romanæ* Anno mundi MMMDX. & ab urbe *Roma* condita CCCCXX.

Luca autem in manus *Romanorum* redacta, diu mansit municipium juris sui, id est urbs, quæ retinens leges, & religionem suam, particeps nihilominus erat *Romanarum* dignitatum, municipii, aliorumque privilegiorum, quibus populus ipse *Romanus* fruebatur. Quum autem denuo à *Liguribus* capta, ac a *Romanis* recuperata fuisset, ab iis deducta, & condita fuit in ea Colonia duorum millium *Romanorum* Civium, circa annum ab urbe *Roma* condita DLXXVI, tum ut magis tuta ab in-

C cursionibus *Ligurum* redderetur, & ut, tamquam antemuralis contra ipsos officio fungeretur, tum ut incolis iterum frequentaretur, & coleretur terra; cujus bona pars inculta manserat, propter expulsionem, & translationem in alias *Italiæ* partes dictorum *Ligurum*, qui eam antea habitarant, & coluerant. Gavisa fuit *Luca* Coloniæ *Romanæ* jure usque ad Sociale bellum, quo, quum *Itali* coëgissent *Romanos* ad communicandum municipium, aliaque privilegia, quibus fruebantur Coloniæ, & municipia *Romana*, confusæ fuerunt utrorumque prærogativæ, ac jura; quælibet urbs mansit municipium, atque hoc nomine gavisa fuit voto in Comitiis, & adscripta uni ex trigintaquinque tri-

D bubus; ubi creditur, annumerata *Luca* Tribui *Lucerinæ*, vel *Luceriæ*. Hinc est, quod *Cicero*, qui post prædictum bellum scripsit, in epistolis suis familiaribus (scribens de *Lucio Castronio Peto*, equite *Lucensi*, nobilitate, & auctoritate valde eminente) urbem *Lucam* vocat municipium, & non amplius Coloniam. Sociali bello brevi temporis intervallo successit civile illud, inter *Cæsarem*, & *Pompejum*; in quo ab illius ambitione oppressa fuit *Romana* Respublica & in regnum abiit. Magnus ille Monarcha primas fecit *Lucæ* lineas eas bellicas, quando *Pompejum* & *Crassum* allocutus est, quo eum comitati sunt ultra ducenti Senatores, Consulares; & hac ipsa occasione apparuerunt in eadem urbe (ut notat *Plutarchus*) cen-

E tum & viginti fasces *Proconsulum*, & *Prætorum*; Ab hoc enim conventu, sive conspiratione (*Reipublicæ Romanæ* infausta,) confirmatus fuit *Cæsar* in Imperio *Galliarum*, & Regionum earum priscarum, quæ ipsi fuerunt concessæ in compensationem *Hispaniarum*, quas ille *Pompejo* tribui curavit, & *Syriæ* à *Crasso* occupatæ.

Inde prævalente in secundo Triumviratu *Augusti* fortuna, ac orbe sub unius ejus imperium & arbitrium redacto, Urbs *Luca*, quæ prius in *Galliæ Cisalpinæ* Provincia extiterat, ac sub Procon-

F sulis illius regimine, pristinæ, priscæque *Etruriæ* regioni suæ restituta fuit, suam retinens libertatem sub auspiciis, & suprema Proconsulis directione, quem in dies Imperatores in *Etruriæ* Provinciam mittebant, quibus, si priscis *Romanis* fides habenda, *Luca* valde grata fuit præ cæteris dictæ Provinciæ urbibus, propter optimam militarem disciplinam, ac præcipue, ob equestrem in ea florescentem ordinem, ac insignem vim milita-

rem, quæ inde proveniebat ſecundum nobile illud *Strabonis* teſtimonium.

Ad montes Lunæ incumbentes Urbs Luca ſita eſt, ubi plerique vicatim habitant: regio probitate virorum floret, & militare robur hinc educitur, & inde equitum multitudo, ex quibus Senatus militares capit ordines.

Quanti æſtimarint *Romani* urbem *Lucam* confirmare poſſunt, ut teſtes fide digni, plurima publica ædificia, quibus illi ipſam illuſtrarunt, Theatrum præſertim, cujus adhuc apparent veſtigia (licet exigua) penes Eccleſiam *Sancti Auguſtini*; cum alio ſumtuoſiſſimo Amphitheatro; cujus pariter reliquiæ, majori ex parte integræ ſervantur in plateâ antiquorum carcerum (*delle Prigioni Vecchie*) nuncupata; & quamvis hujus ultimi ædificii ignoretur conditor, probabile tamen eſt *Auguſtum* ipſius fuiſſe auctorem, in avunculi ſui memoriam, qui in hac urbe prima ſuæ magnitudinis jecit fundamenta.

Ejuſmodi gaudebat tranquillitate urbs *Luca*, cum divinæ placeret Bonitati, ipſam claram, & illuſtrem, ut erat nomine, ita & re ipſa reddere. Pulſis gentiliſmi, quibus obruta jacebat, tenebris, Evangelicæ veritatis ſplendore illuminabatur, per prædicationem glorioſiſſimi martyris *Paulini Antiocheni* primi illius urbis Epiſcopi, *Sancti Petri* diſcipuli, à quo ille ad hoc miniſterium electus fuit. *Lucenſium* animos adeo dociles, ac bene diſpoſitos invenit *Paulinus*, ut multo minori quam anni unius ſpatio acceptarent, ac in univerſum omnes fidem profiterentur Chriſtianam; quod evenit anno ſecundo Pontificatus antedicti *Petri*, quarto autem Imperii *Claudii*, noſtræque Salutis XLVI. (Anno Domini XLVI.)

Is ejus fuit ſtatus, quamdiu Monarchia perduravit *Romana*, hoc tamen diſcrimine, quod usque ad *Conſtantini Magni* tempora, non potuit, ſicuti & aliæ *Italiæ* urbes, publice, ac aperte cultum Chriſtianæ Religionis, ut poſtea licuit, exercere.

(Ann. DLIII.) Per invaſiones vero Barbarorum *Romano* Imperio occidentali diminuto; ſubjecta ipſa quoque fuit annis circiter ſeptuaginta ſeptem *Oſtrogothis*, donec mitteretur à *Juſtiniano* Imperatore, celebris, ac fortunatus ille dux *Narſes*, a quo debellati prorſus, ac expulſi ex *Italia* fuêre iidem *Oſtrogothi*, quorum ultimæ reliquiæ, quum *Lucam* confugiſſent, ac ſeſe ibi defenderent, diuturna, & ſeptem menſium obſidione ad eam expugnandam coactus fuit; nec forſan adhuc illa potitus eſſet, niſi generoſa clementia *Lucenſium* ſibi antea devinxiſſet animos: & hæc fuit, reſtitutio *Lucenſibus* facta triginta nobilium adoleſcentium ab eisdem traditorum ut obſides conventionis cum eis initæ, qua promiſerant ſe intra menſem urbem ei reddituros, dummodo auxilia non acciperent; quum autem fidem non ſervaſſent *Lucenſes*, in arbitrio erat *Narſetis*, adoleſcentes eos interimere (ſicuti obſeſſis ſpectantibus in publico ſpectaculo ſe facturum ſimulabat, nullo effectu tamen ſecuto; & hoc ut adoleſcentium eorum Parentes inducerentur ad tumultum excitandum, deditionemque urbis ſollicitandam, ad interitum præveniendum filiorum) remiſſis tandem vivis obſidibus eis, & liberis, conſtantiam expugnavit *Lucenſium*; & hi ſponte *Narſeti* ſe ſubmiſerunt, qui ante clementia, ac liberalitate eorum expugnaverat animos.

Sic *Luca* à *Gothorum* jugo liberata tranſivit cum reſiduo *Etruriæ*, totiusque fere *Italiæ* ſub Orientale *Græcorum* Imperium, qui Dominium ejus ſervarunt per Magiſtratus, & leges illis præſcriptas ab Exarchis *Ravennæ* reſidentibus, usque dum à *Longobardis* ſub *Alboyno* eorum Rege majori *Italiæ* parte expulſi fuerunt.

(Ann. DLXVIII.) Tunc *Luca* quoque alios obtinuit Dominos, A ac in victorum manus incidit, peculiaris tamen ipſius fuit felicitas inter communes calamitates. Quum enim *Alboynus* partem illam *Italiæ*, armis ſuis ſubactam, in tres diviſiſſet Ducatus, *Etruriæ* ſcilicet, *Spoleti*, & *Fori Julii*, *Etruriæ* Duces, ſedem ſuam *Lucæ* poſuerunt, urbemque Metropolim conſtituerunt, & totius Ducatus Caput, ibi ſuam continuantes ſedem, quamdiu penes ipſorum nationem ſceptrum fuit *Italiæ* per annos circiter CCVIII. Horum e numero ſervatur adhuc memoria *Valperti*, *Alperti*, *Deſiderii* (qui poſtea Rex fuit) Filii *Aldechis*, & *Jachiperti*, qui majori ex parte origine *Lucenſes* fuêre, B urbemque illuſtrarunt, præter alia ædificia, Regio Palatio (*Corte Regia*) in Regum ſuorum ſedem erecto, cujus adhuc, licet parva, conſpiciuntur veſtigia; una cum monetaria officina, ubi pretioſiores aureæ, argenteæque temporibus iis cudebantur monetæ.

Deſtructo vera à *Carolo Magno* anno DCCLXXIV. (Ann. DCCLXXIV.) (ubi ſimul captus *Deſiderius* Regum ultimus) *Longobardorum* Imperio, ac translato in perſonam *Pipini* filii ſui, ejusque poſteros, novo in *Italiæ* Regno, quod prole maſcula ipſorum deficiente, prius ad Principes *Italos* tranſiit, ac dein per virtutem *Ottonis Magni*, Imperatoribus *Germanis* ſubjectum, qui C ſupremum obtinuere Dominium, & Imperium per duo ſæcula, vel paulo diutius, *Italiæ* gubernio per tot mutationes ſemper diviſo in tres Ducatus, *Etruriæ*, *Spoleti*, & *Forumjulii*, aliter *Veronæ* nuncupatum, hoc unico diſcrimine, quod poſt *Longobardorum* Regnum vocati fuerunt *Marchæ*, vel *Marchionatus*. Toto eo temporis curſu, annis circiter trecentis, & quinquaginta, extitit *Luca* ſub directione, ac juriſdictione Marchionum *Etruriæ*, dependentium (ut plurimum) ab *Italiæ* Regibus, atque Imperatoribus prædictis, qui ibi ſemper ſuum ſervarunt domicilium, & ſedem longa ſæculorum ſerie, promiſcue, titulis Ducum, D Marchionum, ac Comitum utentes.

Antequam vero tranſeamus ad nomina, & geſta notanda quorumdam horum, qui ſuarum actionum fama ſe ſe oblivioni ſubſtrahere valuerunt, prætermittendus mihi minime eſt, ſed his inſerendus monumentis, Statum, & Regimen Politicum *Lucæ* ſpectantibus, adventus *Chriſti Crucifixi* in ipſam urbem, habitu, coronaque regia, per ſuam ſacram imaginem communiter vocatam *Vultus Sanctus* (*il Volto Santo*;) quod accidit circa Annum Domini DCCLXXXII. ſub imperio *Conſtantini*, & *Irenes*, (Ann. DCCLXXXII.) & anno ſexto, vel ſeptimo *Italiæ* regni *Pipini* antedicti, *Caroli Magni* Filii.

E Quum autem ſupremus is, ac univerſalis Monarcha ſeſe peculiarem urbis *Lucæ* Principem declaraſſet, eligens ſibi, mediante ſupradicto ſancto ſuo ſimulacro, ibi ſedem cum habitu, & inſignibus regiis, & quum paucis abhinc annis renovatum eidem fuerit homagium à *Lucenſi* Republica, ipſeque novo, ac pretioſo diademate coronatus, clavibus urbis traditis, functione ſolemniſſima, quam plurimi jam retulerunt, & typis mandata poſteris tradiderunt, rationi conſentaneum eſt, ut hiſtoria ea *Vultus Sancti*, (*del Volto Santo*) numeretur inter hujus Reipublicæ maxime notanda & memorabilia.

F Quum *Nicodemus*, qui ex Doctore Synagogæ *Hebraicæ*, diſcipulus factus (licet occultus) Redemptoris, poſt mortem, & reditum Magiſtri ſui, ſe ipſum conſolari curaret ob amiſſam illius præſentiam, ac ſimul ſervare ſtuderet vivam ſpeciei externæ dilecti objecti memoriam, ſibique ipſi in rudi ſculperet trunco (ſculptor enim erat) ejuſdem ſimulacrum, & effigiem; ut fama eſt ab antiquiſſimis orta traditionibus, ac ab ultimo principio, à ſeculis jam novem confirmata, & corroborata, ab ipſa divini hujus vultus evidentia, (quæ ſatis evincit,

cit, opus id neutiquam esse manuum humanarum) cum in eo esset pius artifex, ut exprimeret sculpendo similitudinem, ac Dei hominis effigiem, arduo hoc atque gravi opere suscepto occupatus obdormivit, & alto fuit somno oppressus; inde expergefactus invenit manu angelica caput corpori, ab ipso jam sculpto additum. Sacrosancta hæc effigies ab eodem *Nicodemo* intimo cuidam amico suo, (eidem Christianæ religioni addicto) tradita, ac ut melius à ludibriis *Judæorum* in tuto poneretur, subterraneæ cuidam speluncæ commendata fuit; in qua ab eo prius culta, successivè dein à solis fidelibus eis, secreti hujus consciis, occultata fuit per intervallum annorum circiter DCC. id est, ad annum usque supradictum DCCLXXXII. quo tempore *Gualfredus* quidam *Pedemontanus* Episcopus, quum abiisset ad invisendas Terræ sanctæ regiones, Angelica illi innotuit revelatione locus, quo absconditus jaceret *Crucifixus Dominus*; atque, humana cum divina concurrente industria, ad eum inquirendum, ac obtinendum ab eo qui custodiebat, aggressus est. Ob tantum autem thesaurum dum turbatus esset, ac dubius circa modum eumdem in *Italiam* deducendi, *Gualfredus*, abiit ad litus *Joppe*, ubi navim invenit satis magnam, & aptam, navarcho, nautis, alioque humano duce carentem. Tunc decrevit *Gualfredus*, sic inspirante Deo, ei decenti instructam apparatu, ac copia luminum, Lampadumque accensarum, sacram committere imaginem, divinæ Providentiæ directionem ejus translationis commendans. Illa fortunatum duxit lignum transmissis prosperè maribus *Cypri*, *Cretæ*, *Ionii*, & *Tyrrheni*, prope portum *di Luni*, urbem olim celebrem, & potentem *Etruriæ*, quæ vero nunc est locus exigui momenti, & miseras exhibet, edacitatis temporis, caducitatisque rerum humanorum reliquias: quoniam

— — — *Vix rudera quædam*
Ejus destructæ tristissima littora servant.

Hanc navim conspicientes *Lunienses*, eamque pretiosis mercibus oneratam existimantes, armatis aliis navibus eam invisere, eaque potiri tentarunt: sed quoniam lignum illud *Luniensibus* haud destinatum fuerat, eorum omnia vana fuerunt tentamina: quoties enim navim ipsam accersebant, toties ab eis ipsa recedebat. Episcopus interea Ecclesiam regens eam, diœcesimque *Lucæ*, *Joannes* nomine; de adventu ad *Lunam* hujus sacri pignoris ab Angelo primo admonitus, illudque divina dispositione ad *Lucenses* pervenire debere; cum Clero, ac Magistratu urbis iter eò suscepit. Quibus eo venientibus illico innotuit Cæli decretum in favorem Episcopi, suorumque Diœcesanorum; quoniam statim ut ad litus pervenit, navis ea ad terram appulit, atque in eam ingressus patuit. Nondum tamen convictis miraculoso hoc testimonio populis iis, opus fuit denuo hujus controversiæ decisionem divino committere arbitrio, pacto inter ambas partes inito; ut scilicet imponeretur sacrum hoc Lignum currui. ac à duabus juvencis, nullo antea jugo subactis, veheretur; & sic illi cederetur populo Thesaurus hic, de quo lis erat, cujus dominium juvencæ eæ currum trahentes ingrederentur. Jumenta ea prorsus *Lucæ* versus territorium processere: ubi constitere (ne ulterius Cœli voluntati contumaces fierent.) Sacrum hoc simulacrum translatum, ac collocatum fuit in urbe ea, ubi præsenti etiam residet die.

Hæc origo est, ac historia celebris *Faciei Sacræ Crucifixi Lucensis*, alias *il Crocifisso di Luca*, nuncupatæ, quæ temporibus omnibus maximo veneratur honore, ac reverentia ab omnibus, licet remotioribus, mundi nationibus. Coronata postremo imago fuit, (ut superius dixi) anno quinquagesimo quinto illius sæculi à *Lucensium* pietate, corona auro, & gemmis pretiosa, pecuniis brevi temporis dimidiæ quadragesimæ spatio collectis, quæ eleemonsynæ collatæ fuerunt ab omnibus in universum prodigiose commotis, exhortante quodam Patre Prædicatore, Capuccinorum ordinis, tunc in Cathedrali Ecclesia concionante, viro vere Apostolico, ab hominibus cujuscumque status, gradus, & qualitatis; declaravit insuper Crucifixum Respublica per Excellentissimum ejus Justitiæ Vexilliferum solemni pompa protectorem suum, ac eumdem elegit in Patronum, & Dominum peculiarem urbis *Lucæ*, districtusque ejus, oblatione ipsi facta urbis clavium, ac in ejus Sacello clavibus eidem appensis relictis.

Ignosce Lector, parce pietati, (quæ primum, ac unicum Politiæ fundamentum) digressionis hujus longitudinem) quam sibi hæc depoposcit relatio, quæ sacra est, nec advena: sed redeamus ad Marchiones, & Duces *Etruriæ*, qui ab anno DCCLXXIV. usque ad MCXV. sedem servarunt in urbe *Lucæ*, Dominiumque ejus tenuêre.

Inter eos Dux *Adalbertus* Civis Lucensis, *Bonifacii* filius, è regia *Longobardorum* stirpe descendentis, & mariti *Bertæ* Regiæ, filiæ *Lotharii* Imperatoris, primus fuit potentissimus tam amplitudine statuum, quam fama, & divitiis (quibus adeo abundavit, ut antonomastice vocatus fuerit *Dives Adalbertus*.) Temporibus suis sese constituit arbitrum, ac plenipotentiarium rerum *Italiæ*. In bello enim, ac controversiis hujus illustris Provinciæ ergo exortis inter *Ludovicum Tertium*, & *Berengarium Primum*, pars ea semper victoriosa fuit, cui adhærebat *Adalbertus*, per cujus potentiam, ac strenuitatem *Romæ* etiam elevati fuerunt ad Pontificatum *Stephanus Septimus*, *Sergius Tertius*, *Joannes Decimus*; captivitate insuper, multisque aliis incommodis affectus fuit *Joannes Decimus Tertius*. Gesta equidem ejus per suam impietatem magna ex parte illius obtenebrarent famam, nisi absolutione petita, & obtenta à censuris, ea de causa in ipsum emissis, donatione facta Cathedrali Ecclesiæ, Canonicisque Sancti *Martini* (de quibus infra dicemus) atque urbe *Narno* pro sede Apostolica recuperata, aliquam Pœnitentiæ demonstrationem edidisset. Annos sexaginta, & ultra dominatus est *Adalbertus*, & valde senex *Lucæ* occumbens in Patria sua, circa annum CMXV, vel CMXVI, quatuor post se reliquit liberos, *Guidonem* scilicet, *Lambertum*, & *Ermengardam*, natos ex *Berta* uxore sua; & *Albericum* illegitimum, natum ex *Marotia* Romana, tam nobili, ac potenti, quam effrenatis libidinibus suis famosa. *Guido*, & *Lambertus* ei successerunt, (ut infra dicetur) in Marchionatu, Ducatuque *Etruriæ*; *Ermengarda* in uxorem data fuit *Adalberto* Marchioni *Inureæ*, ipsa quoque potens, ac æstimatissima fuit Principissa. *Albericus* vero quem erroneè, & per æquivocationem Patris cum Filio, scriptores quidam vocarunt *Etruriæ* Marchionem, valde pariter potens extitit. *Joannes* Papa *Undecimus*, ejus frater uterinus, ex antedicta *Marotia* natus, & *Joannes Duodecimus* ejus filius pluribus annis *Romæ* imperavit; & ab *Ugone Italiæ* Rege (*Bertæ* filio, ac uterino fratre *Guidonis*, & *Lamberti*) filiam in uxorem obtinuit. Octo post *Adalbertum* annis, obiit quoque *Berta* ejus uxor; & quia insigne, & venerabile Capitulum *Sancti Martini Lucæ* ab utroque excitatum, atque beneficiis ditatum fuit; *Adalbertus* quippe in animæ suæ, ac uxoris adjutorium, omnium redituum suorum decimas contulerat: & *Berta* Regia, vel ejus mandato *Ugo* antedictus, illius filius, *Italiæ*que Rex, natus ex *Lothario Arli* Comite, primo marito ipsius, eidem Capitulo tribuit Communitatem *Mazzarosæ* cum aliis secularibus jurisdictionibus; am-

Ann. 847. Ann. 900. Ann. 915. Ann. 923.

bo sepulti in dicta Cathedrali Ecclesia, in qua (licet Ecclesia hæc post eorum erecta fuerit mortem) hodierno tamen adhuc die apparent duæ sequentes inscriptiones; quas hic refero, tam ad A corroborandam historiam, quam ad ostendendum, quantum invaluerit (sæculis etiam iis rudibus & barbariei involutis) adulatio, quoniam ad marmora usque ea progrediebatur.

Epitaphium Adalberti:

HIC POPVLI LEGES SAXI SVB MOLE SEPVLCHRI;
HIC IVS, PAXQVE IACENT; HIC PATRIAE AVXILIVM.
HIC CVBAT ALA, SCVTVM, DOLOR, LACRIMAEQVE REPOSTAE
HIC OCVLVS CAECI, HIC PIETAS VIDVAE.
PES CLAVDI, VESTIS NVDI, SOLAMEN EGENI
NOSTER ADALBERTVS DVX PIVS, ATQVE BONVS.
SENSIBVS EXTERNIS TIMOR, ATQVE PAVOR MINITANDVS
MILITIBVS PROPRIIS GLORIA SVMMA SVIS.
QVAM FORTIS FVERIT, NOVERVNT VLTIMA THVLE,
QVA BONITATE FVIT DICERE LINGVA NEQVIT.
IN SEXTODECIMO SEPTEMBRE NOTANTE CALENDAS
HIC POSVIT MEMBRA FVNEREO GEMITV.
QVISQVIS LEGIS TVMVLVM CVLPARVM FACTA SVARVM
ANTE DEVM RECITA IN PRECIBVSQVE IVVA.

Epitaphium Bertæ Regiæ.

HOC TEGITVR TVMVLO COMITISSAE CORPVS HVMATVM
INCLITA PROGENIES, BERTA, BENIGNA, PIA;
VXOR ADALBERTI DVCIS ITALIAE FVIT IPSA
REGALIS GENERISQVE FVIT OMNE DECVS
NOBILIS EX ALTO FRANCORVM GERMINE REGVM
CAROLVS IPSE PIVS REX FVIT EIVS AVVS
QVAE SPECIE SPECIOSA, BONO SPECIOSIOR ACTV,
FILIA LOTHARII PVLCHRIOR EX MERITIS
PERMANSIT FAELIX SAECVLO DVM VIXIT IN ISTO
NON INIMICVS EAM VINCERE PRAEVALVIT
CONSILIO DOCTO MODERABAT REGMINA MVLTA
SEMPER ERAT SECVM GRATIA MAGNA DEI
PARTIBVS EX MVLTIS MVLTI COMITES VENIEBANT
MELLIFLVVM EIVS QVAERERE COLLOQVIVM
EXVLIBVS MISERIS MATER CARISSIMA MANSIT
ATQVE PEREGRINIS OPEM SEMPER TRIBVIT
CLARVIT HAEC MVLIER FORTIS SAPIENSQVE COLVMNA
TOTIVS VIRTVS, GLORIA, LVX PATRIAE.
IDIBVS OCTAVIS MARTII MIGRAVIT AB ISTA
VITA CVM DOMINO, VIVAT VT IN REQVIE.
MORS EIVS PLVRES CONTRISTAT PROH DOLOR! ET HEV!
EOVS POPVLVS PLANGIT, ET OCCIDVVS.
HVNC EVROPA GEMIT, NVNC LVGET FRANCIA TOTA
CORSICA, SARDINIA, GRAECIA, ET ITALIA.
QVI LEGITIS VERSVS ISTOS, VOS DICITE CVNCTI
PERPETVAM LVCEM DONET EI DOMINVS AMEN.
ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS DCCCCXXV
INDICTIONE XIII. OBIIT DE MVNDO.

Ann.929. Post *Adalberti* obitum Marchionatus, sive Ducatus *Etruriæ* transiit prius ad *Guidonem* primogenitum ejus; dein (quum is absque prole decessisset) ad *Lambertum* secundogenitum, & *Guidonis* fratrem. Per violentiam, ac fraudem Imperio, ac oculis orbatus fuit a supradicto *Ugone Italiæ* Rege, ac uterino suo fratre, qui illi substituit anno
Ann.936. CMXXXVI. *Bosonem* fratrem suum germanum. Post aliquot vero annos ab *Ugone* quoque spoliatus fuit *Bosonus* omni dominio; & *Etruriæ* marchia translata in *Ubertum*, vel *Aripertum*, ipsius *Ugonis* Regis *Italiæ* filium naturalem, qui ab anno CMVI. pacifice dominium tenuit usque ad mortem, id est ad
Ann.965. annum usque CMLXV. *Uberto* successit filius ejus B *Ugo* Marchio *Etruriæ*, Duxque *Spoleti*, *Luca* in urbe natus. Vir fuit is insignis potentia non solum, sed & moribus illustris, testibus encomiis à Sancto *Petro Damiano* ipsi datis. *Etruria* tota Leges ab *Ugone* accepit usque ad annum MI. Eo mortuo, in Ducatum, sive Marchionatum dictæ Provinciæ successit *Tedaldus* filius *Azzonis*, vel *Attonis*, Ann.1001.
Nepos *Sigifredi Lucensis* civis, contemporaneus, & (ut e quibusdam conjecturis satis probabile videtur) frater, vel nepos Marchionis *Adalberti* antedicti. *Sigifredus* is, licet valde dives, & potens esset, timore tamen, vel majoris potentiæ æmulatione *Adalberti* avunculi sui, sive fratris, *Luca* discessit, sedemque suam in *Lombardiam* transtulit; Domi-

LVCA, Civitas Thusciæ.

Porta S. Maria Borgo.

Porta S. Donato

Porta S. Petro.

LIBERTAS

Explicatio.

1. S. Martino.
2. S. Girolamo.
3. Condotto.
4. Il Palazzo.
5. S. Piero.
6. S. Michaele.
7. S. Salvatore.
8. S. Romano.
9. Rozza.
10. Piaggia Romano.
11. Ponte della Frotta.
12. S. Piero Samaldi.
13. S. Francisco.
14. S. Pontiano.
15. Cappucini.
16. S Gio.
17. S. Jacopo alla Tomba.

Dominium ibi adeptus fuit *Parmæ*, *Este*, *Ferrariæ*, & bonam Provinciæ illius partem. Ab
Ann.1021. anno MXXI, quo *Tedaldus* & vitam & regimen *Etruriæ* terminavit, usque ad annum MXXVII, Mar-
Ann.1027. chio, & Dux fuit quidam *Ranierus* nuncupatus: Cui successit *Bonifacius Magnus*, antedicti *Tedaldi* filius, & maritus *Beatricis* filiæ, secundum quosdam *Conradi* Imperatoris, secundum alios vero, *Federici Lotharingiæ* Ducis. Is licet *Tedal-*
Ann.1033. *dus* ejus Pater inauguratus fuerit *Estensis*, ac *Ferrariensis* Marchio, atque *Estensis* cognominatus, voluit nihilominus nominari, *Bonifacius Malaspina ex Aula Regia Lucæ*, tum quia Majores ejus, & præsertim *Sigifredus* antedictus avus suus, *Lucenses*, cognomine hoc usi fuerant; tum quia ipse post longum postliminium reversus erat, & sedem continuam & domicilium *Lucæ* habebat, cujus investituram, & confirmationem ab antedicto Imperatore, socero suo, obtinuerat.

Hunc tenuit Marchionatum *Bonifacius* ab anno MXXXIII. usque ad MLII. atque vir fuit ævo suo summus. Tempore ipsius dominii præter titulum non solum Vicarii Generalis, ac Marchionis *Italiæ*, à *Conrado* prædicto ei concedebatur *Canos-*
Ann.1052. *sa*, *Regium*, *Parma*, *Ferraria*, *Mantua*, *Mutina*, *Cremona*, *Verona*, *Ancona*, & *Luca* una cum aliis urbibus, Jurisdictionis Ducatus, sive Marchionatus *Etruriæ*; sed etiam filiam à Cœlo obtinuit, Magnam scilicet *Mathildem* eam, *Italiæ* Comitissam tam illustrem, per magnanima sua gesta, atque de sede Apostolica, Catholicaque fide tam benemeritam. Cujus fama propriis alis sex sæculorum intervallo transacto & superato, tempore nostro non minorem obtinuit spiritum, & vigorem, a generosa pietate, ac heroica magni Pontificis *Urbani Octavi* gratitudine, quam a calamo eruditi *Francisci Mariæ Florentini*; a primo, quia sufferre haud poterat, ut ossa ea, quæ fuerant olim hospitium animæ tam eximiæ, in orbis sepulta jacerent angulo, a frequentia, & ut ita dicam, à notitia hominum remoto; & ea anno MDCXXXV. e Templo Sancti *Benedicti in Polirone*, quindecim a *Mantua* milliaribus *Romam* transferri curavit, ac sumptuoso tumulo ea ipsa perpetuo venerabilia reddidit in Augustiori Christianitatis Templo Principi illi Apostolorum *Petro* dicato, qui jam a *Mathilde* adhuc viva in Patronum electus, ac ejusdem defunctæ totius Patrimonii hæres declaratus fuerat; a secundo, quia, sedula historia, celebrem Principissam hanc, post longam peregrinationem origini Patriæ suæ *Lucensi* restituit, simulque reviviscere curavit notitias vitæ illius memorabiliores, tot, atque tam evidentibus dilucidationibus, ut excusatum me existimem, si Lectorem ad hujus Auctoris opus remittens, hac narratione, rerum tamen memorabilium, supersedeam, ne aberrem, a scopo quem mihi proposui, opinatus tamen nec inutilem nec inconvenientem fore ejusmodi digressionem.

Mathildis autem ex tribus liberis *Bonifacio* natis, sola relicta, in omnem Patris ditionem successit, in easque tenuit Imperium ab anno MLII. usque ad MCXV, partim sub tutela & regimine *Beatricis* matris suæ, nec non *Goffredi* Ducis *Lotharingiæ*, Patrini sui; partim una cum *Goffredo* juniori *Lotharingiæ* Duce, & *Guelfo* Filio Ducis *Bavariæ*, marito, & Patre; partim tandem sola rexit.

Fruita est *Luca* sub ejus imperio integra fere libertate, exigente magna hac Heroina à Patria nil, nisi supremam auctoritatem, liberamque vectigalium publicorum dispositionem, quæ ipsa sæpius in piorum locorum ædificia impendebat; & aliquando ab iis concedebat immunitatem illis, quibus ipsa præcipue favere volebat.

Talis autem moderatio gubernii *Mathildis* tranquillum, ac pacificum Dominii sui sceptrum serva-
A re haud valuit: Infelix enim temporum eorum conditio, quibus impium schisma excitatum, diuque sustentatum ab *Henrico Quarto*, *Italiæ* Rege, (Imperatore nuncupato) contra summum, legitimumque Pontificem *Gregorium Septimum*, dissensiones producebat & turbas civiles, non solum in Ecclesia Catholica, sed & secularibus Christianis Principatibus, laxationes morum in Clericis, nimiamque populi libertatem, ut Patria etiam sua damnis, quæ motus & populorum seditiones secum trahere solent, affecta fuerit.

Annis autem MLXXIX, MLXXX, MLXXXI, quum à Ann.1079.
prædicto Pontifice, & dein a Conventu quodam sive 1080.
B Synodo Episcoporum, auctoritate, interventuque 1081.
Legati Apostolici congregatorum in *Sancto Ginesio Lucensis* Territorii Castello, excomunicata, degradata, atque Aulæ seculari subjecta declarata fuisset bona pars Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis *Lucæ*, tamquam inobedientium, ac Sedi Apostolicæ, Episcopoque contumacium, propter rationes prolixe narratas a Pœnitentiario Anonymo, vitæ *Sancti Anselmi* scriptore, tunc ejusdem urbis Episcopi, ac relatas ab Eminentissimo Baronio *in Annalibus* suis, Canonici ii valde a pietate, ac religione hodiernorum alieni, in dies in furore, & contumacia
C progredientes, excitarunt, & commoverunt ope factionis suæ adeo populum, ut eumdem tamquam causæ publicæ & defensionis ergo ad universalem inducerent rebellionem. Horum motuum tanti fuerunt impetus, ut necessario per prætextum suum secum traherent majorem Civium partem in favorem *Henrici*, ac Antipapæ *Giberti*. Adventus igitur ipsius *Henrici* in urbem *Lucam*, præter immunitates quasdam *Lucensibus* concessas, non tantum produxit expulsionem Episcopi *Anselmi* ex Episcopali sua sede, sed & introductionem in eamdem *Petri* Diaconi, capitis factionis Canonicorum seditiosorum, ac schismatis, hæresisque *Henricianæ* fautoris, sed integram quoque defectionem à *Ma-*
D *thilde* devotissima *Gregorii*, *Romanæque* Ecclesiæ propugnatrice. Nec quievit seditio hæc (ut colligi potest) nisi circa annum MLXXXIV, vel MLXXXV; ubi, quum arma spiritualia, ac temporalia *Gregorii* prævaluissent; ultra montes expulso *Henrico*; deleto, vel debilitato potius schismate, omnia redintegrata, ut antea, ac *Anselmus* in sedem suam, & *Mathildis* in pristinum Dominium, ac Status possessionem restituti.

Primis Imperii *Mathildis* annis, a sede Episcopali *Lucæ* elevatus fuit ad illam Sancti *Petri*, *Alexander Secundus*, antea *Anselmus Badagio* vocatus, Patria *Mediolanensis*: qui tanta mutatione singula-
E rem affectum erga primam Ecclesiam, sponsam suam, minime minuerat, sed efficacius eum ostendere voluit, atque cum Pontificatu universali titulum, & peculiarem Ecclesiæ *Lucensis* curam retinens, ita solebat se subscribere: *Alexander Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Præsul, & Lucensis Episcopus*: Quum autem erexisset, ac in ampliorem reduxisset formam, nobilioríque structura innovasset magnificum, sumptuosumque ædificium Cathedralis Ecclesiæ *Sancti Martini* (quam dein ipsemet plurium Cardinalium, Episcoporum, Prælatorumque interventu consecravit) contulit
F quoque in Capitulum Ecclesiæ suæ, *Lucensemque* Populum multum favoris, insigniaque privilegia; inter quæ, Canonicis concessit usum Mitræ fericæ albæ, quales solent Cardinales gerere; Communitati autem, ac populo *Lucæ* sigillum plumbeum (Bullæ instar) sculptum effigie viri equo insidentis lancea armati, clypeumque brachio gerentis; verbis additis,

Luca potens sternit, sibi quæ contraria cernit.

A Principatu spirituali hujus Papæ, qui privatæ fortunæ tempore, *Lucensium* fuerat creatura, atque in

in eorum gratiam elevatus ad supremum gradum, facile credi poterit, eclipsin esse passum, & non parum obtenebratum temporale Imperium *Mathildis*, ejusque matris Comitissæ *Beatricis* in urbe *Luca*, cum & ipsæ a solita sua ne minimum quidem decedentes pietate, sponte cederent *Alexandro*, quamdiu Dei vices in terra gereret, quod per spatium tredecim circiter annorum duravit, vel saltem quamdiu *Lucæ* mansit, quod pluribus vicibus aliquot conficit annos, Regalia ea superioritatis, ac jurisdictionis, quæ in dicta urbe exercere ipsæ consueverant.

Ann. 1115. *Mathilde* autem ultima Marchionis *Bonifacii* prole defuncta absque liberis Anno MCXV. & cum ipsa quoque stirpe *Sigifredi Lucæ* exstincta, cœpit urbs ea (pro fausta occasione temporum) se ipsam, per magistratus regere proprios; & licet supremos suos Dominos agnosceret Imperatores, & obsequium ac obedientiam eorum Vicariis in *Etruria* commorantibus præstaret, singulisque annis summam quandam pecuniarum, tamquam tributum Cameræ Imperiali solveret; in eadem tamen se conservavit libertate, ac independentia, quibus fruita fuerat temporibus antedictorum Marchionum, in omnibus iis, quæ spectant ad inducias, atque pacem. Quoniam anno MCIV. bellum ipsa cum *Pisanis* gessit ob finium controversias, variamque vim, jure quasi talionis alteri ab altero illatam, atque ex antiqua & mutua utriusque populi æmulatione ortam, nimis enim vicini, & angusto milliarium tantum decem intervallo a se invicem distant. Varia fortuna gestum hoc bellum, interruptum etiam, & quinquies innovatum usque ad annum MCLXXIII, quo (Ann. 1173.) auctore & mediante *Federico* Primo Imperatore, *Barbarossa* nuncupato, pax inter duas hasce Respublicas composita fuit, ac dein anno MCLXXXIII. (Ann. 1183.) firmius roborata, novisque declarationibus, conditionibusque ad multos annos durabilis reddita, auctoritate & officiis summi Pontificis *Lucii Tertii*, Lucensis civis, ex illustri *Alucingolorum* familia oriundi.

Divisa tunc erat urbs *Luca* in quinque plateas, vel Tribus, nomen à quinque præcipuis ejus portis accipientes: *Sancti Petri* scilicet, *Sancti Gervasii*, *Sancti Donati*, *Sancti Frediani*, & *dei Borghi*; à qualibet harum eligebatur quolibet anno certus civium numerus, ex quo tria formabantur Consilia; *Generale*, quod quingentis constabat cujuscumque sortis civibus, vilibus mercenariis solis exceptis, ac eis qui infra annum erant decimum octavum: Aliud *di Credenza*, quod determinatum haud habebat numerum, sed e solis constituebatur Jurisconsultis. Tertium *Speciale* vocabatur *Consilium*, centum continens cives. Consilio cuilibet præsidebant Consules, qui numero erant quinque; & quolibet anno eligebantur per *Plateam*, sive *Portam*; Hisque præsidebat Prætor. Magni momenti negotia, primum a duobus minoribus examinabantur Consiliis; Decisionum autem sanciendarum auctoritas summa apud Generale residebat Consilium. Prætor (præcipuam urbis dignitatem gerens, & simul Armorum Generalis munere fungens) quolibet anno eligebatur à quinquaginta electoribus, per schedulas extractas, una cum viginti aliis à *Consilio Generali, ac Speciali*; Ex Electoribus iis quadraginta quinque ad minimum consentire debebant intra vigintiquatuor horarum spatium; aliter recurrendum iterum erat ad *Consilium Generale*, & ad illud *della Credenza*, atque ab ambobus iis, quinquaginta alii extrahendi erant Electores, qui si discordes erant, ultra numerum supradictum, electio devolvebatur ad tria omnia Consilia, quæ eligebant eum, qui majora obtinuerat suffragia.

Vix a bello externo, quod per integrum continuo seculum sustinuerat, contra *Pisanos*, urbs respi-A rare cœperat, quando excitatæ in ipsa fuêre graves discordiæ inter plebem, & Nobilitatem; plebs enim volebat majores magistratus sibi vindicare, nobilibusque eripere. Discordiæ in bellum prorupêre civile, in quo succubuêre Nobiles, & urbem deserere coacti sunt; licet non diu eorum perdurasset exilium: sequenti enim anno, auxiliis acceptis a pluribus subditis, Reipublicæque Feudatariis ipsorum adhærentibus, ac Vicarii Imperialii assistentia, recepti fuerunt in Patriam.

Sed quia vivæ adhuc remanserant radices eæ, Ann. 1214. quæ pristinas produxerant dissensiones, ac motus (fastus scilicet imperiosus nobilium ex una parte, & superioritas, quam Populares deposcebant in publico regimine, ex altera) præterquam quod infaustum semper fuit urbibus, numerosis, ac bellicosis viris repletis, (B) ut temporibus eis erat *Luca*, *quod si foris hostem non habent, domi inveniant*, pauci transiêrant anni, cum orirentur novæ, ac majores dissensiones.

Guidus Ubertus Prætor, muneris sui tempus expleverat, & ideo ad successoris electionem procedendum erat; cujus prima denominatio, quum ad prædecessorem in officio spectaret, rogatus fuit is *Ubertus* à quibusdam præcipuis popularibus, ut nominare vellet *Inghiramium de Porcaris*, (qui ex antiqua & nobili *Porcarensi* familia) tamquam ille, qui alias *Prætor* fuerat, & semper se plebi partialem se ostenderat; (C) & ideo multum favoris, & auctoritatis apud populares obtinebat: Quum autem mallet *Guido* voluptatem suam Populi desiderio præferre; ac propterea alium nominasset; furiosi irruerunt in ipsum populares, eumque in ipsa *Sancti Martini* Ecclesia (ubi pro more temporum eorum, congregati erant deputati ad electionem) interemissent, nisi à Canonicis, aliisque Ecclesiasticis, qui tali assistebant functioni, defensus, ac in tuto positus fuisset. Introductus nihilominus in Præturæ officium (licet nec electus, nec nominatus fuisset) *Inghiramius*, populari bracchio, Prætoris au- (D) ctoritate fungi cœpit, diversa publicans mandata, & edicta. Qua temeritate irritati iterum nobiles Cives, *Luca* abierunt una cum antiquo Prætore *Uberto*, & in Castello *Passarino*, *Ripa Frata*, *Fucecchio*, *Montecatino*, aliisque ex melioribus ditionis Castellis sese munierunt: contra quos, ut Patriæ inimicos, profectus cum armatis copiis *Inghiramius*; cumque *Fucecchio*, *Ponte à Capiano*, aliisque locis eos expulisset; revertentem plures copiæ, quas prædictus Prætor, *Ubaldus*, *Gherarducius*, aliique exules nobiles; ducebant, aggressæ sunt, ac post longum certamen fuderunt, & fu- (E) gabant; cæsis & captivis multis e gente sua. Hujus victoriæ ergo *Lucam* iterum ingressi sunt Nobiles, & temeritas *Inghiramii* depressa, ac punita.

Sedatu multum difficiliores, diuturniores, & Ann. 1220. consequentiæ magis noxiæ, pestiferæ fuerunt factiones *Guelforum*, & *Gibellinorum*, quæ paucis postea annis in *Etruria* cœperunt. Diabolica hæc zizania ex *Germania* primum allata, & ex primo semine diuturnum produxit bellum, inceptum inter potentes duas familias, *Arrighorum*, scilicet, *de Gobelinga*, & *Guelforum de* (F) *Altdorf*; multos annos divisam tenuit in partes totam eam vastam Provinciam. Disseminata dein in *Italia* prima vice à *Federico primo* Imperatore anno MCXL, ac multo magis propagata & sustentata, a *Federico Secundo* ejus nepote: qui in diuturnis ac furibundis bellis impie ab eo contra Papas gestis & exsecrandis, iis usus est nominibus, ut facilius factioni suæ adhærentes agnosceret, illosque à Pontificiis distingueret. Harum autem factionum pestifer morbus ingravescens & per *Italiam* serpens, *Lucam* quoque infecit anno MCCXX.

Guelfis

Ann. 1264. *Guelfis* aliquot favit annos hæc urbs, tantâque
constantiâ hanc defendit partem (in majora etiam
sua infortunia, & detrimenta) ut post memora-
bile prœlium ad *Montem apertum*, Anno
MCCLXI. commissum, in quo maximam passi
sunt *Lucenses* cladem, iidem *Guelfos Florentiæ* ex-
ceperint patria sua expulsos, & ipsos ultra duo-
rum annorum spatium contra vires *Manfredi* Re-
gis *Neapolitani*, totiusque *Gibellinæ* factionis, quæ
tunc temporis erat superior, & *Guelfæ* prævale-
bat, protexerint, licet hoc ipso totam ferè di-
tionem amiserint. Undique tandem pressis, &
exitio proximo, alios protegendo, expositis, ex-
pellere opus fuit dictos *Guelfos*, sceptroque an-
tedicti *Manfredi* succumbere, eidem juramento
fidelitatis præstito in manus Comitis *Guidonis
Novelli*, illius in *Etruria* vicarii: Qui magna ex
Ann. 1265. parte gubernium reformavit, jubens ut Consu-
lum loco, quolibet bimestri decem eligerentur
Seniores (more *Florentino*) duo pro qualibet ur-
bis porta; inter quos præeminentia, & superio-
ritate frueretur Gubernator quidam, triduo quo-
libet mutandus.

Manfredi verò regnum breve fuit, nec trium
annorum excessit terminum; malè enim funda-
tum erat, & ideo diù subsistere haud pote-
rat. Cædes insidiosæ, ac violentæ innocentium
Principum, & extirpatio ferè totalis familiæ
Suevicæ, qua imperium suum auspicatus erat,
in fundamentum arenæ quasi superstructum e-
vaserunt. Additur etiam, *Manfredum* cum Papis
altercari cœpisse, & potentiorem redditum in-
vadisse, & occupasse Ecclesiæ status. Ultimus
is quasi fuit cuniculus militaris, illius evertens
Tyrranidem. Provocatus enim *Clemens Quar-
tus* continuis *Manfredi* offensionibus, investi-
turam Regni utriusque *Siciliæ* contulit in *Caro-
Ann. 1266. lum Provinciæ* Comitem, *Ludovici Franciæ* Re-
gis fratrem, invitans ipsum sollicitè in *Italiam*,
& ut eam recuperaret. Accessit *Carolus* modi-
co comitante exercitu, admiranda nihilominus
facilitate, & obstaculis omnibus superatis, uni-
co prælio victor evasit, *Manfredum*que intere-
mit, atque toto, quod ille usurpabat, re-
gno potitus est; quod paulò post eâdem de-
fendit fortunâ, & servavit adversus conatus,
& invasionem *Conradini* secundi, *Romanorum*
quondam, & *Neapolis* Regis. Progressus au-
tem is cum numerosis equitum copiis, copiosis-
que auxiliis factionis *Gibellinæ*, quorum ipse ca-
put erat, ad recipiendum regnum à *Carolo* oc-
cupatum, quod ipse ad se hæreditario titulo spe-
ctare prætendebat, per ditionem *Lucensem* trans-
iit, armorumque cum comitantium terrore,
omnique hostilitatis modo *Lucenses* ad factionem
suam trahere tentavit. Hi autem muniti ad ri-
pam citeriorem *Ozorii* fluminis, seù fossæ cu-
jusdam, quæ originem suam habens à Lacu *Sex-
ti*, tota tandem longitudine planitiei *Lucæ* trans-
acta, in fluvium *Serchium*, effunditur, tam
strenuè sese illi opposuerunt, ut *Conradinus*, ne
intempestiva mora rebus damnum inferret suis,
à proposito desisteret, & iter acceleraret una
cum sui Fati infelicitate. Infaustus enim Prin-
ceps is, prœlio apud *Palentam* commisso, exer-
citum, ac paucis inde diebus libertatem, ami-
sit, duobusque annis in carcere transactis, vitam
cum morte commutavit. *Carolus* enim per ri-
gorem suum, (qui ab omnibus temporum eorum
scriptoribus inhumana dicitur ferocitas) unico
ictu gladii, per manum Carnificis in publico
spectaculo, vitæ *Conradini* filum truncavit, &
Prosapiam *Suevicam* exstirpavit, quæ per annos
CXXXVI. quinque *Germaniæ* productis Imperato-
ribus, longiùs forsan magnitudinem, poten-
tiamque suam extendisset, nisi hæreditaria odia,
A quæ ejus ostendebant Principes, diuturnaque
bella contra Papas, Ecclesiamque gesta, eam Cœlo
reddidissent exosam.

Ex prosperis hisce *Caroli* novi *Neapolis* Regis
progressibus, *Clemens* Pontifex *Viterbii* tunc
residens, animum sumebat; cumque videret civilia
bella in urbibus *Eruriæ* à factionibus *Gibellino-
rum*, & *Guelforum* in dies magis quam unquam
augeri, ad extinguenda, aut diminuenda san-
guinolenta ea factionum studia, sibi vindica-
bat (vacante tunc Imperii sede) novo exemplo,
totius *Etruriæ* gubernationem, & vicarium suum
B creavit eundem *Carolum* Regem. Quapropter
Luca anno MCCLXVI. excusso vicariorum *Man-
fredi* jugo, lætissima sub sanctæ sedis protectio-
nem pervenit.

Illud eo facilius factum, quo non poterat, Ann.
aut nolebat, *Rudolphus* Imperator armis recupe- 1268.
rare jura, & superioritatem, quas temporibus
antecedentibus in *Italiam* ac *Etruriam* præcipuè
Imperium habuerat; misit quemdam vicarium
in hanc Provinciam, auctoritate instructum ad
componendum de pecuniis cum illis Urbibus,
quæ suam redimere vellent libertatem. *Luca*
C igitur, statim à superioritate Imperii, duodecim
millibus florenorum solutis, se reddidit immu-
nem, idque consensu *Honorii* Quarti, Summi tunc
Pontificis.

Libera igitur, & omni aliena jurisdictione so-
luta, domina sui ipsius *Lucensis* Respublica op-
portunè usa fuit pace, qua fruebatur, seseque, ad
res politicum spectantes regimen convertit.
Anno igitur MCCXCVI. ad exemplum Reipublicæ Ann.
Florentinæ, suum reformavit Magistratum, ejus 1296.
loco decem *Seniores*, novem *Priores*, & *Justitiæ
Vexilliferum* creando.

D Tranquillitas autem ejus parum diuturna fuit:
quoniam Anno MCCXCIX, gravissimæ *Lucæ* gras- Ann.
sabantur dissensiones, quæ ad cruentas turbas 1299.
& bella tandem civilia progrediebantur.

Plures jam transiverant anni, ex quo Urbs
Pistoria in duas divisa erat factiones, alteram *Al-
borum (dei Bianchi)* alteram *Nigrorum (dei Neri)*
Gibellinæ factionis illi, hi *Guelfæ*. Originem de-
bebant istæ duobus fratribus Prosapiæ de *Can-
tellieris*, quæ tunc temporis & viris eminebat
& divitiis; hos inter quum discordiæ obtine-
rent ac inimicitiæ, eorumdem partes & alii sunt
E sequuti, ut ejusmodi factionibus plena reddere-
tur civitas, ubi sæpius ad certamina deventum
est, atque modo hi, modo illi expulsi, vel fuge-
runt, prout ferebat implacabile eorum odium,
ac seditionis pestis. Anno igitur supradicto *Lucam*
fugientibus quibusdam *Nigræ* factionis, qui ab
Obitiorum familia fovebantur, ac protegebantur;
Antelminellis fautoribus partis *Albæ*, *Obitiorum*
inimicis, æmulatione adeò correptis, ut præve-
nire cupientes (ne ipsi prævenirentur) initio
anni MCCC. *Bonuccius Antelminellus*, & *Baccio-* Ann.
meus Ciapparonus prætextu cujusdam litis civi- 1300.
lis, de qua inter eos controvertebatur, & docto-
F rem *Obitium de Obitiis*, hujus familiæ caput,
repentè in publica via aggressi sunt *D. Obitium*
ibique crudeliter occiderunt. Animati igitur
Antelminelli hoc prospero successu, *Mordecatellis*
aliisque familiis eorum partes sequentibus, Po-
pulum contra *Nigros*, & partem *Guelfam* exci-
tare conati sunt; istæ autem machinationes in
vanum abiere, & in damnum, & exitium recide-
runt artificis illius; quapropter indignatus Po-
pulus insolens atque temerarium homicidium an-
tedictum, in ejus auctores sese vertit, aggredi-
ens *Antelminellorum*, eorumque fautorum do-
mus, quarum ultra centum igni traditæ, ac
dirutæ fuerunt, & capitis rei renunciati omnes hu-
jus criminis complices.

Hoc tumultu, quùm pars *Guelfa* prævaluisset, ad arbitrium *Obitiorum* familiæ, quæ dictæ factionis erat præcipua, urbis pervenit gubernatio; cujus in omnibus prævalebat auctoritas, ipsaque cum factione & asseclis suis formam, & leges præscribebat publico regimini; eodem prorsus modo, quo familia de *Medicis Florentiæ*, antequam ejus regimen reductum erat in monarchiam. Hoc in loco
Ann. 1308. se sustinuerunt *Obitii* usque ad annum MCCCVIII, quo plebs audax, instigataque à quorundum *Pisanorum* malignitate, qui ægre ferentes potentiam, felicissimumque statum, quibus tunc fruebatur hæc Respublica illorum æmula, ac vicina; inter eamdem plebem, & Nobilitatem pessima discordiarum ac dissensionem semina spargebant, civitatem in tumultuariam quandam *Democratiam*, vel potius *Ochlocratiam* redegerunt; usurpatoque omni ferè imperio, nova promulgata statuta, ac decreta, adeò contraria, & damnosa domibus iis, (vel ut utar vocabulo à plebe Proceribus eis imposito) *Casaticis Nobilibus*, factionem *Gibellinorum* sequentibus, ut centum, & tringinta quinque familiæ ex potentioribus, quùm non possent talia sufferre gravamina, patriam deseruerint confugientes in Urbes, alii *Pistoriam*, alii *Pisas*, alii *Aretium*. Neque his contenta factio popularis, anno tan-
Ann. 1309. dem MCCCIX. sequenti totum ferè Reipublicæ regimen sibi arrogavit, omnem alium opprimens magistratum, novosque tres Priores, ex corpore suo creans, hisque in omnibus plenarium ac supremum tribuens Imperium.

Cum autem per novitates eas prima patuerit via malis, quæ postea urbi acciderunt, illaque ratio fuerint politica & efficacior declinationis, ac totalis postea Reipublicæ ruinæ, opere pretium est, ut vobis (quasi per transitum, ne à proposito meo aberrem) exponam, quanta, & qualis tunc fuerit potentia, hujusque Patriæ fama, ut e celsitudine dignitatis, in qua ipsa eminebat, ejus magis appareat occasus.

Florentini, per annos quinque, id est ab anno MCCCIII cum exitialibus discordiis, bellisque civilibus conflictati, nec valentes apud semetipsos, in factiones quippe omnes divisi, modum reperire, tranquillitatis suæ restituendæ, remedium à *Lucensibus* petierunt, Rempublicam rogantes, ut omnium dissensionum susciperet arbitrium una cum libero urbis *Florentiæ* dominio, absolutaque, & plenaria potestate, Statum, & gubernium, pro suo lubitu reformandi. Acceptarunt *Lucenses* magna promptitudine, & fide non inæquali fiduciæ, quam *Florentini* in se locare ostendebant. Sedecim itaque millibus peditum, quingentisque equitibus optimè armatis *Florentiam* profecti *Lucenses*, ac urbe occupata, arma ut deponerent, factionibus mandarunt, severaque publicarunt edicta, ac tandem sedecim dierum spatio (ut scriptores ipsi *Florentini* testantur.) plenario *Florentiæ* dominio potiti sunt; seditionibus dein repressis, & controversiis compositis, novisque *Prioribus*, ac *Prætore* pro ipsorum arbitrio electis, Senatuique reddito gubernio discesserunt, omnibus principibus ævi illius, & multo magis posteris, raro, & unico forsan exemplo incontaminabilis fidelitatis, & rejectæ illius perversæ rationis status docentis, utendum esse occasionibus ad justitiam violandam regnandi gratia, relicto.

Notandum vero est, hoc evenisse tempore eo, quo *Lucenses* tunc *Florentinis* fœderati contra *Pistorienses* exercitum in obsidione *Pistoriæ*, decem millia peditum conficientem, cum sexcentis equitibus, alebant.

Nec hoc mirum, aut incredibile, Lectori
A videbitur respectu amplitudinis confiniorum, quæ temporibus iis, dominium *Lucæ* continebat, quoniam præter eam partem status illi relictam, sub ejusdem tunc erat imperio tota *Garfagnana* cum Vicariatu *Camporeggianæ*, *Petra Sancta*, cum toto ejus Territorio, vicariatus *Bargæ Sarzanæ* cum districtu suo, *Pontremoli* cum majori parte Arcium circumjacentium, *Massa*, *Carrara*, *Lavenza*, *Fordinuovo*, *La Gula*, & major *Lunigianæ* pars: Vallis ferè tota *di Serchio*, cum pluribus aliis Dominii *Pisæ* vicis, illi relictis pace ultima anni MCCLXXXIII. Tota insuper *Valdinievola*, ac in *Valdarno*, sub *Castelfranco*, *Sancta Maria in monte*, *Montefalcone*, *Monte Calvo-*
B *li*, *Fucecchio*, & *Montopolis*. Huic statui addita erat, anno MCCCII. tota occidentalis pars Territorii *Pistoriensis* viginti tres amplectens villas; armis occupata fuit pars hæc, occasione belli, quod per supradictum fœdus, dicto anno motum fuit *Pistoriensi* Reipublicæ, atque anno MCCCV auctum illi fuit Dominium ejusdem accessione urbis *Pistoriæ* in communi cum *Florentinis*; Licet paucis inde annis per *Pistoriensium* rebellionem, quam majori ex parte cives discordes fovebant, atque *Florentini* animabant, *Luca* prorsus spoliata eâdem remaneret. At redeamus
C ad civiles eorundem *Lucensium* motus, qui paulò antè discordias aliorum sedaverant.

Quum *Pisani*, cæterique *Etruriæ Gibellini*, ut se Ann. 1313.
se factioni opponerent *Guelfæ*, Regi *Neapolis Roberto* (cui discordiis interioribus lassi, & perterriti *Henrici Sexti* Imperatoris in *Italiam* & *Senense* Territorium adventu, sese submiserant spontè *Florentini* & *Lucenses*) in Ducem, & Caput suum elegissent *Ugoccionem della Fagiola*, ducem diebus illis eximium; excitatus is ab exulibus *Lucensibus* & adjutus à diffidentibus civibus in duas (licet ejusdem essent *Guelfæ* factionis) partes divisis, quarum alterius Caput
D erat *Lucius de Obitiis*, alterius *Arrigus Bernarduccius*, incursionibus, deprædationibus, incendiisque Territorii, brevi temporis spatio redegit *Lucam* urbem in eas angustias, ut pacem petere, & accipere conditionibus iis, quæ ipsi præscriptæ fuerant, cogeretur; quarum altera erat, ut remitterentur omnes exules *Gibellini*, ipsisque omnia restituerentur bona, quibus ante suum fruebantur exilium: in quorum restitutione (à tergiversationibus Tertiorum possessorum, majori ex parti *Guelforum*, exulumque inimicorum difficili reddita) commotiones, ac tumultus tales exorti fuêre, ut invitarent iterum *Uguccionem*, ut rediret cum exer-
E citu suo ad mœnia *Lucæ*; ubi, dum expectabat eventum seditionis internæ, ipsi promissæ ab *Antelminellis*, *Quartigianis*, *Poggiis*, aliisque familiis fautoribus suis: tumultu inde excitato eodemque tempore, prout convenerat, & expanso quodam vexillo albo de turri, appropinquans *Ugoccio* ad portam dictam *del Prato*, vel *Imperialem*, à conjuratis intromissus fuit & urbe potitus
die decima quarta *Junii* MCCCXIV, non Ann. 1314.
absque multa sanguinis effusione, ac omnibus in
F universum domibus direptis, ne *Gibellinorum* quidem exceptis.

Oppressa mansit *Luca* ab *Ugoccionis* tyrannide
ad annum usque MCCCXVI; quia, quum tempo- Ann. 1316.
re opportuno haud accederent auxilia à *Florentinis* missa, vel illi tardarent, & differrent auxilia mittenda *Lucensibus* Fœderatis suis, avidi forte augendi res suas ex infortuniis eorum, & piscandi in turbidis, sibi vindicantes *Fucecchium*, *Sanctam Mariam a Monte*, *Sanctam Crucem*, *Montem Cavoli* & omnia castella cætera à *Lucensibus* possessa in *Valdarno*, cum *Montecatino*, & *Monsommano in Valle de Nievola*, idque prætextu ea servandi

di adversus vires *Ugoccionis*, eaque custodiendi pro Republica ipsorum Fœderata. Quumque paulo post *Florentini*, accedentibus Regis *Roberti*, totiusque *Guelfæ* factionis auxiliis, victi ac fugati famoso illo conflictu penes Castellum *Montiscatini*, die quarta *Augusti* ejusdem anni MCCCXIV. *Ugoccioni* externi tantum hostes erant metuendi; sed quod ii haud potuerunt, interni effecerunt tumultus. Excitato itaque anno supradicto MCCCXVI. populo ad exemplum *Pisanorum*, qui paulo antea rebellantes se in libertatem asseruerant, illud feliciter aggressi sunt *Ugoccionis* excutere jugum, eodem tamen tempore suscipere *Castruccii*, qui perraro, vario ac mirando fortunæ lusu, ex vinculis, in quæ a *Nerio*, vel *Ranierio*, *Ugoccionis* filio, *Lucæ* Gubernatore, injectus erat sub homicidii cujusdam, aliorumque delictorum prætextu, sed revera propter æmulationem; ac à securi, quæ paulo post caput ei rescindere debebat, liber, subito ad Thronum & ad sceptrum Imperii *Lucensis* sese elevatum conspexit, non tam inexpectato horum motuum beneficio, quam fatali *Ugoccionis* temeritate; qui cum primi nunciarentur *Lucæ* motus, sedens *Pisæ* ad prandium, tamdiu tardavit, donec à mensa surgeret, & ad sedanda tumultus illius principia accurreret, unde eodem tempore utraque exclusus urbe, & illi aliquando objectum, quod licet senex, dentibusque carens, *unico prandio duas ingentes comederit urbes.*

LIBER SECUNDUS.

Fuit igitur die decima septima *Aprilis* Anni MCCCXVI. (die *Castruccii* supplicio destinata) viva Populi voce proclamatus Dux Generalis, ac *Lucæ* ejusque ditionis dominus, supremo jure; ac auctoritate *Castruccius di Geri Antelminelli*, ac paucis inde diebus legitimè electus, & confirmatus à Consilio Generali ex omnibus civium ordinibus composito (ob hanc rem in platea Sancti *Michaelis* convocato) ad sex menses, socio illi addito regiminis, Capitanei Comitatus titulo, *Pagano Quartigiano*, qui inter præcipuos apud populum, ejus liberationem, & exaltationem ad Principatum promoverat. Sed quoniam beneficia, ut plurimum, ingratitudine compensantur, omnique tempore, & ætate stetit atque semper stabit sua veritas carmini illi Luciani:

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Paucis inde præterlapsis septimanis *Castruccius* dejecit *Quartigianum*, & confictis prætextibus ipsum urbe, & ditione expulit; neque hoc contentus post aliquot etiam annos & bonis & vita orbavit *Bettum*, *Landum*, *Ugonem* & *Guerruccium*, una cum octodecim aliis ejusdem *Quartigianæ* prosapiæ, sub prætextu, (vel vero, vel ficto) eos cum *Roberto* Rege *Neapolis*, & Duce *Calabriæ* filio ejus, conjurasse contra ipsum, & Statum.

Electioni huic *Castruccii*, & *Pagani* nemo contradixit; omnes enim, majorque pars illorum, qui fuerant, aut contrariæ erant factionis, nempè, *Nigri*, & *Guelfi*, ad tercentos usque, pluresque nobilium familiæ; (præter quadringentos alios populares, & artifices) certiores facti naturæ implacabilis *Castruccii*, & prævidentes, quod nisi prævenirent spontanea electione, ad eamdem brevi se coactos fore à *Castruccio*, quod & factum, & omnes ferè, qui remansêre, primis ejus dominii diebus voluntarium à Patria sibi elegerunt exilium, primis æque confugientibus cum omnibus bonis, ac ultimis cum suis artibus in diversas partes non solum *Italiæ*, sed & totius Christianitatis, & *Venetias* præsertim, quo confugêre plusquam quadraginta nobilium familiæ, multam secum transferentes pecuniam, tantasque divitias, ut potuerint impendere in emptionem immobilium bonorum, & in ædificationem Ecclesiarum, Xenodochiorum, & Palatiorum decies & quinquies centena millia aureorum. Quapropter urbs non solum cum perpetuo detrimento singularem amisit prærogativam, quam usque ad tempora ea servaverat, unica conficiens sericos pannos, aureos, & argenteos, coccineos, aliosque eximios, quoniam nobilissimæ artes à civibus suis, turbarum illarum tempore, translatæ fuerunt, ac introductæ *Florentiam*, *Genuam*, *Mediolanum*, ac in alias *Italiæ*, & *Europæ* Urbes, sed orbata etiam & gentibus, & nummis relicta, ut longo annorum cursu iterum emergere haud potuerit, nec jugo se subtrahere servitutis, quam sub variis Dominis, & Tyrannis languens, & oppressa (ut videbimus) sufferre coacta fuit.

Verum tamen est, quod si infaustum, ac adversum fuit tempore illo publicum ejus fatum Urbi *Lucæ*, imponens ipsi dolorosam, ac mortiferam eam sanguinis missionem, quæ trahebat è venis puriorem sanguinem, vivacioresque spiritus tot illustrium civium, totque auri, & pretiosos apparatus; felix tamen hæc mutatio (licet a necessitate imposita) terræ & climatis multis nobilibus evasit familiis, quarum quædam à tercentis & quadraginta annis vigent adhuc, atque florent viris, nobilitate, divitiisque, *Venetiis*, *Genuæ*, *Florentiæ*, ac in aliis præcipuis *Italiæ* urbibus. Nec inter eas silentio pertransire possum nobilissimam *Saulorum* prosapiam, *Genuæ* inter primas eminentem, quæ quum temporibus omnibus copiosis divitiis, illustribusque extitisset viris abundans, tam Senatoria toga, quàm armorum imperiis, decorata; & præteritis hisce duobus seculis junctum nobilitatis suæ claritati splendorem habet duarum Cardinalitiarum purpurarum, totidemque dignitatum Ducalium, in nova sua patria. Fruitur & ipsa, vel ejus major pars originaria Civitate *Lucæ*, priscæ suæ patriæ, & jure, ut fieri possit particeps omnium ejus honorum; sic enim peculiari decreto, non multis abhinc annis sancitum fuit.

Ut autem ad *Castruccium* redeamus, quem solum in imperio *Lucæ*, ejusque dominio reliquimus; antequam sex mensium exspirasset dominationis terminus, ipsi à Senatu præscriptus, eadem dominatio a Populo ad annum prorogata fuit, & non multò post, die decima septima Julii MCCCXVII. ad tres alios annos confirmata. *Castruccius* verò hoc limitato sceptro & quod in alium transferri poterat, minimè contentus, obtinuit tandem à populo, anno MCCCXX. supremum, & absolutum *Lucæ* dominium ad omnem ejus vitam; & Anno MCCCXXV. illius perpetuitatem in *Arrigum* primogenitum suum collatam; ac paucis inde annis confirmatus ei fuit Principatus is à *Ludovico Bavaro* Imperatore, qui multis ac insignibus beneficiis à *Castruccio* acceptis, in eorundem præmium speciali privilegio die decima septima Novembris MCCCXXVII. eumdem creavit Ducem *Lucæ*, omniumque Urbium earum, quas acquisiverat, illi eodem tempore titulum *Vexilliferi* Imperii addens.

Ann. 1317. Ann. 1320. Ann. 1325. Ann. 1327.

Tot, tantæque expeditiones militares fuerunt, & memorabilia hujus magni Principis gesta, ut ad eas narrandas integro opus esset volumine; nec ego eas transcurrere possem, nisi diverterem

a ratione, quam mihi in hujus operis cursu præfixi, (abbreviaturus scilicet, solummodo historias rerum, qui connexionem habent, & affinitatem cum mutationibus, & alterationibus status, & gubernii Patriæ meæ) nec transcribere, vel inutiliter repetere volo, quæ fusiùs scripserunt, noster *Tegrimius*, *Jovius*, *Beninus* & postremo Auctor, qui sibi vindicat nomen *Aldi Manutii*, Chronistæ præcipui illius vitæ (ne mentionem faciam *Macchiavelli*, per suam mendacitatem indigni, ut inter eos referatur) & quilibet alius temporum eorum historicus. Remittam igitur Lectorem ad supracitatos Auctores, & paucarum linearum elogio in summam redigam ejus res maxime illustres, una cum extrema vitæ ejus Catastrophe.

Usus est *Castruccius* præ omnibus aliis, sæculo suo viventibus, fortuna maxime secunda. Ista eodem tempore eum à mercatura, immo ministerio mercatorio, quo fungens Patriæ suæ exul, *Londini* morabatur, evexit; & à periculo imminente, immaturo vitæ cursu per manus carnificis vitam terminandi, in pœnam homicidii patrati coram Rege *Angliæ Odoardo Secundo*, in personam magni Aulæ ejus Baronis, à quo in lusu pilæ, ictu alapæ provocatus fuerat. Ipsa militiæ adscriptum paucis annis e gregario milite, illustrem reddidit ducem. Hinc modo extraordinario eum e vinculis, ac capitis securi amittendi periculo eripuit, ut supra vidimus, & subito ad apicem elevavit Principatus. Eo elevatum omni prorsus comitata est favore, quo per fortitudinem, quoad vixit, usus est. Brevi quippe duodecim annorum spatio (quibus *Lucæ* dominus extitit) subjecit continuo victoriarum cursu imperio suo, *Pistoriam*, *Volterram*, totam fere *Lunigianam*, majorem partem plagæ orientalis *Genuensis*, parvam *Florentini* Territorii partem (dominiumque ejus continebat ultra tercenta, muris cincta castella,) pressa periculosa obsidione *Genua*, ac ad extrema redacta *Florentia*. Formidabilem idcirco non solum Reipublicæ *Florentinæ*, sed & *Italiæ* toti se reddidit. Sub cujus ruinis proculdubio Principatus totius *Etruriæ* jecisset fundamenta, si per aliqua adhuc supravixisset tempora; nec dissensiones inter ipsum & *Bavarum* exortæ, eum (mutando & sententiam, & factionem) ad componendum cum Republica coëgissent. Providentia tamen æterna, quæ solet humanum confundere fastum, in apice spei, atque cœptorum constitutum, extracto per manum mortis, è monte inaccessibili imperscrutabilium decretorum Dei, parvulo quodam saxo febris malignæ, causatæ forsan ex incommodis obsidionis, ac expugnationis *Pistoriæ*, quæ ultima fuit ejus expeditio, evertit in momento, & tam magnum annihilavit Colossum, ut paucis post diebus ne minima quidem ejus apparuerint vestigia.

Finiit *Castruccius* & Imperium, & vitam, die
Ann. tertia Septembris Anno MCCCXXVIII. quadrage-
1328. simum septimum ætatis suæ annum agens, relicta post mortem majori fama, quam Thesauro, & hæreditate tam ampla, & copiosa ditionibus, quam exhausta, nummisque carente.

Horum defectus fuit scopulus, qui naufragium intulit fortunis & spei Adolescentium, *Arrigi*, *Valeriani*, ac *Joannis*, Filiorum ejus; quoniam licet *Arrigus* primogenitus post mortem Patris (aliquot dies opportunè celatam) evaserit dominus *Lucæ*, ac *Pisæ*: & ejus mater prudens, redeunte *Ludovico Bavaro* ab urbe *Roma Pisam*, protectioni, & gratiæ Cæsareæ se commendarit majestati, ei dono circiter duodecim millium

A scutatorum facto inter gemmas, equos, & pecunias; obtinueritque continuationem Filiorum in Paternis statibus; in personam vero *Arrigi* confirmationem dignitatis Ducalis; Cæsar nihilominus *Lucam* perveniens, aures præbuit instigationibus *Pisanorum*, & quorumdam *Lucensium*, qui partim familiæ *Castruccii* erant iniquiores, partim memores offensionum sibi ab eo illatarum. Quapropter spreta fide præstita, ac rejecta memoria eorum, quæ *Castruccius* in illius favorem operatus erat; postquam declarasset, se non posse accipere ab ejus filiis eximias summas illas, quas sibi proposuerat; dixit, quod si *Lucenses*
B prompte ei solverent quinquaginta millia scutatorum, cum aliis centum millibus intra anni spatium, libertatem se eis esse restituturum, ac servaturum. Oblatione itaque accepta à civibus ditioribus, Patriæque studiosis, numerati fuêre scutatorum quinquaginta millia; undè Imperator *Ludovicus Luca* discessit eodem mense Septembris, ibi pro vicario suo relicto Comite *Boldone*, *Porcaro* cognominato. Is convenit cum *Castruccii* filiis, ut ex *Etruria* profecto *Bavaro*, urbem eis traderet *Lucam*, dummodo illi in sponsam concederent *Viridem* sororem suam, cum viginti quinque millium scutatorum dote. Con-
C ventione vero detecta à *Poggiis*, *Antelminellorum* æmulis, ac *Bavaro* revelata, reversus is *Lucam*, *Porcarum* depositum, omni spe Filiis *Castruccii* privatis, in *Pontremoli* inclusit; acceptis deinde scutatorum viginti duorum millium à *Francisco Castracane*, defuncti *Castruccii* Avunculo (qui infortunio, ac expulsioni pronepotum favens, ex eorum Principatus ruinis, novum sibi erigere dominium studuit) ipsum vicarium suum perpetuum in urbe *Luca* declaravit.

Non diu autem permanent acquisitiones eæ, quæ pro basi dolum & injustitiam habent. Quin-
D decim quippe transierant dies, ex quo *Castracanis*, relicta cum dominio Patria, coactus fuit fortunam Principis cum exilio commutare eo modo, ut succinctè narrabo.

Reliquerat fato fungens *Castruccius* copiosum *Germanorum* præsidium ad custodiam *Augustæ*, castelli ab eo *Lucæ* erecti tali amplitudine, ac magnificentia, ut nomini sibi imposito optime responderet: sita enim in mœniorum angulo, sese extendentium à meridie occasum versus, comprehendebat *Sancti Romani* Templum, & Cœnobium, eodem loco ubi hodierno die ædificatum cernitur dominationis Palati-
E um, ac totam illam urbis partem. Paucis autem à morte *Castruccii* diebus, & *Bavaro Lucam* primum adveniente accidit, ut magna militum *Germanorum* exercitus pars, ob stipendium non solutum rebellaret, atque à reliquo exercitu discedens, occuparet primo castellum quoddam, paucis annis anteà à *Castruccio* ædificatum, *in Valdinievola*, temporibus eis vocatum *il Cerruglio*, & hodie *Monte Carlo*. Unde propter situm altiorem, valde eis opportunum, incessanter excurrebant, & deprædabantur omnes circumvicinas terras, & villas, procul quasi obsessam tenentes urbem. Copiæ illæ mediis aptis
F adhibitis, instigatæ à *Florentinis*, cupientibus in turbidis aquis frequentium *Lucæ* motuum piscari, inierunt, & feliciter composuerunt secretam conventionem cum prædictis *Augustæ* militibus suis popularibus, quibus mediantibus tentata repentè urbe, ac *Castracane* expulso, unà cum *Germanis* illis præsidiariis, Urbe *Luca* sunt potitæ.

Totius gentis hujus caput erat *Marcus Visconti*, qui quum ab Imperatore missus esset ad rebelles, ut eos ad obedientiam reducere conaretur, promittens ipsis, ab *Azzone Visconti*, suo fratre

(Do-

(Domino tunc *Mediolani*), soluta fore sexaginta millia scutatorum in eorum stipendia; ipsi in obsidem dictæ solutionis eum detinuerant, ac posteà munus ducis ipsorum acceptare coëgerant: Qui dominio, ac possessione *Lucæ* potitus, cognita difficultate ipsam servandi, stipendiaque solvendi, ac satisfaciendi dictis *Germanis* militibus, urbem *Florentinis* octoginta millibus scutatorum vendere decrevit; *Florentini* verò sibi persuadentes, ea multo minori pretio se potituros, oblatione hac *Visconti* audita, eam rejecerunt occasionem, quàm recipere nunquam potuerunt. *Marcus* igitur tutiùs esse *Mediolanum* confugere judicavit, ubi brevi post à suis occisus fuit. *Germani* verò quùm utiliùs quid invenire non possent, infaustam vendiderunt urbem *Gherardino Spinolæ*, nobili *Genuensi*, tunc in illa urbe *Gibellinorum* Duci, pro scutatorum triginta millibus, qui die secunda Septembris Anni
Ann. 1329. MCCCXXIX. illius possessionem cepit.

Spinolæ pariter infelix hæc fuit emptio; continuo quippè à *Florentinis* vexabatur, nec eis resistere valens, post ingentes, ac infructuosas expensas, quùm se tandem ab eis *Lucæ* obsessum videret, nec posset conventionibus ullum decens consequi pactum; eodem enim tempore, quo ipse res suas componere studebat, separatim & admodum occulte paciscebantur *Lucenses*; atque sic negotiatio altera alteram destruxit: statuit (non sine *Lucensium* consensu) libere donare urbem, quam ipse emerat, *Joanni Bohemiæ* Regi, qui tunc in *Lombardia* insigniter potens multis dominabatur urbibus; sperans tanta liberalitate munificentiam, ac generositatem illius Regis sibi conciliaturum, ac æquivalens pro ea sese recepturum. Deceptus tamen fuit: Rex enim oblatione statim accepta, ac possessione urbis capta, à *Lucensibus* fidelitatem sibi jurari fecit; ut, ex originali dicti apparet juramenti, in Archiviis *Lucæ* servato, in quo descriptæ leguntur quingentæ circiter familiæ nobiles, & populares, (sed venerabiles saltem reliquiæ exiliorum, ac stragium, quibus usque ad tempus illud afflicta erat urbs præteritis tumultibus) quarum, me adhuc hoc scribente compendium, sexaginta duæ tantum reperiuntur, juxta illud *Davidis* oraculum: *Generatio præterit, generatio advenit.* Sed ut ad Regem *Joannem* redeamus; præmium, quod *Spinolæ* retribuit, fuit, ut eum impræsentiarum graviter increpatum expelleret, sub prætextu, quod *Lucam Florentinis* antea vendere tentasset.

Ipse quoque Rex parum diu *Lucæ* dominio gavisus est: *Italiæ* enim Principes, æmulationis studio movebantur, propter affinitatem, ac intimam concordiam, quæ tunc vigebat inter Legatum Pontificium, & majestatem illam, & augebatur inde metus, quod *Joannes* propria sua potentia formidabilis, & ut filius *Henrici Sexti* Imperatoris esset valde suspectus. *Arrigus* quippe bellis contra Rempublicam *Florentinam*, & contra Regem *Robertum* gestis, extremis suæ vitæ diebus ad totius *Italiæ* Imperium se adspirare, haud obscura præbuit indicia. *Florentinorum* tamen opera initum fuit fœdus contra Regem *Joannem*, & Legatum prædictum, inter Rempublicam suam, *Agonem Visconti* dominum Mediolani, *Mastinum della Scala* Veronæ dominum, *Carrarienses* Patavii dominos, *Gonzagas* Mantuæ dominos, *Estenses* Ferrariæ dominos, & secundum quosdam, ipsum *Neapolis* Regem *Robertum*.

Quùm autem Rex *Bohemiæ* resistere non posset tot Principum confœderatorum potentiæ, brevi coactus fuit *Italiam* deserere, ac in *Germaniam* reverti. Antequam vero abiret, vica-
A rium suum Generalem constituit, ac dominum *Lucæ*, *Petrum Rossi*, solutione antea ab ipso facta triginta trium millium scutatorum.

Inter omnes *Italiæ* Principes potentissimus erat temporibus iis *Mastinus della Scala*, qui haud contentus se adjunxisse prisco *Veronæ* dominio Urbes *Brixiæ*, *Bergomi*, *Tarvisii*, *Patavii*, *Vicentiæ*, *Mutinæ*, *Parmæ*, aliarumque, totius *Tusciæ* dominio inhiabat: ac idcircò *Lucam* occupare omni studio conabatur; illi tamen obstabat fœdus cum *Florentinis* factum, quibus (per pactum expressum in fœdere) tribui debebat Civitas ea, si ab aliquo Confœderato-
B rum occupata fuisset. Astutia nihilominus *Mastini* hunc nodum solvere tali stratagemate valuit. Vocatos ad se *Veronam* sub alio prætextu *Orlandum*, & *Marsilium Rossos* fratres prædicti *Petri* jam *Parmæ* domini, detinuit, & induxit, ut *Petro* scriberent, illique nomine suo valde utiles offerrent conditiones, si ei Urbem *Lucam* cederet; eodemque tempore, ut *Florentinis* somnum induceret, eis significavit, omnique usus fuit arte, ut ipsis persuaderet, se in eorum favorem cum *Rossis* agere de conventionibus. Recusavit primò *Petrus*, sed tandem victus non minus pre-
C cibus, & fratrum periculo, quàm fraudulentis propositionibus *Scaligeri*, quæ continebant præter commutationem *Pontremoli*, annuam pensionem *Marsilio*, & *Orlando*, solvendam sexaginta millibus scutatorum, cum consensu commorandi *Parmæ*, & dignitate præeminentiæ super omnes alios cives, renunciavit *Lucam Mastino*, illique possessionem cessit mense *Novembris* Ann.
Anni MCCCXXXV. 1335.

Statim, ac *Florentini* perceperunt, *Mastinum* possessionem cepisse *Lucæ*, ut antiqua servaret pacta, ac recentes promissiones, traderetque urbem in manus suas, petierunt: pluribus autem cunctationibus, excusationibusque elusi,
D nimia sua credulitate tandem cognoverunt Tyranni perfidiam: qua summopere exacerbati, omne suum studium, & curam, ut vindictam sumerent, adhibuerunt; nec destiterunt usque dum *Venetos*, aliosque ferè omnes *Lombardiæ* Principes in ipsum excitarint; quibus fœderatis, in eas ipsum redegerunt angustias, ut viribus ejus diminutis, ac ipsi relictis tantummodò urbibus *Veronæ*, *Vicentiæ*, & *Lucæ*, cognosceret, se diutiùs hanc ultimam conservare non posse urbem; quippe, quæ a reliquis ipsius ditionibus nimium aberat: Eam autem vendere, ne ipsam amitteret,
E decrevit: & paeisci cum *Florentinis* cœpit, eisdem *Lucam* pro ducentis & quinquaginta millibus scutatorum offerens. Hoc autem percepto, *Pisani* (qui non minus ac *Florentini* sua dilatare confinia, acquisitione *Lucæ* aspirabant) multis usi erga *Mastinum* sunt mediis, ut pretio eodem soluto, ipsos aliis præferre vellet; à *Scaligero* autem exclusi, vel quod sibi utiliorem fore *Florentinorum* amicitiam existimaret, vel quia *Pisanos* paratas habere pecunias dubitaret: decreverunt igitur ii, ferro sibi vindicare, quod auro obtinere haud potuerunt, ad vim recurrentes, ubi lo-
F cum haud habuerant pactiones; hac deliberatione *Florentinos*, & obsidione, & *Lucæ* acquisitione prævenientes. Conjunctis itaque anno tunc currente MCCCXLI. propriis cum *Luchini Visconti Mediolani* domini, *Antelminellorum*, aliorum- Ann. 1341.
que exulum *Gibellinorum* suorum fœderatorum, ac adhærentium viribus, & formato exercitu formidabili, prope urbem prædictam castra posita fuere, ipsaque circumvallata repagulis, ac fossis pro temporum eorum usu, atque arctè cincta obsidione. *Florentini*, eis non obstantibus, decreverunt cum *Mastino* emptionem, pretio pro ea, centum & octoginta millium scutato-

 rum

rum numerato; quùmque eorum exercitus moenibus appropinquaret *Lucæ*, intromissi in urbem (à gentibus *Scaligeri* adjuti, qui signo quodam dato, obviam exierant, destruentes opera, ac fossas à *Pisanis* factas) quingenti pedites cum tercentis equitibus, quibus imperabant *Joannes de Medicis*, *Naldus Rucellai*, & *Riccardus de Ricciis* eorum Commissarii; quibus à *Mastini* procuratore tradita fuit possessio, non solum urbis, sed & *Augustæ*, die vigesima secunda Septembris MCCCXLI.

Sed Fatis non erat destinatum, ut *Luca* subjecta esset *Florentinis*, & ut, *illius potiundæ eis modo mens non daretur, modo Fortuna*, ut de *Roma* dixit, & de se ipso *Annibal* apud *Livium*. *Pisani* magis, ac magis expeditionem obsidionemque majori prosequentes vigore, *Florentinos* ad prælium ineundum pro urbe obsessa liberanda coëgerunt. Eo igitur cum *Pisanis* commisso, die secunda *Octobris* certamine fusi & fugati sunt, & quotquot conatus, aut tentamina decem mensium fecissent spatio (tamdiù enim perduravit obsidio) illi numquam potuere destruere *Pisanorum* opera, aut auxilium urbi immittere. Obsessi igitur, quum non possent fami amplius resistere, sese dedere coacti sunt, die sexta Julii MCCCXLII. quo honestis belli conventionibus exiêre *Florentini*, ac *Lucam* ingressi sunt *Pisani*. Ann. 1342.

Tribus deinde annis præterlapsis utrique simul convenerunt, pacto inito, ut *Luca* perpetuò relinqueretur *Pisanis*, dummodo *Florentinis* solverent decem annorum spatio octoginta millia scutatorum. Remanserunt idcirco *Lucenses* absque ulla spe auxilii, vel humani remedii, sub gravi *Pisanorum* jugo.

Barbara, inhumanaque fuit Tyrannis ab istis in *Lucenses* exercita per viginti quatuor annos, hoc est ab anno MCCCXLII. usque ad MCCCLXV. Naturale quippe erat odium, ac ingenita Antipathia, quam fovebant (ut alibi dixi) erga se invicem hæ duæ nationes, propter priscas æmulationes, ac propter continuas discordias, & bella inter eos ante gesta. Quùm autem sæpiùs tentassent *Lucenses* frangere catenas servitutis tam gravis, & odiosæ; tùm opera suorum concivium exulum, tùm *Florentinorum* auxilio, tùm brachio, & auctoritate Imperatoris *Caroli Quarti*, qui tum in *Italiam* veniebat; licet infausto semper successu, modo per vigilantiam, ac sagacitatem Gubernatorum, modo per exiguam civium unionem, modo per vassallorum infidelitatem, detectæ semper fuerint conspirationes, præventa, ac interrupta ea consilia. Summoperè inde exacerbati, ac indignati fuere *Pisani*; qui nihilominus nullum omittebant modum asperitatis, aut rigoris, quo absolutum obtinerent dominium in bona, & personas subditorum recentium, & murmurantium.

Abhorret calamus meus à recensione rerum amaræ adeò memoriæ, unde libenter utitur libertate, ei ab instituto concessa, in quo compendiosè scribere decrevit; quo ipso individuorum enarratione supersedere licebit.

Qui autem talia noscere cupit, Chronica *Lucæ* manuscripta legat (quæ illa prolixe continent) & historias *Florentinas Boninsegni*, & *Ammirati*, qui eorum temporum gesta recensentes, non pauca particularia huc spectantia, memoriæ prodiderunt.

Ann. 1365. & 1369. Non minus tolerabilia, & inhumana extiterunt tormina à *Lucensibus* tolerata, ab anno MCCCLXV. usque ad MCCCLXIX. sub *Joanne dell' Agnello*, qui è cive populari, & mercatore suæ urbis, à *Pisanis* elevatus in Ducem, & caput supremum *Pisæ*, & *Lucæ*, atque primum pelle agnina ingressus rapacissimus evasit Lupus, & facultatibus miserrimorum *Lucensium* devorandis & sanguini sugendo omnes conatus adhibuit.

A

Ad Cœlum tandem oppressorum pervenerunt gemitus, divinaque misericordia post annos viginti novem tam crudelis, ac tyrannicæ captivitatis, dignata est vincula, catenasque frangere, priscam, antiquam, ac desideratam potius, quam speratam libertatem *Lucensibus* reddendo.

Carolus Quartus Imperator, supradicti *Joannis Bohemiæ* filius, motus partim humilibus, ac reiteratis precibus *Thomæ de Obitiis*, *Nicolai Quartigiani*, variorumque Civium, ac legatorum populi, & communitatis *Lucæ*; quibus posteà à Republica in retributionem hujus legationis, suis sumptibus administratæ, è publico pensiones annuæ, primo, *Obitio* scilicet trecentorum, ac secundo, *Nicolao* nempè, *Quartigiano*, ducentorum scutatorum tributæ; pro oblatione ab ipsis legatis suæ Cæsareæ Majestati facta florenorum aureorum centum, & quinquaginta millium (qui & actu, pluribus solutionibus numerati fuêre; aliis per anticipationem solutis ad itineris expensas faciendas, aliis post ejus *Lucam* adventum solvendis) & ad efficaces exhortationes *Urbani Quarti*, tunc summi Pontificis, qui eximia urbanitate mutuo dedit *Lucensibus* bonam prædictæ pecuniæ summam. Reversus est idem *Carolus* in *Italiam*, ac *Lucam* versus iter suscepit, animo, ut promiserat, eam liberandi. Prædictus autem *dell' Agnello*, qui in tam periculosa necessitate omnes adhibuit artes, sagax, ut sibi Tyrannidem servaret, extorserat à *Lucensibus*, ac *Pisanis* authenticam & publicis munitam instrumentis declarationem, se ejus regimen quatuordecim adhuc subsequentes alios annos libenter esse laturos.

B

C

Declarationem hanc per Legatos suos ad Cæsarem misit *Mantuam*, mandato eisdem injuncto, offerendi Majestati suæ triginta millia scutatorum, pro confirmatione utriusque urbis dominii. Imperator pecuniis indigens (ac ea, quæ in dictis continebantur instrumentis, vera esse supponens) nemini injuriam facturum se putabat; & acceptis triginta millibus oblatorum scutatorum, *Agnello* gratiam petitam concessit.

D

Sed quoniam sæpiùs *Consilia callida* (ut notat Livius) *sunt prima fronte læta, sed eventu tristia*, aliud hæc astutia Tyranno non peperit, nisi pecuniarum, & ditionum amissionem.

Carolus enim *Lucam* perveniens, intellecta fraude circa ea, quæ à Legatis *Agnelli* ipsi exposita fuerant, ut & falsitate contentorum in instrumentis eis; considerata utriusque populi extrema in ejus Tyrannidem aversione, nullius valoris & subreptitiam confirmationis illi exhibitam declaravit gratiam, ipsumque utriusque urbis dominio exuit; eo quidem tempore, quo idem Tyrannus e loco quodam elevatiori Palatii *Sancti Michaëlis* in platea per improvisas ejus ruinas cadens, crure fracto, erat afflictus, ut rebus suis nec interesse, nec verbis, aut factis se se posset defendere.

E

Luca ab *Agnelli* captivitate liberata, dubius erat Imperator, an ipsa dominio pariter, ac jurisdictione *Pisanorum* esset eximenda: cum ipsi haud consultum videretur, hoc tam cito peragere, & absque ulla oblata occasione; quæ tamen brevi post ei suppeditata fuit ab insolenti temeritate Populi *Pisani*, qui à quodam *Petro Gambacorta* instigatus, inopinatum *Pisæ* suscitavit tumultum, ac expulso præsidio paulo antè à *Cæsare* introducto, proclàmavit, vel potius confirmavit in absolutum suum Dominum dictum *Gambacortam*, ibi ut Cæsaris Vicarium residentem. Is proditione ea exacerbatus, die sexta Aprilis MCCCLXIX. liberavit, ac solemniter liberam de- Ann. 1369.

F

declaravit Urbem *Lucæ* à servitute dicti *Gambacortæ*, & *Pisanorum*; ac ab omni alio dominio, jure, ac prætensione, quam in eam allegare possent; ipsam restituens priscæ suæ jurisdictioni, & omni statui, quibus usque ad tempus illud fruita erat; pluraque alia eidem concessit privilegia; quæ adhuc in originalibus servantur in secretiori Reipublicæ Archivio, *La Tarpea* vocato: quorum contenta quùm amplè à *Nicolao Tuccio*, rerum *Lucensium* scriptore accuratissimo, consignata sint in historia hujus temporis (ne à brevitate, quam exigit compendium, aberrem) ea tacitus transibo.

Gratuita verò prorsus, & absque expensis haud fuit, hæc supradicti *Caroli* beneficentia, immò hæc nova *Lucensium* libertas, revera dici potest acquisita, seù recuperata *titulo* potius (ut ajunt *Juristæ*) *oneroso*, *& emptionis*, *quàm indulti*, *ac puræ Imperialis liberalitatis*. Civitati enim à longa tot præteritorum malorum serie exhaustæ, ac ferè ad incitas redactæ opus fuit denuo Cæsareæ solvere majestati, nomine scilicet succurrendi Imperii egestatibus, scutatorum ducenta millia, quorum centum & quinquaginta millia, partim à Civibus *Lucensibus*, *Venetiis* commorantibus, accepta, partim mutuo data à *Florentinis* aliisque Principibus. Reliqua anni spatio persolvere promiserunt *Lucenses*, & multum ante dicti termini exspirationem id præstiterunt.

Accepta summa antedicta, *Luca* profectus fuit Imperator, relicto ibi pro vicario suo *Guidone* Episcopo *Portuensi*, ac una cum illo *Joanne Balzono* Germano, ut ibi manerent usque ad integram dictorum scutatorum ducentorum millium solutionem; sed *Balzonus*, profecto Imperatore, mox abiit, cessa, & consignata pro bona pecuniæ summa in *Lucensium* manus *Pietra Santa*, quam possidebat ille, collatam ab eodem *Carolo* Anno MCCCLV. quo sua majestas in *Italiam* primò venerat; Cardinalis autem mansit *Lucæ* usque ad diem vigesimam sextam *Martii*, anni sequentis MCCCLXX. quo Civitas in magno existebat periculo amittendi pretiosam libertatem eam, quam tanto pretio emerat, & qua adhuc frui haud inceperat.

A Petierat, & obtinuerat Cardinalis prædictus hortatu *Alderici Antelminelli*, *Arrigi* filii & *Castruccii* nepotis, à *Bernabove Visconti*, *Mediolani* Domino magnum equitum numerum ad liberandos ab obsidione *Florentinorum Saminiatenses*, qui una cum *Volterannis* sub dominio *Caroli* existebant: liberè enim sese ille submiserant, cum primò in *Italiam* venisset. Cliens *Visconti Antelminellus* erat, & cum ejus copiis consilia communicaverat, quapropter istis, multisque aliis peditibus *Garfagnanis*, subditis suis, *Lucam* introductis, ac quorundum civium favore, urbem usurpare decreverat, & multis jam occupatis plateis, armatus profecturus erat cum omnibus fau-

B toribus suis ad plateam magnam. Ejus autem intentio quùm detecta fuisset à *Francisco Guinigio*, qui illico Cardinalem de imminenti periculo admonuerat; exiit ex Arce *Augusta* Gubernator *S. Antonii* cum equestri acie, quem sequutus *Guinigius* cum magno populi armati comitatu; qui ad Plateam pervenientes, ac ope discordiæ in medio præmeditatæ aggressionis, ortæ inter *Alderigum*, & *Giannotum Visconti*, gentis *Bernabovis* ductorem, qui domino suo & non *Antelminellis*, urbem acquirere curabat, tumultum prævenêre, personam *Alderigi* retinentes, qui post longam captivitatem liberatus fuit, solutis

C duodecim millibus scutatorum, coactis postea ad egrediendum urbe equitibus, ac *Visconti* copiis.

Quùm tandem Cardinalis in hac, sicut & in aliis occasionibus cognovisset prudentiam, vigorem, fidem, ac unionem *Lucensium* sufficientem ad se ipsos regendos, acceptis reliquis pecuniis supradictis; nec esset ei causa amplius *Lucæ* commorandi, non difficilis fuit ad relinquendam civibus iis discedens urbis custodiam, *Augustæ* omniumque aliarum ditionis arcium, una cum integro liberi gubernii exercitio, sed novo Consilio

D quinquaginta Senatorum instituto, ac ordinato ab ipso *Carolo Quarto*, aliisque opportunis constitutionibus ante discessum suum constitutis, ut primis novæ Reipublicæ fundamentis jactis.

LIBER TERTIUS

Lucenses, aspera *Pisanorum* servitute liberati, quùm post longum quinquaginta octo Annorum postliminium, suum ipsorum Dominium, una cum prisca recuperassent libertate; debitis Deo actis gratiis, publico decreto mandarunt, ut in memoriam illius fausti diei, quo ab Imperatore *Carolo Quarto*, tantum obtinuerant beneficium (quod evenit die sexta *Aprilis*, ejusque anni Dominica in albis) quolibet anno manè hujus dominicæ celebraretur processio solemnis, quæ pompa conspicua, temporibus etiam nostris observatur: nil magis cordi habuerunt, quàm reformare suum statum, & Rempublicam fundare, cujus forma (quantum humanarum rerum vices permittunt) firma, pacifica, nec mutationibus adeo obnoxia. Redigebant igitur in ordinem instructiones & memorias opportunas præteritorum errorum ac malorum, quæ experti & passi fuerant.

Initio igitur novi anni MCCCLXX. *Consilium quinquaginta primorum Legislatorum* antedictorum ad relationem congregationis cujusdam octodecim civium, ad hoc electorum, constituit ac decrevit:

Ut in posterum Civitas non amplius in quinque plateas, sive Portas, sed tria Tertiaria *divideretur*, *& cuilibet horum* Tertiario, *tam auctoritatis*, *quàm Reipublicæ honorum pars tribueretur*, *ut horum* Tertiariorum *primum vocaretur* S. Paulini, *& comprehenderet Portam* S. Donati, *& Portam* Sancti Petri *cum plateis suis*, *viciniis*, *& hominibus*; *Ut secundum* Sancti Salvatoris *nuncuparetur*, *& in dicto* Tertiario *continerentur Porta* Sancti Frediani,

E *Porta* del Borgo *cum plateis suis & pertinentiis*; *Tertium nominaretur* Sancti Martini, *in cujus limitibus comprehensa esset* Porta Sancti Gervasii, *& suburbia*, *ei circumvicina*, *quæ quùm adhuc muris clausa haud essent*, *multis fossis*, *ac palis circumdata erant.*

Ut duo erigerentur Consilia, *alterum* Generale, *sexaginta consistens civibus* (*paulo post ad quadraginta reductum*) *pro quolibet* Tertiario: *Consilium hoc*, *tanquàm supremus Princeps plena*, *absolutaque auctoritate urbem*, *ac Statum regeret*; *alterum triginta sex constans civibus*, *duodecim similiter pro quolibet*

F Tertiario, *ad quod omnium honorabilium officiorum electio*, *ut & utilitatis urbis* Lucæ *cura spectaret*, *aliquibus exceptis*, Generalis Consilii *dispositioni reservatis.*

Ut ad electionem supremi magistratus Seniorum quolibet anno in pixidem quamdam ponerentur nomina centum & viginti civium, *ad talem electorum dignitatem* (*quam antiqui legislatores pixidem vocarunt* Tasca) *unde quolibet bimestri sorte duo extraherentur*

herentur Seniores pro quolibet Tertiario, *& supremus unus*, Vexillifer Justitiæ *vocatus*, *cum jurisdictione suprema in cives*, *& advenas*; *quoad cives tamen restricta intra eos limites*, *ac illa cum praeeminentia*, *auctoritate*, *& statutis*, *quæ nunc adhuc vigent.*

Ut quatuor crearentur Justitiæ Vexilliferi *Populi*, *pro quolibet* Tertiario; *qui in minori sederent Consilio*, *vexillumque à populo traditum servarent*, *cuilibet horum concessa auctoritate congregandi*, *necessitate exigente*, *partis suæ populum in quatuor plateas divisum*; *unicuique earum præesset* Centurio, *seu* Vexillifer; *ita ut urbs tota in duodecim divisa esset* Vexilliferos, *& quadraginta octo* Vexilla.

Ut non solùm inhibitum esset sub gravibus pœnis acclamare, *vel in posterum vocare partes* Guelforum, Gibellinorum, Nigrorum, *vel* Alborum, *sed & privatis in domibus depictas*, *aut sculptas servare cujuscunque sortis insignia*, *propriis exceptis*, *vel publicis insignibus urbis*, *aut Arcium*; *permissum insuper esset* (*præter Reipublicæ insignia*) *ea pingere* Papæ, Ecclesiæ, Imperatoris, *& Cardinalis* Guidonis.

Ut tandem pro firmiori Reipublicæ libertatis securitate destrueretur Arx Urbis, Augusta *nuncupata.*

Qùum autem *Alderigus Antelminellus* novos in *Garfagnana* suscitasset tumultus, & a *Lucensibus* ut deficerent, incitasset *Galicanum*, *Castelnovum*, aliaque castella; Respublica elegit *Joannem de Obitiis* in Generalem suum, quem eò misit cum pluribus bellicis copiis, partim è propriis subditis conscriptis, partim à *Florentinis* suppeditatis; Quibus viribus *Obitius*, brevi tempore recuperatis Arcibus rebellibus, aggressus ditiones ad *Antelminellum* spectantes, eum adeò constrinxit, ut coactus fuerit, plurium civium interpositione rogare pacem, & reconciliationem cum Republica, eidem cedens omnes Arces, quas in *Garfagnana* possidebat; ipsi autem è contra, data fuit venia, tàm pro sua persona, quàm pro omnibus illius fautoribus, & complicibus; ei prætereà restituta fuêre bona Patrimonii alia, *Lucæ* existentia, numeratis prius decem millibus scutatorum.

Ann. 1372. Armorum Imperium à Republica collatum in personam civis, cujus prosapia absolutum ferè urbis dominium gesserat, sicuti error bonæ politiæ fuit, sic etiam parum abfuit, quin commissi pœnam, amissione libertatis, lueret. Expergefacto enim in *Obitio* antiquæ Dominationis pruritu, dum bellum in *Garfagnana* gerebat, machinatus est vi armorum ipsi parentium, auxilioque non parvæ partis populi (qui nihilominus memoriam factionis *Guelfæ* servabat) proclamari Dominus *Lucæ*; Pacto autem eo detecto, ac prævento, in exilium ejectus ipse, à Patria, & à Dominio mansit exclusus.

Joannes autem hoc exilium molestè ferens, multis *Germanis* collectis copiis, varia in urbem & plura fecit tentamina; se muniens in Arce di *Moriano*, prisco suo patrimonio. Respublica
Ann. 1373. cum *Florentinis* fœderata, cum Pontificis Legato, atque cum *Marchione Ferrariæ*, non solum eorum auxiliis prædictum coëgit *Joannem* ad deserendam Arcem, quæ tali occasione destructa est, & ad exeundum e ditione *Lucensi*, sed ut sese tutius servaret, in exilium misit ex urbe ac toto dominio omnes *Obitiorum* prosapiæ conjunctos, unà cum *Antelminellis*, licet postea anno MCCCLXXVIII eis, ut habitarent, concesserit in antiquo ipsorum palatio *di Marsa Pisana*, conditione ea, ne negotiis publicis sese immiscere auderent; & anno MCCCCXXXIX. *Obitio* etiam concessum in patriam reverti, non autem bona fisco addita reposcere.

A Ab hostibus exterioribus in tuto positi *Lucenses*, magnum incurrerunt periculum, bello civili, armis in propria versis viscera, in periculosa seditione populari.

Primi *Senatores* ii qui instituerunt, & novam reformarunt Rempublicam suasu *Francisci Guinigii*, capitis præcipuæ prosapiæ illius, tunc, & hodierno die inter Patricias conspicuæ, fundare conati sunt regimen Aristocraticum potiùs, quàm Democraticum, & idcirco tàm in positione in pyxidem seniorum, quàm in electione omnium aliorum magistratuum, plane vulgum exclu-
B serant & plebem; quæ exacerbata, vociferata est, libertatem â *Carolo Quarto*, Populo, ac Communitati *Lucæ* concessam fuisse, non autem nobilibus solum ac divitibus, & sicuti populares, & plebs sustinerent incommoda pro defensione & custodia urbis, sic & participes esse debere honorum, ac emolumentorum; & adeò in furiosam prorupit seditionem, ut ad eam sedandam opus esset statuere, ut in posterum (juxta inclusionem in pyxidem antea factam) non solum admitterentur ad magistratus plebeji, sed forma regiminis ad puram Democratiam redu-
C cta, sub nomine populi regeretur Respublica.

Forma hæc Regiminis exorta fuit ab exigua unione, & concordia iis temporibus existente inter præcipuos nobiles, & cives; qui si junctim conservationi pristinæ formæ Regiminis Reipublicæ studuissent, haud difficile tumultuantem plebem reprimere, ac ei frænum injicere potuissent.

Adeò interea creverunt discordiæ, ac dissensiones inter præcipuos cives, ut necesse fuerit magistratum creare sex civibus constantem, qui vocarentur Paciferi (*i Pacieri*) & supremo fungerentur munere, circa pacem componendam,
D inducias ineundas, atque expulsiones in exilium eorum, qui præ ceteris erant contumaces.

Populus autem, qui ab *Aristocratico* abhorrebat dominio, paulo post, quasi insensibiliter *Oligarchiæ* paucorum civium sese subactum vidisset, nisi remedia opportuna orientibus confusionibus adhibuisset.

Variæ hinc Reipublicæ imminebant molestiæ ac pericula, non tantùm conditione turbulenta temporum eorum, cum Regnum *Neapolis*, & *Lombardia* armis infestarentur, ac bellis in ea regione, *Bernabovis Visconti* contra Nuncium Apostolicum,
E & *Florentinos*, ut & alio ibidem Regis *Caroli Hungariæ* cum Regina *Joanna*, & *Ludovico Andegavensi*, sed & multò magis per continuas plurium copiarum incursiones, vel potius turmas equitum, modo *Hungarorum*, modo *Anglorum*, modo *Italorum*; Quorum ductores pro illius ævi more artem militarem in negotium & mercaturam vertentes, modo huic, modo illi Territorio minantes, extorquebant à Principibus minus potentibus, nec instructis viribus ad resistendum necessariis exactiones ac solutiones graviores in redemptionem Agrorum à deprædationibus, & incendiis. Et quum indies, ac improviso talia possent accidere, & ejusmodi turbæ, ubi nullus
F consulendi locus, sed prompta, ac subitanea requirebatur solutio, *Generale Consilium* ab anno M.CCCLXXVI. expedire judicavit, magistratum creare suprema cum auctoritate componendi pacem, bella, inducias & fœdera; Legatos insuper mittendi ad Principes, copiarum conducendi Ductores, ædificandi, ac destruendi fortalitia. Hoc officium duodecim constabat civibus, *Balia* nuncupatum, cui in deliberationibus accedebant decem *Seniores*, ac tres Reipublicæ Secretarii. & licèt *Duodecim* illi, *Baliam* constituentes, quolibet mutarentur anno, electio nihilominus in easdem fere cadebat personas, aut familias; & magistratus is sensim, sensimque totam Reipublicæ

cæ directionem adeo sibi attraxerat, ut Generale Consilium paucis sese immisceret negotiis, iisque potius levibus, & apparentibus, quam gravibus, & An.1381. substantialibus. Cognovit tandem Populus, remedium in venenum versum,&nisi frenum aliquod imponeretur moderans potestatem hujus *Baliæ*, publicam libertatem in servitutem paucorum Civium breviter iri præcipitatum. Sollicitus igitur de remedio, vim, ac potentiam hujus Magistratus diminuendi, enervavit ejus potentiam; augmentando numerum duodecim ad triginta sex Civium, qui in tres partes divisi alternatim duodecim quolibet anno regerent; limitando pariter, ac reducendo tempus officii hujus ad tres proximos annos, quibus præterlapsis prorogari haud amplius possit, sed exspirata, & finita omnis ejus jurisdictio, & auctoritas intelligeretur.

Finem habuerunt anno MCCCLXXXIV. *Balia* prædicta, & vita *Francisci Guinigii*, ejus auctoris, Capitis, & directoris. Hujus Magistratus medio tantam sibi vindicaverat ille auctoritatem, & famam in Republica, ut nullus inter cives reperiretur, qui ei opponere sese auderet. Exequiæ ejus extraordinariis solemnitatibus celebratæ fuerunt publico mandato, præsentibus duobus Senioribus; Novitas æmulis *Guinigii* acerbissima, quæ non parum auxit invidiam, jam à nimia potentia contra eos excitatam.

Morte autem hac cessantibus oppositionibus, ac controversiis illis, quæ metuendæ fuissent, si supervixisset *Franciscus*, reassumpsit Generale Consilium Gubernii habenas, redditum, (ut antea) Caput, & Princeps supremus Reipublicæ; substitutis nihilominus (ne ab uno extremo ad aliud prolaberetur) in locum *Baliæ* duodecim aliis Civibus, qui Deputati vocabantur Palatii, ut una cum Senioribus, ac Justitiæ Vexillifero curam haberent Arcium, Armorum, aliarumque rerum ad bellum spectantium, non tamen rebus Status, & Gubernii sese immiscere possent.

Francisco Guinigio, mortuo & suppressa Balia, per publicorum *Paciferorum* interpositas curas, videbantur mitigati animi, ac depositæ cum invidia æmulationes, relicta tamen erant odia & simultates, quas fovebant contra prosapiam *Guinigii*, familiæ *dei Forteguerra*, *Rapondi*, *Sbarra*, & aliæ hujus æmulæ. Novus vero casus, follium ad instar, ea reviviscere fecit odia, flammasque adeo vehementes excitavit, ut periculosissimo tumultuum incendio, bellorumque civilium combustioni ipsam exponeret Rempublicam.

Ann.1392. In electione *Tascharum* à *Senioribus* novi anni MCCCXCII, subrogatorum numero positus fuerat *Bartholomæus Forteguerra*, Civis, satis habilis, præcipuisque Reipublicæ honoribus dignus, & spectabilis tam nobilitate, quam ætate, ac propriis meritis. Hoc, non obstante silentii juramento, revelavit Electorum quidam, tam studiosus partium, quam infidus & perjurus eidem *Bartholomæo*, qui hac ratione se posthabitum summopere indignatus, neque cogitans, id fortasse factum, quod frater ejus ante sex annos, cum Civitatis esset Vexillifer eidem parum satisfecerit, nimiam sibi arrogans auctoritatem, & domui suæ vindicare tentans sceptrum, & Ducalem Dignitatem, ipsi pro Republica concessam ab *Urbano Sexto* nocte vigiliarum Nativitatis Redemptoris, qua ipse summus Pontifex (schismate *Clementis Septimi*, ejusque asseclis vexatus, cum tota sua Aula ultra anni spatium *Lucæ* moratus) dignatus est missam celebrare Pontificalem in Ecclesia Cathedrali *Sancti Martini*, Sanctitati suæ assistente tamquam Subdiacono, & cantante Epistolam, Vexillifero Justitiæ prædicto *Forteguerra*. Sed ille tribuebat potius injuriam hanc prorsus odio, ac æmulationi *Guinigii*, nec desistebat,

A amicorum ac consanguiniorum auxilio, procurare harum *Tascharum* rescissionem, usque dum proprio & fratris præcipitio Rempublicam turbaret, & periculo extremo exponeret.

Mensibus *Maji*, & *Junii* ejusdem Anni Justitiæ Vexillifer *Forteguerra Forteguerra*, *Bartholomei* frater, qui, occasione utens & ope Vexilliferi Justitiæ fratris sui, prout ipsi videbatur, formam Reipublicæ reformare tentavit, congregans Colloquium quoddam, sive *Parlamentum Generale*, sub boni publici prætextu inter alia proponens sequentia:

Ut sortitio, in qua resideret Justitiæ Vexillifer Lazarus Guinigius, *vel rescinderetur, vel ad* B *minimum temperaretur, additis totidem civis* Forteguerrorum *asseclis, qui eadem auctoritate, ac dignitate in Palatio residerent.*

Ut dimitterentur omnes stipendiarii exteri (major autem eorum pars Guinigiis *studebat) & eorum loco cives, & milites e ditione patria conscriberentur.*

Propositionibus istis (per se ipsas novis ac partialibus) strenue contradixerunt, seque opposuerunt *Guinigii*, eorumque adhærentes: quapropter Colloquio inutiliter soluto, partes indignatæ pro controversiarum decisione (omissis transactioni- C bus) ad arma capienda recurrerunt. Convenerunt ex una parte *Forteguerræ* cum amicis & propinquis, inter quos illi erant de *Rapondis* & *Sbarra*, familiæ tunc temporis numerosæ, & potentes; ex altera autem parte cum majore adhuc Clientum, sequaciumque numero, ingentem confecerunt manum armatam. Hinc die duodecimo Maji prodiit utraque pars plateam versus; ibique congredientes sanguinolentum commiserunt conflictum, in quo post diuturnum certamen, quum *Guinigii* superiores obtinerent, *Lazarus*, qui ut Caput familiæ domi cum aliis subsidialibus copiis remanserat, D pro subveniendo & auxilio suis ferendo, si id necessitas exigeret, incitatus a fervore ex victoria, & quorundam seditiosorum apud se existentium instigationibus, recta cum adhærentibus suis ad Palatium occurrit Reipublicæ, ac id ingressus januis violenter fractis, è camera, ubi servabatur, abstulit, & erexit vexillum populi, ad tegendas forsan sub Reipublicæ vexillo privatas suas vindictas, vel, ut sibi plebis amicitiam conciliaret; eodemque cum insigni impetuose cameram Vexilliferi Justitiæ ingressus, eum absque mora crudeliter interfectum, ex fenestris in aream projecit.

E His peractis violentiis, *Lazarus* ad Palatium convocavit Seniores, qui quum tunc inermes essent, (tempore enim eo, Senatus nullo munitus erat præsidio) fugam metu arripuerant, una cum eorum ductoribus, ab his duobus magistratibus congregatis, & illico confirmare fecit ad sex menses omnes stipendiarios milites; ac mandavit *Rapondiis*, ut arma ponerent; opportune quoque comprehendi & puniri jussit *Bartholomæum Forteguerram*, ut primum horum motuum auctorem: Cui, dum per plateam *Sancti Michaëlis* ad carceres deducebatur, *Andreas Stornelli*, unus ex *Guinigii* se- F quacibus, homo sanguinolentus, ac facinorosus (incertum, num temeritate propria, an ut gratificaretur *Lazaro*) propriis manibus caput rescidit, hoc ipso facinore viam justitiæ præveniens.

Eo haud contentus *Guinigius* convocari jussit Consilium, in quo, loco defuncti *Justitiæ Vexilliferi* substituto *Martino Arnolfino*, & introductis pluribus subrogatis, pro lubitu suo, negletis Legibus, proposuit, ac tria sancivit decreta.

Primum: ut antiquum innovaretur officium Baliæ *viginti quatuor civibus constans, qui una cum Seniorum collegio per quatuor menses Rempublicam administrarent, summa cum auctoritate, quæ prorogari*

possit toties, quoties & quando opportunum videretur.

Secundum: ut varia in loca relegarentur, & in exilium mitterentur multi Cives, qui in seditionibus eis faverant Forteguerris.

Tertium: ut omnibus reliquis concederetur amnestia, vel venia generalis delicti cujuscumque in tumultibus iis patrati.

Recepti ad *Baliam* talia gesserunt, qualia expectabant viri partiales & creaturæ *Guinigii*, rerum tunc arbitri. Dissiparunt ii pecunias e confiscationibus bonorum *Forteguerræ*, aliorumque collectas, qui ut læsæ majestatis rei, damnati fuerant, magnamque earum partem, quæ in ærario publico reperiebantur; quarum alias in proprium verterunt usum, alias pro recognitione amicis, ac adhærentibus numerarunt. A tribus supremis Reipublicæ Magistratibus, *Seniorum* scilicet, *Justitiæ Vellixiferi*, & officio *Conductorum* quatuor exclusêre familias, nimia potentia suspectas, *Obitiorum* nempe, *Antelminellorum*, *Quartigianorum* seu *Diversorum*, & *Salamoncellorum:* Inhabiles insuper declararunt munere Seniorum, & Vexilliferi Justitiæ, Juris, & Medicinæ Doctores (propter vim forsan, qua valerent in arte dicendi, & quia istos profusione sua minus avertere poterant;) & e contra, regiminis & honorum participes reddiderunt *Poggios*, tum temporis exclusos, *Guinigiis*que privilegium concesserunt in domibus suis non tantum majorem, quam alii cives, armorum servandi copiam, sed etiam fungendi honoribus absque limite numeri, aut vacationis, ac ultra terminum æqualitatis a Republica probe constitutæ convenientem; *Inquisitorem* Status crearunt, cum titulo Ducis populi, supremam tribuendo ipsi jurisdictionem de litibus judicandi, & puniendi delinquentes omnes seditionum, turbarum, ac machinationum contra Reipublicæ formam tum obtinentem excitatarum reos; supremamque auctoritatem in peregrinos & vagabundos, ita ut obtemperare nemini teneretur nisi Seniorum Collegio, ac Magistratui duodecim Deputatorum, electorum quatuor pro quolibet Tertiario, ut una cum Senioribus præessent, ac invigilarent actis, & administrationi hujus Ducis, cui pro stipendio annuo libras mille quadringentas, & quinquaginta, atque habitationem liberam constituerunt. Durabat autem hoc officium per anni tantum spatium nec eo fungi poterat extraneus aut Jurisconsultus.

Quatuor mensibus hisce transactis, non cessavit hæc nova Gubernii forma; sed idem recens Magistratus innovatus ad anni spatium, reducto tamen eodem Civium numero, atque auctoritate ita fere limitata, ut concessa fuerat anno MCCCLXXXV Magistratui Deputatorum Palatii, hoc est, ut possent facultate absoluta agere, & decernere de negotiis arma, bellum, pacem, & inducias spectantibus, non tamen regimini Politico se immiscerent.

Respublica sic ab populari *Democratia* iterum ad *Oligarchiam* aliquot *Optimatum* transiit, id est, ad *Guinigios*, & familias eorum adhærentes. Unde paucorum annorum spatio (acsi semper naturale sit Gubernio, ad pauciores restringi, & juxta *Aristotelis* axioma, *à multis ad paucos, & à paucis ad unum devolvi:*) incidit postea in unius dominationem, ut suo loco dicetur.

Aucto igitur magis magisque auctoritate, nomine, & adhærentibus *Lazaro Guinigio*, tanta ejus per totam *Italiam* fuit fama, ut *Joannes Galeatius Viscontus* Dux *Mediolani*, Potentissimus Princeps, (qui, adjectis dominio suo viginti septem ex principalioribus *Italiæ* urbibus, suspectus, formidabilisque omnibus ejus Principibus factus erat) injungeret Legato cuidam à *Lucensibus* gratulationis

A causa ad eum misso, ut nomine suo ipsum *Lazarum* invitaret *Mediolanum*, eum enim videre, & coram cognoscere cupiebat, ut & ipsum noverat per famam & diligebat. Quapropter, vel motu proprio, vel (ut alii scripserunt) à Republica Legatus missus, eo se transtulit, summisque acceptus fuit honoribus. *Florentini* autem, qui omnem pro hoc itinere, & conventu impediendis moverant lapidem, metuentes, ne rumperetur unio, & fœdus tunc inter ipsos, ac *Lucenses* subsistens, quod paucos ante menses firmatum fuerat occasione novi fœderis ad propellendos hostes a *Florentinis* ipsis pro se, & fœderato suo *Carolo de Valois*, co-
B gnominato *Sexto* Rege *Franciæ*; tantam inde suspicionem traxere, ut non solum minarentur Territorio *Lucensi* per *Biordum Perusinum*, aliosque copiarum ductores, qui cum aliquot Equitum copiis per totam *Italiam* excurrebant, sed etiam sub prætextu, quarundam interceptarum *Lazari* Epistolarum, unde quamdam suspicionis ansam arripiebant, & ubique divulgabant, *Lucam* à fœdere secedentem se se Duci subjecisse *Mediolani*; licet dein, *Lucensibus* per Legatos causam suam dicentibus, acquieverint.

Publicus hic rumor, & fama jungebantur alii cuidam falsæ conjecturæ, *Lucenses* scilicet eodem
C tempore concessisse *Novaræ* Episcopo, Gubernatori *Pisæ* (paulo ante venditæ *Joanni Galeatio* per *Gherardum*, *Jacobi Appiani* Filium) ducentos milites in corporis ejus custodiam. Idque ansam præbuit *Bugato*, *Corio*, aliisque scriptoribus, numerandi *Lucam* inter urbes *Galeatio* subjectas. Quod vero tantum ab vero abest, ut *Lucenses* potius, cum *Florentinis* quippe fœderati, pluries vim hostilem *Visconto* intulerint, tum Castella quædam Jurisdictionis ejus in *Lunigiana*, tum Territorium *Pisæ* infestando, tum auxilio mittendo Marchioni Ann. 1398. *Mantuæ* contra illum, & hæc omnia ad retorquendas, ac vindicandas offensiones Ducis, qui eos vexa-
D bat, modo per *Paulum Savellum*, copiarum suarum ductorem, sæpe per regionem *Lucensem* excurrentem, modo per arma *Jacobi Appiani*, *Pisæ* Domini, suique Clientis; qui, quoad vixit, bellum cum *Lucensibus* gessit, modo incitando eos contra *Joannem* Comitis *Ludovici Balbiani* filium, temporum illorum Ducem eximium.

Ut autem ad *Lazarum* redeam, dum ille in summum Fortunæ gradum elevatus, sese in felicitatum apice inveniret, & paulo ante in uxorem duxisset juvenem nobilem, divitemque, & gratulationes, ac dona à Communitatibus non solum, sed a Patria ipsa oblata, acciperet: valuit de eo ora-
E culum illud Divinæ scripturæ, *ab altitudine diei timebo:* & infausta superveniente morte, proprio docuit exemplo, quam instabilis, & fallax sit sors, quamque lubrica, & timenda sit eminentia, & præcipue in propria Patria, in qua omne altius expositum est fulminibus invidiæ, odii, & conspirationum.

Quum autem (sub salutis publicæ prætextu, licet revera tum ex privato odio, tum ad ulciscendam *Forteguerri* mortem) contra ipsum conspirassent, Frater ejus *Antonius*, & *Nicolaus Sbarra* cognatus; hi die duodecima *Februarii* anni MCCCC. Ann. 1400.
F in domo propria eam occiderunt.

Mors *Lazari* violenta non tantum occisoribus, sed & Reipublicæ attraxit ruinam: quoniam licet ii sequenti die morte pœnam luerent dignam, *Paulus* nihilominus, defuncti *Lazari* frater, hujus rei occasione utens, perspecta opportunitate cupiditati suæ valde apta, quia Senior, & Caput officii erat Baliæ, multos habens sequaces, ac stipendiarios milites ad nutum paratos, sicut & præsidiarios urbis; cogitans insuper pestem in urbe, & in ditione ingravescentem, cujus causa major nobilium pars

pars *Bononiam*, ac *Genuam* confugerat; consiliis, exhortationibusque utens *Joannis Sercambii* intimi sui, & tunc Vexilliferi Justitiæ, (qui licet plebejus fuerit ortu, ad supremos nihilominus Reipublicæ gradus à *Paulo* elevatus fuerat, propter perspicaciam intellectus ejus, sagacitatem, ac aptitudinem ad *Pauli* desideria implenda) in animum induxit sese Reipublicæ Dominum constituere.

Nocte igitur præcedente diem decimam quartam *Octobris*, introductis clam in urbem mille peditibus ex montium incolis selectis, una cum quadraginta militibus hastatis *Pisam* pro Duce *Mediolani* custodientibus, ab eorum præfecto acceptis, ac rebus dispositis, mane se se contulit *Paulus*, ut copiarum harum Dux, in vestibulum Palatii, ibique officio Baliæ congregato, partim ope prædicti Vexilliferi Justitiæ, partim metu, & minis obtinuit, ut in dicto Magistratu, à Collegio Seniorum eligeretur in Ducem summum copiarum & Reipublicæ Conservatorem: Cujus muneris die eadem possessionem cepit, juramento dein fidelitatis accepto ab omnibus officialibus, Reipublicæque stipendiariis.

Iis haud contentus *Paulus*, capta occasione ex conspiratione quadam in ipsum inita à *Bartholomæo d'Aramo*, ope, ac auctoritate sui Nepotis, *Nicolai Guinigii* (qui paucos ante annos, licet valde juvenis, habituque seculari, per favorem ac potentiam Prosapiæ electus fuerat, confirmatusque à Pontifice in Episcopum *Lucensem*) paucis transactis mensibus à Magistratu Baliæ, ac à Senioribus creari voluit liber, & absolutus *Lucæ* Dominus, novo fidelitatis juramento ab omnium Civium ordinibus exhibito.

Hujus novi sui Principatus omnes *Italiæ* Principes *Paulus* participes reddidit; novam ædificavit Arcem; Novem Civium sibi elegit Consilium, quorum è sententia omnia decernebat: & quamvis tyrannicus, & violentus fuerit ejus in Dominationem ingressus, in administratione tamen justitiæ, & legum, ac in gubernandis populis bonus justusque fuit Princeps; ita ut sicut per triginta annos Dominium Patriæ suæ pacifice possedit, ita ad mortem usque id obtinuisset, ac forsan filiis reliquisset, nisi in bello à *Florentinis* excitato, fatali imprudentia sibi provocasset odium, & arma auxiliaria *Francisci Sfortiæ*, ut inferius dicemus.

Guinigius suspectum se *Florentinis* reddiderat, quum in bellis ab iisdem contra *Viscontos Mediolanenses* gestis, horum partibus se nimium favere ostendisset; atque pactis, & variis officiis coluisset amicitiam, & fœdus, cum Rege *Neapolis Ladislao*, nec non commeatus, & receptum militibus ejus dedisset, tunc quando Rex is, *Florentinorum* gravissimus hostis, Anno MCCCCVIII. repentinum, atque durum eis intulerat bellum; & postremo, quum in bello, quod *Florentini Venetis* fœderati, per multos annos substinuerant contra *Philippum Mariam Viscontum*, Filium, ac in *Mediolanensi* Ducatu successorem, misisset *Ladislaum* primogenitum suum, ut Centurionem cum sexcentis equitibus, in Ducis auxilium. Quo bello confecto anno MCCCCXXVIII. pax composita fuit *Ferrariæ* inter prædictos Magnates *Italiæ*; *Florentinorum* tamen opere *Paulo Guinigio*, atque *Lucensibus* exclusis.

Ann. 1429. *Florentini* igitur, sive ut de *Paulo* vindictam sumerent, sive *Lucam* (uti semper ejus occupandæ fuerant avidi) occuparent, sub finem Anni MCCCCXXIX, miserunt tandem *Nicolaum Fortebracchium* Ducem suum, eumque ad inopinatum in *Lucensem* regionem cum copiis suis impetum faciendum instigarunt, eo prætextu, quod *Paulus Guinigius* deberet *Bracchio* avunculo suo magnam pecuniæ summam, aliquot annis ante ejus mortem ipsi promissam, ne Territorium excursionibus afficeret *Lucense*. Ex-

A peditionis hujus adeo prospera initia, *Florentinos* incitarunt, ut mentem suam detegerent, & declararent, uti & fecerunt, prædicto Duci mandantes, ut ipsorum copiarum ductor, illorumque nomine bellum prosequeretur, exercitu ultra quatuordecim millibus militum augmentato. *Florentinorum* copiæ brevi intervallo totam fere occuparunt ditionem, & circa urbem castrametati, arcta eam circumdederunt obsidione. *Guinigius* è contra debilior, nec se ipsum defendere, ac sustinere valens, nec sufficientibus auxiliis, *Senensium* pecunia collectis, & a *Martino* Papa *Quinto* ei missis; ad auxilium

B confugit Ducis *Philippi Mariæ*, Legatis ad eumdem missis *Laurentio Bonvisio*, ac *Silvestro Trenta*, quibus in mandatis dederat, ut omnem moverent lapidem pro obtinendo cum *Nicolao Piccinino*, Equitum, ac peditum numero quanto fieri possit majori. Loco *Piccinini* tunc, absentis, & aliâ occupati expeditione, misit Dux Comitem *Franciscum Sfortiam*, filium illustris illius copiarum Ductoris *Sfortiæ* cum tribus millibus equitum, peditumque sex millibus; fingens ipsum dimittere, ne aperte paci, duobus antea annis initæ, contraveniret. Capitaneus is vix in Territorium pervenit *Lucense* (quod accidit die vigesima *Julii* MCCCCXXX.)

C quo *Florentini* castra ab urbe moverunt, & *Librafactam* confugerunt.

Non exigua dedit *Paulus* signa displicentiæ, indignationis, & diffidentiæ ob adventum *Sfortiæ*, loco *Piccinini*, conceptæ; & quum non posset, vel nesciret (uti decuisset) dissimulare, *Sfortiam* in urbem recipere recusavit, copiis ejus prope *Carthusiam* ad *Sanctum Alexium*, ac in vicinis Pagis, ipsique Duci ad *Monsanquiricium* hospitia procurans. Hac *Guinigii* amaritudine, ac diffidentia offensus adeo fuit *Franciscus*, *Piccinini* æmulus, ut capto prætextu, *Paulum*, (ut creditum fuit) vendi curare *Lucam Florentinis*, ut pecuniis ex hac venditione com-

D paratis *Sfortiam* à se dimittere valeret, repente Duci *Philippo Mariæ* scripsit, mandatumque ob eo petitum obtinuit, ut dignitate moveret *Guinigium*, ipsumque captivum *Mediolanum* mitteret; quod facile & feliciter exsequutus est sequentem in modum.

Miserat *Paulus* ad *Monsanquiricium Petrum Cinamiam*, & *Laurentium Bonvisium* cum aliquibus aliis nobilibus, ad honorem & servitium præstandum Comiti, quamdiu in Territorio moraretur *Lucensi*. Convenit ille cum duobus iis præcipuis viris, significans eis, quod si cogitare vellent de debito, ad quod boni tenentur Cives, & amorem

E Patriæ Tyranni obsequio præferre, facile se *Lucam* libertati esse restituturum. Magna audierunt voluptate, ac promptitudine haud inferiore oblata *Cinamius*, & *Bonvisius* acceptarunt. Quapropter post occulta consilia, mediantibus quodam Fratre *Nicolao Senensi*, ordinis Prædicatorum, ac *Antonio Petruccio* pariter *Senensi* (viro utroque sagaci, & eximiæ apud Nobiles existimationis) animis Civium dispositis & ad opus hoc paratis, cum *Francisco* decreverunt modum rei conficiendæ, & in sequentia convenerunt.

Ut die Assumptionis sanctissimæ Virginis, Comes invitaret ad *Monsanquiricium Ladislaum* sub

F prætextu una secum consulendi de expeditione quadam suscipienda contra *Florentinos*, & nocte illa secum detineret; ex altera parte supradicti duo conjurati Cives, & alii, qui judicabantur Boni publici maxime zelotypi, vel *Paulo* iniquiores, eadem nocte armati ad ejus Palatium tendentes captivum eum facerent, cum quinque minoribus filiis suis, ibi una commorantibus; his peractis, & signo pulsu Campanæ *Sancti Michaëlis* a conjuratis *Sfortiæ* dato, ipse *Ladislaum* caperet, ac dein cum omnibus viribus suis, ad tumultum, qui oriri pos-

 set,

set, sedandum ad urbem accurreret. Secundum hæc conventa, omnia exacte confecta sunt, tantaque felicitate susceptum opus peractum est, ut sicuti *Paulus* nullius Civis cæde, & absque sanguinis effusione, ad Thronum se se elevarat, eodem quoque modo privatus eo fuerit. Nocte illa captivus cum omnibus filiis suis factus, & cum ipsis in Arcem delatus est, quæ paulo post Reipublicæ tradita fuit (acceptis prius scutatorum duodecim millibus in remunerationem) *Paulus*que cum filiis *Mediolanum* captivus missus, cujus filii à Duce li- A bertate donati; Pater autem Arci *Paviæ* inclusus, ubi post duos annos dolore, ac tristia oppressus, vitam cum morte commutavit: Persona sua exempla augens infelicis exitus, ut plurimum manentis eos, qui vi, vel illicitis aliis modis Principatus propriæ Patriæ sibi vindicant; & præsertim, si iidem (quod & ipsum defecit *Paulum*) sagacitate destituuntur sufficienti, omni casu armis propriis sese defendendi, nec pecuniis ad se sustentandos necessariis, abundant.

LIBER QUARTUS.

Ann.1430. Patria Libertati restituta, sequenti die Conjurati, quam majorem potuerunt Civium numerum congregarunt in publicum Palatium, ut regimini prospicerent Reipublicæ. Qui convenerunt ad numerum nonaginta novem, omnes familiarum capita, novum Seniorum elegerunt Collegium, ac Baliæ Magistratum, duodecim compositum civibus, quibus unanimiter eamdem supremam concesserunt auctoritatem, quam usque ad diem illam sustinuerat *Paulus Guinigius* & hoc ob rationem belli contra *Florentinos* urgentis, præfecturam, ac potestatem plenariam paucorum requirentis; &, quia noxius, ac periculosus habitus semper fuit transitus, a regimine Monarchico unius ad Democraticum totius Populi, absque alicujus temperamenti inventione. Munere suo fungi cœperunt Electi, illico duos mittentes Legatos, alterum *Mediolanum*, ut Duci *Philippo* gratias agerent pro libertate, ejus ope recuperata, & ipsum rogarent, ut pergeret protegere, ac defendere Rempublicam; Alterum ad *Genuenses*, pro fœdere cum eis contra *Florentinos* ineundo.

Opportunæ, ac periculis, quæ postea supervenerunt, accommodatæ fuerunt eæ expeditiones: *Franciscus* quippe *Sfortia*, cum victoriam deberet prosequi, copiisque suis progredi adversus *Florentinos*, accepto ab iis dono scutatorum quinquaginta millium, non solum obstrinxit fidem suam, se non dimicaturum contra ipsos per sex menses, sed & una *Lucensis* Reipublicæ defensionem, Ducisque *Mediolani* servitia deserturum se promisit. Profecto itaque *Sfortia*, expositi remanserunt *Lucenses* violentiis, atque aviditati *Florentinorum*, qui tamquam equus ferox, frœnoque liber, majori quam antea impetu, ad mœnia *Lucæ* redierunt, & cum numerosis copiis castrametati, occupata sex milliarium planitie, & majori parte Territorii, arcta urbem obsidione cinxerunt. Propitiorem tamen vice hac fortunam, quam alias, haud habuerunt; immo paucis antea mensibus castra sponte ab urbe recesserant; in ultima vero hac obsidione multa cum copiarum, & famæ, jactura fugati sunt.

Ad preces enim *Lucensium*, & efficaces intercessiones *Martini Quinti* summi Pontificis (ad cujus protectionem recurrerant obsessi) missus à Duce *Philippo Maria*, vel ut aliqui Chronistæ eorum temporum scripserunt, à *Genuensibus*, ex mandato Ducis eorum protectoris, & Domini, in auxilium urbis *Lucæ*, *Nicolaus Piccininus*; qui cum manu mille & quingentorum equitum selectorum, totidemque veteranorum peditum, vel secundum alios, cum quinque, aut sex millibus tam equitum quam peditum, in *Lucense* Territorium profectus, & (pontibus a *Florentinis* dirutis) nocte vadato flumine *Serchio*, inter pontem *Sancti Petri*, & *Sancti Quirici*, procul ab hostium conspectu ad ripam citeriorem dicti fluminis castrametatus, vespere sequentis diei, magno impetu *Florentinorum* castra aggressus est. Exercitus is equitum octo, pe- B ditum septem conficiens millia, à Comite *Urbini*, Imperatore suo in aciem erat positus, eo quidem tempore, quo *Lucenses* egressi parum ultra duo millia tam equitum quam peditum, ductore Comite *Antonio del Pontadera*, idem ipsi fecerunt; & talis fuit irruptio, & ferocitas militum *Piccinini*, ut post breve certamen, fusus sit ac fugatus totus *Florentinorum* exercitus, amissis MD. circiter tam militibus, quam officialibus captivis, totidemque fere occisis. Hoc prælio liberati fuêre obsessi obsidione trium mensium. Accidit certamen hoc die quarta *Decembris* Anni MCCCCXXX, die memorabili, munerandoque inter C illustriores, feliciores que gestorum *Lucensium*, cujus memoria, secundum decretum tunc temporis sancitum, innovatur, ac quotannis celebratur eodem vespere, lætitiis, ignibus, & sclopetaria explosione militum, ad Senatus Palatium excubias agentium, qui in ordinem dispositi transeunt *Nicolai Piccinini* Effigiem, e regione dicti Palatii pictam, in memoriam perpetuæ gratitudinis pro ejus immortalibus meritis.

Urbs *Luca* pertinaciter bis unico anno à *Florentinis* oppugnata, & constanter à civibus suis defensa, fuit ipsa diu unum ex præcipuis, ac illustribus D objectis, quibus celebrandis occupatur Fama: ipsa enim copiam cepit, & laudis, & vituperii a Principibus & populis *Italiæ*, ejus ævi illustrioribus.

Censuram mereri visi sunt *Florentini*, non solum quod arma ceperant contra urbem, aliis temporibus ipsis fœderatam, nulla moti ratione, nisi ea, quam suggerit aviditas imperii larvata prætextibus, majori ex parte apparentibns, & fictitiis; sed etiam quod barbarum & inhumanum in modum ibi multa patrantes, sibi permisere, fidem violare publicam, & Jus Gentium, deprædantes quædam Castella, quæ sese pactis quibusdam tradiderant, salvis personis, ac rebus. Vitæ captivorum E raro pepercêre; nihil reputarunt, ubi honestæ mulieres castæque virgines præda essent libidinis militaris, nisi dedecori publicam junxisset ignominiam, eas domum mittentes vestibus usque ad crurum summitatem scissis. *Lucenses* è contra non parum retulerunt laudis animi intrepidi, constantiæ, & amoris Patriæ, ab ipsis etiam illorum Temporum *Florentinis* historicis: quorum aliqui scriptum reliquerunt, ut rem commendatione dignam, & admiratione, Civitate obsessa, omnibusque fere carente, lignis præcipue, multos e præcipuis F Civibus per vices, ut sorte extrahebantur, sponte suas destruxisse domos, ac habitationes, ut trabibus, aliisque earum lignis, Patriæ suæ necessitatibus subvenirent.

Florentini post cladem a *Piccinino* illatam haud destiterunt ab hostilitatibus contra *Lucenses* usque ad Annum MCCCCXXXIII, quo, quum die octava Ann.1433. *Aprilis* composita fuisset Pax inter omnes *Italiæ* Principes, inserti eidem fuerunt *Lucenses*, declaratione expressa, ut *Luca* maneret libera, & resti-

restitueret *Florentinis* omnia *Castella*, & loca quæ ipsa in Comitatu *Pisæ* occupaverat post exauctoratum *Guinigium*; è contra vero ab iisdem reciperet omnia sua, ab illis occupata; & quia a duobus annis *Lucenses* cum *Genuensibus*, ac *Senensibus* erant fœderati, non ausi sunt *Florentini* subsequenti triennio à clade, quam iisdem intulerat *Piccininus*, amplius vi aperta occupationem tentare *Lucæ*, licet ipsam fraudibus aggressi sint, ut contigit, ultima *Februarii* nocte Anni MCCCCXXXII. qua per proditionem cujusdam rei tormentariæ præfecti, ac deputati ad custodiam Turris *Sancti Georgii*, clam ad mœnia deducti ultra mille milites ii scalis in Turrim admissi, urbe fuissent potiti, nisi hora eadem, qua hostes ascendebant (eorumque jam tercenti ingressi fuerant) quidam *Antonius* nomine, mœniorum vigilias visitans, eodem tempore proditionem, & imminens detegisset periculum, ac signum *ad arma* haud datum fuisset; & nisi Populus celeritate opportuna accurrens, coëgisset *Florentinos* ad præcipitandos se e muris, quorum plures ita vitam finierunt, & quidam capti, illico à furibunda plebe laqueo suspensi fuêre.

Vix autem Respublica respirare potuerat à *Florentinorum* hostilitatibus, ubi seipsam multis laboribus, periculisque immersam vidit, novo bello contra *Marchionem ab Este* pro recuperandis terris in *Garfagnana* ab eo occupatis.

Anno MCCCCXXX, *Florentinis Lucam* obsidentibus, ejusque Territorium deprædantibus, insurrexit ex altera parte *Nicolaus ab Este* Marchio *Ferrariæ*, qui potitus fuerat *Castelnuovo*, *Camporeggiana*, *Verrucola*, aliisque vicis *Garfagnanæ*, sub prætextu præveniendi *Florentinos*, & eosdem Reipublicæ servandi, sed revera (ut eventus docuit) utilitatis propriæ causa, ne ejusmodi opportuna ipsi occasio præteriret. Bello autem confecto, paceque cum *Florentinis* composita, petierunt *Lucenses* a prædicto Marchione, dictarum Arcium, vicorumque restitutionem, sed post plures tergiversationes, postulata sua aperuit, ut nimirum antea solverentur sex scutatorum millia, pro expensis factis in eorum custodiam, seque interea loco pignoris, & securitatis causa possessionem retenturum.

Numerari jussit prompte Respublica summam eam (licet pecuniis maxime exhausta) per quemdam Mercatorem *Genuensem*. Sed dum Marchio variis sub prætextibus prolongaret restitutionem, & tergiversaretur accipere prædicta sex millia scutatorum, ecce foro cedit Mercator ille, qui hanc promiserat solutionem, & novæ præterea oriuntur turbæ, quibus inopinato Respublica implica-
Ann.1435. tur bello contra *Genuenses*; isti enim (à Duce *Mediolani* deficientes) improviso occupaverant *Carrariam*, *Massam*, & *Petramsanctam*; Quarum duæ vi armorum captæ, ultima verò per seditionem, ac rebellionem incolarum, fota (ut verisimile est) ab arcis præfecto, ac à militibus, quos alebat magistratus *S. Georgii* in Arcis custodiam, quæ una cum illa *di Motrone* paucos ante annos à *Lucensibus* tradita fuerat in pignus quindecim millium scutatorum, quæ bello *Florentino*, mutuo acceperant à prædicto Magistratu, expresso tamen pacto, ut jurisdictio Castelli *Petræsanctæ*, una cum omnibus fructibus, proventibus, & facultate officiales eligendi, in potestate maneret, & administratione Populi, & Communitatis *Lucæ*, ut antea. Quibus novitatibus & rebellione, cum *Genuenses* inferiores, jugum subirent Dominii *Philippi Mariæ Visconti* Ducis *Mediolani*, opus erat sibi prospicere, ne offenderentur a Republica Duci illi socia, & fœderata. *Lucenses* autem quum tot controversiis distracti omnibus non sufficerent, sensusque ultimæ hujus jacturæ prævaleret, & cupido eamdem recuperandi; tunc a cura *Garfagnanæ* destiterunt, nec ullo umquam tempore postea potuere dictum adigere Marchionem, aut successores ejus ad pecunias prædictas accipiendas, ac terras eas recuperare, exceptis Vicariatibus *Minucciani*, & *Gallicani*, qui sponte ad pristinam rediêre obedientiam. Nam, licet motus & turbæ, quæ ultimis annis ejusdem decimi quarti seculi, primisque decimi quinti, excitarunt in *Italia* bella, primò *Caroli VIII*, dein *Ludovici XII*. Regum *Franciæ* (ut suo loco dicetur) aperierint interdum Reipublicæ viam utendi occasionibus temporum, & dissensionum familiæ *Estensis*; tutius tamen existimavit ipsa, periculosis motibus se non immiscere, quam, pro recuperanda parte ditionis suæ, eamdem integram periculo exponere.

Sed ut ad hostilitates redeam *Genuensium*, quum ii fœderati essent cum *Florentinis*, & *Venetis* contra *Mediolani* Ducem (qui e contra fœdus inierat cum *Alphonso de Arragonia* Rege *Neapolis*) *Lucam* accessit *Nicolaus Piccininus*, dicens, se velle *Lucensibus* auxiliari, ad recuperandam Arcem *Petræsanctæ* cum aliquot aliis vicis, à *Genuensibus* occupatis. Sed revera ibi morabatur, ut expectaret eventum cujusdam negotiationis, eodem tempore *Genuæ* susceptæ, ut Civitas, nempe ea ad obedientiam rediret prædicti *Philippi Mariæ* Domini sui; & interea sollicitos redderet *Florentinos*, & induceret, ut revocarent suas copias adversus eumdem Ducem missas, ac propriæ defensioni easdem adhiberent. Obtinuit quidem *Nicolaus* propositum suum quantum ad *Florentinos*; perterriti enim illi adventu tam celebris, & felicis hostis, ac à continuis damnis pressi, proficisci jusserunt in *Etruriam* Comitem *Franciscum Sfortiam*, cum fœderatorum auxiliis; nec diu moratus est Comes, prælio se accingens adversus *Piccininum* sub *Barga*, ab hoc obsessa; Quo in prœlio quam *Piccininus*, inferior *Francisco*, fusus esset, & coactus confugere in *Lombardiam*; *Florentini* existimantes tempus opportunum adesse & occasionem potiundi *Luca*, cum omnibus ejus commodis: *Lucensibus* enim haud licebat sperare auxilium à Duce, qui pariter occupatus bello contra *Venetos*; & quum prætextus minime deficerent expeditionem, quod Respublica *Lucensis* non solum *Piccininum* recipiens in Fortalitium, sed & militibus adjuvans recesserit a vacatione bellica, & pacem tribus ante annos cum ipsis sancitam violarit: mandarunt *Sfortiæ*, ut urbem eorum obsideret, omni vi oppugnaret, & nemini salvum conductum concederet, aut parceret, qui ultra definitum terminum conaretur egredi. Exsequutus est *Franciscus* (Territorio antea, ac ditione *Lucensi* fere tota occupatis) mandatum ipsi injunctum, expeditionem vero confectam videre haud valuit. Pressi enim armis *Philippi Mariæ*, ductore *Piccinino*, *Veneti* in auxilium suum revocarunt *Sfortiam*. *Florentini* idcirco, tum commeatu, ac tanto Duce destituti, tum quia in auxilium *Lucensibus* venerat *Aloysius del Verme*, unus ex *Philippi* ducibus; cum mille, & quingentis equitibus, & mille peditibus, coacti fuêre, recedere, & quarta jam experientia edocti, mœnia *Lucæ*, Columnas esse *Herculis*, ac fatalem ambitionis suæ metam, fateri.

Quum autem defuncto *Martino Quinto*, in Summum Pontificem electus esset *Eugenius Quartus*, civis per privilegium originarius *Lucæ*, in qua urbe una cum *Petro Barbo*, qui pariter, defuncto *Eugenio*, ad Pontificatum evectus, & *Paulus Secundus* vocatus fuit, à *Gregorio XI*. Cardinalis fuerat creatus, ejus interventione, ac mediante *Francisco Sfortia*, qui rogatu Papæ sese interposuit cum *Florentinis*; inter hos, & *Lucenses* inita, & firmata fuit

 pax

Ann.1438. pax Anno MCCCCXXXVIII, & post aliquot mensium intervallum, exsequutioni data, atque diu duravit; cujus inter conditiones sancitum erat, ut *Florentini Lucensibus* restituerent omnes Vicos & Castella priscæ eorum jurisdictionis, retinentes solummodo *Motrone*, & *Monte Carlo*.

Post hancce pacem gavisi sunt *Lucenses* longo annorum cursu omnibus fructibus illis, qui produci solent, & maturescere in sinu quietis, publicæque tranquillitatis, absque mutatione, aut turbis quibusdam notabilibus; pacto uno excepto, quod tacite cum *Francisco Sfortia*, qui tunc temporis Dux evaserat *Mediolani*, vi matrimonii initi cum *Blanca Maria*, Filia unica, hæredeque *Philippi Mariæ Visconti* ejus prædecessoris, sed multo potius prospera decisione in concursu aliorum potentiorum competitorum, ac proprii gladii valore, iniit quidam *Michaël Guerruccius Lucensis* Civis, ut revocaretur, & declararetur Dominus urbis *Ladislaus Guinigius*. Qua proditione detecta, ac præventa, *Guerruccius* vitæ jactura, ac bonorum confiscatione pœnas criminis dedit; quantocunque studio, ipse Dux *Franciscus*, pro illo intercederet.

Tranquilla igitur pace beata urbs *Luca*, ac populis, commerciis, divitiisque notanter aucta, hæc eadem Respublica, honore colebatur summo ab omnibus *Italiæ* Principibus (à quibus comprehendebatur in omnibus pacificationibus, fœderibusque temporum eorum, honoratumque inter eos occupabat locum.) Reliquo enim hujus decimi quarti seculi tempore, honorarunt *Lucenses*, transitu per ipsorum urbem, ac in ipsa in ejusque ditione hospitati sunt præcipui Principes, ac hujus ætatis Monarchæ, *Galeatius Sfortia*, filius *Francisci*, & Ducis *Mediolani*; *Leonora Arragonia* filia *Ferdinandi* Regis *Neapolis*, ac uxor *Herculis ab Este*, Ducis *Ferrariæ*; & tandem *Carolus VIII.* Rex *Franciæ*.

Ann.1494. Hujus Regis in *Italiam* cum numeroso, ferocique exercitu adventus, ad regnum *Neapolis* occupandum, secum attulit turbas, calamitates, & miserias illas, quæ bellum sequi solent; atque in infaustam Provinciam hanc infinitorum malorum sparsit semina; quæ per centum, & sexaginta sex annos, sustulit & adhuc sufferret, ac magis quam unquam alias eorum vim experta esset, nisi misericordia divina, hoc eodem tempore, quo ultimam huic operi manum impono, finem imposuisset infortuniis Christianitatis, exoriri faciens inter horridas tempestates diluvii sanguinei, & stragium, oleam pacis universalis, compositæ, & confirmatæ inter duos potentissimos *Europæ* Christianæ Monarchas, *Ludovicum* scilicet *Decimum Quartum*, Regem *Galliæ*, & *Philippum Quartum*, *Hispaniarum* Regem, per matrimonium inter Regem Christianissimum, & *Mariam Theresiam* Regis Catholici primogenitam; ac alia plura Capita inter utramque Coronam sancita, per varia colloquia laboriosi & molesti conventus, qui per tres menses, continuatus in Insula parva, fluvii *Vidauoa*, in *Franciæ* & *Hispaniæ* confiniis, inter *Sanctum Joannem de Lutz*, & *Fontarabiam*, cum ante ab avibus phasianis nomen, nunc vero a conventu, & pace, provida industria, dexteritate, ac indefesso studio Cardinalis *Julii Mazzarini*, atque *D. Aloisii de Haro*, primorum Status ministrorum, Plenipotentiariorum; quorum primus pro Corona erat *Franciæ*, *Hispaniæ* secundus, uterque vir meritis insignis (Cardinalis præcipue *Mazzarinus*, primus enim is fuit, qui pacem obtulit, eique viam patefecit, eo ipso tempore, quo ejus ministerium victoriarum, ac triumphorum cursu erat conspicuum,) qui non solum hujus sæculi applausus, sed & immortalitatis famam, encomia, admirationemque apud posteritatem meriti sunt.

Ut autem, post brevem hanc digressionem, (propter nobilitatem, & rei gravitatem excusatione dignam) redeam ad historiam; primus iste *Gallorum* in *Italiam* transitus, inter mala communia utilis potius vocari potest, quam nocuus, Civitati *Lucæ*, tum ob protectionem, qua occasione illa acquisita, plurium annorum spatio fruita fuit, tum ob recuperationem *Petræ Sanctæ*. Vicus is aliquot ante annos ablatus fuerat per *Laurentium de Medicis*, Caput Reipublicæ *Florentinæ*, e potestate *Genuensium*, dein per *Petrum de Medicis*, *Laurentii* Filium, & successorem in Principatum Patriæ, una cum Arcibus *Serzonæ*, *Pisarum*, & *Liburni*, traditus *Carolo*, quum alias ejus armis se substrahere non potuisset; paulo enim post Majestatis suæ discessum, ab *Eutraghio*, Custode, ac Gubernatore ejusdem vici, venditus is, ac redditus pro certa pecuniæ summa *Lucensibus* fuit. Et quamvis *Florentini*, ac *Genuenses* sæpius conati essent & minis, & tentaminibus aliis, inducere Rempublicam ad cedendum eis prædictum locum, ipsa tamen confisa gratiis, & protectione Regis *Caroli*, & postea *Ludovici Duodemi* ejus successoris in continua ejus mansit possessione usque ad annum MCCCCC, quo quum *Florentini* ad expugnandam *Pisarum* urbem (quæ annos ante quinque ab ipsis defecerat, auctoritate vel licentia obtenta a *Carolo VIII.* qui ipse per illam transierat urbem) stipendiis suis conduxissent cum quinque millibus *Helvetiis*, quingentisque lanceariis, Dominum *de Beaumont* Gallum; is (*Florentinorum* instinctu) Rempublicam *Lucensem* coëgit non tantum minis, ac armorum terrore, sed etiam producto mandato, quod hac de re habebat a Cardinale *Roano* Gubernatore tunc temporis pro Rege *Ludovico* Ducatus *Mediolani*, ac illius in *Italia* Locumtenente, ut in manus ejus traderet Arces tam *Petræ Sanctæ*, quam *Motronis*, pacto tamen, ut Vicus *Petræ Sanctæ* maneret subjecta politico & civili regimini *Lucensium*. Paucis vero abhinc mensibus quum copiæ à *Beaumonte* ductæ, obsidionem solvissent *Pisarum*, & totus exercitus is dispersus esset, haud difficile fuit Reipublicæ *Lucensi*, dicta redimere loca, numeratis Cardinali de *Roano* ducatorum viginti quatuor millibus, partim in restitutionem pecuniæ à *Genuensibus* solutæ (quorum tunc Dominus erat Rex *Franciæ*) oppignoratis dictis Fortalitiis; partim pro copiis numerosis paulo ante in tutelam, benigne à Rege impetratis. Protectio hæc valde opportuna extitit; verebantur enim *Lucenses* ad minimum per aliquod tempus *Florentini* irritati, & irarum pleni ob continua pecuniarum, victualiumque auxilia, quæ clam subministrabant *Pisanis* obsessis (ut dixi) a *Florentinis*. Ann.15

De obsidione ea, quum fuerit maxime notabilis, eamque secutæ graves rerum mutationes non solum urbis *Lucæ*, sed & majoris *Italiæ* partis, licitum erit paulo fusius scribere, quam quidem hucusque feci, ita tamen, ut rationem compendii non excedam.

Civitas *Pisarum*, licet antiquæ suæ potentiæ, per quam ipsa celebris, & illustris extitit seculis præteritis, nil nisi nomen, mœniaque retinuerit, nihilominus tamen hodie, propter situs opportunitatem, maris *Tyrrheni* vicinitatem, ac portus, quos possidet, viæ vicem sustinere potest ad alia loca notabilia occupanda. Oppugnata igitur, diuturna, & pertinaci obsidione quatuordecim annorum, a *Florentinis*, ut sub antiquum reduceretur jugum, eodemque tempore a pluribus sustentata Principibus, quorum quilibet erat cupidus eam suo subjiciendi Imperio. Fuit ea temporibus iis Pomum

mum eridis apud *Italos*, *Helena* illius ævi infausta, ac Theatrum tandem in quo, vel quo mediante fors casibus insolitis & mutationibus tragicis, vim potentiæ ostendit.

Ludovicus Sfortia (*il Moro* nuncupatus) *Medioni* Dux, primus fuit, qui notanda *Pisanis* præstitit auxilia; *Veneti* deinde majoribus viribus subintrarunt; sed quia quisque Principum horum, proprio intendebat commodo, quod erat, alium prævenire, & potiri urbe defensa, ortæ inter eos diffidentia, æmulationes, contentiones, iracundiæ & acerba odia, quibus instigati, non cessarunt alii aliis machinari invicem præcipitia, & ruinas; usque dum *Ludovicus*, (cum dominio libertate amissa) dies suos captivus in Turri quadam *Lugdunensi* clauderet, luens atrociam sceleftæ suæ ambitionis, qua motus innocentem nepotem *Joannem Galeatium* & vita, & Ducatu spoliaverat.

Veneti autem, quum in ipsos per fœdus *Cameracense* arma omnium fere Principum Christianorum verterentur; paucis diebus toto Terræfirmæ Imperio se spoliatos viderunt, nulla re, nisi suis lacubus tutos, & extremo proximos exterminio.

In hoc theatro cum aliis comparuerunt, & suam egerunt personam *Lucenses*, copiis, pecuniis, commeatu urbem obsessam adjuvantes, sine tamen admodum diverso ab illo prædictorum Principum: Rationem status enim suæ Reipublicæ sequentium & urbem *Pisarum* sustinentium, ad distrahendam, ac debilitandam nimiam *Florentinorum* potentiam, innocentia ipsorum fuêre auxilia, atque ab omni utilitatis propriæ studio aliena. Parum nihilominus defuit, quin alios servando, se ipsos perdidissent. Summopere enim exacerbati *Florentini*, cum multis regionem illorum deprædati essent direptionibus, & igne integram Territorii partem vastassent, arma tandem bello aperto eis intulere, multas eorumdem ditionis terras, atque Arces occupantes. *Lucenses* non valentes diu sufferre bellum contra Rempublicam, suâ potentiorem; nec auxilia a protectione Regis *Galliæ* recipientes (ea enim *Florentini* pecuniarum vi impediverant) coacti fuêre de pace agere, eamdemque concludere conditionibus sequentibus: nempe,

Ut inter Florentinos, *&* Lucenses *intelligeretur, & contraheretur fœdus defensivum ad annos tres; interim* Lucensibus Pisanos *adjuvare ne liceret. Quod si* Florentini *trium annorum spatio* Pisas *occupare possent, fœdus hoc prorogaretur ad alios annos duodecim; at interim, tali vigente fædere, seu prorogatione* Lucenses *pacifice fruerentur Arce* Petrasancta.

Florentini autem vix exspectaverant quæsitam occupationem *Pisarum* (quæ urbs, fame expugnatis pertinacibus obsessorum animis, coacta est
Ann.1509. eorum jugo se submittere, mense Junii MDIX.) quo spernentes fidem datam, in prædictorum capitulorum observantiam, reversi sunt ad Rempublicam *Lucensem* gravioribus quam unquam molestiis afficiendam, tum improvisis excursionibus, tum invasione, ac plurium Castellorum ad ejusdem Dominium spectantium occupatione. Perceperunt tandem *Lucenses*, *Petram Sanctam* (in ipsorum manibus) esse *Petram Scandali*; unde pro meliore statu rerum promovendo, & ex consilio Pontificis ipsius, decreverunt, libere remittere, idque tam justitia ac æquitate, suæ Sanctitatis arbitrio (summus Pon-
Ann.1513. tifex tunc erat *Leo Decimus*, prosapiæ *de Medicis*, Patronæ, ac directricis Reipublicæ *Florentinæ*) omnes suas causas, spectantes Dominium, & possessionem tam *Petræ Sanctæ*, quam *Motronis*, & *Montis Gragni*. Diuturnæ fuêre controversiæ inter *Gallicanenses* Reipublicæ *Lucensis*, & *Barghigianos Florentinorum* subditos. Nec multi trans-
Ann.1514. iêre menses, quo *Leo* decreto suo sancivit, ut *Lucenses* relinquerent *Florentinis Petram Sanctam*, & *Motronem* ad annos quinquaginta; & ut e contra, eodem tempore gauderent libera possessione *Montis Gragni*: & ut Communitas *Gallicanensis* quotannis solveret Communitati *Bargæ* centum scutatos durante termino prædicto; quo præterlapso quilibet ad integrum jus suum posset redire.

Quum autem mense Januario Anni MDXV. ad alteram transiisset vitam *Ludovicus Duodecimus* Rex *Franciæ*, & ejus in regno successor *Franciscus Primus*, nollet protectionem Reipublicæ suscipere *Lucensis*; ipsa paucis post annis (consilio præsertim *Sylvestri Lilii* Episcopi *Vigornensis*, Legati *Romæ* nomine Regis *Angliæ* residentis) ad *Carolum Hispaniarum* Monarcham confugit; qui tunc, idem ambiente Rege *Francisco*, electus fuerat Imperator, & *Carolus Quintus* vocatus. Ille insigni benignitate, & promptitudine *Lucenses* in suam recepit protectionem, eis concedens milites in securitatem petitos. Res vere opportuna: quoniam ut per summam potentiam, ut & singularem fortunam, & famam, elevatus fuit, ac se ipsum arbitrum reddidit rerum *Italiæ* summus iste Imperator; sic & pro integra, & nunquam vacillante fide, quam Majestas sua Catholica, semper quoad in vivis fuit, & post ejus obitum Augustissimi Reges *Philippus Secundus*, *Tertius*, & *Quartus* ab eo descendentes, ejusque successores in regnis *Hispanicis* & hæreditariis dominiis servaverunt, protectio hæc Reipublicæ *Lucensis* in bellorum diluviis, sequentibus temporibus *Italiam* inundantibus Arca salutis, atque tutum fuit asylum & refugium. Ann.1520.

Cum *Luca*, bellis externis sedatis, & mortuo *Laurentio de Medicis*, ac *Leone* Papa ejus patruo, omni metu, armorumque contentione libera, tranquilla, lætaque fruebatur pace; inopinatus seditiosus tumultus urbem magno exposuit periculo, mutationes atque turbas non leves Reipublicæ inferens.

Ineunte enim anno MDXXII, vacante beneficio Ann.1522.
Sanctæ Juliæ, *Bartholomæus Arnolfinus* Protonotarius Apostolicus, qui nomine Reipublicæ tunc *Romæ* morabatur, a Sanctitate sua hoc beneficium impetravit; ac diplomate accepto, per quemdam suum Procuratorem, illius possessionem petiit; qui quum præventus fuisset a *Vincentio di Poggio*, qui ope quorumdam adhærentium, & fautorum suorum idem servare studebat pro *Joanne Boccella*, nominato, ac eidem Ecclesiæ exhibito ab incolis eidem Parochiæ vicinis, qui patronos se esse prætendebant beneficii illius; *Arnolfini* Procurator rejectus fuit, & exclusus. Recurrit is ad Palatium ut scipionem seu bracchium haberet regium, & obtinuit. *Poggii*, qui magno numero se congregaverant in Canonicatu prædictæ Ecclesiæ, armis, & commeatu probe instructi admittere noluerunt, qui gestabat scipionem, neque mandatis parere Seniorum. Retulit hunc casum ad Generale Consilium Vexillifer Justitiæ *Hieronymus Vellutellus*, circumstantias delictum aggravantes summopere exaggerans, suadensque Senatui, ne impune hoc delictum committi ferret. Pluribus autem Senatorum potentiam *Poggiorum* metuentibus, alii per amicitiam, per nimium complacentiæ studium alii, a rigore alienis, discrepantia fuêre suffragia, nec illa die Consilium ullo modo quid decernere potuit. Certior interea factus *Vincentius Poggius* de propositione à Justitiæ Vexillifero facta, atque de vehementia, qua rigorem Legum, pœnas ab illo, ejusque asseclis exigendas suaserat, haud expectans, quoad ipse Vexillifer Justitiæ supremo magistratu, quem gerebat, se abdicaret, per iræ impetum, & quorundam seditiosorum insti-

inſtigationes, ac temeritatem una cum complicibus præceps ruit in atrociſſimum ſequens exceſſum.

Die ſequenti duodecima *Julii* pervenientes eodem *Vincentius*, & *Laurentius Totti* ejus aſſecla (uterque occultatis armis munitus) ad Palatium, & prætextu colloquendi cum Vexillifero Juſtitiæ, in ejus cameram intromiſſi, plurimis pugionis ictibus eum crudeliter trucidarunt, & a decem vel duodecim aliis ſequacibus, qui, prout inter ipſos convenerat, accurrerant, atque in eorum auxilium venerant, confugerunt in Sanctæ *Juliæ* Parochiam, uti fecerunt *Dominicus Totti*, *Jacobus Philippi Poggii*, aliique factioſi, qui eadem hora qua prædictus *Vincentius* parricidium ſupra memoratum exequutus eſt, ingreſſi muſæum *Lazari Arnolſini*, Legum Doctoris, ibique vulneribus multis affectos, eumdem *Lazarum*, ac *Petrum Arnolſinum*, ejus Germanum, tamquam morti proximos reliquerunt (in ſignum evidens, præcipuum hujus conſpirationis finem privatam fuiſſe tantum vindictam).

Omnes itaque denuo congregati in Canonicatu, & Eccleſia *Sanctæ Juliæ*, accedentibusque aliis adhærentibus atque aſſeclis aucti, paulo poſt omni armorum genere inſtructi, abierunt ad domos ſuas in platea, quæ *di Poggio* nuncupatur, ſitas; ubi interclusis viis, ac poſitis ad angulos ejuſdem plateæ quatuor tormentis minoribus, *Laurentius Totti*, vir ſeditioſus, & audax (num proprio motu, an *Poggiorum* juſſu, ignoratur) verſus plateam equitans, & armis, ac inſignibus albis inſtructus urbem percurrens, plebem ſuſcitare tentavit, alta voce clamans: *Libertas*, *Abundantia*, *Vivat Populus:* Populus autem officinis clauſis, armisque captis in auxilium cucurrit Palatii; unde Seniores, animo ſumto, armatam multitudinem *Poggiorum* domibus facile immiſiſſent, niſi *Maximus Grati* vir magni nominis, & prudentiæ eos retinuiſſet, ac tanti propoſiti differri curaſſet exſequutionem, uſque dum à Conſilio, quod maxime expedire videretur, decretum eſſet.

Mane autem ſequenti convocato Conſilio (pro cujus ſecuritate ultra tria millia virorum armatorum convenerunt) metuere cœperunt *Poggii*, unionem videntes populi in favorem Reipublicæ, ac Libertatis; licet in momenta multas expectarent copias, ad quas conſcribendas, poſtquam contigerant ſupradicta, miſerant in montes *Piſtorienſes*; melius judicarunt Concilii decretum prævenire; & major eorum pars per mœnia deſcenderunt, alii, qui criminis minus reos ſe exiſtimabant, ſeſe jungebant illis, qui in auxilium accurrerant Palatii. *Vincentius* unus, Caput hujus tumultus & Auctor, nec abſcondere ſe, nec fugam arripere, nec ſe ſubmittere voluit, ſed nunciari juſſit Conſilio, ſe paratum eſſe aut mori armata manu, aut ab urbe armatus diſcedere, prout melius Conſilio placeret; quod, quum perpenderet, ſi populus armis cruentari cœpiſſet, difficile dein fore frænum ei imponere, eumque retinere, ne in alios irrueret exceſſus, anteponens aliis ſecuritatem tranquillitatemque publicam, ſatis habuit, ſi juberet, ut ipſe *Vincentius di Poggio* a miniſtris publicis porta educeretur; ac populus, armis depoſitis, aliquot millium frumenti menſuris donatus dimitteretur.

Proceſſum deinde eſt ad pœnas a reis exigendas & omnibus *Poggiorum* domibus ablata quælibet armorum ſpecies, iidemque renunciati omnium Reipublicæ honorum inhabiles; atque damnati omnes alii reorum, alii vita, ac bonorum confiſcatione, alii perpetuo exilio, alii proſcriptione capitali, alii tandem aliis pœnis.

Ab Anno MDXXII. uſque ad MDXXXI. urbs *Luca*, quoad Politicum Statum, nullam notatu dignam paſſa fuit mutationem, miraculoſe fere a Deo inter flammas proximorum ſervata incendiorum. Tranſierunt *Joannes Stuardus Albaniæ* Dux cum *Gallicis* copiis, & *Carolus Burbonius* cum eo ipſo exercitu, a quo direpta fuit *Roma*, prior prope mœnia hujus Patriæ, alter per *Etruriam*.

Formam regiminis mutaverat *Florentia*, ac *Medicis* ejectis, priſcam recuperaverat libertatem, ſed per undecim menſium obſidionem, & copiarum ductores ſuos parum obſequentes & fidos, ejuſdem familiæ monarchicum Imperium ſubire coacta fuit: nec inter tot rerum mutationes ac viciſſitudines aliud paſſa eſt infortunium, vel damnum, præter decem millia ſcutatorum cuilibet horum Ducum, ſoluta; adſtricta fuit præterea, ad ſe probe munitam ſervandam, & ad invigilandum ſecuritati ſuæ continuo & omni induſtria. Vix autem vicinorum armorum ceſſarant pericula, quo in ſe ipſam arma civium directa conſpexit, & parum abſuit, quin in ſanguinolenta bella civilia, & tumultus verſa aliis fuiſſet ſpectaculum, funeſtumque Theatrum.

Quum plures irrepſiſſent abuſus & confuſiones Ann. 1531. per abolitionem & negligentiam in opificio ſericario, in quo non amplius obſervabantur ſtatuta, & decreta, antiquitus in eodem vigentia, expedire Reipublicæ viſum fuit, eoſdem tollere abuſus, ac priſtinam reſtituere obſervantiam. Elegerunt igitur novem cives ad hoc Deputatos, quibus plena tributa & libera auctoritate revidendi, renovandi, & reformandi, ut eis magis opportunum viſum eſſet antiquas Leges, novaſque, ſi opus eſſet, publicandi, omniaque pœnarum genera tranſgreſſoribus, ac delinquentibus imponendi. Deputati ii, obliti proverbii illius, *ſcarpa ſtretta, & nuova*, *offende il piede*, (*calceus arctus*, *& novus*, *pedem offendit*) neque cogitantes, tranſitum e frigido hyeme conniventiæ, & negligentiæ ad fervidam Æſtatem zeli, & rigoris abſque temperamento ullo, eſſe commutationem ordinis naturæ, & exponere inexpectatis, & periculoſis infirmitatibus, ſeditionis, & turbarum civilium corpora politica Reipublicæ, haud contenti fuere præteritam Textorum libertatem intra limites legum & conſuetudinum redegiſſe, ſed ultra Leges, & antiquos mores progreſſi, prædictis inhibuerunt artificibus, ac operariis pannos propriis ſumptibus conficere, abſque certis quibuſdam gravibus conditionibus, ac perſonis iſtis obſervatu difficilibus: diminuerunt præterea ſalaria, & pretium pro laboribus iſtis ſolvi ſolitum.

Hæc nova lex vapor fuit generans, & nubes pariens tempeſtates omnes. Vexillum, cui adſcriptæ erant omnes furiæ iſtæ, tuba tandem, quæ primo arma, motus, & tumultus excitavit. Quum enim ars Sericaria Plebi *Lucenſi* quintum eſſet elementum, non minus quam reliqua ad vitam neceſſarium, ſublatum cernens plebs ea, vel reſtrictum medium maxime opportunum ad vitam ſuſtinendam, offenſi adeo Textores, aliique inferiores artifices (quibus præteritis magis quam præſentibus temporibus, urbs abundabat; in ea quippe ultra tria millia erant machinarum textoriarum, quæ occupatas tenebant operas, & in mercedem atque ſalarium artificum, & ſericariorum quotannis ultra quingenta millia impendebantur ſcutatorum) ut ad deſperationem adducti viderentur.

Congregati inde primo *Maji* in conventu *Sancti Franciſci*, decreverunt ſupplicem exhibere Libellum Generali Conſilio, ut novam aboleret Legem, octodecim deputantes Textores congreſſus illius, cum titulo Capitum, aut Capitaneorum, qui eumdem Senioribus porrigerent, & curarent ut cauſa ſua intelligeretur a Conſilio. Quibus capitibus promiſerunt indemnitatem præſtare ab omnibus

bus periculis, quæ iidem hoc ipsum agendo possent incurrere. Et quoniam favoris hujus obtinendi minus erant certi, immo metuendum erat, ne tali supplici libello, quem conceperat conventiculum, ac protestans subscripserat numerosa multitudo, irritaretur Consilium, ad pœnas exigendas; se invicem obstrinxerunt congregati solemnibus juramentis, & gravibus sibi constitutis pœnis, sese unionem servaturos, propriam oppignorantes vitam, si necessitas urgeret, in mutuum auxilium; nec umquam cessaturos, usque dum sive vi, sive favore obtinuissent petita. Supplex Libellus is a Deputatis illis porrectus, ac a Dominis humaniter acceptus fuit; sed quia Vexillifer Justitiæ improbabat (verbis licet moderatioribus, & amica reprehensione) nimiam audaciam tumultuarie, & absque permissu sese congregantium, deputatis demonstrans pericula gravia, & pœnas, quas ipsi incurrissent, si pro rigore Legum cum ipsis ageretur, optimum visum fuit Capitibus iis, ut ad socios redirent, ac ipsos certiores redderent de reponso Vexilliferi Justitiæ. Quorum relationes (accedente rumore, a quibusdam seditiosis callide sparso, imperantes scilicet e montanis magnum evocasse militum numerum, qui in urbem ad illos coërcendos introducerentur) eos excitarunt motus, atque metum apud tumultuantem cœtum, ut idem decerneret, sibi ita prospicere, ut pœnas non haberet metuendas. Quumque congregatorum quilibet ad suas traxisset partes artifices alios, sericæque artis magistros, consanguineos, & amicos, sequenti mane, majori numero armatique omnes redierunt ad *Sancti Francisci* ædes, locantes in plateam, & ad omnes ejus ingressus, valida præsidia. Hoc novo, periculosoque tumultu percepto, Seniores (antequam conveniret Consilium, quod fieri debuerat a prandio) colloquium petierunt quorumdam ex iis selectorum civium, e quorum consilio decreverunt mittere ad *Sanctum Franciscum* tres Senatores auctoritate, & prudentia majori conspicuos, ut placarent, & pacificarent excitatam multitudinem, spem facientes imo fidem suam interponentes, apud Consilium sese effecturos petitam novi decreti abolitionem. Horum dexteritate, & prudentia (licet non sine periculo) sedati fuerunt impetus excitatæ plebis, cum eadem die annuerit Consilium omnibus ejus petitionibus, quæ fuerunt, præter dicti abolitionem decreti, ut augeretur pondus, & bonitas restitueretur panis publici una cum libera, ac generali venia quorumcumque delictorum usque ad horam illam commissorum: unde acquievit populus.

Sed quia haud deficiebant folles, qui hos carbones, nondum prorsus extinctos, afflarent; inflammato vulgo (natura sua cupido, ac levi) a quibusdam civibus, dignitatis inter patricios & plebem mediæ, qui moleste ferebant se prorsus exclusos a Reipublicæ regimine, & ab illius magistratibus maxime conspicuis; ab aliis insuper stimulati quibusdam civibus, & popularibus pauperibus, qui turbis iis, bellisque civilibus, res suas meliores reddere aspiraverant; iterum tumultuavit populus, rogans novam amnestiam generalem cujuscumque criminis post priores turbas commissi, & insuper, ut ipse particeps esset honorum, ac admitterentur ad Consilium, & Magistratum triginta recentium virorum plebeji ordinis, vel plebis confidentium.

Variæ fuerunt opiniones Civium & Senatorum circa hanc novam plebis postulationem. Prævidentes quidam, tot impunitates, matres fœcundas esse majorum criminum, & considerantes, motus popularium instar incendiorum esse, quorum principia nisi reprimantur, & extinguantur, ubi dein vim majorem sumserint, flammasque suas dilataverint, extingui haud posse nisi destructione ædificiorum. Consultum igitur videbatur, ex Montanis in urbem introducendas esse duo, vel tria militum millia, horumque opera reprimendam, & puniendam tumultuantium insolentiam: sed quum major pars abhorreret a cruentando se propiorum Civium sanguine, existimans hanc medicinam periculosiorem esse morbo ipso; & judicans hasce plebis petitiones, haud alienas esse ab æquitate, & ratione; immo sperans generoso horum favorum indultu, tumultuantes tandem, & indignabundos sibi satisfactum visuros & quieturos; decretum & concessum fuit plebis Deputatis quicquid petierant. In cujus decreti executionem triginta novæ familiæ Nobilitati adscriptæ fuerunt, ac auctus fuit numerus Consilii à nonaginta, usque ad centum & viginti, ut præsenti adhuc tempore conspicitur.

Non poterat revera *Livius*, magnus ille Latinarum Historiarum Pater, melius describere, quid natura populi, plebisque sit, quando ait: *Ea natura multitudinis est, aut humiliter servit, aut superbe dominatur: mediam viam nescit.*

Aliquot vix transierant dies, quo eo audaciæ progrediebantur populares, ut mutari & reformari Reipublicæ gubernium poscerent: plura novà proferentes postulata circa reformationem eamdem, quæ omnia pro servanda quiete publica eis concessa fuêre. Horum quatuor, quum fuerint rationi & æquitati (fundamentis præcipuis tranquillitatis Reipublicæ) consentanea, hodierno adhuc tempore observantur.

Harum *Primum* est, ut nullus Civium assumi posset ad Senioris officium, nisi annum ætatis vigesimum quintum compleverit; nec ad illud Vexilliferi Justitiæ nisi trigesimo completo.

Secundum, ut nomina in pyxide posita, sive *Tasca*, quolibet triennio innovarentur.

Tertium, ne in eadem pyxide, sive *Tasca*, plures quam quinque personas ejusdem familiæ includi liceret.

Quartum, ut ordinarii Consiliarii Consilio per annum integrum vacarent.

Omnes autem eæ licentiæ potuissent videri tolerabiles, nec prorsus exorbitantes, ac limites æquitatis, & honesti excedentes, ratione insolentiæ, ac turbarum, quas (omni timore, ac veneratione susque deque habitis) sequentium quinque vel sex mensium spatio seditiosorum impunè movit temeritas. Ipsa enim eo usque progressa est, ut temporum eorum Seniores coacti fuerint (ex consilio & suasu multorum civium justitiæ tenaciorum) in auxilium dominii vocare è montanis quingentos, atque tercentos a *Camajore* milites. Seditiosi vero sibi ictum intentari prævidentes, rebus suis invigilabant; atque militum ex montanis *Mariani*, & *Camajore* ad urbis prospectum adventu vix percepto, eorum ad mille usque simul congregati; Palatium versus progrediuntur, ac vestibulo occupato, Palatio ignem se subjecturos, atque Seniores interfecturos minantur, si *Lucam* introducerentur milites illi. Ad majora igitur evitanda mala Senatui videbatur consultum, non solum *Camajorenses* dimittere, ac montanas copias retrocedere jubere; sed & insuper duos ad *Camajorenses* mittere cives, qui injungerent subditis iis, ne amplius accedere ad *Lucæ* portas auderent, nisi prævio Populi mandato; qui suspicione ductus, atque hoc conatu magis irritatus, non solum delegare voluit ad portarum urbis custodiam alteram partem militum, ab ipso dependentium, sed &, clavibus mutatis, novam cuilibet portæ apposuit seram, ita ut ex eis nulla aperiri posset absque duabus clavibus. Institutum etiam, ut quolibet vespere eædem claves includerentur cistæ cuidam, & servarentur in

in quadam Palatii camera sub duabus aliis clavibus, quarum alteram teneret Vexillifer Justitiæ, alteram Deputatus Populi. Nec omnibus his contentus Populus, petiit, & postulavit, ut urbe pellerentur quidam præcipui cives, qui consilium dederant vocandi *Lucam* milites eos *Camajorenses*; quorum in locum ingredi fecit urbem, ac participes honorum fieri plures suæ partes ex *Poggiorum* familia.

Unicus fere inter fautores Reipublicæ, & Senatus manebat *Martinus Bonvisius*, inter illius temporis nobiliores: cives insignis, ob divitias, auctoritatem, & magni nominis famam, quam sibi generosis gestis, & eximia prudentia comparaverat; & ob numerosos asseclas, quos ipse habebat non tantum inter nobiles (quibus temporibus iis turbulentis, & periculis, domus illius securum erat refugium) sed & inter Populares, & multos inter ipsam plebem.

Ut vero hunc etiam virum, grave ipsorum obstaculum removerent (unicum quippe & validissimum erat frænum, eorum ambitiosos ac scelestos appetitus inhibens) tentarunt illi qui maxime seditiosi, ut in exilium a Consilio mitteretur; sed quum illud haud obtinuissent, mane cujusdam diei quingenti ipsorum, duobus tormentis bellicis e Palatio vi deductis, tumultuarie progressi sunt ad domum *Bonvisii*; quam cum defensoribus sclopetariis aliaque arma gestantibus instructam, & pluribus saccis lanæ plenis munitam invenissent, nullo in eam facto impetu a proposito recesserunt.

Martinus nihilominus statim ac imminenti liberatus fuit periculo, ne idem porro contingeret, vel ipse seditiosis majorum tumultuum caussam præberet, elegit (Senatu annuente, quem prius instituti sui certiorem fecerat, sese paratum esse declarans, urbi succurrendi cum omnibus suis ad minimum signum ei datum pulsu campanæ Turris Palatii) cum tota familia sua urbe exire, atque in Villa sua *Monsanquiricio* habitare, ubi pro propria securitate tercentos milites collegit, præfectis aliquot strenuis officialibus atque ductoribus.

Ann. 1532. Cives jam, & Populares indigne ferentes, plebem in turbidis motuum istorum esse piscatam, honores ambiisse, & injurias caussatam postulasse satisfactionem, & videntes seditiosos magis, ac magis in excessibus, ac insolentiis progredi, justam ceperunt causam deserendi consortium plebis, aliisque sese jungendi Reipublicæ fautoribus. *Bonvisii* autem ab urbe discessus offendit, & disjunxit tumultuantes, & seditiosos (qui occasionem dederant) magnam etiam plebis partem, quæ familiæ illi adhærebat ob multa, ac eximia beneficia, quæ ab eadem quotidie obtinebat. Quapropter quum valde diminuta evasisset consiliis, & concordia plebejorum seditiosorum factio; visum fuit Nobilibus, adesse nunc tempus maturum & opportunum, indignum excutiendi jugum quo opprimebantur. Hac igitur ratione moti, convocarunt Senatores die nona Aprilis Anni MDXXXII. Conventum Generalem cujuscumque ordinis civium (Ecclesiasticis quoque comprehensis) ut in ipso præsentibus necessitatibus, publicæque saluti prospiceretur. Congregati itaque ad mille usque & quingentos constituerunt & decreverunt, approbante Consilio Generali, quod immediate sese junxit, conscribere centum pedites extraneorum ad Palatii Senatorii custodiam, & ad sustinendam justitiam, quæ per se ipsam impotens usum gladii prorsus amiserat.

Seditiosi per urbem dispersi hæc audientes, & per illos, qui suarum partium in Palatio congregatis intererant, certiores redditi, de deliberatione ista, antequam firmata a Consilio & decreta fuisset sententia, atque hoc ipso suam prævidentes ruinam, magna celeritate cucurrerunt tercenti numero sclopetis armati ad Palatium, id sese oppugnaturos minantes, multosque explodentes ictus in illius fenestras, ut terrorem incuterent Senatoribus ad discedendum ab illo proposito. Eorum autem temeritas, finem prorsus contrarium sortita est, substitit decretum, armisque publicis sese armarunt Nobiles, Popularesque fideliores, atque e Palatio campanæ sonitu, ad arma excitata fuit tota Civitas. Perterriti igitur seditiosi, numero sese inferiores conspicientes, & spe frustrati, fore, ut a pluribus, qui suæ factionis Consilio intererant, in ipsorum favorem tumultus excitaretur in Atrio, pro tunc recesserunt, animo tamen eodem vespere numerosiores redeundi, sicuti revera (regressis in domos suas, & congregatis prædictis) redierunt, & Atrio potiti sunt.

Senatores interea, quoniam (vestibulo aperto, & digressis Consiliariis) se ipsos fere solos conspiciebant, ac imminens periculum, ubi redirent seditiosi; admodum secreto nuncium miserunt ad *Monsanquiricium*, *Martinum Bonvisium* rogantes, ut nulla interposita mora, eodem vespere sese ad urbem conferret, cum maximo, qui colligi posset, copiarum numero. Non tardavit *Bonvisius*, sed militibus suis collectis, & auxiliis a vicinis Pagis ei præstitis, ut audiverat campanam Palatii pulsari, junctis nongenti circiter, vel mille peditibus, qui majori ex parte bombardis, sarissis, loricis armati, tacite & absque tympanis pulsis urbem versus iter ingressus est; ad portam autem *di Borgo*, hodie *Sanctæ Mariæ* perveniens, cum ingressum per eam non videret sperandum, (magno enim studio eadem a plebe seditiosa custodiebatur) ad dexteram versus viam ingressus est ad *Sancti Donati* portam. Per quam post quoddam intervallum secunda hora noctis introductus cum tota sua gente fuit; porta ipsi aperta a Vexillifero Justitiæ, & illius Plateæ Vexillifero, quibus tradi curaverant Senatores claves (quoniam prædictum populare decretum, quo ad earum custodiam Populi deputatus adesse debuerat, non obtinuerat, vel in disuetudinem abierat) illudque opera audacis, & sagacis sacerdotis cujusdam, qui tanto animo, quanta fortuna per custodias seditiosorum Palatium obsidentium transierat, & non solum fideliter mandatum exsequutus erat, sed ut majorem vim introductioni gentium *Martini* superadderet, ad arma capienda movit incolas totius plateæ *de la Quoiaria*, quæ dictæ portæ erat proxima, ac senatui fidelis.

Ingresso itaque cum copiis suis *Bonvisio*, & acie instructa, Palatiumque versus progresso, vix ejus milites exire cœperant platea *Sancti Michaëlis*, quo seditiosi (a quibus nihilominus servabatur Atrium) paulo ultra ducentos circiter, tam magnum intuentes comitatum, ipsumque majorem judicantes, terrore, ac stupore tam repentinæ aggressionis, fugam arripuerunt, relictis ad Atrii portam viginti quinque, aut triginta ex animosioribus; qui advenientibus militibus *Martini*, post resistentiam non diuturnam, omnes aut vulnerati, aut cæsi remansêre. Stabant ad Palatii portam Justitiæ Vexillifer, & Seniores, ut reciperent, & gratias agerent *Bonvisio*; sed quia a rusticorum, vel adhærentium, vel parum sapientium vulgo exclamabatur, *Bonvisius*, *Bonvisius*, licet *Martinus* pluries increpasset eos, & jussisset, ut potius clamarent, *Libertas*, *Libertas*, Justitiæ Vexillifer ejusmodi acclamationes apprehendens, plateam & portam claudere mandavit catenis, spatio tantummodo relicto, per quod unus transire posset homo; & rogavit *Martinum*, quomodo aut

quo

quo animo accederet; cui *Martinus* opportunis verbis, detractoque à latere gladio, & per capulum eidem in obedientiæ notam porrecto, plenarie satisfecit, hinc auferri jussit Vexillifer Justitiæ catenas, januamque aperiri; ac tenerrimo affectu amplexus *Bonvisium*, ipsum in Palatium introduxit, ubi meritum gratiarum actionis, applausuum, encomiorumque triumphum recepit: Senatores enim omnes una voce eum incessanter *Patriæ Liberatorem*, *Libertatis Protectorem*, *Patremque Senatus* proclamabant.

Sed ut ad seditiosos fugientes redeamus, major eorum pars aufugit, aut e mœnibus sese dedit præcipitem; qui remanserant perpetuo exilio multati, licet salutis suæ studio se abscondidissent diversis in templis, privatorumque domibus; omni tamen rigore, ac diligentia quæsiti, & captivi facti omnes; illi vero, qui post ultimam veniam crimen incurrerant læsæ Majestatis, capite plexi, vel relegati sunt juxta qualitatem indiciorum, quæ per actionem in eos institutam ipsos arguebant.

Multos præterea nihil juvit confugisse in Domum *Joannis Absil de Marsilia* Catalani, in tumultuum principiis a *Carolo Quinto Lucam* missi, ad sedandas auctoritate sua discordias, atque turbas; qui se interposuit inter Nobilitatem, & plebem. Quoniam, quum *Marsilia* prædictus (pro occulta quadam intentione concilians sibi plebis animos, ac dissensiones fovens civiles, visis quibusdam, ad Dominium urbis adspirare) plebejarum partium studiosissimus renuntiatus, ejusque nullam rationem habendam Respublica censuit.

Talis fuit exitus hujus famosæ seditionis *delli Straccioni* (sic enim à vexillo nigro serico, & lacerato, quod primis turbarum motibus quædam seditiosorum agmina gesserant, dicitur). Quam referentem, sicuti plures ejus, ac varii supervenientes casus me prolixiorem, quam permiserat Epitome, vel compendium, reddidit; ita graves rerum mutationes, quæ ipsam sequutæ, ac extrema pericula, quibus ea patriam hanc exposuit, posteros docebunt, plebem ad humiliora coërcendam, atque a politico regimine, honoribus, & dignitatibus, retinendam; sed ex altera parte ipsi prospiciendum annona, & rebus, quæ ad ejus spectant artes, quibus ipsa sibi victum quærit: obstandum esse principiis seditionum, primasque incendii favillas supprimendas; aliter periculum esse ad illas extinguendas diluviis sanguineis fore opus; Plebem per se ipsam maris instar esse, quod semper tranquillitatem servaret, nisi a ventis agitaretur: & tandem motus Plebis directione Capitum destitutæ, febres esse diurnas, focum stramineum, ac saltum serpentis, cui caput amputatum.

LIBER QUINTUS.

Ann. 1536. Repressis *Lucæ* turbis, & discordiis internis, atque prisca ejus restituta tranquillitate, paucorum annorum spatio, ejus ascendentis fortunæ fuit favor, ut hospitio exciperet sæpius intra mœnia sua maximos temporum eorum Christianissimi Monarchas.

Reversus ex *Africa* ab expeditione *Tunetana* & *Gulettana* victoriosus Imperator *Carolus Quintus*, *Neapoli Romam*, inde *Florentiam* se transtulit. Unde invitatus a Republica *Lucam* quoque ingressus, ibi moratus fuit a die sexta usque ad decimam Maji Anni MDXXXVI. cum comitatu tum militum, tum aulicorum ad viginti quinque millium præter Aulas Ducum *Florentiæ*, *Bavariæ*, & *Brunsvicensis*, omniumque principum Christianorum ad eumdem Legatorum; Exceptus ibi tanta magnificentia, ut moti illorum temporum Historici, *Jovius*, & *Guazzius* præcipue, ad eamdem peculiari celebrandam encomio; ad quos, & Chronica manuscripta *Josephi Civitalis*, hac in relatione exactissimi, Lectorem remittam, ne limites quos mihi præfixi, excedam.

Duobus abhinc annis, quum *Paulus Tertius* Summus Pontifex in *Provinciam* transiret, ut *Carolum Quintum* conveniret, & Regem *Franciscum*, & ibi coram pacem firmaret, aut diuturnas inter illos redderet inducias, eamdem urbem honorare dignatus est præsentia sua: ibi enim mansit a die sexta ad octavam *Aprilis* anni MDXXXVIII.

Memorabile tamen, maximæque famæ dignus
Ann. 1541. fuit conventus, *Lucæ* habitus mense *Septembri* anni MDXLI, a supra dictis duobus supremis his orbis Christiani monarchis. *Paulus Tertius* primus eo accessit die octava prædicti mensis, cum sedecim Cardinalibus, & maximo Prælatorum numero. Die vero duodecima accessit *Carolus Quintus*, navi egressus aliquot ante horis ad *Viareggium*. Comitabantur eum plures quam quinquaginta tam Duces, Comites, Marchiones, quam alii proceres (præter Duces *Ferrariæ*, *Florentiæ*, & *Camerini*, atque Legatos, Aulas summorum horum Principum sequentes) & ingens aliarum personarum dignitatis inferioris numerus. A duobus hisce Magnatibus in duas partes divisa remansit Civitas, in Orientalem scilicet, & Occidentalem; Prima assignata fuit Aulæ Pontificis, qui in Palatio Episcopali hospitium cepit: Secunda Aulæ, & comitatui Imperatoris, residentis in Palatio Reipublicæ, quæ nullam prætermisit testificationem, qua demonstrare posset gaudium, quod ceperat ex præsentia in urbe sua tantorum hospitum; & obsequia exprimere filialis suæ observantiæ, confidentiæ, ac devotionis in eosdem. Quoniam inter alia

Publicis mandavit decretis, ut, prædicto perdurante hospitio, cuique liceret urbi inferre absque ullis vectigalibus cujuscumque sortis victualia, ac pecudes;

Ut Portæ urbis nocturno etiam tempore apertæ, & absque excubiis servarentur;

Ut aperirentur carceres, omnesque quacumque de causa captivi dimitterentur.

Quater invicem collocuti sunt, VI. diebus, quo *Lucæ* morati fuêre Sanctitas sua & Cæsar, de rebus in orbe Christiano maximi tunc momenti: scilicet, de Concilio universali ad determinandas Religionis controversias, de reformatione Cleri, & pace intra suam Catholicam Majestatem, & *Galliæ* Regem. E quibus (aliis tunc non determinatis) *Lucæ* decretum fuit Concilium, in urbem *Tridenti* convocandum, sicuti & quatuor post annos congregatum, & inchoatum fuit.

Conventu hoc soluto mane diei octavæ mensis prædicti, profectus *Carolus Quintus*, navim ascendit ad *Viareggium*, ad destinatam expeditionem *Algeriensem* abiturus, (sed infaustissimis auspiciis per famosum illud naufragium, quo tota fere ejus numerosa, ac formidabilis classis periit) ac paucis inde horis Sanctitas sua *Lauretanam* domum versus discessit.

Digressis hisce Magnatibus, ad curas suas politicas reversa Respublica, eradicare decrevit opportunis, vigorosisque mediis in urbe sua, antequam altiores ageret, & magis dilataret radices suas, pestifera Zizania *Lutheranæ* hæresis, quæ postquam totam fere affecerat *Germaniam*, quum disper-

ſa eſſet per lectionem infectorum librorum, & occultas prædicationes quorundam ignotorum miniſtrorum illius ſectæ, in quasdam *Italiæ* urbes, paulo poſt *Lucæ* quoque diſſeminata fuerat ab inſidioſis ſuggeſtionibus quorumdam clauſtralium Religioſorum, qui infecti tali lue fuerant, & ab informatore *Germano*, vocato *Aonio Paleario*, qui à Republica obtinuerat ſalarium, ut doceret humaniores literas juventutem, (per temporis ſatis diuturnum ſpatium, antequam detegeretur;) ſed cum ipſam inſtruere deberet, in ejus dociles, & (inſtar mollis ceræ) faciles animos ſtuduerat falſa *Lutheri* dogmata imprimere, cum ipſe, bonum ſimulans Catholicum, Profeſſor, & Magiſter eſſet.

Reſpublica non minus grave, ac periculoſum accidens hoc exiſtimans quam revera erat; optimas ferendo atque ſanctas leges, conſervationem, & præſervationem Catholicæ Religionis concernentes; una cum inhibitione omnium librorum eorum, qui ad illud uſque tempus erant prohibiti, & in poſterum a Sede Apoſtolica prohiberentur, creandoque novum Magiſtratum, ex tribus, & dein novem compoſitum civibus, inter quos tres erant ejuſdem Reipublicæ Secretarii, qui ſupra dictarum Legum obſervationi invigilarent, diligenter in trangreſſores inquirerent, & una cum Domino Archiepiſcopo actionem in eos inſtituerent, reoſque punirent, tandemque in exilium pellerent ab urbe & Dominio, ac in omnes illos, ut rebellionis crimine & pœna reos animadverterent, ulcus illud reſecare conata eſt, antequam id latius ſerperet.

His non obſtantibus allaborandum tamen fuit ultra viginti quinque annos, antequam ſubditi hoc contagio redderentur liberi; quo, licet ſemper incolumem ſe ſervaverit Corpus Generalis Conſilii, & univerſalis Nobilitatis, ac Populi, qui ſemper conſtantes in Catholica *Romana*, & in priſca nativa pietate perſeverarunt, contagio nihilominus quorumdam civium ex eminentioribus & conſpicuis (licet numero paucorum) materiam præbuit quibuſdam turbidis, ac inquietis hominibus (qui ſibi imaginabantur, fore, ut ſub Reipublicæ ruinis vacillantis, ſuſtentacula ſuæ fortunæ firmari poſſent, uti conſtituerunt calumnioſa hac cabbala, ut machina ad evertenda publicæ libertatis fundamenta) diffamandi non ſolum urbem *Lucam*, tamquam hereſi infectam, & eam imputatione hac apud ſummos Pontifices aggravandi, ſed & attentare, ut gratia excideret apud Imperatorem *Carolum Quintum*, Regemque *Philippum Secundum*, ejus filium, ſuos Protectores; quod forte accidiſſet, ſi minus efficacia extitiſſent officia, à Republica oppoſita, quibus ipſa non tantum ſe purgavit, & plenarie malignorum culpationes redarguit, ſed & a prædictis protectoribus, & a pluribus Papis, id eſt, *Paulo Tertio*, *Julio Tertio*, & *Pio Quarto* laudes, & encomia retulit diligentiæ, & tenacitatis in conſervatione, & cultu Catholicæ religionis, & præcipue devotionis erga ſanctam Apoſtolicam Sedem. Immo *Pius Quartus* hac de cauſa ipſam *Benedicta Roſa* honoravit, (donum a Pontificibus haud ſolitum conferri, niſi in Principes ſummos, atque de Sede Apoſtolica, fideque Catholica benemeritos) illam ei tranſmittens initio anni MDLXV. per Dominum *Julium Cæſarem Columnam*, ad hoc Nuncium creatum.

His vexationibus contemporoneæ fuêre duæ conſpirationes initæ, altera à *Petro Fatinello* contra propriam Patriam anno MDXLII. altera a *Franciſco Burlamacchio* contra ſtatum *Coſmi Florentiæ*
Ann.1546. Ducis, anno MDXLVI.

Erat *Petrus* (præter priſcam proſapiæ nobili-
A tatem) iis ornatus dotibus, quibus famam, divitias, ac munera præcipua in Republica ſibi acquiſiverat; a qua (eo ipſo tempore, quo contra eamdem machinabatur) deputatus erat ad quædam tractanda negotia in Aula Cæſarea, ubi Reipublicæ nomine agebat Comes *ab Anguillara*; & declaratus fuerat ad anni ſpatium Veredariorum *Lucæ* Præfectus. Nihilominus, ab omni cunctatione & animi moderatione alieniſſimus, non conſiderans ſe in libera ortum fuiſſe civitate, permiſit, ſe ab ambitionis vento projici in tam deteſtabilis facinoris præcipitium. In-
B ſtitutum ejus erat, ut ſua & amicorum ope eligeretur in ducem vigiliarum Palatii *Joannes Baptiſta Bonſica Lupus da Chiavaris*, qui, conſpirationis quippe hujus conſcius, excubiarum ſtationes impleret militibus ei adhærentibus. Horum, aliarumque copiarum, quas urbi introducendas habebat paratas, ſibi imaginabatur *Petrus*, ſe palatio & urbis dominio potiturum; ſed per nobilem quemdam *Venetum*; (cui *Petrum* inſtitutum ſuum concrediderat, conſpiratio detecta, & præventa a Republica fuit, *Bonſica Lupo* in urbe *Lucæ*, & *Fatinello Barcinonæ*, (ad petitionem Reipublicæ) juſſu *Caroli Quinti*, capto, qui dein
C *Lucam* captivus tranſmiſſus, ubi ambo capitis meritam ſubierunt pœnam; quamvis *Petrus* inſignibus, quæ moriens dedit, conſtantiæ, ac pietatis Chriſtianæ documentis, ſupplicii dedecus quaſi deleverit, & cataſtrophen ſuam infauſtam nobilitaverit; ſed redeamus ad *Burlamacchium*.

Is ex mera levitate ac vano gloriæ appetitu, ad quem ſeſe excitari paſſus erat, vel hiſtoriarum priſcarum lectione, vel forſan quorumdam exulum *Florentinorum* ſuaſu, machinabatur, vel, ut melius dicam, ſomniabat, *Piſam*, & *Florentiam* libertati reſtituere. Quapropter is, quum electus eſſet in unum ex tribus militiarum, &
D copiarum montanarum deputatis, decrevit nocte quadam ad muros *Piſæ* duo uſque millia ducere militum, eorumque ope, auxiliantibus, quos ſibi promittebat in eadem urbe, peregrinis prædictis, ac *Piſanis* ipſis, ad libertatem invitatis, Capitaneos, & præſidia *Florentinorum* expellere; inde repente *Florentiam* feſtinans, idem exequi, non tantum per auxilia, quæ ibi quoque a conſanguineis, & peregrinis ſperabat, ſed & per copias, quas ei promiſerat *Leo Strozzius Capuæ* Prior, ac Frater *Petri*, ad illud uſque tempus dux magnæ æſtimationis apud *Galliæ* Regem, atque vir inſignis auctoritatis inter prædictos exules. Qui-
E dam ex complicibus duci totam revelavit conſpirationem; ſed idem eodem etiam tempore perceptum fuit a *Burlamacchio*; quapropter ipſe, tunc Vexilliferi juſtitiæ munere fungens, cui non licet Palatio, & multo minus urbe egredi abſque permiſſione, ut imminenti ſeſe ſubtraheret periculo, veſpere quodam, mandato ad portam miſſo, ut aperta uſque ad horam primam noctis maneret, & ſi accederet perſona pallio involuta, ac vultu cooperto, eidem permitteretur egreſſus. Statuta hora ad portam perrexerat, ut egrederetur; ſed quum mandatum ejus, vel errore, vel diſpoſitione Dei, qui reis comprehenſis Rempublicam li-
F berare decreverat omni facinoris ſuſpicione, quam incidere potuiſſet apud Ducem) cuſtodibus portæ allatum fuerat plane contrarium, nempe ſi tranſiret aliquis, tectus, ac pallio involutus, ut ei inhiberetur egreſſus; perveniens *Burlamacchius* eodem modo ad Portam rejectus ab excubiis fuit, unde confuſus, & perterritus domum confugit, & ibi omni re fratribus detecta, ut rediret ad Palatium, ipſi conſuluerunt, ibique ſuam ſincere culpam fateretur Collegio, & ſeſe arbitrio permitteret Conſilii. Quæ quum ipſe eſſet exſequutus, haud tar-

tardavit Consilium, personam detinere Vexilliferi Justitiæ, eumdemque captivum factum, securæ committere custodiæ. Hinc actio in eum commissa Prætori, assistentibus Magistratu Secretariorum, duobus Senioribus, aliisque civibus, & sollicite duos Cancellarios Senatus misit, ad *Carolum V.* alterum, alterum ad ducem *Cosmum*, ut ipsos de iis, quæ contigerant, certiores faceret. Et quoniam Dux significaverat se velle captivum in potestatem suam tradi examinandum, postea vivum restituere; Respublica, ad præveniendum præjudicium tam vehemens existimationis, securitatis, & innocentiæ suæ, ad Cæsaream recurrit Majestatem, eamdem rogans, ut causam hanc ad se revocare, reumque in suam recipere potestatem vellet. Preces Reipublicæ admisit Sacra Cæsarea Majestas, causamque *Ferranti Gonzagæ Mediolani* Gubernatori demandavit, cui idcirco traditus fuit captivus una cum actione in ipsum instituta. Nec multi transiêre dies, quo *Burlamacchius* sceleris sui pœnam vitæ pretio persolvit; asserta optime Reipublicæ justitia tam apud *Cosmum*, quam apud omnes alios Principes, quibus pro sinceritate sua demonstranda, tantam exacte referri novitatem, æquum censuit Respublica.

Hoc eodem anno MDXLVI. quum Universale Concilium præcedenti anno in urbe *Tridenti* convocatum, alio transferri deberet, tumultus enim bellici, armaque Protestantium urbi illi vicinorum, eamdem haud tutam reddebant; summus Pontifex *Paulus Tertius*, *Lucam* ut urbem liberam, Cæsari devotam, nec suspectam, in locum congressus destinavit.

Ann.1552. Ab anno MDLII. ad MDLV. tempestatum, atque turbarum tanta fuit vis & violentia, ut opus haberet Respublica expertos Naucleros Regimini suo admovere, & curis indefessis pyxidem navigationis suæ magneticam observare, ne improviso in scopulos incurreret, naufragiumque pateretur.

Quum *Senenses* protectione *Caroli Quinti*, qua fruebantur, excidissent, & præsidium à Majestate illa in eorum urbem introductum expulissent, seseque tutelæ Regis Galliæ *Henrici Secundi* commendassent; *Etruria* Theatrum evasit ingentis ac periculosi belli, cui implicabantur vires, & consilia duorum in orbe Christiano Monarcharum Maximorum. Tumultuosa hac sæviente tempestate, insigni cum prudentia tutissimum sibi judicavit Respublica neutrius sequi partes; Cumque ipsi esset integrum, in negotiis quid agendum prompte statuere, & absque dilatione providere casibus occurrentibus, qui consultandi spatium non concedebant, eadem creavit duodecim civium Magistratum, qui una cum altero Secretariorum, absoluta, supremaque gauderet auctoritate per tres menses (ad finem usque scilicet mensis *Septembris* anni MDLIV.) & præsidio, ac securitati urbis invigilaret, eaque de causa duo millia introducta fuêre selectorum e montanis militum; summaque celeritate illata maxima commeatuum cujuscumque generis copia, granorum præcipue, ad alendos exercitus eos, qui per ditionem *Lucensem* essent transituri. Provisiones eæ certe opportunæ fuerunt; tres enim exercitus alendi fuerunt Reipublicæ; qui hospitati sunt partim in ejus ditione, partim ad confinia. Primus illorum exercitus ille fuit *Petri Strozzii*, decem millibus peditum, & mille equitibus constans; qui prædicto anno MDLIV. mense *Junio*, subsidiis *Sienam* introductis, ac in itinere multis Territorio *Florentino* & *Pisano* allatis damnis, sese ad confinia ditionis *Lucensis* vertit, animo ibi manendi usque dum promissa, & expectata auxilia *Mirandula* advenirent per Alpes *Sancti Peregrini*, & *Garfa-*

A *gnanæ*, atque illa, quæ ex *Provincia*, transfretare debebant & appellere ad *Viareggium*, ductore *Leone Strozzio*, ejus fratre, transitum, hospitium, commeatum propriis expensis petiit a Republica; quæ quum summa respondisset prudentia; quantum ad transitum, & hospitium, se directe concedere non posse, quippe quæ sub protectione viveret Cæsarea, absolute tamen negare nolle, viribus enim ad resistendum destitui: quantum vero ad commeatus, ipsam non defuturam in præstando ejus exercitui illo, quod aliis copiis similiter transeuntibus præstare consueverit. Hoc accepto responso ingressus *Gallicus* exercitus Territorium *Lucense*; B certiore tamen prius a Republica reddito per strenuum cursorem Duce *Cosmo*, tam de petitione a *Strozzio* facta, & responso accepto, quam de ejus progressu, & itinere versus *Moriani* Pontem, ubi castrametatus erat ad Villam *Sancti Siomignani*, locosque vicinos, ubi moram fecit trium circiter hebdomadarum.

Alter exercitus, numero haud inferior, accessit ductore Marchione de *Marignano*, summo copiarum Imperatoris, & Ducis *Etruriæ* præfecto, qui ut motus *Strozzii* observaret, ipsius lateri semper hærens, aliquot diebus *Pesciæ* moratus est, ubi com- C meatum à *Lucensibus* accepit; ac suppressus & fugatus fuisset ab hoste, cujus exercitus *Rhætis Mirandola* advenientibus & sibi junctis ad quatuordecim millia tam equitum, quam peditum erat augmentatus; & Marchione viribus superior, improviso & sollicite progrediebatur ad eumdem invadendum, nisi per singulare quoddam beneficium opportune admonitus a *Joanne Tegrimio* deputato, ac amborum castrorum nomine Reipublicæ Provisore, qui de castris a *Strozzio* motis recens erat redditus certior, se imminenti periculo sollicito receptu subtraxisset.

Tertius Exercitus fuit *Joannis de Luna*, qui cum D sex millibus peditum ex *Lombardia* per *Lunigianæ* viam veniens, per *Lucensem* Dominium transire debebat, ut se supradicto Marchioni jungeret; Admonitus tamen, *Strozzium* ad Pontem penes *Morianum* ipsum expectare, per viam *Camajoris*, & *Viareggii Pisam* progressus est. Apparuit ergo temporibus iis turbidis, quantum valuerint consilia & prudentia, quoniam Respublica per œconomiam suam tot exercitus aluit in Dominio, cujus angusti limites ad proprios alendos subditos haud sufficiunt; atque sic omnibus satisfaciens, utriusque sibi servavit amicitiam.

Curis exteriorum periculorum soluta Respubli- Ann.1556.
E ca, ad emendandum, ac novis Legibus reformandum Gubernium suum sese sedulo convertebat. Inclinaverat hoc hucusque ad formam Aristocraticam, sed insensibiliter, per conniventiam quamdam, & consuetudinem, qua sensim sensimque honorum participationem, & publicorum Magistratuum administrationem sibi vindicabant Nobiliores, & Patricii. Ut ergo solidiora jacerentur fundamenta, novaque Politia, & ipsa ejus auctoritas firmaretur pro parte, promulgatione decreti eidem faventis, *Martinus Bernardinus* tunc Justitiæ Vexillifer (a quo nova illa Lex, *Martiniana* dicta) sub finem anni MDLVI. Consilio proposuit, consultum vi- F deri abusum illum, qui irrepserat, quo filii peregrinorum, & ruricolarum admitterentur ad Consilium, aliosque magistratus publicos, tollere, renuntiando eosdem per peculiare decretum ad prædictos honores inhabiles. Variæ fuerunt sententiæ circa propositum decretum; quidam abhorrentes à novitatibus, eas omni probe ordinato regimini, sed Reipublicæ præcipue periculosas, reputantes. Nec existimabant Juri, Posteris peregrinorum, ultra secundum gradum, vi *Legum municipalium*, *capite duodecimo Libri secundi*, & isti, genti agresti, utris-

que incolis Urbis per *Caput undecimum Lib. tert. dictorum Statutorum*, derogari aut præjudicium fieri posse absque publicæ fidei violatione & gravi conscientiæ scrupulo: unde multa vi eloquentiæ, ac rationibus magni ponderis negativam sustinuerunt sententiam. Alii e contra valde utilem, opportunamque novam judicantes Legem, nec indecentem putantes priscorum statutorum mutationem, revocationemque Indultuum, ac Privilegiorum, quotiescumque aut necessitas reformandi abusus, aut mutata conditio temporum & subditorum, aut evidens Reipublicæ utilitas id exigeret; non minori rationum vi, & efficacia pro affirmativa perorabant. Qui rationes Politicas & Morales ab utraque parte videre cupit, Legat *Tuccium* in historia hujus anni, qui easdem diligenter & prolixe refert; mihi autem, compendiose scribenti, sufficit, essentialia rerum, quæ contigerunt, narrare, nec meum esse opinor, ad conciones, aliaque ejusmodi (accidentalia Historiæ) ornamenta me extendere.

Ad hanc opinionum diversitatem delegavit Consilium more solito conventum Civium, quorum erat, rem istam diligenter examinare, dein referre, quid expeditius bono publico judicarent. Delegati ii convenerunt cum opinionibus, ac sententiis majoris Senatorum, ac Civium partis, & retulerunt secundum leges à Justitiæ Vexillifero propositas; quapropter sancitum, & approbatum fuit sequens decretum.

Ut imposterum peregrini Patris filii, eorumque descendentes in perpetuum exclusi intelligantur à participatione regiminis publici, etiamsi tempore publicationis decreti illo fruerentur: nisi tamen cives originarii, favore Consilii Generalis, creati fuissent.

Ut pariter Agrestium filii intelligantur exclusi, ut supra, nisi pateat, eosdem esse electos in ordinarios more solito in Consilio, quo casu tam ipsi, quam ipsorum fratres, & posteri habiles intelligerentur.

Quæ Lex, licet alias videri possit valde nova & odiosa, non solum nullas produxit mutationes, sed altissimas egit radices, quibus ad præsentia usque tempora observata; idque tribus ex rationibus.

Prima fuit, quod pauci revera erant eorum, quos nova illa lex offendebat, & ii pauci, maximampartem officinis, & mercaturæ erant addicti, qui, cum negotia sua tum temporis maxime florerent, minus solliciti erant de amisso honore Reipublicæ, quam de tempore, quod fungendis iis honoribus fuisset impendendum.

Secunda fuit spes, quam Cives Rempublicam administrantes fecerunt peregrinis benemeritis, consequuturos esse id per gratiam, quod per leges iisdem concessum non fuerat.

Tertio loco multum contulit ad coërcendam indignationem, quam excitare potuisset nova lex, inopinatus casus, quo magnus *Germanorum* numerus, qui in Regnum *Neapolis* invitati in auxilium Proregis illius, tunc bellum gerentis contra *Paulum Quartum* summum Pontificem, & *Caraffam* ejus nepotes, rebus hisce arduis, plures dies *Lucæ* morati occasionem dederunt, exemplo novo confirmandi id, quod observatum à *Livio* in historiis suis, *Timor externus, civium concordiæ potissimum vinculum est.*

Ann. 1570. Respublica, reformato regimine politico, animum adjecit ad res militares, & ad muniendam se tempore pacis, ne bello quodam improviso, offendatur inermis. Mandavit igitur pro militia in urbe instituenda, ut cives ab anno decimo octavo usque ad quinquagesimum quartum inscriberentur, Clericis & Doctoribus exceptis; mandato cuilibet injuncto, ut paratus sit, &, armis ac-

A commodatis instructus, ad lustrationem generalem quotannis bis habendam. Primo, *Majo* vel *Aprili*, deinde *Septembri*, aut *Octobri*, pro Senatus beneplacito. Quæ lustrationes cœperunt, initio *Aprilis* Anni MDLXX; Prima lustratione quater mille & quingenti comparuere viri in tres divisi turmas, sub tribus Chiliarchis, quibus, ut summus Imperator præfectum fuit officium trium Deputatorum, optimo cum ordine.

Nec multum præterierat temporis, cum eæ supervenirent occasiones, quibus Reipublicæ hanc sibi prospiciendi curam non neglexisse maxime B profuit.

Ab altera enim parte, quinquaginta annorum quum exspirasset terminus, quem præfixerat *Leo Decimus* observando decreto, cujus præcedenti libro facta mentio, iterum exortæ sunt contentiones, & rixæ inter *Gallicanenses*, & *Barghigianos* de monte *Gragni*; nec ullum est dubium, magnum exortum inde fuisse incendium, nisi pars utraque fuisset inducta ad res suas denuo arbitrio committere summi Pontificis, tunc *Pii V*, qui eodem tempore, Anno MDLXX, novo renuntiavit decreto, proprietatem montis illius spectare ad Rempublicam; Magno Duci tamen potestate concessa, C belli tempore pro securitate sua, præsidium, propriis tamen expensis, ibi collocandi.

Ab altera parte quum *Garfagnani*, Ducis *Ferrariæ* subditi (moti æmulatione, ac invidia vicinis consueta) incursionibus, deprædationibus, ac incendiis infestassent *Gellenses*, & *Colognorenses* Reipublicæ subditos, & hi paribus, imo valde majoribus, vindictam sumsissent; jam inchoatum erat diuturnum & grave bellum inter prædictum Ducem, & Rempublicam, utraque parte in auxilium, ac defensionem suorum magnis conatibus accurrente. His interposuit se *Mediolani* Guber-D nator (cui ut & aliis Principibus ad asserendam causam suam justam exposuerat Respublica horum motuum rationes) & ab eis primo inducias, ac dein ab *Hispaniæ* Rege compromissum liberum obtinuit.

Republica continuo sollicita de conservatione Ann. 1584. sua, & securitate ab externis hostibus, magistratus custodiis præfectus considerandum proposuit, quum propugnaculorum forma recens esset variata, Urbem *Lucam* non admodum esse tutam; & ejusdem fuisse sententiæ multos quoque architecturæ militaris peritos, & belli Duces. Existimare igitur eumdem Magistratum utilitatis & honoris fore Reipublicæ, si urbs in regium redige-E retur fortalitium, ut jam aliqua ex parte inchoatum fuerat.

Placuit Generali Consilio mentem huc intendere, hujusque rei curam quorundam civium numero demandavit, qui re mature examinata, suam inde ferrent sententiam.

Affirmativa fuit horum relatio, & à Consilio approbata, & sancita hæc sententia, licet non sine plurium contradictione; qui, expensis, quas ferendas Respublica subiret, consideratis (quæ ad ducenta millia scutatorum tum æstimabantur; peritiores vero architecturæ arguebant usu edocti, expensas futuras esse duplo, & triplo majores, ut F revera evenit, computatis quippe ultimis propugnaculis iis Anni MDCXXV, & Anni MDCXLVIII. patuit Reipublicæ expendenda fuisse ad sexcenta scutatorum millia) hujus fuère sententiæ; si publico inferrentur ærario pecuniæ istæ ad mœnium reparationem destinatæ, majoris opportunitatis fore, & utilitatis Reipublicæ tempore belli; illas enim impendi posse ad conscribendos milites, hostem procul ab urbe arcendum, & agri possessionem servandam; quo amisso, ut plurimum, urbium quoque, licet munitarum, sequeretur deditio. Addebant insuper contradictores ii, Reipublicæ

blicæ satis esse debere, civitatis muri adeo fortes, (ut revera erant) ne illi scalarum ope, vel aliis subitaneis hostilitatibus repente superari possent. Si enim obstinate obsideretur, aut diutius includeretur, eamdem nihilominus cessuram esse, licet recenti methodo munita, ac in fortalitium regium redacta sit.

In hujus igitur decreti executionem, cœpta sunt nova exstrui munimenta, & mœnia: quod opus post diuturnum annorum spatium additis etiam propugnaculis, quæ a semiformi Luna vulgo nomen habent, aliisque exterioribus, eo nunc deductum, ut non tantum Reipublicæ *Lucensis* apud alios Principes existimationem & famam reddiderit majorem, sed & urbi ipsi, maximæ, & munitissimæ in *Europa* urbis Regiæ nomen pepererit.

Ann.1594. Finiit *Luca* ultimas sæculi xv. salutis nostræ periodos absque ullo incommodo, aut publica ulla vexatione; excepto eo periculo, cui proxima fuit, per proditionem contra ipsam à *Bernardino Balthassaris Antelminelli*, cive suo.

Is omnibus honoribus, magistratibusque Reipublicæ exclusus; plures enim ante annos in multorum ejus criminum ea ipsi irrogata fuerat pœna: ira, ac invidia accensus in alios cives Reipublicæ studiosos locum dedit animi sui hisce passionibus & multo magis ambitioni, qua sibi imaginabatur, restituere sceptrum antiquum *Castrucciorum* & priscam prosapiæ *Antelminellæ* magnitudinem (si tamen ab ea ortum trahebat familia, quoniam putarunt multi, *Balthassarem* se supposititie in eamdem introduxisse:) quæ phantasmata, magis, ac magis in ejus perverso animo ebullientia, somniare illum fecerunt nescio quasdam prætextas rationes ambiendi Reipublicæ Dominium. Et forsan aliquem invenissent locum apud unum, vel alterum Principem; nisi dum ipse *Genuæ* morabatur, (sub mercaturæ prætextu, & tractatui finem imponere curabat) Notarius quidam urbis de contentis instrumenti, quod ut ipse confirmaret, rogabatur, secretum, vel illius bonam partem Reipublicæ *Lucensi* revelasset (tempore equidem eo, quo ea ob alia indicia in id inquisitiones faciebat). Ad petitiones Reipublicæ sub bona custodia captivus ductus fuit *Lucam Antelminellus*, una cum filio suo; & cecidit subito machina non bene fundatorum consiliorum, ac in Auctorem versa fuit: Qui crimen fassus cum filio *Arrigone* capite plexus fuit.

Eamdem luerunt pœnam, sequenti anno, duo alii ejus filii *Lælius*, & *Scipio*, (quarto, ac majore natu filio fugam in *Angliam* elapso) omnes paterni criminis complices convicti (supposita igitur imaginaria à *Bernardino* descendentia) fine miserando, ac ignominiosa Catastrophe, extincta, atque in nihilum redacta est illustris, ac celebris *Antelminellorum* prosapia, quæ antiquissima ab Anno CM, temporibus felicioribus, virtute *Castruccii*, ascenderat ad Dominium non tantum *Lucæ*, sed & majoris fere *Etruriæ* partis.

Hic finiunt *Chronica*, & historiæ manuscriptæ omnes urbis *Lucæ*; & hic pariter sistit penna mea, tum quia diuturno, ac non interrupto volatu, vastum & ultra quadraginta sæculorum peregit cursum, tum quia ei deficit materia; spatio enim duodecim lustrorum, quæ supersunt, nihil invenitur notatu dignum, quod mutaverit, aut alterarit gubernium politicum Reipublicæ. Cujus unica ratio est, quod ipsa per Legem servatur, quam ab initio sibi ipsi imposuit. Quippe præsens sæculum usque ad hoc tempus fuisse ferocissimum, immo præ aliis abundasse prodigiosis, horridisque variationibus, ac deplorandis Catastrophis, negari non potest. Hoc tempore Theatrum

A mundi exhibuit deprædationes, excidia urbium celebrium, & copiosarum incendia, Provinciarum vastationes, mutationes, & subversiones Statuum, digressiones, & suppressiones Regnorum, novas exsurgentes Respublicas, nova Gubernia, novos Thronos, novosque Principatus, prælia & bella plurima, quæ agros cadaveribus repleverunt, & sanguine inundarunt. Vidit quoque eodem tempore *Europa*, se fere totam mortiferis incendiis bellorum exteriorum, & civilium involutam, Populos seditiosos tumultuantes, ministros perfidia plenos, subditos contra suos principes, & supremos rebellantes. Adeo ut posteri horum temporum historias legentes potius eas pro fabulis, &
B figmentis sint reputaturi, ubi accipient Regem factum esse reum, & reum læsæ majestatis propriorum suorum subditorum; atque ex sententia ab ipsis lata publice capite plexum; vilemque piscatorem discalceato pede seminudum, arundine in sceptrum mutata, sese populi arbitrum reddidisse, legesque urbibus, Regnisque integris tulisse? Sed quid? Inter tot universales flammas, convulsiones, & revolutiones, *Luca* (licet a communibus malis exempta haud fuerit, & revera etiam incommodis variis tam publicis, quam privatis vexaretur) a divina nihilominus protecta gratia, ac providen-
C tia salvam & incolumem servare valuit Libertatem; absque corruptione aut notabili agitatione publicam quietem, & tranquillitatem, ac tandem absque notabili alteratione politicum suum custodire statum. hoc autem verum esse sequentia docent.

Armorum motus, quibus Anno MDCXIII. involuta erat Respublica contra *Cæsarem ab Este* Ducem *Mutinæ*, ob suorum subjectorum defensionem, ac conservationem proprii Dominii; paucorum mensium spatio repressi, ac sedati fuêre per prudentiam ac rationes Status fundamentales, quæ Rei publicæ Rectores obstringebant ad conformandos se faciei rerum tum obtinentium. Ann.1613.

Turbæ, & discordiæ, primum ortæ, cum *Alexandro Guidicciono*; dein, cum Cardinale *Franciotto* utroque Episcopo *Lucensi*, quæ quasi tempestuosæ nubes tentarunt serenam Cœli *Lucensis* tranquillitatem obtenebrare, ipsæ quoque à calidis radiis Christianæ pietatis, & zelo boni publici (omni privata utilitate posthabita) dissolutæ, ac prorsus dissipatæ fuerunt. Ann.1609. Ann.1639. Ann.1640.

Annonæ caritas anno MDCXXI, pestis anno MDCXXXI, alii morbi contagiosi anno MDCXLVIII, & MDCXLIX, tantum abfuerunt ut corrumperent publicam tranquillitatem: ut eamdem potius firmiorem redderent. Occasionem enim præbuêre Senatui geminandi in subditis amorem erga Rempu-
E blicam; dum e publico ærario generose pauperibus, majorique plebis parti in calamitatibus iis subveniret, & præsertim universali quadraginta dierum exacta separatione, ut hac pestifera eradicata lue, urbs, & Status pristinæ restituerentur sanitati. 1621. 1631. 1648. 1649.

Cum paucis abhinc annis, quidam turbido suo motus ingenio, & regimini minus favens, ausus esset concipere & prodere seditiosa quædam consilia, & machinationes pro excitandis turbis, nullis aliis nixus fundamentis, nisi propria imaginatione perversa, atque corrupta a passionum
F phantasmatibus, sat cito solvit pœnas, sublatus e terra, (quæ ejusmodi cogitationes suppeditaverat) in publico spectaculo, proprio damno alios docens, non tantum cogitationes, sed & ipsa somnia Principibus & regimini adversa, mortis esse rea, & ab illis, qui talia fovent, proprio cruore luenda. Ann.1656.

Cum ob controversiam quamdam de limitibus in regione montana, (paucis abhinc annis) arma fere fuissent capienda a Republica, contra Principem *Massæ*, eodem ferme tempore evanuit tem- Ann.1657.

tempestas ea; prudentia quippe Senatus qui eorum temporum circumstantias & inde sequutura considerabat, repressit audaces spiritus eos, qui sæculo præcedenti eamdem urgebant causam, & opportune utebatur interpositione, quam Princeps potentior susceperat, quæ hanc sustulit dependentiam, liberum faciens suarum rationum arbitrium eidem Principi Mediatori. Ann.1660.

Et cum tandem nimia quorumdam civium nobilium potentia, aliæque non parvi momenti confusiones, quæ in administrationem regiminis irrepserant, postremo obligarent Rempublicam ad novam, (contra dissolutos, & inobedientes) Legem, (*del Discolato*) ferendam, qua sancitum fuit, ut decem proximis sequentibus annis Excellentissimi Domini prædicti sub pœna perjurii, & jactura honorum quolibet bimestri proponerent semel legem istam contra inobedientes; & quicunque determinatis viginti schedulis ter nominaretur; tertia vice absque alia inquisitione, aut suffragiis haberetur, & renuntiaretur inobediens, & eo nomine teneretur ad observationem decreti ut inobediens, ad tres annos subeundam intra vigintiquatuor horarum spatium.

A Ista lex non solum huc usque non mutavit Regimen politicum, nec corrupit publicam tranquillitatem (ut quidam ab initio metuebant) sed instar Antimonii optime præparati à prudentia, moderamine, & sincero boni publici studio, correxit, ac pristino restituit æquilibrio ingenia, vividam & vigentem reddidit libertatem, omniaque tandem produxit optima.

Ista sunt (breviter & citato calamo exhibita) notabiliora anni MDCLX: si autem curiosus Lector plenius eadem perspicere cupit, curiositati suæ satisfacere poterit lectione voluminum duorum monumentorum meorum historicorum præsentium temporum (quæ manuscripta hucusque circumferuntur) in quibus major earum pars recensetur, & descripta est. B

Finem igitur impono compendio vicissitudinum, mutationum, ac alterationum, quæ tam frequentes fuere, quam graves, urbis *Lucæ*; Patriæ tam inclytæ, quam dignæ, precatus Principem, ac supremum motorem eum, qui, *immobilis manens dat cuncta moveri*, ut firmitatem servet ac constantiam religionis, libertatis, eamque faustam, qua nunc fruimur, Regiminis tranquillitatem.

FINIS.

INDEX
NOMINUM ET RERUM
NOTABILIORUM.

Bar-

EMENDANDUM
Pag. 1. lin. 2. lege,
MONUMENTORUM,

F I N I S.

GAUGES DE GOZZE,
Pisauriensis,

DE

INSCRIPTIONE COLUMNÆ ROSTRATÆ,

Olim in

FORO ROMANO,

DISSERTATIO:

Quæ C. Duillio Consuli, ob victoriam, quam primus a classe Carthaginiensi reportavit, aliaque egregie ab eo gesta, erecta, cujus inscriptio ab NOSTRO AUCTORE suppleta & illustrata.

Ex Italico Latine vertit

ABRAHAMUS PREIGERUS.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.



ABRAHAMI PREIGERI PRÆFATIO.

ACcedit hoc loco, Erudite Lector, ad *Petri Ciacconii*, & *Onuphrii Panvini*, in Columnam Rostratam Commentationes, & *Gozzii* Dissertatio, non illa quidem nunc demum lucem aspiciens, sed novo habitu, hoc est, ut commodis tuis eo magis inserviat, ex Italico in Latinum conversa sermonem.

Post tantos, totoque Orbe tam celebres Viros, quorum alter in peculiari Dissertatione, alter in Commentarii sui *de Triumpho*, capite secundo, uterque suo loco, in Thesauro *Antiquitatum Romanarum*, videri potest, idem haud infeliciter argumentum sibi sumpsit Auctor noster. Sed vero de re tota penes Te judicium esto, qui Triumviros hosce, explanandæ, ut ita dicam, *Inscriptionis Duillianæ*, facili jam negotio inter sese conferre, atque adeo, quid & Noster præstiterit, æstimare poteris.

Quumque non Inscriptionis, ut exstat, solum, sed & fracti lapidis, unde excepta est, quam accuratissimam nobis ex *Gassendo* delineationem suppeditaverit Vir Incomparabilis, in sua ad Tomum quartum modo laudati Thesauri Præfatione, nemo, ut opinor, amplius quippiam jure desiderabit, quominus æquo hisce animo fruatur, aut plene sibi satisfactum putet. Vale.



ILLUSTRISSIMO, AC PLURIMUM REVERENDO DOMINO, ET PATRONO MEO, IN PRIMIS COLENDO,

DOMINO,

NICOLAO FABRO,

PEIRESCII, ET CALÆ DOMINO, BARONI RIANSII, ABBATI GUISTRIÆ, NEC NON REGI CHRISTIANISSIMO, IN PARLAMENTO SUÆ PROVINCIÆ A SECRETIS.

FErox Tempus est: sacrilega manu templa Cœlo dicata violat: imperioso nutu monumenta virtuti triumphantium, bellatorum erecta diruit: barbaris ejus viribus tenerum marmor, fragile metallum est. Duillius, *qui in aquarum volubilitate, propria virtute laudum suarum BASIM stabilivit, injuria ab eo affectus, super Capitolii soli-*

 ditate,

ditate, tantum non exstinctam triumphorum suorum memoriam videt: quæ quoniam forti nunc calamo restaurata est, metu, ne denuo aliquid detrimenti capiat, me curante sub felicissimis Illustrissimi Nominis tui auspiciis prodit in publicum. Non dubitavi de tot aliis Te eligere Protectorem, cui (ut a Nobilissimo D°. Gualdio *mihi significatum est) pro singulari quo traheris erga antiquitates amore, & incredibili tua in eruendis, non minus ex terræ visceribus, quam imperitorum barbareque tractantium manibus id genus rebus diligentia, magnanimaque liberalitate, optime hocce Opusculum convenire mihi visum est. Accedit, quod Auctor glorioso* Gallorum *Nomini singulari studio deditus (utpote qui ab eadem stirpe originem trahat, unde* Seraphinus de' Gozzi, *qui vitam suam in tam bellicoso ac florido Regno,* Francisco Primo *sempiternæ memoriæ addixerat, missus ab eo haud simplici vice in summis istius Regni discriminibus Legatus* Constantinopolim, *ad gravissima cum* Solimanno Turcarum *Imperatore negotia pertractanda) maximo id opere petiit, ut hic labor suus vitam ac lucem ab æternitate atque splendore Nobilissimi alicujus* Galli *acquireret. Ipse autem utendum mihi duxi hac occasione, ut quam humillime tibi offerrem operam meam, quæ & ipsa, fundamenti vice, tanquam BASIM, sapientiæ tuæ virtutem desiderat, & ornamenti loco, benevolentiæ tuæ titulum præferre gestit, ad erigendam, non* Duillii, *sed fortunæ meæ statuam, cui nihil a Tempore metuendum erit damni, dum ab Illustrissimi Nominis tui virtute defenditur.* Duillius *in Capitolio applausus recepit suos, ego vero* Romæ *ob* Duillium *a te meos exspecto honores. Accipe igitur, Illustrissime Domine, hæc Maris perdomiti monumenta, neque gravare, post naufragium hujus Basis, ab annorum tempestatibus confractæ, me ipsum quoque una cum istis tabulis in portum eximiæ tuæ humanitatis recipere, quippe cui illas, ut ita dicam, votive quasi suspendo, subscriptoque nomine meo, Illustrissimum tuum veneror, eique omnem felicitatem quam possum humillime atque officiosissime comprecor.* Romæ XXV. Aprilis CIƆ IƆ C XXXV.

Illustrissimi, plurimumque Reverendi Nominis tui

Humillimus Addictissimusque Cultor

PHILIPPUS DE' ROSSI.

AD LECTOREM.

ETsi Medicus factus Tibi videor, insanabilum plagrarum, Marmoribus Æternitati a Magnificentia Romana dicatis, a Tempore illatarum, non tamen de illorum numero sum, qui vitam infirmorum periclitantur, ut scientiæ suæ experimentum capiant. Ope utor illorum, qui freti argumentis suis optime cognoverint jam ante me, quibus malum medicamentis egeret, non debemus gloriam, magnis ingeniis debitam involare, ingenuitas scriptoris est, non celare accepta beneficia: *Petrus Ciaconius*, & Pater *Panvinus*, viri in rerum antiquarum cognitione singulares, & excellentes poli usum mihi præstitere; a duabus hisce sphæris motum sumpsi. Æqui bonique consule, Lector humanissime, meas hasce curas, si non mei causa, saltem *Duillii* Triumphantis. Vale.

EN-

In Lode Dell' Autore.

DEL SIGNOR CAVALIER

PIERFRANCESCO PAOLI DA PESARO.

Tutto sconvolve il Tempo. E' van de l'armi,
Che fiero ei vibra, il cercar segni altrove,
Se co' suoi colpi ad onta anco di Giove
Ferisce audace in Campidoglio i marmi.

Tu di Palla Guerrier contro lui t'armi,
E la COLONNA, in cui vanta sue prove,
Risani sì, che i fregi in lei rinove:
Pensier ben degno a destar Pindo a i carmi.

Penna immortal, che sai per bel trofeo
Emola de' scarpelli ogni ferita
Sanar de' marmi, e dar gloria al Tarpeo.

Godasi pur per Greca Creta ardita
Trà le sue pietre antico vanto Orfeo;
Una COLONNA a la tua fama è vita.

Risposta Dell' Autore.

AL SIGNOR CAVALIER

PIERFRANCESCO PAOLI.

AI trionfi del Tempo, a i morsi, a l'armi
PAOLI, m'oppongo audace; e non altrove
Bramo appender le spoglie opime a Giove,
Che'n Campidoglio, ou' ei fa guerra a' marmi.

Dritto è ben, che di Palla un guerrier s'armi,
(Oh fossi io tal) che con lodate prove
Vendichi il padre offeso, e che rinove
Memorie infrante, e fulminati carmi.

Ma di troppo alto ardir spesso è trofeo
Vergognosa caduta, o rea ferita;
Hebbe i suoi precipitii anco il Tarpeo.

E se quivi cadrà mia penna ardita,
Spero trovar per te novello Orfeo
Ne le proprie rouine eterna vita.

AUCTORES

In hoc opere allegati.

A.

Aelianus.
Agellius.
de gl. Albizzi. (*Franciſchinus*)
Aleander. (*Hieronymus*)
Aligerius. (*Dantes*)
Apollo. (*Horus*)
Apollodorus.
Apollonius Rhodius.
Appianus, Hiſtoricus.
Appianus, Mathematicus.
Athenæus.
Auguſtinus. (*Antonius*)
Auſonius.

B.

Bayſius. (*Lazarus*)
Boccacius.
Bonaguida. (*Loffus*, ſive *Noffus*)
Bonaventura. (*Urbiccianus*)

C.

Cæſar.
Caſaubonus. (*Iſaacus*)
Cato.
Ciacconius. (*Petrus*)
Cicero.
Cittadinus. (*Celſus*)
Claudianus.
Cluverius.
Coſtedutus.
Cynus.

D.

Diodorus Siculus.
Dionyſius Halicarnaſſeus.

E.

Ennius.
Entius Rex.
Eutropius.

F.

Federicus Imperator.
Feſtus.
Florus.
Folcachierus Folcachieri.

G.

Gianni. (*Lapus* ſive *Lupus*)
Gualtherus. (*Georgius*)

H.

Hellanicus.
Hirtius.
Honeſtus. (*Ser*)

L.

Lambinus.
Livius.
Lucianus.
Lucilius.
Lucretius.

M.

Macrobius.
da Majano (*Dantes.*)
Manutius (*Aldus.*)
Mazonius, ſive Mazochius.
Meſſala. (*Jacobus*)
Minutius.
Moccata. (*Bartholomæus*)
Myrſilius Lesbius.

N.

Notarius.

P.

Panvinus. (*Onuphrius*)
Petrarcha.
Philoſtephanus.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Pontanus.

Q.

Quintilianus.

R.

Rabbi Salomon.
Rycquius. (*Juſtus*)

S.

Salluſtius.
Serenus Sammonicus.
Servius.
Silius Italicus.
Sirmondus. (*Jacobus*)
Strabo.
Suetonius.

T.

Tacitus.

V.

Varro.
Ubertus. (*Facius*)
Victorinus.
de Vineis. (*Petrus*)
del Viva. (*Frà Guido*)
Virgilius.

X.

Xenophon.

Imprimatur ſi videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

A. TORNIELLUS VICESG.

IL *Reverendiſſimo P. Maeſtro del Sacro Palazzo* Fr. Niccolò Riccardi, *in commettermi l'Opera della Colonna Roſtrata di Duillio ſupplita dal Sign.* Gauges de' Gozze da Peſaro, *ha voluto aſſicurare il mio giudicio; poiche non vi è coſa, che alla Religione, alle Leggi, od al Coſtume ſia di pregiudicio. Anzi il Componimento, a prò de' Letterati, è nella favella accurato, e nella ſpoſitione erudito; e come è nobil memoria di Cavalier Romano, così è degno, che in Roma ſi publichi alla memoria de' Cavalieri, e del Mondo.*

JO OTTAVIO TRONSARELLI mano propria.

Imprimatur

FR. HYACINTHUS LUPUS Magiſter, & Socius Reverendiſſ. P. FR. NICOLAI RICCARDI, Sacri Palatii Apoſtolici Mag.



GAUGES DE GOZZE DE INSCRIPTIONE COLUMNÆ ROSTRATÆ DISSERTATIO.

Fragmentum Inscriptionis Columnæ Rostratæ cum supplemento Gauges de Gozze, Pisaurensis.

C. DVILIOS. F. M. M. N. COS. ADVORSO. CARTACINIENSIS. IN. SICELIAD

REM. CERENS. AICESTANOS. COCNATOS. POPLI. ROMANI. ARTISVMAD

OBSEDEONED. EXEMET. LECIONES. CARTACINIENSIS. OMNEIS

MAXIMOSQVE. MACISTRATOS. LVCEIS. BOVEBOVS. RELICTEIS

NOVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACELA. MOENITA. VRBEM

PVCNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM. MACISTRADOD. PROSPERE

REM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. CESET. REMECOSQVE

CLASESQVE. NAVALES PRIMOS. ORNAVET. PARAVETQVE. DIEBOVS. LX

CVMQVE. EIS. *NAVEBOVS. CLASEIS. POENICAS. OMNEIS. PARATASQVE

SVMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRAESENTED. MAXIMOD

DICTATORED. OLOROM. IN. ALTOD. MARID. PVCNANDOD. VECET. XX

XIQVE. NAVEIS. CEPET. CVM SOCIEIS. SEPTERESMOSQVE. DVCIS

QVINRESMOSQVE. TRIRESMOSQVE. NAVEIS. XX. DEPRESAI

AVROM. CAPTOM. NVMEI. CIↃ. CIↃ. CIↃ. DↃↃ.

ARCENTOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ

CRAVE. CAPTOM. AES. CCCIↃↃↃ, CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ.

CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ.

CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. P.

TRIOMPOQVE. NAVALED. PRAEDAD. POPLOM. ROMANOM. DONAVET

CAPTIVOS. CARTACINIENSIS. INCENVOS. DVXET. PRIMOSQVE

CONSOL. DE. SICELEIS. CLASEQVE. CARTACINIENSEOM. TRIOMPAVET

OB. ASCE. RES. S. P. Q. R. COLOMNA. IN. FORO. POSEIVEIT.

* In hac voce literæ O & V sibi invicem erant implicatæ.

Inscriptio Columnæ Rostratæ versa in linguam ævi Ciceroniani.

C. Duilius M. F. M. N. COS. adversum. Cartaginienses. in. Sicilia
rem. gerens. Aegestanos. cognatos. Populi. Romani. artissima
obsidione. exemit. legiones. Cartaginienses. omnes
Maximusque. Magistratus. lucis. bovibus. relictis.
novem. castris. effugiunt. Magellam. munitam. urbem
pugnando. cepit. inque. eodem. magistratu. prospere
rem. navibus. mari. consul. primus. gessit. remigesque
classesque. navales. primus. ornavit. paravitque. diebus. LX
cumque. eis. navibus. classes. Punicas. omnes. paratasque
summas. copias. Cartaginienses. præsente. Maximo
Dictatore. illorum. in. alto. mari. pugnando. vicit. XX
xique. naves. cepit. cum. sociis. septiremibus. ducis
quinqueremibusque. triremibusque. naves. XX. depressæ
aurum. captum. nummi. clↃ. clↃ. clↃ. DCC.
argentum. captum. præda. nummi. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ.
grave. captum. aes. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ.
ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ.
ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ. ccclↃↃↃ.
triumphoque. navali. præda. Populum. Romanum. donavit
captivos. Cartaginienses. ingenuos. duxit. primusque
Consul. de. Siculis. classeque. Cartaginiensium. triumphavit
ob. hasce. res, S. P. Q. R. Columnam. in. Foro. posuit.

Vide TAB. fig. I.

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM N. N.



INnumerabilibus, quibus devinctus Tibi sum, nominibus adducor, ut & Tuus ex animo in perpetuum esse velim, & id agam, ut quoad possum, indicium aliquod edam, quo manifestum Tibi saltem fiat ingens, quo teneor, desiderium præstandi me non usque quaque benevolen-
2 tia Tua indignum. Eo itaque animo cum maxime Tibi offero tam exspectatam illam, desideratamque Tibi Inscriptionem Basis Columnæ Rostratæ, a me reconcinnatam, ac suppletam, una cum tantorum Tuorum de me meritorum prædicatione publica: quumque a me jure etiam postules, ut circa Inscriptionem illam aliquid ad Te scribam, non alia benevolentiæ captatione prævia, aut eruditionis ostentatione adhibita, solummodo ut dicto Tibi obedientem me habeas, breviter dico;

Linguam Latinam, sicuti & cæteras omnes, excepta Hebræa, sæpius commutasse, ac variasse vocabula, & formas loquendi, & verborum terminationes, & vocum sonos, ingressamque identidem nova tempora, usum quoque quarundam litterarum innovasse, & alteram pro altera substituisse, non solum in vocalibus, sed & in consonantibus; denique aliter hoc, aliter alio tempore nominaque & verba terminasse, atque
Polyb. lib. III. inflexisse: adeo ut *Polybius*, probatissimus auctor, tantam sua jam ætate Linguæ Latinæ factam mutationem scribat, ut dictiones complures, in primo inter *Romanos*, & *Carthaginienses* fœdere comprehensæ (quod factum primo a Regibus exactis anno est, *L. Junio Bruto*, *P. Va-*
3 *lerio Publicola* COSS.) vix intelligerentur ab antiquitatum studiosis, iisque vel litteratissimis; adeoque veniam petat, si quas ipse fortasse non fuisset interpretatus satis convenienter; quum tamen non nisi CCL. anni interlapsi essent. Jam vero quantam mutationem Linguam Latinam deinceps subiisse credendum est, a *Polybii* ad *Livii* tempora, quos inter alteri ducenti anni elapsi sunt? præsertim, quum *Romanis* cum pluribus, iisque diversis Barbarorum nationibus commercium continuo intercesserit. Et id ipsum, quod
Agell. lib. I. cap. 10. hic dico, *Agellius* fortasse voluit, ubi in *Noctibus* suis refert, *Favorinum* Philosophum graviter
Macrob. lib. I. Saturn. cap. 5. aliquando adolescentem quemdam objurgasse, ut ineptum veterum verborum amatorem, qui in quotidianis, communibusque sermonibus pleras-

A que voces obsoletas, jamque prorsus inusitatas, priscas, ac nemini intellectas amplius, voluptatis causa usurparet: addita admonitione *Curium*, *Fabriciumque*, & *Coruncanum*, antiquissimos *Romanos*, & hisce antiquiores tres fratres *Horatios* plane semper ac dilucide cum suis fabulatos esse, neque *Auruncorum*, aut *Sicanorum*, aut *Pelasgorum*, 4
qui primi incoluisse *Italiam* dicerentur, sed ætatis suæ verbis usos. Ubi notandum *Favorini* tempore jam extitisse voces priscas, quas *Romæ* aut nemo, aut paucissimi intelligerent: Possetque, ut ita dicam, vel manibus palpari, ope Auctorum, Inscriptionumque antiquarum in mar-
B more, aliave materia, quam mutationem de die in diem Lingua Latina subierit, ad supremum usque occasum suum, non dico obitum, nam revera non nisi in viva voce mortua est, in libris vivens vigensque conservatur.

Antiquissimum autem Linguæ Latinæ monumentum, quod in hunc usque diem reperiri potuit, scriptumque exstat, titulus est hujus Columnæ Rostratæ, quæ in Foro *Romano* (hodie *La Piazza*) *C. Duillio*, Consuli erecta est, ob victoriam, quam a classe *Carthaginiensi* reportavit primus, aliaque egregia ejus facta; quod anno ab Urbe Condita CCCCXLVI. contigit. Exstat iste titulus in Basi marmorea, cui Columna
C quam dicimus, imposita fuisse debet. Basis autem (quæ undique detrita, inque plures partes confracta ac dilacerata est per temporis, ac ruinarum injuriam, adeo, ut non solum scripturæ principium ac finis, sed & multa verba hic illic desiderentur, uti præsens ipse vidisti haud dubie, 5
& hoc a me reconcinnatum exemplar ostendet) annis abhinc quamplurimis, a fodientibus terram reperta est, paullum ultra Imperatoris *Septimii Severi* Arcum triumphalem, proxime fere Columnam illam solitariam, quæ superstes adhuc visitur e regione Ecclesiæ *S. Adriani*, cognominatæ *in tribus Foris*, quoniam media inter Forum *Roma-*
D *num*, ab *Augusto* adjectum, & Forum *Trajani*, & Forum *Nervæ* Imperatorum, posita est, postea Populus *Romanus* eam restaurandam, ibique collocandam curavit, ubi præsenti tempore conspicitur, ad exordium sive pedem graduum Palatii Dominorum Conservatorum, in Capitolio *Romano*, tanquam rem pretiosam, uti revera est.

Versus, quos hic cernis descriptos, partim litteris grandioribus, partim minoribus, integram Co-



Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.
Fragmentum Rostri.

Fragmentum Rostri.




Fig. 4.

Pars Dextra.



Pars Sinistra.



Columnæ Inſcriptionem continent. Grandiores, Inſcriptionis antiquæ, ut ita dicam, reliquiæ ſunt: minores ſupplementum conſtituunt conceptum a me eo potiſſimum modo, quo ſcriptum fuiſſe, mihi perſuadere potui, quum integra eſſet, adhibitis iis præſertim adminiculis, quibus eamdem ſupplerunt ac reconcinnarunt *Petrus Ciacconius*, Nobilis *Toletanus*, & Frater *Onuphrius Panvinus*,
6 ambo cognitione rerum antiquarum excellentes, ſummeque litterati; atque ita etiam in conſilium mihi advocavi multorum Auctorum, de antiquitatibus *Romanis*, qua *Græcorum*, qua *Latinorum*, ſcripta, præprimis autem opem mihi tulere Marmora Faſtorum, Triumphorumque veterum, quæ circa idem tempus in Capitolio reperta ſunt, & eodem fere loco, quo Baſis noſtra; Quorum dictaturam credibile eſt fuiſſe opus *Verrii Flacci*, nepotum *Augusti* in Grammaticis magiſtri, narrante *Suetonio*, de *Illuſtribus Grammaticis*. Ipſa porro inſcriptio, ut plene curioſitati Tuæ ſatisfiat, reddita a me de verbo ad verbum eſt, quam potui aptiſſime, in linguam ævi *Ciceroniani*, ut pateat, quanta ſit inter diverſi temporis linguas variatio. (Suet. de Clar. Gr.)

De antiquitate hujus Inſcriptionis inter Litteratos valde dubitatur. *Celſus Cittadinus*, *Senenſis*, vir admodum in rebus antiquis verſatus, putabat non eſſe antiquam, nimirum, non ob modum loquendi, ſcribendive, hoc eſt, ob orthographiam, ſed ob lapidem, cui inſculpta atque inſcripta cernitur, & formam characterum; eratque (Celſ. Cit. ibid.)
7 opinio ejus fundata in voce NAVEBVOS, quæ V & O ſibi invicem implicatas habet: exſtitiſſe autem a principio in alio ſaxo, poſt incidente caſu quopiam, ſive temporis vetuſtate, ſive ab incendio ac ruina (quod Capitolium cum vicinis ædificiis, bis ſubiit, primo *Syllæ*, deinde *Vitellii* temporibus) ex parte, vel undiquaque etiam læſam, inferioribus Reipublicæ, Imperatorumve temporibus reſtauratam, & eum quidem in modum, quo hodie cernimus; Artificem vero, cui litteras inſculpendi negotium datum fuerit, etiamſi haud dubie antiquæ Inſcriptionis exemplar ante oculos haberet, tamen communis ætati ſuæ ſermonis uſu vigenti florentique occœcatum, dum tantiſper aliud agit, ſcripſiſſe NAVEBVS pro NAVEBOS, quumque non alia melior erroris emendandi ratio ſuppeteret ſculpſiſſe O intra V, uti hic repræſentatum Tibi cernis. Recta hæc eſt opinio, ſed fundamentum ejus parum ſolidum; ſimiles enim litterarum implicationes in aliis quoque Inſcriptionibus antiquis occurrunt, uti videre eſt in ſequenti inter alias multas, quæ in *Sicilia*, *Agrigenti*, urbe hodie *Gergento* dicta, oſtenditur, parieti cuidam, in Foro iſtius Urbis, immiſſa, atque ita habet: (Hieron. Aleander. Antiq. Inſcript. explanat.)

8 CONCORDIAE AGRIGENTI
NORVM △ SACRVM
RESPVBLICA LILYBITANO
RVM: DEDICANTIBVS
M. HATERIO CANDIDO PROCOS
ET L. CORNELIO MARCELLO Q̄
PR PR

Ubi in voce PROCOS litteræ O & C ſibi invicem implicantur; deinde non debet dici NAVEBOS, ut ille putat, ſed omnino NAVEBOVS, ut colligere datur ex iis, quæ ſcribit *Victorinus*, his verbis: *Noſtri quoties ejuſdem ſoni longa ſyllaba* (Victorin.)

A *ſcribenda eſſet*, *& ipſi V adjungebant O litteræ*, *inde ſcriptum legitis loucetios*, *nouncios*. Meliori vero cum ratione dicitur, marmorum extraneorum uſum, *Plinio* teſte, *Romæ* non apparuiſſe ante annum DCLXXVII. ab Urbe condita, marmor autem hujus Inſcriptionis non videri antiquum, aut ævi ſaltem *Duilliani*, quod marmor Græcum ſit, ac *Duillius* Conſul fuerit anno CCCCXCIII. reliquæ vero Inſcriptiones ac ſtatuæ antiquæ, ad iſta circum circa tempora referendæ, omnes reperiantur eſſe ex *Tiburtino*, ſeu lapide domeſtico, ac ſpeciatim ex quodam *Ti-* 9 (Plin.)
B *burtini* lapidis genere, quod in agro *Hortenſi*, *Tiburtino*, *Columnenſi* (apud Oppidum, cui *Columna* hodie, olim *Gabii*, ut creditur, nomen fuit) *Senenſi*, & *Albano*, aliiſque locis exciditur, a marmore non multum differens. *Plinius* autem, capite primo libri XXXIV. ubi de primis marmoribus peregrinis, quæ *Romæ* unquam conſpectæ ſint, agit, hæc verba ſcribit: *Mirumque mihi videtur*, *cum ſtatuarum origo tam vetus in Italia ſit*, *lignea potius*, *aut fictilia Deorum ſimulacra in delubris dicata*, *uſque ad devictam Aſiam*, *unde luxuria*, *&c.* (Plin. lib. XXXIV. cap. 1.)
Quod ducentis fere annis poſt *C. Duillium* factum eſt. Et capite primo libri XXXVI. rem
C prope portentoſam a Majoribus reputatam dicit, *Alpes* ab *Hannibale* exſuperatas (quot triginta annis a *Duillii* victoria contigit) & poſtea a *Cimbris*, quod annis circiter CLX. poſt *Duillium* factum eſt, ſuo autem tempore ipſas cædi in mille genera marmorum; & capite tertio ejuſdem libri, ut & capite primo libri XVII. dicit, *L. Craſſium*, Oratorem primum fuiſſe, qui in domo ſua columnas haberet, e marmore peregrino, cum in publico nondum eſſet ulla talis columna. Atqui *Craſſus* jam *M. Bruti* demum ætate floruit, 10 (Idem, lib. XXXVI. C. 1. Idem, lib. XXXVI. Cap. 3. & XIV. cap. 1.)
D qui cum ob id *Venerem Palatinam* appellare geſtiebat: Characteres profecto Inſcriptionis noſtræ videri queant non eſſe antiqui, ſive ævi *Duilliani*, qui valde ab hiſce diverſi (credo) forent, quippe majorem ad ſummum haud præ ſe ferunt antiquitatem, quam ævi *Ciceroniani*, paullove ſuperioris, & legiſſe memini apud *Quintilianum*; ubi de Orthographia loquitur, hæc verba: *Verum Orthographia quoque conſuetudini ſervit*, *ideoque ſæpe mutata eſt*. *Nam illa vetuſtiſſima tranſeo tempora*, *quibus & pauciores litteræ*, *nec ſimiles his noſtris*, *earum formæ fuerunt*, *& vis quoque diverſa*. (Quintil. lib. I. Cap. 7.)
E Ad reliqua jam progredientibus multa in hac Inſcriptione, Orthographiam ſpectantia, notanda veniunt; & primo quidem: in nulla dictione geminatam occurrere conſonantem, uti videre eſt in CLASES, in SUMAS, & in NVMEI. Et hoc inde eſt, quod, ut ſcribunt *Quintilianus* ac *Feſtus*, apud Veteres in uſu fuiſſe, ut nuſpiam inter duas vocales conſonantes ſemivocales geminarent. *Semivocales*, inquit *Fabius*, *non geminare*, *diu fuit uſitatiſſimi moris*: *atque e contrario uſque ad Accium*, *& ultra porrectas ſyllabas*, *geminis*, 11 *ut dixi vocalibus ſcripſerunt*. Idque videre eſt in (Feſtus. Fab. lib. I. cap. 7.)
F Inſcriptione, paucis ab hinc annis *Romæ* reperta, quæ hic illic noſtram hanc illuſtrare poterit, atque hæc eſt.

HONC. OINO. PLOIRVME. COSENTIONT. R
DVONORO. OPTVMO. FVISE. VIRO
LVCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBATI
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FVET. A
HEC. CEPET. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE
DEDET. TEMPESTATEBVS. AIDE. MERETO.

In linguam autem probati ævi hoc modo redditur: (Jac. Sirmon. Hieron. Aleander, Antiq. Inſcript. explan.)

NVNC. VNVM. PLVRIMI. CONSENTIVNT. ROMAE
BONORVM OPTIMVM. FVISSE. VIRVM
LVCIVM. SCIPIONEM. FILIVS. BARBATI.
CONSVL. CENSOR. AEDILIS. HIC. FVIT. AFRICANVS
HIC. CEPIT. CORSICAM. ALERIAMQVE. VRBEM
DEDIT. TEMPESTATIBVS. AEDEM. MERITO

Idem cernitur in illa, quæ ad hunc usque diem parieti Hospitii *Pollensis*, immissa exstat, ad amnem *Tanagrum*, vulgato nomine *Il Negro* dictum, in *Lucania*, *Basilicata* hodie, ad introitum *della Valle di Diano*, qui *Plinio* est *Campus Atinas*, recensita ab *Appiano*, *Mathematico*, in libro suo, *de Sacrosanctæ Urbis vetustate*, fol. 104. inde eam descripsit *Aldus Manutius*, aliique recentiores, sed corrupte omnes, non juxta id quod cernitur; ea infra scripti tenoris est:

12

Appian.

Ald. Manut. Inscr.

VIAM. FECEI. AB. REGIO. AD. CAPVAM. ET. IN. EA. VIA
PONTEIS. OMNEIS. MEILIARIOS. TABELARIOSQ.
POSEIVEI. HINCE. SVNT. NOVCERIAM
MEILIA. LI. CAPVAM. XXCIIII. MVRANVM. LXX
IIII. COSENTIAM. CXXIII. VALENTIAM. CLXXX
AD. FRETVM. AD. STATVAM. CCXXXII. REGIVM
MEILIA. CCCXXI. ET. EIDEM. PRAETOR
IN. SICILIA. FVGITIVEOS. ITALICORVM. CON
QVAESIVEI. REDIDEIQ. HOMINES. Dcccexvii
EIDEMQ. PRIMVS. FECEI. VT. DE. AGRO. POPLICO
ARATORIBVS. CEDERENT. PAASTORES. FORVM
AEDISQ. POPLICAS. HEIC. POSEIVEI.

Facile autem crediderim, auctorem hujus Inscriptionis fuisse *Manium Aquilium Gallum*, qui Proconsul, vel Prætor *Siciliæ* fuit, tempore Belli Servilis, anno ab Urbe Condita DCLIV, a Consulatu *Duillii* circiter CL, licet non appareat in Inscriptione; fieri potest, ut nomen ejus litteris grandioribus, in alio marmore exsculptum fuerit, & huic superimpositum.

13

Præterita perfecta tertii Modi terminare solebant in ET, quod postea factum in IT, dicentes exempli gratia, ut hoc loco: EXEMET, VICET, CEPET, ORNAVET, pro EXEMIT, VICIT, CEPIT, ORNAVIT, nam E pro I usurpabant. Quam ob rem & ipse adjeci OBSEDEONED, aliaque vocabula, per litteram E scripta. Inque hunc modum antiquissimi Latini dixere *Intellegere*, *Neclegere*, *Menerva*, *Macester*, *Leber*, quæ postea dicta sunt: *Intelligere*, *Negligere*, *Minerva*, *Magister*, *Liber*; & in libris quibusdam hodieque scriptum reperias *here*, pro *heri*. E contrario autem alii *gravido* dixere, pro *gravedo*; notumque est, *Lucilium*, veterem illum Poetam pariter ac satyricum, in *Scipionem Aemilianum* ludere hisce versibus:

Fab. lib. 1. cap. 6.

Lucilius.

Pertisum hominem, non Pertæsum dicere ferunt.

Ennius.

Ennius quoque dixit:

Ova parire solet genus pennis condecoratum.

Et hæc vocalium permutatio in linguam etiam *Hetruscam*, uti apparet, transiit, veluti apud *Boccacium: E quantumque egli ferventemente desiderasse, quello che Currado gli offereva.* Atque ita pluribus locis apud eumdem Auctorem. Et *Dantes* dixit:

14

Boccac. G. II. N. 6.

Parad. C. 13.

Per vedere un furare altro offerere.

Petrar.

Et elegantissimus *Franciscus Petrarcha* (*di Petrarco Parentii*) communem hunc usum secutus, non autem, quod alii somniant, ut Rythmo fieret satis, dixit:

Amor de le sue man nove ferute.

Dantes.

Sicuti & ante eum Poeta divinus:

Eurialo, Niso, e Turno di ferute.

Rationis loco pro hac permutatione dici potest, veteres Poetas *Hetruscos*, E cum I in Rhythmo commisisse, ut *Petrus de Vineis*:

Petr. de Vineis.

E lo riso auvenente
E gli sguardi piacenti.

Notarius.

Et *Notarius* (*Il Notaro*)

La Salamandra audivi
Che in mezzo il foco vive:

Ser Honestus.

Apud *Ser Honestum* vero Rhythmum facere cernimus *Ancide* cum *Fede*.

A

Colligitur præterea ex hac Inscriptione, ut & ex multis aliis, quæ sit *littera longa*, cujus apud scriptores sæpissime mentio. 15

Plaut. Aul. act. 1. sc. 1.

Ex me ut unam faciam litteram
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

Quam litteram *Plautus* intelligat, inter ipsius Interpretes haud constat. *Lambinus*, nobilissimi vir ingenii sibi persuadet, fuisse litteram L. At in hac Tabula, quod antiquissimum est monimentum, & quamvis ab Imperatoribus restauratum, modum tamen scribendi veterem retinet, sola littera I eminere cernitur, & præ cæteris omnibus longissima est; quare indubitanter dicere possumus, eam ipsam neque aliam ullam a *Plauto*, loco citato, innui. Eadem scriptura eodem modo conspicitur in Inscriptione *dell' Aguglia*, seu *Obelisci*, quem doctus *Augustus* Soli consecravit, hoc tenore:

Lamb. in Plaut. Georg. Gualther.

B

IMP. CAESAR. DIVI. F. 16
AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS.
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
AEGVPTO. IN. POTESTATEM.
POPVLI. ROMANI. REDACTA.
SOLI. DONVM. DEDIT.

C

Ubi in voce DIVI littera I reliquis paulo altior facta est, ut pateat duas syllabas DI & VI longas esse, formata autem hæc littera est ex EI, uti colligere licet ex *Plauto*, qui Comœdiarum suarum unam inscribit CAPTEIVEI, voce, in qua bis sese offert antiqua diphthongus EI, quam temporibus, *Cæsarem* secutis, immutarunt; scripseruntque per I longam, ut CAPTIVI; atque ita etiam ex EIDEM factum est IDEM, & ex DEI, DI, non autem DII. Nam DI una syllaba est, duæ vero vocales unam syllabam facere nequeunt, nisi in diphthongum eadem opera transeant, vel alterutra earum vim consonantis assumat: at ex duabus illis II nulla diphthongus latina datur, neque altera vim consonantis præcedentis, quæ ipsi muta est, assumere potest; scribendum igitur DI, aliasque voces similes, cum unica I, sed longiuscula, non autem cum duabus ordinariis, uti pluribus in locis perperam sculptum scriptumve cernitur; Sin minus, non constabit pedum mensura versibus istis, uti apud *Virgilium* prave scribitur. 17

Mazzoch. de dipht. vid. Ant. Augustin. de Nummis, Dial. 9. & 10.

D

DII, *si qua est cœlo pietas, quæ talia curet.* II Aeneid.

E

Ubi in prima dictione necesse est, aut fiat diphthongus ex duabus II, quam Latini, uti dictum est ignorant aut prima Syllaba DI brevis sit quod versus Heroicus nunquam admittet: sic enim primus Versiculi pes *Bacchius* foret, quod cogitatu absurdissimum est.

Nominativos singulares, ac dativos, & Ablativos plurales, qui nobis terminantur in VS, aut in VL, illi in OS, aut OL terminabant dicentes: MAXIMOS, MACISTRATOS, BOVEBOS, CONSOL, PRIMOS, TRIRESMOS.

Ablativis singularis Numeri litteram D adjiciebant, scribentes MARID, DICTATORED, ALTOD, NAVALED, PRAEDAD, qua de re *Quintilianus: Et Latinis veteribus D plurimis in verbis ultimam adjectam; quod manifestum est etiam ex Columna Rostrata, quæ est D. Julio* (lege *Duilio*, & sic corrige locum in *Sexto Rufo*, de *Regionibus* Urbis, in *octava Regione*, ubi corrupte habetur COLVMNA D. IVLII, pro DVILII) *in Foro posita.* 18

F

Fab. lib. 1. cap. 7.

Et Fortasse hanc litteram adjiciebant ornamenti gratia, quemadmodum *Nigidius* apud *Macrobium* eandem litteræ I dat comitem, ubi ait *Macrobius: Pronunciavit Nigidius, Apollinem Janum*

Macrob. lib. 1. Sat. cap. 9.

num esse, *Dianamque Janam*, *apposita D littera*, *quæ sæpe I litteræ causa decoris apponitur.*

Idem additamentum apud *Hetruscos* etiam usu invaluisse cernimus, & venuste quidem, quando vox sequens ab E incipit, quod fit ad vitandam illam litteræ E repetitionem, per immissionem litteræ D inter duas vocales, quemadmodum inter alia loca præprimis videre est apud venustum

Petrar. *Petrarcham*:

Ed era il Cielo al armonia si intento.

Dantes, lib. III. Et in Rhythmis *Dantis*, in Ode seu Carmine Lyrico:

Così nel mio parlar voglio esser aspro,
Ed ella ancide, e non val c'huom si chiuda.

Litteram D sibi quoque adsciscit conjunctio E, nec absque suavitate, quando præcedit vocem, ab alia quacumque vocali incipientem: quemadmodum exempli gratia, apud *Petrarcham*, in

Petrar. Ode magna, ubi dicit:

Ed io non ritrovando intorno intorno.

Qui & usurpavit adscititiam illam litteram in

19 Carmine, quod vulgari nomine *Sonetto* dicimus.

Era il giorno.
Ed a voi armata non mostrar pur l'arco.

Dantes. Et *Dantes*, in Ode trium linguarum:

Ch'io son punito, ed haggio colpa.

Cynus. Nec non *Misser Cynus de' Sigiboldi*, Judex *Pistoriensis*, libro V. Canticorum veterum, (*del Canzonier antico*) in *Sonetto*:

Pietà, e mercè, mi raccommando a voi,
Che ne piange Pietate, ed Amore.

Fra Guido. Dominus *Fra Guido*, (Misser Frate Guittone) *del Viva*, Eques *Gaudentius*, *Aretinus*, libro octavo, eorundem Canticorum, in *Sonetto*.

Doglio, e sospiro di ciò che m' auvene,
Che voi m' amavi, ed' hora non m' amate.

Lapus Gian. Fed. Imp. Rex Entius. Bonav. Urbic. Similiter *Ser Lapus Gianni*, Imperator *Federicus Secundus*, & Rex *Entius* (Enzo) ejus filius, qui *Bononiæ* captivus obiit, plus uno loco, item *Bonaventura* (Buonagiunta) *Urbiccianus*, *Lucensis*, cæterique omnes fere Rhythmici *Hetrusci*, qui cuncti aliis quoque particulis indeclinabilibus, veluti *A*, *O*, *Ma*, *ne*, *se*, *che*, & *più* litteram istam adjecere; quocirca optime *Petrarcha*:

Dico ch' ad hora ad hora.

Loffus Bonag. lib. IX. *Ac Misser Loffus Bonaguida*, in Chorea sua, seu *Ballata*, in iisdem Canticis:

20 *Provato ho assai Madonna di ci ausire.*
Nomar vostre bellezze ad homo nato.

Pariterque, uti jam dictum est, particulæ O illam adjecere, quando disjunctivæ usum præstat,

Petr. unde Poeta Laureatus, in *Sonetto*.

Pommi ove il sol.
Pommi in Ciel, od in Terra, od in Abisso.

Particulæ *Ma* annectitur a *Petracha*, ubi dicit:

Mad io sarò sotterra in secca selva.

Ut & ab aliis scriptoribus, quos brevitatis causa transeo.

Particulæ *se* exemplum habemus apud *Dantem*, in Chorea, seu *Ballata*, cujus initium est: *Ca-*

Dant. C. III. Inf. *valcando*, ubi dicit:

Sed ella non si crede.

In vocula *Che* exemplum occurrit, non solum apud *Dantem*, Ode tertia, & ultima Inferni sui

Dantes da Majano. in hisce:

Ched è opposto a quel, che la gran secca.

Franc. degli Albizzi. Sed & apud *Dantem Majanum* (da Majano)

Ched io servendo a voi di buon coraggio.

Et *Franciſchinum Albicum* (de gli Albizzi) libro IX, Canticorum veterum, in Chorea, seu *Ballata*:

Per fuggir riprensione.
Ched ei non mi ponesse.

Fat. Ubert. Sic. M. Honest. Fra Guido. Sic illam usurparunt *Fatius Ubertus* (de gli Uberti) *M. Honestus*, *Bononiensis*, & *Fra Guido Aretinus*, & *Bartholomæus Moccata*, *Macconius*.

A Particulæ *Ne* exemplum habemus apud Petrarcham, in hoc versiculo: 21

Barth. Moccata. *Ned ella a me per tutto il suo disdegno.*

Dant. purg. C. IV. Folcalc. Folcalc. Quemadmodum ea usus quoque est *Dantes*, in Purgatorio, & *Folcalchierus de' Folcalchieri*. Atque ita *più* per *piud* expressum apud veteres nonnullos scriptores occurrit. Fusius hac de re propriæ securitatis gratia videre poterit *Celsum Cittadinum*, de *Linguæ Hetruscæ* originibus, & Costedutum, manuscriptum anni CIↃCC. Cels. Cittad.

B Accusativum singularem, quem nos in VM, Veteres in OM terminabant, scribentes CAPTOM, pro CAPTVM, ut & AVROM & ARCENTOM, pro AVRVM & ARGENTVM. Pro G usurpabant C scribentes LEGIONES, ECFOCIONT, CARTACINIENSIS, &c. pro LEGIONES, EFFVGIVNT, CARTAGINIENSES, &c. nec desunt, qui dicant *Carvilium*, seu *Carbilium*, Grammaticum antiquissimum, primum litteram G reliquis adjecisse & *Ausonius* dicit: A. Gell. Noct. Att. lib. IV cap. 3. Ant. Aug. Dialog 7. de Numm. Auson.

—— —— *Gammæ vice functa prius C.*

C Tertia Persona præteriti Temporis in Numero plurali, quæ solet exire in VNT, illi terminabant in ONT, dicentes: EXFOCIONT pro EFFVGIVNT. Nam teste *Fabio*, V in O commutabant, ut in *Hecoba*, *Notrix*, & *dederont*, *probaveront*. Præterea notandum est, litteram H apud illos non fuisse in usu; & pro ILLI dicebant OLI, sicuti usurpatum quoque reperitur aliquoties a Poetis antiquis, nisi quod L geminatur. Quamobrem in Linguæ eruditione, seu exasciatione factum inde est ILE, ut videmus apud *Sammonicum Serenum*, de *Rebus Reconditis*, in illis versiculis, quibus invocari a Veteribus solebant Dii Civitatum hostilium Tutelares, a *Macrobio* recensitis, in hunc modum: SI DEVS, SI DEA ES CVI POPVLVS, CIVITASQ. KARTAGINIENSIS EST IN TVTELA, TVQ. MAXIME ILE, QVI VRBIS HVJVS, POPVLIQVE TVTELAM RECEPISTI. Lib. IV. c. 6. 22 Sammon. Ser. lib. V. Macrob. lib. III. cap. 10. Sat.

D Quod ad vocabula, a me immutata, attinet, scias Velim, me id fecisse, non ut alios reprehenderem, sed solummodo, quod ita meliori ratione concipienda mihi viderentur. Ac primo, ubi aliis C. BILIOS legere placuit, ego C. DVILIOS substitui motus auctoritate *Varronis*, *Ciceronis*, *Quintiliani*, & Triumphorum Capitolinorum. *Varro* ita scribit: *Bellona a bello nunc*, *quæ duellona a duello. M. Tullius*, in libro de Oratore, in hunc modum loquitur: *Quid*, *quæso*, *licentius*, *quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora: & nam ut duellum, bellum, & duis, bis, sic Duillium cum, qui Poenos classe devicit. Bellium nominaverunt, cum superiores appellati essent semper Duelli.* Et *Quintilianus*: *Eadem fecit ex duello bellum, unde duellios quidam dixere Bellosos..* In *Triumphis Capitolinis* ita scriptum est, Varro lib. IV.. Cic. de Orat. 23. 23 Quintil. lib. I.

E

C. DVILIVS. M. F. M. N. COS. PRIMVS
AN. CDXCIII. NAVALEM. DE
SICVL. ET. CLASSE. POENICA EGIT
K. INTERCALAR.

F Unde collegimus, Veteres in scriptis suis DV usurpare solitos pro B, ut cernimus etiam in Inscriptione quadam, paullo superius allata, ubi DVONORO pro BONORVM venit. Secutus pariter auctoritatem *Fastorum Capitolinorum*, litteras M. N. addidi, in hunc modum: C. DVILIVS. M. F. M. N. COS. Multis supplementi vocabulis litteram M finalem dempsi, quæ quod exilis, atque obscuri esset soni, in vocabulorum

terminationibus a Veteribus nec pronunciari, nec
24 scribi solebat, ut observat *Quintilianus*, unde *Catonem Censorium* dixisse addit: *die hanc*, non *diem*. Sic *Minucius*: *proditu iri*, pro quo tamen Typographorum culpa legitur: *prodituiri*. Post mortem Amphiaraus ventura respondit, qui proditu iri se ob monile ab uxore nesciunt.

Fab. ix. cap. 4.

Non magis scribere visum est SEGESTANOS, secutus enim *Polybium*, ejusque contextum Græcum, ubi dicit: *Romani vero præter exspectationem arrepta spe gerendæ rei per mare, dupliciter confirmati proruerunt ad bellum. Tunc igitur appellentes ad Siciliam*, Αιγεςέων *solverunt obsidionem, qui jam ad extremum venerant & in ipsa digressione* τῆς Αιγέςης *Macellam urbem vi ceperunt.* scribo AICESTANOS. Et credit *Cluverius*, *Elymum & Ægestos Trojanos junctim Ægestam, Erycem, & Entellam excitasse, ita ut Trojani, qui cum ipsis venerant Elymi nomine dicerentur, utriusque vero sedes Ægesti nomine vocaretur.* Prætterquam, quod talem litteræ S jacturam facile admitteret antiquitas, ut idem *Polybius Almanti-*
25 *cam* sive *Elmanticam* appellet *Salamanticam*, urbem *Hispaniæ*; alii *Almona* vocitent urbem, quæ ab *Hellanico* dicitur *Salmon*, & *Elana* urbs *Arabiæ*, apud *Dionysium* audiat *Selana*; *Plinius* denique *Astyram* nuncupet; quæ *Straboni* dicitur. *Storas*. Neque in principio solummodo vocum, sed & in fine, hujus litteræ, tam apud *Latinos*, quam apud *Græcos*, facta reperitur proscriptio; nam S, ut *Messala* dicit, non est littera, sed sibilus, unde dicta quoque multis est *Littera sibilans*. Præter adducta jam exempla, apud *Virgilium* habemus: *immitis Achilli*; ubi ob ὁμιοτέλευτον, id est, similem finem, litteram illam abjecit. Non solum necessitatis, inquit *Servius*, sed etiam Euphoniæ causa, ut *Sallustius*: *A principio urbis ad bellum Persi Macedonicum*, ubi S secundi Casus tertiæ declinatonis abjecit.

Polyb. lib. 1. — Cluverius lib. 11. — Casaub. in Strab. — Polyb. — Hellanic. — Dionys. — Plinius. — Strabo. — Messala. — Virg. 1. Æn. — Servius. — Sallust.

Scribo AICESTANOS, non AECES &c. quia AI diphthongus antiquissima est, neque in veteribus solum marmoribus, sed & apud *Lucretium*, aliosque Poetas antiquos apparet, ubi legitur ANIMAI, SYLVAI, AQVAI, pro *animæ*, *sylvæ*, *aquæ*; & *Pontanus* dicit *Beneventi* lapides exstare, in quibus conspiciantur voces *Coloniai. Beneventanai.* Et convenienter hisce *Festus*
26 asserit, veteres Latinos Græcorum diphthongum *ae* pronunciasse per *ai*; imo in lapidibus ac nummis eodem modo reperias CAISARIS, AIMILIVS.

Lucret. de Rer. Nat. — Pontan. lib. 1. de Aspirat. — Festus.

Supra laudatus *Celsus Cittadinus*, reprehendit *Ciacconium*, quod COCNATOS reposuerit, neque enim videre, quo fundamento, vult autem scribendum esse SOCIOS, ob auctoritatem *Polybii*, qui SOCIOS illos vocat. Mihi utraque opinio arridet, retinere tamen visum est *Ciacconianam*, auctoritate *Ciceronis* fundatam, ubi ait: *Non solum litteris tradita, & commemorata verbis, sed multis officiis illorum usurpata, & comprobata cognatio.* Et hæc *Ciceronis* auctoritas, utpote istis populis præprimis favens, potior etiam habenda est. Ubi *Ciacconius* scribit XXX. NAVES, *Eutropii*, credo, auctoritate, cujus verba sunt: *XXX. naves cepit, III. millia occidit: neque ulla victoria Romanis gratior fuit, quod invicti terra, jam etiam mari plurimum possent.* ego scribo XXXI, quia in fragmento ubi XXX. reponitur, littera I apparet, hoc modo IQVE. Pro DEPRESET, scripsi DEPRESAI, absolute, absque verbo SVNT, quia sic etiam scriptum occurrit in versibus sequentibus: AVROM CAPTOM, AR-
27 CENTOM CAPTOM, absque verbo EST, atque ita scribit *Cornelius Tacitus*: *Classem ultrò Caninefates aggressi sunt, majorque pars navium depressa, aut capta.*

Polyb. — Cic. iv. in Verr. — Eutr. lib. 11. — Tac. x. Ann.

Postremo ejeci voces istas: HANCE. EI. quia Latinos de re præsente, aut ex unico tantum membro constante, veluti Columna, Arcu, aut Statua (ut apparet in Arcu *Titi Vespasiani*, in Columna *Trajana*, & centum aliis locis in Columnis milliariis) HANC, vel HOC dixisse haud existimo. Adeoque sufficere mihi visum est POSEIVEIT.

Ornata & locupletata erat hæc Columna Rostris, quæ *Carthaginiensium* navibus hostilibus ablata fuerant, post vetustate consumpta, ex marmore restaurata; quod & in Foro *Romano*, ipsorum Tribunali, unde orationes habere solebant, contigit, fabricato prius ex proris navium, prœlio in *Tiberi* contra *Antiates*, captarum, cujus *Plinius* mentionem facit, ubi de Coronis loquitur: *Antea rostra navium tribunali præfixa Fori decus erant, veluti Populo Romano ipsi corona imposita.* Et ad hæc fortasse referenda sunt tria illa Ro- 28
stra, quæ ad hunc usque diem *Romæ* visuntur, antiquitate sua valde notabilia; quorum unum publico omnium conspectui exponitur, e regione *Pasquini*, supra Portam Dominorum *Jacobilliorum*, Nobilium *Fuligneorum*, id ab utraque parte Monstrum marinum, cum aliquo id genus Numine, altera manu temonem, seu clavum, altera pateram tenente, insculptum habet; Rostri autem extrema pars caput Leoninum est.

Plin. xvi. cap. 4. — Vide TAB. Fig. 2. pag. 3.

Alterum possidetur a Domino *Francisco Gualdio*, Equite *S. Stephani*, *Riminensi*, ostenditurque in ipsius celebri, ac vario Musæo, prope *Sanctæ* 29
Mariæ di Campo Carleo, ab ipso curiositati Litteratorum hominum ibi expositum.

Vide Fig. 3. pag. 3.

Longitudo hujus Rostri duorum palmorum cum dimidio est, nempe duos palmos operis elaborati, semipalmum operis rudis, quod muro immitti debebat continens; altitudo unius palmi est. Insculptum habet *Tritonem* a latere, qui sinistra manu parvulo cuidam Cupidini, qui ipsi prævolat, concham marinam porrigere videtur, dextra *Venerem* nudam monstrat, quam dorso gestat, pulchram admodum, & egregie exsculptam, cum velo, sive amiculo a parte sinistra, ab ipsa supra caput retento, quod ab aura inflatum, ad instar veli nautici sinuatur; id vestimen- 30
ti genus Diis marinis, ac fluviatilibus proprium erat, & Poetis *torta vestis* dicitur. Unde *Virgilius*:

> *Contra autem magno mœrentem corpore Nilum*
> *Pandentemque sinum, & torta veste vocantem*
> *Cœruleum in gremium latebrosaque flumina victos.*

Virg. VIII. Æn.

Et *Ausonius*, ubi de flumine *Saravo* ipsi sermo est.

Auson.

> *Naviger undosa dudum me mole Saravus*
> *Torta veste vocat.*

Tertium Rostrum cum aliis Antiquitatis reliquiis eximiis, conspicitur extra Portam *del Popolo*, dictam olim *Flumentanam*, in deliciosa Villa Domini *Gregorii Amiani*, Nobilis ab urbe *Fano*, estque id quod sequitur.

Hoc Rostrum duobus præcedentibus paullo 31
majus est, a dextra parte insculptum habet Taurum marinum undis innatantem, rectumque ab 32
aliquo istius Sortis Numine, cum velo retro acto, inflatoque a vento.

Vide Fig. 4. pag. 3.

A sinistra effictam repræsentat Pistricem alatam, ad denotandam navigii celeritatem, nam & *Pegasum* Poeta fabulantur alatum fuisse, quemadmodum hodieque is, qui velociter currit, *Volare*, sive *Alas habere* dicitur. Prope extremum sculptus est delphinus; quod fieri potuit propter *Tyrrhenos*, qui nauticæ rei studio, toto orbe celebres facti, juxta *Græcorum* fabulas in *Delphinos* dicebantur mutati, quod navibus hæc animalia alludere, easque comitari soleant; & revera istis

istis temporibus (sicuti affirmat *Myrsilius Lesbius*, de Origine *Tyrrhenorum*) tum ob piraticam, quam exercebant, tum ob maris, quod obtinebant dominium, *Delphini* dicebantur. Alii nonnulli ita dictos credunt, quod soli *Italiæ* antiquissimi essent populi, quique nec haberent, neque ad alios referrent suam originem, neque eo confluxissent, ut cæteri, tanquam peregrini, sed propria orti patria essent, &, quoniam ad universale accederent diluvium, *Delphinorum* inde nomen adepti

Myrs. Lesb.

33 fuerint, unde ab eodem Diluvio ipsorum terra etiam dicta sit *Salembrunum*, ubi primo *Umbri* nati. *Apollodorus Atheniensis*, in Bibliotheca sua, sive de Origine Deorum, narrat, Bacchum ab insula *Icaria* in *Naxum* trajicere cupientem, *Thuscorum* navem quandam conscendisse; hos vero pro *Naxo Asiæ* littora petiisse, ut illum venderent; iratum itaque *Dionysium* malum ac remos in serpentes commutasse, navim ad hæc hedera, & tibiarum sonitu omnem replevisse; adeoque *Tyrrhenos* furore agitatos, in mare sese præcipitasse, atque in *Delphinos* transformatos. Ita enim inquit, *pag. 95. Edit. Romanæ.* Βουλόμενος δὲ ἀπὸ τῆς Ἰκαρίας εἰς Νάξον διακομισθῆναι Τυῤῥηνῶν λῃστρικὴν ἐμισθώσατο τριήρη· οἱ δὲ αὐτὸν ἐνθέμενοι, Νάξον μὲν παρέπλεον, ἠπείγοντο δὲ εἰς τὴν Ἀσίαν ἀπεμπωλήσοντες ὁ δὲ τὸν μὲν ἱστὸν, καὶ τὰς κώπας ἐποίησεν ὄφεις, τὸ δὲ σκάφος ἔπλησε κισσόν, καὶ βοῆς αὐλῶν. οἱ δὲ ἐμμανεῖς γενόμενοι, κατὰ τῆς θαλάττης ἔφυγον, καὶ ἐγένοντο δελφῖνοι. i. e. *Postea vero cum ab Icaria in Naxum transvehi cuperet, prædatoriam Tyrrhenorum triremem mercede conduxit, ac Deo ipso in navi imposito Naxi littora præterlegunt, atque in Asiam vendituri vela faciunt. Tum Dionysius malum, remosque in serpentes vertit, navim ad hæc hædera, & tibiarum sonitu omnem replevit. Nautæ interim furore acti in mare præcipites fugiunt, atque in delphinos transformantur.*

Apollod. lib. III. Bibl.

Alii credunt, delphinum repræsentatum, tanquam piscem regium, quippe qui secundum *Ae-*
34 *lianum* in cæteros omnes pisces dominium habeat, sicuti Leo in animalia terrestria, Aquila in volucres aërias.

Aelian. lib. XV. c. 17.

Similes *Proræ* insculptæ exhibentur in Columna *Trajana*, tanquam navium, quæ *Danubium*, subiere ad bellum *Dacicum*, & inter alia Monstra marina ibi & *Pistrix*, & *Triton*, & *Delphini*, aliaque animalia conspiciuntur; unaque ex Proris illi singularis plane est, insculptum habens Oculum, Vigilantiæ, & Prudentiæ symbolum. Apud *Virgilium* quoque de navi *Aeneæ Trojani* legimus:

Virg. lib. X.

Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones
Imminet Ida supra profugis gratissima Teucris.

Sic alia quoque Rostra conspiciuntur, ut in illa navi tecta, quæ quatuor habebat Rostra, nempe unum magnum, quod caput Aprinum referebat, cum dente suo, infraque id tria alia minora, instar pugionum, occupandis hostilibus navibus inservientia. Admirationem omnem superabat, navis, ab *Athenæo*, in Cœna septem sapientum descripta, *Ptolemæi Philopatoris* jussu ædificata, quindecim remorum ordinibus instructa (a *Philostephano*, *Ptolemæo Soteri*, a *Plutarcho*, *Deme-*
35 *trio* tributa) quæ duplici erat puppe, ac duplici prora cum septem Rostris, uno quidem præcipuo, maxime prominente, cæteris minoribus contractioribusque, ad latera etiam utriusque proræ exstantibus. Verba *Athenæi*, sunt, pag. 204. pr. Δίπρωρος δ' ἐγεγόνει, καὶ δίπρυμνος, καὶ ἔμβολα εἶχεν ἑπτά. Τούτων ἓν μὲν ἡγούμενον, τὰ δ' ὑπο-

Laz. Bayf. de Re Nav.

Athen. lib.

Philoste-phanus.

Plutarch.

A τέλλοντα· τινὰ δὲ κατὰ τὰς ἐπωτίδας. *Fuit præterea duplici prora, duplicique puppe, rostraque septem habebat, quorum unum quidem exstabat: quædam autem contractiora erant minoraque, nonnulla vero ad epotidas erant collocata.* A figuris exsculptis, sive in Rostris, sive in Proris, nomen quoque navibus imponere solebant Veteres; quod colligi datur ex iis, quæ scribit *Lucianus*, in Dialogo, quem inscribit Πλοῖον, ubi dicit: Καταντικρὺ δὲ ἀνάλογον ἡ πρῶρα ὑπερβέβηκεν, ἐς τὸ πρόσω ἀπομηκυνομένη, τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς θεὸν ἔχουσα τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν. *E regione autem pro-*

Lucianus.

B *portione prora exstructa erat, in longum producta, habens utrinque Isin deam, quæ cognomentum navi dederat.* Hanc consuetudinem ad nostra etiam tempora transiisse cernimus, quum triremes, aliaque navigia denominari soleant vel a Sanctis, quos vexillis impressos, vel a symbolis, aut emblematibus, quæ puppibus insculpta gerant. Solebant etiam naves a locis ac regionibus, unde essent appellare, veluti *Aegyptias*, *Asiaticas*, *Syriacas*, *Rhodias*, *Liburnicas*, *Achaicas*, & *Sidonias*, quemadmodum hodieque appellantur Venetæ, Ragusanæ, *Hetruscæ*, sive *Toscanæ*, *Ge-*

C *nuenses*, &c. quarum etiam crebra apud scriptores mentio occurrit, & apud *Cæsarem* distincta enumeratio. *Præerat*, inquit, *Aegyptiis navibus Pompe-* 36
jus filius, Asiaticis Decius, Lælius, & C. Triarius, Syriacis C. Cassius, Rhodiis C. Marcellus cum C. Pomponio, Liburnicæ, atque Achaicæ classi Scribonius Libo, & M. Octavius. De *Sidoniis* loquitur *Livius*, ubi narrat, quomodo ab earum una capta fuerit navis *Rhodia*. *Rhodia una capta memorabili casu: nam quum rostro percussisset Sidoniam navem, anchora ipsa ictu excussa nave sua, unco dente, velut manu ferrea injecta, alligavit alterius proram: inde tumultu injecto, quum divellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodii, tracta anchora, & impli-*

Cæs. lib. III. de B. Civ.

Liv. lib. VII. dec. IV.

D *cata remis, latus alterum detersit, & debilitatam ea ipsa, quæ icta cohæserat, navim cepit.*

Non solum autem magnis navibus, verum & parvis, quæ *actuariæ* dicebantur, quod remis agerentur, forte sicuti hodie *Venetiis*, quæ *Gondole* dicuntur, Rostra veteres præfixerunt, unde apud *Hirtium* legimus: *Navibus actuariis, quarum numerus erat satis magnus, magnitudine quanquam non satis justa ad prœliandum, rostra imposuit.* 37
Quare etiam *rostratæ* dicebantur, ut apud *Livium*: *Una & octoginta rostratis navibus; multis præterea minoribus, quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris, speculatoriæ erant, Delum traje-*

Hirt. de B. Alex.

Liv. lib. dec. IV.

E *cit.* Et *Cicero* dicit: *Lex est apud Rhodios, ut siqua Rostrata, in portu navis deprehensa sit, publicetur.* Quumque Rostra fabricarentur ex ære, ut per se patet, & videre est apud *Plutarchum*, in vita *Antonii*, ubi infelix prœlium navale, ad *Actium* Promontorium, cum *Augusto* commissum narrat, atque ita loquitur: Τῶν δὲ Καίσαρος οὐ μόνον ἀντιπρώρων συμφέρεσθαι πρὸς χαλκώματα στερεὰ καὶ τραχέα φυλασσομένων, ἀλλὰ μηδὲ κατὰ πλευρὰν ἐμβολὰς διδόναι θαῤῥούντων. *Navibus autem Cæsaris caventibus, ne obversæ cum rostris firmis, & æratis Antonii concurre-*

Cic. II. de invent.

Plut. in Ant.

F *rent.* Vocabantur etiam *æratæ*, & apud *Cæsarem* quidem, in Commentariis, ita: *Interim L. Nasidius ab Cn. Pompejo cum classe navium sedecim, in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio, Massiliensibusque subsidio missus.* Et *Virgilius*, ubi de *Trojanorum* navibus, in Deas, ac Nymphas Marinas transformatis, loquitur: 38

Cæs. lib. de B. Civ.

Virg. IX. Aen.

Hinc Virgineæ (mirabile monstrum)
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur:
Quot prius æratæ steterant ad littora proræ.

Hæc

Hæc autem Rostra facile tolli, & rursus præfigi poterant navibus, pro necessitate uti nos docet, *Diodorus Siculus:* Οἱ Ῥόδιοι ταχέως τὰ μὲν ἀκροστόλια περιέσπασαν, ὕλην δὲ ξηρὰν καὶ δᾷδας ταῖς ναυσὶν ἐνέντες ἐνέπρησαν. i.e. *Rhodii celeriter acrostolia detraxerunt, injectisque malleolis ac tædis in naves, eas ipsas concremarunt.* Unde *Polybius*, minutatim *Attali* & *Philippi* prœlium navale describens, nobis repræsentat, quam facile amitterentur Rostra, in occupandis, sive invadendis navibus. Ἐπιφανέστατα δὲ, inquit, ἐκινδύνευσαν τρεῖς πεντήρεις τῶν Ῥοδίων· ἥ τε ναυαρχὶς, ἐφ' ἧς ἔπλει Θεοφιλίσκος. μετὰ δὲ ταύτην, ἧς ἐτριηράρχει Φιλόστρατος· τρίτη δὲ, ἣν ἐκυβέρνα μὲν Αὐτόλυκος, ἐπέπλει δὲ Νικόστρατος. Ταύτης γὰρ ἐμβαλούσης εἰς πολεμίαν ναῦν, καὶ καταλιπούσης ἐν τῷ σκάφει τὸ ἔμβολον, συνέβη δὴ τὴν μὲν πληγεῖσαν, αὔτανδρον καταδῦναι. *Celerrime autem in periculo versatæ sunt tres quinqueremes Rhodiorum: Prætoria ipsa, qua vehebatur Theophiliscus, post hanc autem ea, cui præerat Philostratus; tertia vero, quam regebat Autolycus, ea autem vehebatur Nicostratus: hac enim impetum faciente in hostilem navem, relictoque in nave hostium suæ navis rostro, evenit ut navis percussa cum ipsis hominibus deprimeretur.* Quemadmodum *Romani* inter prima hostium spolia, terrestri prælio comparata, reputabant clypeum, uti
39 fuse a nobis alibi disseritur, ita non aliud in victoriis navalibus, illustrius ac magis singulare ab ipsis habitum fuit, quam Rostrum, quo naves victrices ornarent, ut hodie vexillis ac signis fieri solet, quemadmodum colligere licet ex *Diodoro*, ubi de *Alexandri* successoribus agit, ex *Xenophonte*, & *Appiano Alexandrino*, in *Bello Mithridatico*, *pag.* 187. Ὥστε καὶ τριήρη αὐτοῖς ἀνδράσιν ἀναδησάμενοι, καὶ ἀκροστόλια πολλὰ καὶ σκῦλα ἐς τὸν λιμένα φέροντες ἐπανελθεῖν. i. e. *Itaque trireme cum ipsis hominibus, navibus suis alligata, multis navium rostris, nec paucis spoliis onusti ad portum rediere.*

Diod. lib. xx. — Polyb. lib. xvi. — Diod. l. xviii. Xenoph. l. vi Appian.

Dicendum restat, Columnam hanc ex candido fuisse marmore, atque ita eam nobis repræsentat *Silius*, ubi fingit *Annibalem* eam vidisse depictam in portu *Linterno*, hodie *Torre di Patria* dicto, quod ibi repertum est Epitaphium *Scipionis Africani*, cum sola voce *Patria*.

Silius, l. vi.

Aequoreum juxta decus, & navale Trophæum
Rostra gerens nivea surgebat mole columna,
Exuvias Marti, donumque Duilius alto,
Ante omnes, mersa Pœnorum classe, dicabat.

In Capitolio autem multæ id genus conspiciebantur, monente *Justo Ryckio*, in Commentariis suis de *Capitolio Romano*, qui in eo nititur au- 40
ctoritate *Claudiani*, in *Panegyrico Honorii*, ubi dicit:

Just. Ryck. de Capit. Rom.

Aeraque vestitis numerosa puppe columnis
Consita.

Solebant & inaurari, ut apud eundem *Claudianum* habemus, ubi de *Roma* loquitur.

Claudian.

Jamque parabantur pompæ simulacra futuræ
Tarpejo spectanda Jovi, cælata metallo
Classis, ut auratos sulcaret remige fluctus.

Ad imitationem hujus Columnæ *Duillianæ*, *Augustus Cæsar*, & *Agrippa* nummis suis columnam vel coronam rostratam impressere, ob victoriam, quam contra *M. Antonium*, & *Cleopatram* mari obtinuere. Quin & *Vespasiani* unus pariter cum Columna Rostrata cernitur.

Et contra quorundam opinionem crediderim, eadem forte de causa percussos alteros illos cum *Jano Bifronte*, prora navis rostratæ coronato.

Nec solum nummis Columnam Rostratam *Augustus*, ob eam quam diximus victoriam navalem, impressit, verum etiam ex Rostris captis quatuor columnas fecit, ut refert *Servius* ad illum *Virgilii* locum:

Servius.

Navali surgenteis ære columnas.

Augustus victor totius Aegypti, quam Cæs. pro 41
parte superaverat; multa de navali certamine sustulit rostra, quibus conflatis IV. efficit columnas: quæ postea a Domitiano in Capitolio sunt locatæ.

Duillius autem adeo hac victoria superbiit, ut non contentus hoc publico honore, ut *Livius*, ac *Florus* narrant, continuo eam commemorari voluerit, dum viveret. *Non contentus unius diei triumpho* (verba *Flori* sunt) *per vitam omnem, ubi a cœna rediret, prælucere funalia, præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidie triumpharet.*

Florus, lib. ii. cap. 2.

Et hæc sunt, quæ ad materiam subjectam notavi, non tam, quod magni alicujus momenti ea reputem, quam ut Tibi me obedientem præstem, quippe qui ingenii ad subtiliores hisce quæstiones (modicæ sortis meæ culpa) nimis obtusi probe mihi conscius sum. Oro tamen, ut qualemcunque hunc laborem meum benigno vultu respicere, & animi voluntatem, pro multis, quæ in hujusmodi instituto a me sperare poteras, accipere velis, atque ita Te, quum possum officiosissime valere jubeo.

FINIS.



INDEX NOTABILIORUM

In hac

DISSERTATIONE OCCURRENTIUM.

G. de Gozze. B S.

Pag. 16. in fine lin. penult. pro *quum* lege *quam.*

FINIS.



FRANCISCI MARIÆ DE ASTE,

Ex Clericis Regularibus miſeratione Divina, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Hydruntini, ac Salentinorum Primatis &c.

IN

MEMORABILIBUS HYDRUNTINÆ ECCLESIÆ EPITOME,

IN DUAS PARTES PARTITA;

Quarum pars poſterior ejuſdem Adnotationibus aucta.

Editio Noviſſima, purior & auctior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS LECTORI.

HYDRUNTUM *urbem, incolis* Otranto, Otrante *Gallis dictam, post* Japygium *promontorium, quo longissime in maria excurrit* Italia, *quâ in* Græciam *brevissimus transitus, sitam, totius* Apuliæ *Metropolim, vetustate ac civium fide atque animi magnitudine nobilem, & castro munitam, portuque capaci, silentio plane prætermittere non potui nec debui. Hæc a* Totila *obsessa a* Belisario Justiniani *Imperatoris Duce feliciter fuit liberata; Anno autem Christi* MCDLXXX. *sub* Ferdinando *Rege* Arragonio *misere devastata a* Turcis, *sub* Mahomete *Imper. fortiter vero ab Hispanis postea fuit recepta. Optarem quidem, ut Monumenta Historica hujus urbis majora,* Epitome FRANCISCI MARIÆ DE ASTE In Memorabilibus Hydruntinæ Ecclesiæ *dicta, offerre possem; sed voti compos fieri nequivi. Itaque hoc opusculo debes esse contentus. Epitome jam jam dicta* Beneventi *Anno* MDCC. ex Typographia Archiepiscopali *in lucem forma, ut dicunt, duodecima prodiit. In duas partes ab auctore fuit partita, quarum pars secunda ejusdem Auctoris Adnotationibus fuit illustrata. Nihil in ea a nobis fuit mutatum, nec additum, excepto, quod mendis typographicis eam purgaverimus, & duplicem Indicem, Rerum videlicet in calce, & Capitum in fronte addiderimus. Quibus ut feliciter fruaris, benigniterque nobis patrocineris, ex intimo pectore precamur. Vale.*

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO FR. VINCENTIO MARIÆ URSINO,

S. R. E. Cardinali Amplissimo,

D. JOANNES BAPTISTA MONGIO'

Abbas Benedictinus Congregationis Cælestinorum S. P.

PLerique sunt, Princeps Eminentissime, doctissimi viri, qui licet ingenio valeant, & omni liberali arte, & disciplina exculti sint, adeò tamen demisse, & humiliter de se sentiunt, ut, quæ summa cum laude conantur, sivè sua diligentia contenti, sive rei periculo deterriti, vereantur cæteris impartiri. Quam quidem vivendi consuetudinem, etsi probavi aliquando, quod summæ, & verecundiæ, & modestiæ argumentum videretur, nequeo tamen probare, cum ea, quæ in literariam Rempublicam detrimenta importantur, considero. Quid enim prodest si totos dies libris immoreris, & multa cum laude quotidie scribas aliquid, nihil tamen unquam emittas, quod communi commodo, & publicæ inserviat utilitati. Hæc cum ita sentirem, & fortè *Hydrunto* iter haberem, inviseremque ornatissimum, & amicissimum Præsulem *Franciscum Mariam* de *Aste*, humaniter exceptus hospitio sum. multa, ut fit, cum eo collocutus, notam mihi cæterum ejus rationem studiorum, & optimum vivendi institutum probabam, quod assiduis pro sua Ecclesia, perpetuisque se laboribus frangens solliciti Pastoris officium prorsus impleret, & si quid supererat temporis, vel Theologicis studiis, vel eruendis Antiquitatis monumentis totum impenderet. Cum vero multa, eademque præclara mirabar, sumpsi in manus Opusculum de *Hydruntinæ* Urbis, ejusque Ecclesiæ antiquitate, & origine, de eorumque Sanctorum hominum præclarè gestis, quorum illa Urbs fæcunda Parens extiterat, & studiosissimo viro auctor eram. ne fineret hos præclaros conatus in commune Civitatis detrimentum perire. Modestè ille, ut solet, cum nec annueret meis votis, nec omninò adversaretur, rapui sollicitus totum opusculum, ut illud in lucem ederem aliquando, atque adeò consulerem commodo amicæ, & penè patriæ Civitatis. Nec verò ea me cura egit sollicitum, in cujus potissimum nomine quo Tutore, & Patrono illud in conspectum hominum darem. Non me latebat, quibus se officiis allectum, quibusque beneficiis se Tibi devinctum profiteretur Princeps Eminentiss. cujus studia, & egregios labores sapientissimus Præsul secutus, & sibi & Ecclesiæ suæ mirum quantum profuerit. Non dicam hic quam Te semper Princeps Eminentiss. ille suspexerit, & quam diligenter observarit, quod familiæ dignitas, majorum splendor, multa denique Animi, & Corporis, & fortunæ ornamenta Te venerabilem reddiderint; quæ si ita omnia defuissent, ut affatim Tibi divinitus data sunt, pietatis studium, morum innocentia, vitæ sanctioris amor, sedula in administranda provincia diligentia, summa in omnibus procurandis industria, cæterum amantissimum Præsulem in Tui vel Amorem, vel admirationem traxissent. Novi quam multa de Te prædicaret, quem si unus ex omnibus sibi proposuerat tanquam exemplar ad imitandum, certè ad Te unum confugisset Patronum, si sua ipsa sponte hos labores suos jussisset in lucem prodire. Neque verò dubitasset, quin Tu, quæ tua humanitas est, veterem tuæ familiæ clientem benignè reciperes. Quis enim ignorat profusam tuam in doctos viros liberalitatem, quis ad excitandas bonas Artes concitatam animi propensionem, quis singularem tuam in Sapientissimum Præsulem humanitatem? Quæ ut omnia

desiderentur commendares saltem amicissimi hominis labores, ne viderere damnare tuos. Novimus enim qua cura, & sollicitudine antiquissimæ tuæ Ecclesiæ monimenta servaveris, quibus eadem sumptibus partim ipsa antiquitate consumpta reparaveris, partim inter Terræ motus ruinas dispersa collegeris ipsisque ruinis detrita refeceris, quam Bibliothecam ipsis conservandis magnificentissimè construxeris. Novimus quo ordine omnia ejusdem Ecclesiæ jura conscripseris, qua eruditione, & sapientia hic existentia Sanctorum pignora defenderis, cum propter varios bellorum motus, variasque temporum vicissitudines in varias etiam plerique opiniones distraherentur. Quæ cum ita sint, quid dubitabimus quin humaniter, idest è natura tua libellum, quem Tibi addicimus, in Sinum tuum admissurus sis, & ut Nos enixè petimus, ita Tu libenter passurus, monumentum aliquod esse auctoris, & meæ pignus observantiæ sempiternum. Hac equidem spe confirmatus libens acquiesco, & quoniam gratiam Tibi ob tuorum beneficiorum magnitudinem referre non possum, parem ii referant, quos tantopere de aliis benemerendo imitaris, Teque datum divinitus Nobis bonarum Artium Auctorem, quam diutissime servent. Vale, Siponti Kalendis Decembris 1700.

Illustrissima Astensis Familia

O B

MARCELLUM CARDINALEM FRANCISCUM MARIAM

Archiepiscopum Hydruntinum,

E T

MICHAELEM FORTISSIMUM MILITEM,

In expugnatione Budiensi gloriosissimè functum, ter maxima.

In ejusdem Marcelli assumptione nuper ad Cardinalatum. Alluditur ad Leonem in stemmate.

E P I G R A M M A.

Tres tulit Astenses tellus Romana Leones,
Quos ultro rapiunt Campus, & Ara, Forum.
Quem fortem, quem sanctum, quem stupuere disertum,
Se quibus induerant arma, tiara, togæ.
Huic mucro, huic lituus geminant, huic libra decorem,
Qua magna pollent vi, pietate, fide.
Hic castra, hic templum complent, hic rostra rugitu,
Hic Turcam, hic Erebum terret, & iste malos.
Consilium, ratio, mens maxima cuique reluxit,
Marte ferox, curis sedula, jure potens.
Fascia belligerum fovet alba, & janthina sacrum
Denique purpuream Jureperitus habet.
Quæque una haud potuit virtus regione teneri
Illam Buda, Hydrus, inclyta Roma dedit.
Invidit Cælum, & rapiens primum addidit astris
Splendeat ut Cælum, ac Terra Leone pari.

Januarius Buraglia Canonicus S. Spirit. Beneven.

E L O G I U M.

Omnium Hydruntinæ Ecclesiæ
Mirabilium
Maximè mirum
Admirare Lector.
Solis spectabilius Regia
Capitolium existit fulgentissimum;
In quo
Coronati octingenti invictissimi fidei
Duces
In perpetuas micabunt æternitates.
Hi
Patriam, Patres, Polum
Decorantes,
Othomanam octingenta sidera Lunam
Cruore non cruentarunt tantum, sed obscurarunt.
Cornibus hujus feri Planetæ vulnerati,
Cornua ipsa in Tubas convertentes,
Sub ipsius frigoribus ardentissimos effudere radios:
Dum cecidere fortes,
Triumphos cecinere gloriosos.
Turba felix,
Occisum occisa comitatur Agnum,
In comis lauream, in manibus palmas deferens.
Populus Martyrum;
Sica Turcica percussus
Populatur Cœlum,
Alcoranum Evangelio opprimens.
Semper fidi
Fidem suam illustrarunt, & finem:
Primus in agone *Primaldus*
Ante omnes decollatus
Post omnes procumbit.
Erectus sine capite
Sociorum victorias capit, & spectat.
Stat mortuus usque ad omnium casum,
Syndicus Patriæ, & Pater,
Et
Post admissos in Cœlum Socios,
Ipse triumphator ingreditur.
Lector
Hoc factum epitome est gloriarum,
Mirabilium compendium,
Uti
Pastor ipsius Ecclesiæ vigilantissimus
Est Pastorum exemplar
Virtutum Epitome
Ovium deliciæ.

Julianus Bovicellus à Secretis Eminentiss. Archiepiscopi Ursini.

F A C U L T A S EMIN. DOM.

Jussu Eminentiæ Vestræ vidi, & examinavi libellum, cui Titulus, *Epitome in Memorabilibus Ecclesiæ Hydruntinæ*; & nihil inveni in eo, quod non Fidem, Religionem, & optimos mores redoleret; quin in eruendis monumentis Ecclesiasticæ antiquitatis, Auctoris diligentiam, eruditionem, pietatemque admiratus, dignissimum existimo, ut luce publica ad omnium commoditatem donetur. Ex nostro Sanctæ Catharinæ Monasterio 17. Octobr. 1700.

E, V.

Humillimus, & omni obsequio addictiss. Servus, D. *Joannes Baptista Mongiò Abbas Cœlestinus.*

Imprimatur. Die 20. *Octobris* 1700. *Fr. Vincentius Maria Archiepiscopus, &c.*

I N D E X C A P I T U M

P A R T I S I.

P A R T I S II.

FRAN-

FRANCISCI MARIÆ DE ASTE,

Archiepiscopi Hydruntini,

IN

MEMORABILIBUS HYDRUNTINÆ ECCLESIÆ EPITOME.

CAPUT I.

De Origine, Situ, & fidelitate Urbis Hydruntinæ.



Ydruntum, *Hydrus* (*a*) aliis, Urbs *Italiæ* extrema in Agri *Salentini* littorali angulo, in-
2 ter *Brundusium*, & *Iapygium* Promontorium ad os Adriatici sinus posita est, contra *Aulonem Macedoniæ* Oppidum ab Acroceraunis *Epiri* montibus
B quinquaginta milliorum spatio distans, (*b*) de quibus Virgil.

Provehimur pelago, vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.

Portu fruitur Orientali prospectu peramœno, dimissisque prominentium scopulorum cautibus, gemino veluti brachio sinuante incluso, (*c*) de quo idem

Portus ab Eoo fluctu curvatur in arcum,
Objectæ salsa spumant aspergine cautes,
Ipse latet: gemino demittunt brachia muro
Turriti Scopuli.

In quinto climate parallelo duodecimo sita,
3 (*d*) cælum habet temperatum. A meridie, occasu, partimque à septentrione florentibus clivis, fructiferis vallibus, & odorata planitie circumsepta (*e*) penè omnigenis ubertatibus fæcundatur, sacrorumque secessuum specubus, & limpidissimis fontibus, ac mobilibus per pomaria rivis oblectatur. Ipso in primis *Hydro* amne inter virentia laureta, & odorata citria nemora excurrente nobilitata, à quo & nomen accipit, totique hodie impartitur Provinciæ *Salentinorum*, Regio titulo (*f*) olim decoratæ, cujus Caput, & Princeps est ipsa.

D Urbs perpetuò celebris, olim (*g*) amplior, ab Heroicis usque temporibus à *Dædalo* Atheniensi
4 ingeniosissimo (*Minois Cretæ* Regis jam in *Sicilia* perempti classe dolo transducta) hic appellente in *Iapygis* nati gratiam, sivè, ut alii malunt, ab ipso ejus filio *Iapyge*, unde & omnis hæc peninsula *Iapygia* cæpit appellari.

Justiniano verò Principe imperante, insigni constantia adversus *Gothos* (*h*) resistens, & *Aragonensium* Regum tempestate validè *Mahometanorum* invasionibus, & conjuratorum insidiis obsistens, summæ fidelitatis encomium est assecuta. Quæ licet anno post Salvatoris adventum 1480. à *Turcis* vi oppressa, devastata est; postmodum
E tamen ab *Alphonso Calabriæ* Duce, *Ferdinandi* Regis *Aragonii* filio liberata, & restaurata, fortioribus nunc muris, turribusque regioque insuper e-

a Plin. Strab. & Steph.

b Lib. III. Æn. ℣. 506

c Virgil. l. c. ℣. 533.

d Ptol. geogr. lib. III.

e Galat. de situ Japig. & in alio de Bello Hydrunt.

f Vit. Merc. aur. cap. 1. & Engen. in descript. Regn. Neapol.

g Jo. Mich. Laget. in sua Histor. Hydr. manuscript. quæ servat. in Archiv. Cap. Hydr. Ughell. in Ital. Sacr. tom. 9. fol. 71.

h Procop. de bello Goth. Pandul. Collen. in Comp. Regn. Neap. lib. II. Mam. Ross. in eod. Comp. lib. VIII.

A xistit munita Castro, & intimæ Urbis Portæ *Ferdinandus* ejusdem *Alphonsi* filius, marmoreum 5
lapidem apponi jussit his litteris exaratum:

FERDINANDUS REX D. ALPHONSI FILIUS,
D. FERDINANDI NEPOS ARAGONIUS,
PORTAS, MUROS, AC TURRES, POST RECEPTUM
A' TURCIS OPPIDUM E' FUNDAMENTIS
FACIUN. CURAVIT.

IN suburbano tractu quatuor adsunt Cænobiorum ædificia. Primum, Portæque Civitatis è regione propinquius, est Divi *Francisci* Conven-
B tualium Fratrum ab ipsomet Seraphico Patriarcha fundatum anno post Christum natum 1219. Cum è *Sina* reversus, ubi *Soldanum Turcarum* Imperatorem Christiana religione imbuerat *Hydruntum* venit; ac proindè antiquius. Secundum propè littus ab Occidente æstivo Fratrum est ejusdem Franciscanæ familiæ ab Observantia, à b. m. Archiepiscopo *Hydruntino* post Turcarum acerrima 6
demolimina restitutum. Tertium supra Portum ad septentrionem est Capuccinorum usque de anno 1594. singulari *Hydruntinorum* omnium charitate erectum. Et Quartum ex opposito longiore distantia ab Urbe in Austrum, Minimos S. *Fran-*
C *cisci* de *Paula* continet alumnos, anno 1540. constructum, & Sancta *Maria* de Martyribus nuncupatum; quoniam in eo loco strenuissimi Cives *Hydruntini* Jesu Christi nomen confitentes, ab hostibus fidei trucidati, Martyrio coronati sunt, & ubi Minervæ cultui celebre Templum dicavit Antiquitas, de quo Poëta (*i*)

—— *Templumque apparet in arce Minervæ*,

Et infrà:

—— *refugitque è Littore Templum.*

Illic hodie magna Christicolarum veneratione 7
conspicua visitur Deiparæ Virgini Ecclesiæ consecrata, cujus, & fronti marmor apparatum his litteris designatur incisum.

D. O. M.

ET SS. MM. HYDRUNTINIS A TURCIS OB CHRISTI FIDEM CONSTANTISSIME SERVATAM CRUDELITER CÆSIS; ET D. FRANCISCO PAULANO VICTORIÆ AUGURI, TEMPLUM, CLAUSTRUMQUE OLIM A DUCE CALABRIÆ CONDITUM, VETUSTATE COLLAPSUM, E FUNDAMENTIS IN AMPLIOREM FORMAM REDACTUM, MAJORE REDDITU LOCUPLETATUM JO: FRANCISCUS ARNISANUS LUPIENSIS, ET
E MARTIA LEUCI CONJUGES PIETATIS ERGO PP. DD. ANNO DOMINI MDCXIV.

NOn erit tamen oblivioni tradendum ante Urbis prædictæ invasionem ab Orientali hoste

i Virgil. ibid ℣. 531.

8 fuisse alterum religionis Prædicatorum Cœnobium ab ipsa *Turcarum* immani clade prorsus devastatum, subterranea tantum sub vocabulo S. *Mariæ della Grotta* Ecclesia existente, retento tamen per socium P. Provincialis ejusdem Ordinis titulo Prioratus Conventus prædicti, ex cujus Religiosis (*a*) quidam fructuosus Concionator, irruentibus impiis Templum in illa maxima dictæ Urbis devastatione per medium in suggestu framea sectus, clamare non cessavit, S. Fides, S. Fides, S. Fides, quousque animam Deo reddidit.

Mille, & quingentis passibus in Austrum distans ab Urbe manet S. *Nicolai de Casulis* Abbatia, cujus Templum insigne post Turcarum depopulationem conspicitur instauratum; sed angustæ aliquot appositæ sunt Sacerdotum usui Cellu-
9 læ, cum olim amplissimum extiterit Magni Patris D. *Basilii* Monachorum Cænobium, & Græcarum litterarum in *Iapygia* florentissima Academia. De hoc *Galateus* (*b*) sequentia subdit.

a Fr. Vincent. Maria Font. in monument. Domin. Ambr. Altam. Ord. Præd. in sua Bibl. Dominic. Vall. in Comp. hist. p. 4. Summont. in hist. Regni.

b Galat. de sit. Iapyg.

Hic Monachorum Magni Basilii Turba convivebat. Hi omni Veneratione digni, omnes litteris græcis, & plerique latinis instructi, optimum sui præbebant spectaculum. Quicumque græcis litteris operam dare cupiebant, his maxima pars victus, Præceptor, domicilium sine aliqua mercede donabatur. Sic res græca, quæ quotidiè retrolabitur, substentabatur. Fuit temporibus Proavorum nostrorum, stante Aula Constantinopolitana vir Philosophus Nicolaus Hydruntinus, cujus ante Turcarum transitum plures libri de Logica, & Philosophica in hoc Monasterio habebantur. Hic Abbas hujus Monasterii factus, &
10 *Niceta nominatus, sæpè à Summo Pontifice ad Imperatorem, & ab illo ad Summum Pontificem permeabat ad componendas res, quando inter Pontificem, & Imperatorem aliqua contentio, aut de Orthodoxa fide, aut de alia re oriebatur. Erat enim hic vir gravissimæ auctoritatis, & Sanctissimorum Morum, ut qui de Philosophia ad Religionem commigraverat. Hic sumptui minime parcens, quam per universam Græciam invenire potuit librorum omnis generis Bibliothecam, in hoc Cœnobio congessit; quorum magna pars negligentia latinorum, & contemptu litterarum græcarum periit. Non parva pars Romam ad Bessarionem Cardinalem deportata est, & deinde Venetias. Partem, quæ superfuerat, Turcarum qui Monasteria populati sunt, bella absumserunt:* Hæc ille.

Nostris autem temporibus in signum subjectionis Ecclesiæ nostræ *Hydruntinæ* tenetur quotannis Abbas, & Rector dictæ Abbatiæ præstare in die
11 Sabathi Sancti libram thuris, cum Vervece nostræ mensæ Archiepiscopali.

CAPUT II.

De Hydruntinæ Ecclesiæ Primordiis.

Et quidem vetustissima Jesu Christi Sedes est, ab ipso illius Vicario (*c*) Divo *Petro* fundata, (prout autumant majorum traditiones) in qua ille *Antiochia Romam* proficiscens primam Occidentalis plagæ hominibus fidem evangelizavit, altarique erecto sacrum fecit, ut jam pridem in fano pervetusto Apostolorum Principi dicato Græca Inscriptio continebat, quæ corrosis aëris temporisque injuria characteribus, nec legi, nec transcribi potest, ut ex utroque sermone fortius confirmaretur idipsum, quod modo latino tantum evincitur testimonio sequenti.

c Trecc. de subfeud. lib. I. tit. de Provinc. n. 47.

12 *Hic Petrus Occiduis Jesum Christum primùm evangelizavit, aramque erexit.*

Hac in æde constans opinio est summum Apostolum, baptizato Populo, sacrum per-
A fecisse, primamque Civitatis Ecclesiam initiasse; ac proindè firmè creditur, antiquos hic *Hydruntinos* Antistites Antecessores nostros Cathedram tenuisse. Hæc pluries olim instaurata, denique à b. m. Archiepiscopo *Adarzo* redacta est ad reparationis formam ornatiorem, apposito ejusdem Protohierarchæ jussu ad interiorem parietem titulari lapide in posteritatis monumento taliter exarato.

DIVO PETRO. QUI PRIMAM HIC SYNAXI PERACTA, OCCIDENTALI ECCLESIÆ PETRAM POSUIT, DE-
B LUBRUM PERVETUSTUM PRISCA JAM PIETATE REFECTUM, PENE COLLAPSUM.

D. FR. GABRIEL ADARZO DE SANTANDER ARCHIEPISCOP. HYDRUN- 13
TINUS SALENTINORUM PRIMAS COMMENDANDUM REPARAVIT. ANNO SALUTIS MDCLXVII.

Hydruntinæ Metropoleos extans hodiè (*d*) Cathedrale Templum à *Rogerio* Primo Utriusque *Siciliæ* Rege (Domorum Dei magnificè struen-
C darum diligentissimo) Augusta liberalitate constructum, ab Archipræsule *Guielmo* (*e*) qui vixit anno 1088. de mandato *Urbani Secundi* consecratum, & deinde à *Wielmo* ejusdem *Rogerii* filio regnante Archiepiscopus *Jonathas* Musaici operis pavimento decoravit; ad effigies verò animalium insititiis tesserulis vermiculato. Sic namque in primordio lithostroti legitur.

d Collen. in Compend. histor. Neap. lib. III. Frecc. de subfeud. lib. I. tit. de ant. Stat. Regn. nu. 70.

e Ughecc. l. c.

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI 14
NOSTRI JESU CHRISTI MCLXIII. INDIT. XI. REGNANTE FELICITER
D DOMINO NOSTRO W. REGE MAGNIFICO, ET TRIUMPHATORE. HUMILIS SERVUS CHRISTI JONATHAS:

Medius autem Lithostrotos duplicem versum exhibet sexqui passum inter laxatum:

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI MCLXV. INDIT. XIII. REGNANTE DOMINO NOSTRO W. REGE MAGNIFICO. HUMILIS SERVUS JESU CHRISTI JONATHAS HYDRUNTIN.
E ARCHIEPISCOPUS JUSSIT HOC OPUS FIERI PER MANUS PANTALEONIS PRI.

Crustam denique usque ad januam variè datam concludit Leoninum distichon:

Ex Jonathæ donis per dexteram Pantaleonis 15
Hoc opus insigne est superans impendia digne:

Ædes hæc antiquitate augusta, augustior verò ob Aram maximam, in cujus medio extat Imago sculptilis deaurata Puerperæ Genitricis habentis super genua in sinu sui infantem Christum cubantem, quem junctis manibus adorat; (*f*) de
F qua b. m. Archiepiscopus *Morra* hæc subdit.

Ex relatione Canonicorum asserentium hoc scire ex veridica relatione seniorum, fertur, quod tempore, quo memorandæ, & immanissimæ crudelitatis *Turcarum* classis post quindecim dierum obsidionem vi *Hydruntum* invasit, ac cepit, cunctisque Civibus cæsis insimul cum Archiepisco- 16
po *Stephano* b. m. (& infrà) asportavit etiam quidam *Turca* in ejus patriam vulgariter dictam, la *Velona*, Imaginem ipsam sculptilem, (& infrà)

f Lib. visit. de Ann. 1607 sub die ult. Septembris fol. 4.

Cum

Cum ejus uxor parere non posset, & magnis afficeretur doloribus ex consilio cujusdam servæ Christianæ divinitùs monitæ (quæ cum Imaginem ipsam subtus cubile absque ulla decentia cerneret dejectam, eidem ad sic vovendum suasit) ipse *Turca* vovit, quod si ejus Uxor pareret, eam Imaginem sculptilem ad hanc Civitatem remitteret. Quo voto sic emisso, peperit dicta ejus uxor. Tunc ille, quamvis factus ex hoc in sua perditione pertinacior: memor tamen voti sui, seù potius promissionis illi servæ factæ destinata quadam navicula sine remige, dictam Imaginem ad hanc Civitatem remisit, in quam perveniens magno cum gaudio recepta fuit.

17

CAPUT III.

De tempore, quo Hydruntina Cathedra in Metropolitanam fuit erecta, ac de illius Primatu inter Salentinos, ejusque Præeminentiis.

HYdruntina Ecclesia jam olim Episcopalis (*a*) ex historia *Nicephori*, ab Anno Domini 778: in Metropolitanam reperitur erecta, tempore *Leonis* Imperatoris, cognomento *Philosophi*. Extabat enim tunc temporis quidam Episcopus *Hydruntinus* Græci ritus, nomine *Marcus*, vir apprime celebris, & græcarum litterarum peritissimus, qui non solum composuit Officium, quod recitant Græci Sabatho Sancto ob Domini sepul-
18 turam, verùm, quod iidem Græci recitant à Septuagesima usque ad Pascha totum disposuit; quapropter ob hæc, aliaque merita in Archiepiscopalem gradum fuit evectus. Prisci enim *Hydruntini* Antistites Græci ritus extiterunt, cùm ipsa Civitas, & universa Provincia Orientalis Imperii ditioni subjecta mansissent usque ad *Normannorum* tempora. Verùm cum Lithostroti ejusdem Basilicæ monumenta *Jonatham* ipsum latinis Characteribus, ac vocibus exprimant; videtur dicendum *Jonatham* primum latini ritus, postquam ope *Normannorum* Principum expulsi fuerunt ab *Apulia* Græci, Archiepiscopum *Hydruntinæ* Ecclesiæ extitisse; quo tempore cum his partibus Clerici latini à Græcis Episcopis secundum Græcorum Institutiones ordinarentur, & è converso; *Celestinus Tertius* (*b*) rescripsit eidem Antistiti *Jonathæ*, ut de cætero commixtiones, & con-
19 suetudines Rituum in ordinibus aboleantur.

a Doctor. Sylvius Arcudius Galatinus in manuscriptis. Ex hist. Nicephor.

b Cap. cum secundum de tempor. ord.

At denuò circa annum 1378. quo Ecclesia Romana magnum schisma patiebatur inter *Urbanum Sextum*, & *Clementem Septimum* Pseudo Pontificem, & Regia *Neapolitani* Regni auctoritas torpebat sub *Joanna* Prima prædictum schisma fovente, in Jurisdictionem Orientalis Ecclesiæ Archiepiscopatus prædictus reincidit sub *Jacobo* Patriarcha *Constantinopolitano*; qui *Hydruntinæ* Ecclesiæ administrationem (*c*) ausus fuit sibi asserere, eam à *Romani* Pontificis subjectione retrahendo, quæ ità perseverasse videtur usque ad *Bonifacii Noni* Pontificatum.

c Spondan. in Continuat. Annal. Baron. ad ann. Christi 1378.

Ultra Archipræsulatum, quo decorata extat *Hydruntina* Ecclesia, Primatum quoque obtinet in *Salentinis*; & sub Cruce Patriarchali præful-
20 get. Ejus (*d*) Antistitum tanta fuit quandoque Prærogativarum Majestas, ut in totius *Hydruntinæ* Provinciæ (*e*) Principes forent, ac Domini, & Serenissimorum titulo condecorarentur; ac proinde dum Pontificalia peragebant, Abacus duobus ornabatur globulis, & tum ab Episcopis suffraganeis, utpotè feudatariis, tùm à Baronibus, cum è vita migrarent, Regalia exigebant; quod jus adhuc retinet nostra mensa Archiepiscopalis; suo sigillo quoque plumbeo sericis cordulis appenso Bullas expediebant, quemadmodum ex antiquorum *Hydruntinæ* Curiæ expeditionum monumentis fuit receptum; & patet ex nonnullis Bullarum exemplis in Causa Beneficiali sub titulo S. *Laurentii* de *Terra S. Petri* in *Galatina* (*f*) 21
hujus *Hydruntinæ* Diœcesis, sub die 19. Septembris 1466. tempore Archipræsulatus b. m. *Stephani Pendinelli* à *Turcis* in invasione prædictæ Civitatis jam interfecti; & in causa Beneficiali sub titulo Sancti *Joannis* extra mænia Terræ *Carpignani* dictæ Diœcesis, (*g*) sub die 18. Aprilis 1616. tempore b. m. *Fabritii* de *Capua*, in quibus fit expressa mentio de sigilli appensione. Scripturæ etenim, quæ extabant antiquæ in Archiepiscopalis Palatii Archivio, in ipsius Civitatis impetu fuerunt omnes impio furore à *Turcis* igni traditæ; quo factum est, ut pars major proventuum Archiepiscopalis mensæ, & jurium deperierint.

d Frecc. de subfeud. lib. I. tit. de Provinc. num. 43. Leon. Aret. de bello Goth. lib. III. e Lagett. in hist. manuscr. Franc. de Harauso, in lib, cui tit. Hist. de los Martires de la Ciudad de Otretto. Cap. 20.

f Ex Process. qui servat. in Cancell. Arch. Hydr. fol. 51.

g Invent. Carpignan. fol. 18.

Res adhuc equidem perpetuò memoranda, quanta olim fuerit adhibita hujus Archipræsulatus Præeminentia, ut Præsules potestatem habuerint 22
sua auctoritate Episcopos creandi (*b*) in Ariantina, Turcico, Gravina, Materia, & Tricatio; ejusque Archiepiscopatum administratum fuisse à Constantinopolitanis Patriarchis, vetus est ipsius Ecclesiæ traditio; & ad Orientalis Ecclesiæ Principatus apicem assumpti, summo duxerint honore secum (*i*) retinere; quo *Hydruntina* Civitas Principes Ecclesiasticos tantæ Celsitudinis gloriatur sibi præfuisse Pastores.

h Paul. Diacon. ann. salut. 602. Ughec. lib. cit. Baron. tom. 10. ann. 968.

i Spondan. in Contin. annal. ad ann. Christi 1378.

Quinque ulterius præest suffraganeis Episcopis. Hi sunt *Castrensis*, *Alexanensis*, qui & *Leucadensis*, *Uxentinus*, *Gallipolitanus*, & *Aletinus*, seù *Lupiensis*, hodiè dictus *Lyciensis*; qui olim antè Concilium *Tridentinum* (*k*) tenebantur accedere 23
ad præstandam obedientiam, & visitandum limina Ecclesiæ prædictæ in primis vesperis festi Nativitatis B. Virginis, & in Missa feriæ secundæ post Dominicam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi; in quorum morte adhuc mensa Archiepiscopalis exigit Regalia, nempè lectum, mulam, calcaria, sigillum, crucem pectoralem, anulum Pontificalem, & pileum similiter Pontificalem; ac proinde in utroque latere dictæ Ecclesiæ complures suffraganeorum pilei pendent.

k Visit Morræ tom. 1. pag. 3. & in libr. manuscr. sisten. in Cancell. Arch. Hydr. cujus tit. lib. delle obedienze.

Ad Concilia Provincialia, *Neritonensis* Episcopus nedum quæsito consuetudinis jure, sed & primæva quadam authoritate convocatur, ut in Synodo Provinciali per b. m. *Petrum Antonium* de *Capua* Prædecessorem nostrum Anno 1567. E- 24
rat enim *Neritonensis* Ecclesia olim Abbatialis, & intra limites Archidiœcesis *Hydruntinæ*, prout testantur tempore *Bonifacii Noni* literæ Apostolicæ, sub Dat. *Romæ* Kalend. Novembr. apud S. *Petrum* Pontificatus ejus anno duodecimo, directæ *Philippo* Archiepiscopo *Hydruntino*, qui cum *Neritonensem* Ecclesiam visitasset, sui Prædecessoris *Jacobi Constantinopolitani* Patriarchæ, & Archiepiscopatus *Hydruntini* Administratoris vestigiis inhærendo, quosdam Græcos ritus, quibus Abbatiæ prædictæ Monachi utebantur in missæ celebratione fieri prohibebat, & advocans ad se Pontifex causam præcepit Archiepiscopo *Philippo*, ut ab eis imposterum molestandis se abstineat, illosque sinat in suis ritibus permanere.

Habet Ecclesia ipsa Primatialis dignitatem primam & unicam post Pontificalem Archidiaconum, cui Cantoratus officium est annexum; & Canonicos viginti tres, habitu, & Insignibus ni- 25
hil prorsus ab ipso Archidiacono differentes; cum omnes, Almutias coloris violacei, cum extremitatibus sericis carmosinis deferant; gestantibus pa-

riter aliis dictæ Ecclesiæ Metropolitanæ Sacerdotibus simplicibus almutias nigri coloris cum extremitatibus sericis violaceis, juxta Privilegium ab Archiepiscopo *Morra* concessum, & à S. Rituum Congregatione probatum sub die 30. Maji 1616. sunt pariter Decanatus, Thesaurariatus, & Primiceriatus officia per tres ex eisdem Canonicis exercita; quemadmodum & Animarum Cura per duos item Canonicos exercetur, cum titulo Capellani Majoris. Canonici autem Abbates nuncupantur per Abbatiam sub titulo S. *Mariæ* de *Turlatio* in sub feudo dictæ Civitatis ab eodem *Petro Antonio* de *Capua* Antistite totius Capituli Communitati unita, per obitum *Sebastiani Jaconia* tunc temporis Capellani destituta.

CAPUT IV.

26 *De Antistitibus, qui Ecclesiæ Hydruntinæ præfuerunt.*

IN ipsa Ecclesia *Hydruntina* jam olim Episcopali, ut supra demonstravimus, quamplures vita exemplares, virtute Illustres, ac nobilitate insignes præesse meruerunt. Inter eos, Episcoporum numero (posthabitis aliis) connumerantur (*a*) *Benedictus*, qui cum *Simmaco* Episcopo Sanctum *Paulinum* Præsulem *Nolanum* in extremis agentem consolatus est, anno 431. *Andreas*, & *Joannes*, quorum alter *Lateranensi* à *Martino* Primo sub anno 649. alius verò Concilio *Constantinopolitano* sub *Agathone* Primo anno 680. interfuerunt.

a Baron. ad ann. 431. invit. S. Paulini.

27 Archipræsulatus verò dignitatem, quam ob benemerita supradicti *Marci* assecuta fuit Ecclesia ipsa, inter alios, post eundem *Marcum*, adepti fuerunt *Ugo*, qui (*b*) adfuit in Conventu Episcoporum, & Abbatuum, *Salerni* ad favorem ejusdem Ecclesiæ ab *Alexandro Secundo* congregato, in anno 1068. *Wielmus*, qui sub *Urbano* Secundo Ecclesiam ipsam *Hydruntinam* consecravit sub anno 1088. *Jonathas* qui interfuit Concilio Lateranensi sub *Alexandro Tertio* anno 1179. *Tancredus* de *Aniballis*, qui sub die 9. Junii 1219. amplissimum Privilegium, & Confirmationem obtinuit à *Friderico Secundo* Imperatore omnium Privilegiorum, (*c*) quæ olim ipsi Ecclesiæ concesserunt Dux *Dragonus Roberti Vicardi* filius, *Boemundus Primus*, & *Secundus* Duces; *Constantia* Regina dicti *Boemundi Secundi* Uxor; *Rogerius* de *Pomeria*, *Rogerius*, & *Wielmus* Reges, 28 *Constantius* Imperator, aliique Principes; inter quæ plures terrarum, ac feudorum concessiones numerantur; unde Regii Consiliarii titulo Antistites prædicti decorantur. Eo tempore floruit prædictus *Niceta* Abbas Sancti *Nicolai* de *Casulis*, de quo supra meminimus.

b Ughecc. l. c.

c Petr. Vincent. in Teatr. Illustr. Proton. Regn. & in Regist. Hydrunt.

Sederunt pariter *Ursus Minutulus Neapolitanus*, nobilitate clarus, deinde ad *Salernitanam* (*d*) Ecclesiam translatus. *Argonus* ex Marchionibus *Malespinis Ligur* ex *Brundusina* Ecclesia; *Antonius* à *Ponte* Nobilis *Venetus*, & ex Archiepiscopatu *Barensi* ad hanc Ecclesiam translatus fuit. *Nicolaus Neapolitanus* ex nobili *Paganorum* familia, qui diem functus in anno 1451. tumulatus fuit in una *Scalarum*, per quam descenditur in Gryptoporticum dictæ Ecclesiæ in latere Cornu Evangelii sitam; cujus Tumulus cum annis elapsis de man-29 dato b. m. *Petri Antonii* de *Capua* (*e*) Prædecessoris nostri fuisset apertus, fuit ejus Cadaver repertum integrum sine aliqua violatione cum omnibus ornamentis Episcopalibus, ut ex Visitatione ejusdem de *Capua* de anno 1538. Eoque tempore assumptus fuit ad Episcopalem *Castrensem* Fr. *Urbanus Procopius* hujus *Hydruntinæ* Civitatis, Ordinis Minorum Sancti *Francisci*, qui antè ejus obitum plura composuit de *Nativitate Domini nostri Jesu Christri*, *de Immortalitate Animæ*, & *de An-*

d Ughecc. l. c. & tom. 7. de Salern. Arch.

e Visit. Petr. Anton. de Cap. in Anno 1538. & Morr.

A *tichristo*, ut suæ Religionis testantur Annalia. (*f*) Eamdemque Ecclesiam ex Canonico *Hydruntino* anno 1666. *Franciscus Antonius* ex antiqua ante Urbem à *Turcis* captam de *Marco* familia, propriis meritis obtinuit. 30

f Luc. Wading. in annal. Min. ann. 1429. to.

Eidemque *Nicolao* successit *Stephanus*, qui in Anno 1480. (*g*) cum Urbs prædicta in *Turcarum* potestatem devenisset, in sua Metropolitana sacris indutus vestibus, ac Sacram Eucharistiam Civibus ministrando inter Martyres Christi meruit connumerari.

g Ex Hist. Mart. Hydr.

5. P. Aloyl. Tessel. in sua Leuc. Sacr. lib. III.

Quinimmò ad Orientalis Ecclesiæ Principatus apicem assumpti, dictæ Ecclesiæ *Hydruntinæ* Archiepiscopatum administrare, ac secum retinere B non fuerunt dedignati; prout fuerunt (*h*) *Jacobus* de *Itro* Patriarcha *Constantinopolitanus*, ac Presbyter Cardinalis S. *Priscæ* in ann. 1378. & in sequenti Fr. *Wielmus* Ordinis Minorum Patriarcha pariter *Constantinopolitanus*.

h Ughec. d. tom. 9.

Expulsis ab Urbe *Turcis* anno 1481. in Archiepiscopum *Hydruntinum* fuit electus Fr. *Seraphynus* de *Squillaceo* Ordinis Minorum de observantia; cui 31 successerunt *Fabritius* de *Capua*, Eques *Neapolitanus*, filius magni Comitis *Altevillæ*, qui *Joannem Franciscum* (*i*) de *Arnono* Juris Consultum meritissimum constituit sibi Vicarium. Deinde *Ale-* C *xander*, Cardinalis *Cæsarinus*; *Petrus Antonius* de *Capua* prædicti *Fabritii* Nepos, de sua *Hydruntina* Ecclesia, capitularique illius Collegio sat benemeritus; cujus eximia doctrina, ac morum probitas adeò splenduit, ut omnes, & præsertim PP. (*k*) Concilii *Tridentini*, in quo ipse interfuit, tanquam virum omni laude dignissimum suspicerent. Ejus precibus fuerunt obtentæ Indulgentiæ pro Altari Privilegiato in Ecclesia *Hydruntina*, ac Jubileum visitantibus ipsam Basilicam 32 in die Nativitatis Beatissimæ Virginis, usque ad occasum Solis ejusdem diei Kalendis Octobris 1564. ut ex Bulla ejusdem.

i Arnon. in singul. 60. incip. volo tibi.

k Michael Justin. in Concil. Trident. sub Judic. 4. tit. Archiep. Paul. 3. Pallavic. in hist. Conc. Trid. p. 3. lib. XVIII. cap. 3. nu. 4. & cap. 14. nu. 1. & lib. XXIII. cap. 3. nu 15.

D Quousque occasione prædicti Concilii *Tridentini* prædictus *Petrus Antonius* Archiepiscopus abfuit ab Ecclesia prædicta, pro Pontificalibus exercendis, & justitia ministranda, distinctis temporibus in suos Vicarios deputavit *Antonium* de *Beccariis* Episcopum *Scodrensem*, *Lucam Restam*, (*l*) & *Angelum Jaconiam Castrenses* Episcopos; deinde reversus, ut ad normam ejusdem *Tridentini* gregem sibi commissum regeret, Concilium Provinciale convocavit; eoque peracto, cum è vita discesserit, ejus cineres usque ad præsentem diem servantur in proprio tumulo subterraneo in crypta confessionis ejusdem Basilicæ, quem locum sibi E tumulando adhuc vivens præelegit. Eoque mortuo ex Regnicolis nostris præfuit Archiepiscopa- 33 tui prædicto *Marcellus Acquaviva* Marchionis *Bellanæ* filius, quo Præsidente in quadam Imagine in muro dictæ Civitatis depicta miraculosè inventa fuit quædam moneta argentea, de qua in visitatione Ecclesiæ S. *Mariæ Gratiarum* intus dictam Civitatem (ubi extat imago præfata) Archiepiscopus *Morra* (*m*) multa & diffusè asserit.

l Ex scriptur. Archiv. Cur. Arch. Hydr.

Cumque prædictus *Marcellus* eidem Archiepiscopatui renunciasset, ad hanc sedem successit D. *Lucius* de *Morra* Eques *Neapolitanus*, qui tantæ fuit authoritatis, & æstimationis Præsul, ut sibi F Pontificii solii Episcopi Assistentis dignitate (*n*) collata à Romana Sede in *Gallia*, *Belgica* Legatus, magnam de se ad posteros famam reliquerit. Ejus verò Archiepiscopatus tempore sub die 28. 34 Novembris 1610. in Domo Divi *Pauli Neapolis* inter Clericos Regulares decessit D. *Laurentius Scupoli Hydruntinus*, cujus vita tanta floruit sanctitate, ut rectè respici possit ex ejus libello vulgariter nuncupato: *Combattimento Spirituale*, D. *Francisco* de *Sales* Episcopo *Geneven.* charissimo, &

m Morr. in Visit. ann. 1607.

n Ex Registr. Bullar. d. Archiv. Curiæ, ann. 1617

& brevi temporis spatio, ex quo in lucem prodiit, pro fidelium communitate pluribus traducto Idiomatibus.

Ex nostris Clericis Regularibus in Archiepiscopalem hanc Cathedram adlectus fuit *Cajetanus Cossus* præclara stirpe Nobilis *Neapolitanus*, quo tempore inter Religiosam Capuccinorum familiam eximia sanctitate vixit Fr. *Ægidius* Civis *Hydruntinus*. Et ex Religione S. *Benedicti Montis Olivetani* ad Primatialem hanc Ecclesiam ab Episcopali Triventi translatus fuit D. *Ambrosius Maria* ex Nobili *Piccolomineorum* familia.

35 Cumque juxta Capitulorum Regni dispositionem Archiepiscopatus Ecclesiæ *Hydruntinæ* spectet ad Regiam præsentationem inter Regnicolas, & exteros alternatim servatam: ita functo b. m. *Petro Antonio* de *Capua* Metropoliticam hanc sedem ex *Hispanis* obtinuerunt *Petrus* de *Goderos*, qui ex Episcopatu *Grisopolitano* huc translatus fuit; & deinde alternatim Fr. *Didacus Lopez* de

A *Andrada Lusitanus*, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Archiepiscopatum prædictum assecutus fuit, quo in munere, morum integritate, liberalitate in pauperes, & in animarum salute ita se gessit, ut sanctè, ceù vixerat, mortem oppetierit 22. Augusti 1628. Cujus Corpus adhuc integrum in hac *Hydruntina* Basilica quiescit. D. Fr. *Gabriel Adarzo* de *Santander*, Ordinis S. *Mariæ* de *Mercede* Redemptionis Captivorum ab Episcopali *Vigevani* ad hanc Archiepiscopalem præsentatus fuit. Et demum *Ferdinandus* de *Aguiar*, y *Saavedra* sedem *Hydruntinam* obtinuit; post cujus obitum *Hydruntini* gregis ab Invictissimo *Carolo II. Hispaniarum* Rege electi, & à b. m. *Alexandro VIII.* in Pastorem confirmati, huic Ecclesiæ licet indigni præesse meruimus; hoc in munere sperantes, ut qui nobis oneris fuit Author, ipse sit nobis Administrationis Adjutor, quod piè concedat omnibus Deus Optimus Maximus, cui honor, & Gloria. 36

B

37

FRANCISCI MARIÆ DE ASTE,
Archiepiscopi Hydruntini,
IN
MEMORABILIBUS HYDRUNTINÆ ECCLESIÆ EPITOME,
Ejusdem Annotationibus aucta.

CAPUT I.

De Hydruntinæ Urbis invasione, & Martyrum excidio.



a Leon. Aretin. de bell. Goth. lib. III. Galat. de Sit. Japig. Lagett. in sua hist. manuscr.

Ydruntum pridem à *Gothis* (*a*) obsessum, dein *Saracenorum* furore depopulatum, cum ingens *Turcarum* classis advenisset, anno salutis 1480. *Xisto* IV. Summo Pontifice; & sub *Ferdinandi* Regis *Aragonii* Potentatu, ejus Cives strenuè dimicantes pro Christiana Religione, Regioque Vexillo diebus quindecim, totidemque noctibus, nullas experti suppetias, adverso Marte restiterunt. At *Hydruntinis* denique disruptis mœnibus, hostes ingressi sunt Urbem, & Sacram Dei ædem immaniter profanarunt, varias patrantes cædes, unusque ex eis *Stephano* Sanctissimo Antistiti, Sacra Populo ministranti, impia manu caput (*b*) abscidit; ob quod nefandum facinus Imago Dei Genitricis à D. *Luca* depicta Græco sermone Chrismatrix Penteru nuncupata pendens in Templo, divino evanuit Prodigio.

38

b Galat. Lagett. Marcian. & alii in suis historiis.

39 Post biduum victores Barbari superstites, viros bello fractos, fide tamen constantiores extra Urbem nudatos vestibus, vinctisque manibus mutuò se pro Christi amore ad mortem exhortantes, & immortalitatis æternæ spe gaudentes educunt ad Clivum *Minervæ*: ubi *Turcarum* jubente Duce *Achomatho*, ac toto spectante exercitu, octingenti Cives illi dilecto sibi Jesu vero Deo victimæ dicatæ, gloriosa nece occubuerunt. Dum fidei testes permissa optione examinati, vivere ne mal-

C lent Christum abnegantes, quàm alioqui diram subire lanienam; invictis animis, corpora, vitamque ipsam contemnentes, illustrem Martyrii palmam sunt consecuti, juxta quod eos S. *Franciscus* (*c*) de *Paula* paucis ante diebus prophetiæ lumine prævideret, immolandosque Deo Martyres pronunciaverat.

c Fr. Isidor. Foscan. in vit. S. Franc. de Paul. cap. 22. lib. II.

ADNOTATIO.

40

D Postquam Beati Cives *Hydruntini* ad illum perfidum suasorem, qui eos ad Mahometanismum adducere conabatur, verbis usi S. *Felicitatis*, quibus ad *Publium* Urbis Præfectum responderat, dixerunt: *Nos, nec blanditiis reduci poterimus, nec terroribus frangi, securi, quod vivi perfidiam vestram superabimus, & postquam interfecti fuerimus, melius vincemus occisi.* Et ad Tyrannum cum Sanctis Machabeis: (*d*) *Tu autem, ò scelestè, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos Christi; nos enim Corpus, & animam tradimus pro patriis legibus, & modico nunc dolore substentato, sub testamento æternæ vitæ efficiemur.* Statim ad supplicii locum læti successiu, gradu festivi Martyres processerunt, & dulcissimis *Jesu*, & *Mariæ* nominibus invocatis cantabant Hymnos, & Psalmos, tres pueros in camino ignis imitantes, & domino benedicentes. 41

d Lib. II. cap. 7. vers. 34.

E

De tribus Pueris observat Sacer Textus, quod eo ipso, quo canebant inventi sunt illæsi: *Quià non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.* Nec mirum; cum visibile illis divinum tunc adfuisset adjutorium: Angelus enim Domini excussit flammam ignis, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Imò Ecclesia Christo ipsi ven-

venturo illud adscribit, ut tempore Paschali: *surrexit Christus de Sepulchro, qui liberavit tres Pueros de camino ignis ardentis.*

Hydruntini vero Christi milites ad præsentiam tyranni formidabilis, inter gladios, & sagittas, & in ipsa sanguinis effusione, & morte sibi crudeliter illata sine ullo sensibili adjutorio, aut consolatione Psalmos cantabant, & hymnos, dum interim eorum unus decollabatur, alius telis con-
42 fodiebatur, & alius lethaliter percussus, tam proprii, quam alieni cruoris fluctibus veluti naufragus operiebatur. Cumque inter cruentas carnificum impavidi manus totum offerrent corpus, cerneres trepidare *Turcas*, quasi ipsi addicti neci fuissent; tremere percussorum dexteras, pallere ora aliena stupentium clade. Ipsi tamen mox lanienam subituri, quasi præda victores superantes, divinas laudes hilares decantabant.

CAPUT II.

De constantia Martyrum Hydruntinorum.

INter quos senex ille Venerabilis *Antonius Primaldus*, veluti omnium ductor, & doctor, post Christianæ fidei animosam Confessionem, post contemptum præmiorum, quæ sibi, & so-
43 ciis (si Christo abrenunciassent) nomine *Achomati* Ducis, imò veriùs ipsius *Turcarum* Magni Regis, promittebantur à perfido *Mahometano* Presbytero suasore, sivè à quodam sacrilego Apostata subversore; post denique divini Spiritus succensam Orationem, qua suorum corda concivium, ut vitam pro Christo libenter profunderent, fuerat adhortatus, primus ab immani Tyranno jussus est trucidari; (*a*) præstoque fuit ad scelus Carnifex, qui caput ejus sæviter amputavit.

a P. Vericell. de Apostol. mission. tit. 15. q. 313.

De quo mirandum illud historiis traditum est, truncum illius corpus, abscisso capite, firmum stetisse, neque tot lictorum repetitis conatibus cadere potuisse, donec cæteri omnes in hymnis, & confessionibus *Jesu*, & *Mariæ* Sacratissima nomina invocantes obtruncati, legitimi corona certaminis donarentur; ac tum demùm ipsum trium-
44 phis veluti cumulatum, stationem deposuisse, & inter suos ultimum cecidisse commilitones; quorum corpora ad tertium, & decimum mensem insepulta, solique imbribusque exposita, integra omninò, & à feris, avibusque intacta, gratumque odorem emittentia, reperta sunt. Plerisque etiam testimonium perhibentibus, quod multoties super eis nocturno tempore quamplures lampades, & magna (*b*) luminaria apparebant; quæ cum divinitus crederentur accensa, in signum sanctitatis Interfectorum propter fidei Confessionem; ab universis meritò existimari cæptum est, illos inter veros Christi Martyres esse adnumerandos.

b Ex informat. de ann. 1536. de qua in Archi. & apud Capan. in lib. memor. alla posterità, a fol. 47.

ADNOTATIO.

45 PRoloquatur de *Primaldo Joël* Propheta, ut cunctorum excitet attentationem: (*c*) *Audite senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, si factum est istud in diebus vestris, & in diebus Patrum vestrorum. Super hoc filiis vestris narrate, & filii vestri filiis suis, & filii eorum generationi alteræ.* Postquam *Primaldus* victor cruentum domuerat propria cæde Tyrannum, palmæ multiplici obtentu occumbere Cœlum disposuit: ut qui socios ad passionem pro Christi fide exhortatus fuerat, martyrii quoque gloriam in cæteris obtineret. Minuitur capite Prior *Primaldus*, & absciso capite, capitis munera non deposuit. Stetit mortuus, ac si fuisset vivus quia vita ejus in omnium vita durabat: Conantur

c Cap. 1. vers. 2.

A Carnifices eum in terram dejicere, qui non poterat cadere dum vivebat. Vivebat autem in singulis, qui coronabantur, & usque ad mortem ultimi, trophæa sibi multiplicabat. Ceciderunt cuncti, & tunc ipse triumphis omnium cumulatus 46
deposuit stationem suam, quam antea repetiti lictorum conatus minimè obtinere valuerant.

Scimus *Dionysium* abscissum suum caput sustulisse, & progressum ad duo millia passuum in manibus gestasse; sed neminem legimus ejus gressibus impedimento fuisse. De sancta *Felicitate* invenimus dixisse D. *Gregorium*, quod fuit plusquam Martyr, & quod prima venerit ad martyrium,
B sed pervenerit octava. *Primaldus* primus ad pœnam venit, & usque ad interemptionem omnium stando pervenit octogesimus. Sic autem stando, vel mortuus singulos vivos exhortabatur, nec minus videbatur occisus, quàm vivus exhortari, & in ultimi interemptione tot Cœlo explicuit insignia victoriæ, quot intervenere in sociis instrumenta passionis. Vivebat primo mortuus, qui triumphabat occisus. Potestatem videbatur habuisse ponendi animam suam, & cum depo- 47
suisset, iterum assumendi eam.

Refert *Simeon Metaphrastes* apud *Surium* die 22. Januarii, postquam Martyr Levita *Vincentius*
C Victor super mollem culcitram animam exhalavit, Tyrannum decrevisse, ut ejus corpus insepultum maneret, nec arborum foliis, nec alia re contegeretur; sed feris, & volucribus in escam proponendum foret; & quod ab his omnibus divinitus per ministerium corvi fuerit asservatum; qui lupum quendam repentino cursu eo venientem ita repulit, ut ille terga vertens, non corvi quidem impetum, sed jacentis illius Sancti Corporis aspectum extimescere præ se tulerit, ac stupore perculsus repente subterfugerit: *Et quidem*, addit, *feram illam angelica præsentia perterrefactam illinc aufugisse arbitror.*

D Meliùs de illæsione à feris, & avibus rapacibus horum corporum dicere arbitramur; aspectum scilicet eorumdem timorem fuisse avibus, & fe- 48
ris; imò eas angelica præsentia perterrefactas aufugisse.

De Sanctis Eremitis in Monte *Sina* commorantibus, & à Gentilibus in odium fidei occisis, refert idem Metaphrastes apud eundem *Surium* die 14. Januarii quorumdam Monachorum, qui à duobus Barbaris acceperunt notitiam de morte *Proculi*, *Hypatri*, & Sociorum, verba sequentia: *Nos egressi sumus ad efferenda Corpora, & cum accessimus, invenimus eos, qui à quinque ante*
E *diebus interempti fuerant, nihil passos ex his, quæ verisimiliter erat passurum esse mortuum, qui uno ante die esset mortuus; non malè olentes; non putrefactos, & nihil læsos à carnivoris avibus, aut feris agrestibus.* Si hoc de illis Monachis portentum videbatur, absque ulla merito comparatione admirarentur de Corporibus *Hydruntinorum* Martyrum, per spatium nedum quinque dierum, sed tresdecim, & ultra mensium cunctis illis inclemen- 49
mentiis expositis, & ab eis divinitus liberati.

De Corpore Beatæ Virginis, & Martyris *Carithinæ*, refert idem *Simeon* apud eundem die quinta Octobris, quod cum in aquas fuisset pro-
F jectum, ostensus fuit Deus facere mirabilia, eo quod per tres totos dies continuos Corpus tenuit mare pulchrè servatum, & nullo penitus detrimento affectum, & quidem miraculo, & Dei magnalibus id ascribit *Simeon*; cum aquarum humiditas iter acceleret corruptioni. Sed quidnam dicendum de *Hydruntinis*, qui prope mare per tresdecim menses hyemalibus pluviis, nebulisque nocturnis, sub aëre humidissimo jacuerunt? & tamen istæ continuæ, & alteratrices inclementiæ,

tiæ, ea pignora Dei credita pulchrè aſſervata, ac inalterata tenuere nullo penitus detrimento affe-cta.

Leo denique Papa X. in Bulla Canonizationis
50 S. *Franciſci* de *Paula*, ut rem omnibus mirabilem prædicat, quod S. *Franciſci* Corpus per undecim dies inſepultum, non fuerit paſſum corruptionem. Quid de noſtris Martyribus, quorum corpora per treſdecim menſes Solis ardoribus, hyberniſque rigoribus, & pluviis expoſita, ſi incorruptio omnimoda ſibi propoſita fuiſſet?

CAPUT III.

De Sepultura Martyrum Hydruntinorum.

SUmmus Pontifex *Xiſtus* IV. Martyrum reliquias eſſe omni veneratione dignas advertens, (*a*) ſpeciali reſcripto *Franciſco* de *Arenis* Archiepiſcopo *Brunduſino*, Provinciæque Præſidi commiſit, ut cœleſti ope, Regiique exercitus auxilio, poſtquam Urbs ab hoſtibus eſſet rece-
51 pta, reconciliandam prius ſatageret *Hydruntinam* Eccleſiam, deinde ſuffraganeis Epiſcopis convocatis, cunctiſque iſtius Archidiœceſis, & vicinarum Civitatum congregatis Presbyteris, fidelium corpora illa pro Chriſto trucidatorum, reverenter colligenda, religioſeque in Eccleſiam ipſam Metropolitanam aſportandam, & inibi recondenda curaret.

a Galat. Marcian. & Lagett.

Quæ anno ſubinde 1481. expulſis ab Urbe *Turcis*, à quodam ſacro loco, ubi præclariſſimi *Calabriæ* Ducis *Alphonſi* pio juſſu in modum aggeris coacervata fuerant; ne ob reverentiam expugnationi eſſent impedimento, ſolemni ritu in Civitatis Templum introducta, & in Confeſſionis locum illata ſunt. Anno poſtea 1482. *Ferdinandus* Rex præſens *Hydruntum* inviſit, & mox ereptam à Barbaris Urbem reparandam, muniendamque diſponens, ædiculam munificè conſtrui, certiſque redditibus augeri juſſit, ac in eademum
52 reliquiæ Glorioſorum Martyrum ſub humo jam conditæ, honorificentius repoſitæ fuerunt, pleriſque ſubtus Altare ejuſdem Sacelli collocatis.

ADNOTATIO.

BEatiſſimum PP. *Xiſtus* IV. ſciens pretioſam eſſe in conſpectu Domini mortem Sanctorum ejus, qui pretio proprii ſanguinis immortalitatem ſibi compararunt (ut S. *Cyprianus* loquitur 2. *Epiſt.* 3.) venerandas Martyrum *Hydruntinorum* exuvias cum omni honore tumulandas per ſpeciales litteras *Brunduſino* Epiſcopo demandavit; in quo pietatis opere Prædeceſſores ſuos Pontifices eſt imitatus, eorumque veſtigià ſecutus. Etenim *Pius* I. ad illud ipſum attendens. *Juſto* Epiſcopo ſic ſcribit (ut *tom.* 1. *Concil.*) *Cura Sanctorum Martyrum Corpora, quemadmodum curaverunt Apoſtoli Stephanum.* *Caliſtus* quoque, poſtquam
53 Corpus S. Presbyteri, & Martyris *Calepodii* ſua cura in flumine inquiſitum, opere Piſcatorum, in ejuſdem *Calepodii* cæmeterio ſepelivit; aliud, quod in via Appia erat; ad Martyrum ſepulturam ampliavit.

Item *Marcellus* (teſte *Anaſtaſio*) viginti quinque titulos inſtituit quaſi diœceſes propter Baptiſmos, & Martyrum ſepulturas; Imò ipſe *Marcellus* vivens nocte cum *Lucina* Matrona Chriſtianiſſima Corpora Sanctorum Martyrum *Cyriaci*, largii, & ſmaragdi optimis aromatibus condivit, & linteaminibus involvit, ut in ejuſdem S. *Marcelli* actis apud S. *Cæciliam* aſſervatis legitur.

Idem de S. *Fabiano* erga Corpus S. *Pontiani* à *Sardinia* aſportatum affirmat *Anaſtaſius*, ut de S. *Stephano* erga B. Martyris *Tertulliani* reliquias colligendas, & tumulandas idem fuiſſe illi ſtudium, ut apum *Surium* die 2. Auguſti. Et S. *Eutychianus* propriis manibus non ſine ſumma defatigatione tercentum quadraginta duos Martyres ſepul- 54
crum condidit, ut refert *Anaſtaſius* de *Eutychiano.* Denique *Bonifacius* IV. Templum quod *Romæ* Pantheon vocabatur, ſolemni ritu in honorem Chriſti Martyrum dicavit tempore *Phocæ* Imperatoris. Mos iſte ſemper in Eccleſia viguit ſolemni ritu Sanctorum corpora ſepeliendi.

Venit hic ad propoſitum recolendum id quod de *Saba* Abbate notæ Sanctimoniæ Viro, *Paleſtina* mortuo, à *Cyrillo* his planè verbis deſcribitur: *Eo mortuo cucurrit ad ſacrum illius Corpus multitudo innumerabilis, & univerſus Ordo Monachorum, & quinque etiam Epiſcopi, qui cum (quo pax erat ornatu) Corpus compoſuiſſet, hymnos, & Cantica ei de more canentes, piè admodum, & ſancte inter duas Eccleſias depoſuerunt.* Ex *Baron. tom.* 7. *ad ann.* 532.

Eodem prorſus modo (ut *Gregorius Niſſenus* refert, Orat. 20.) Magnus ille Monachorum P. 55
Baſilius, Sanctorum virorum manibus elatus eſt; Pſalmodiæque a confluentium luctu vincebantur. Idemque de *Abrahamo Carrarum* Epiſcopo in Meſopotamia ſcribit *Theodor. hiſtor. Patr. cap.* 17. *Licebat alios*, inquit, *audire pſallentes*, *alios lamentantes*, *& cum cantibus*, *& lamentationibus ſanctum illud Corpus ſepulchro mandavere.* Severus Sulpitius in vita S. Martini Epiſcopi de ejus funere ſic habet: *Corpus ejus uſque ad locum ſepulchri hymnis canora cœleſtibus Turba proſequitur; comparetur ſecularis pompam quid ſimile Martini Epiſcopi exequiis conferetur? illos confuſis plauſibus populorum honorat inſania. Martino divinis plauditur Pſalmis: Martinus hymnis Cæleſtibus honoratur.*

CAPUT IV. 56

De quibuſdam Martyrum Hydruntinorum Corporibus, ac Reliquiis Neapolim, & alibi aſportatis.

BIennio poſt ab *Hydruntina* jam munito Civitate, ac *Alphonſi* Ducis iteratis adventibus reſtaurata, diſceſſuro tandem ipſi *Alphonſo Innocentius* PP. VIII. ducenta quadraginta dictorum Martyrum corpora *Neapolim* (*b*) transferenda conceſſit; & Dux piiſſimus magna veneratione ſecum adduxit, & in Eccleſia Sanctæ *Mariæ* de Martyribus nuncupata propè Caſtrum *Capuanum* decentiſſime recondidit. Quo denique in loco *Federicus Aragonius* Rex Eccleſiam, & Monaſterium S. *Catharinæ*, quæ vulgariter *à Formello* di- 57
citur, de conſenſu *Alexandri* VI. ſollicita liberalitate inſtruxit, ac Religioſis Fratribus Ordinis Prædicatorum tradidit, ubi ad præſens ſub Altari Sacratiſſimi *Roſarii* velut ſacra pignora aſſervantur, ubi in cornu Epiſtolæ ipſius Aræ hæc Inſcriptio fuit exarata:

b Galat. de ſit. Iapig. Summont. in hiſt. Neap. p. 3. lib. v. Cap. 2.

SUB HOC ALTARE CONDITA SUNT OSSA CUM SUIS CAPITIBUS CCXL. CHRISTIFIDELIUM A TURCIS PRO DEFENSIONE FIDEI TRUCIDATORUM HYDRUNTI HUCUSQUE AB ALPHONSO II. ARAGONIO REGE TRANSLATA DE LICENTIA SUMMI PONTIFICIS INNOCENTII VIII.

AT purpurata Eminentiſſimi *Urſini* Pietas in Martyres prædictos in Cornu Evangelii Altaris prædicti Sanctiſſimi *Roſarii* ſequentiam apponi mandavit: *Corpora Sanctorum in pace ſepulta ſunt*,

sunt, *& vivent nomina eorum in æternum*: appo-
58 sito tamen in pariete dextri lateris antedictæ Aræ ejusdem Eminentissimi jussu titulari lapide marmoreo in posteritatis monumentum taliter exarato:

ALTARE HOC PARITER, ET MARTYRIUM, CÆMENTITIUM OLIM, NUNC MARMOREUM; SUB QUO CAPITA, OSSA, ET CINERES CCXL. CHRISTIFIDELIUM A TURCIS PRO DEFENSIONE FIDEI HYDRUNTI INTERFECTORUM IN XXI. TESTACEIS, INCOCTILIBUSQUE URNIS MINORIBUS DUABUSQUE MAJORIBUS RURSUS, ET DECENTIUS COLLOCATA REQUIESCUNT, UT PUBLICIS TABULIS COMMENDAVIT JOSEPHUS PRETI NOTAR. ET ACTORUM CURIÆ ARCHIEPISC. NEAP. MAG. DIEBUS XXI. MAJI, ET XXIII. JUNII MDCLXXXV. FR. VINCENTIUS MARIA URSINUS ORDINIS PRÆDICATORUM HUJUS PROVINCIÆ UTRIUSQUE LOMBARDIÆ FILIUS ARCHIEPISCOPUS SIPONTINUS. S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS S. XIXTI CÆSENÆ PONTIFEX CONSECRAVIT IN HONOREM
59 PERPETUÆ VIRGINIS MARIÆ SUB INVOCATIONE SANCTISSIMI ROSARII PETENTE FR. JACOBO CONIO PRIORE DIE XXVII. JUNII MDCLXXXV. IN CUJUS ANNO ALTARE IPSUM QUOTANNIS VISITANTIBUS CENTUM INDULGENTIÆ DIES CONCESSIT.

EXtant pariter hujus Regni Civitates, ac etiam *Hispanias*, & *Venetias* asportatæ eorundem Martyrum Reliquiæ, quas, & multoties Archipræsules requisiti plerisque Illustribus Viris ac Ecclesiarum Prælatis concedere consueverunt.

ADNOTATIO.

AD eundem modum Corpora SS. Martyrum *Naborii*, & *Nazarei*, Sanctique *Gorgonii* de licentia Romani Pontificis in *Gallias* asportavit, & in diversis Monasteriis collocavit *Godegradus* Episcopus *Mutiensis*, referente *Beda* in suo Martyrologio ad annum 775.

60 De Sancta *Marcellina* D. *Ambrosii* Sorore legimus, quod cum *Romæ* inter Virgines degens diem clausisset extremum, noluit paterno claudi sepulchro; sed *Mediolanum* suum corpus transferri mandavit, ponique apud Sanctos *Satyrum*, & *Ambrosium* fratres juxta Sanctos Martyres tumulatos, ut ex Epitaphio ejus Sanctæ Marcellinæ colligitur, quod affert *Baron. tom.4. ad Ann.* 383. *n.* 17. Idemque *Baronius* in Annotationibus ad Martyrologium dicit se legisse in Codice Manuscripto Ecclesiæ Martyrum *Romæ* illata illuc esse duo de triginta curribus ossa Sanctorum Martyrum è diversis Urbis cæmeteriis effossa, solemniterque comportata, ac decentissime collocata.

Circa Altaria erecta, ac Reliquias, & Martyrum Corpora subtùs eis honorificè asservanda, ita A summatim scribit doctissimus *Cardin. Belarmin. lib. II. de Imagin. cap.* 3. *vers.* 8. *Cujus Consuetudinis*, inquit, *meminit S. Ambrosius in exhorta-* 61 *tione ad Virgines agendo de Reliquiis Sanctorum Vitalis*, *& Agricolæ. Et idem Sanctus in Epist. ad Sororem*, *de Inventione Corporum SS. Gervasii*, *& Prothasii. Hieronym. in lib. contr. Vigilant. S. August. serm.* 11. *de Sanct. Sozomen. lib.* 5. *cap.* 8. *Concil. Cartag.* 5. *cap.* 14. Unde concludit: *Videtur autem ista consuetudo ab Apostolorum tempore cæpisse; nam ideo Jo. Apocal.* 6. *Ostensæ sunt in Cælo animæ Martyrum sub Altari; quia Corpora eorum in terris sub Altaribus quiescunt.* B

CAPUT V.

De Concursu fidelium ad Reliquias Martyrum Hydruntinorum.

SAncta impulsi curiositate fideles undique longinquis etiam è Regionibus ad illa contuenda, & adoranda quotidiano concursu confluunt, maxime verò in anniversaria Memorabilis Marty- 62 rii solemnitate, quæ 19. Kalendas Septembris, magnifica pompa, ac totius Civitatis, universæque Diœcesis, magnæque partis Provinciæ exul- C tatione celebratur, præsertim cum Visitantibus in dicta solemnitatis die Cappellam ipsam, ubi prædictorum Martyrum servantur Reliquiæ a summis Pontificibus Plenariæ juxta consuetam Ecclesiæ formam fuerint Indulgentiæ concessæ.

Quinimo in solemnioribus *Hydruntinæ* Basilicæ festis sexus utriusque fidelium multitudo nedum Reliquias in sacello superiori expositas venerantur; verum etiam in subterraneam Ædem descendentes ad singulos scalarum gradus consistunt, precesque effundunt genuflexi. Tum simili modo orantes, singulas Hypogei columnas devotis amplexibus osculantur, solumque illud benedi- D ctum reverentur, lachrymisque perfundunt, sub quo à principio fuerunt sacra deposita contumu- 63 lata.

ADNOTATIO.

HYdruntina Civitas fundatione celebris, antiquitate illustris postquam tot suorum Martyrum sacris est illustrata exuviis de cunctis vastissimi hujus Regni Provinciis plurimos in dies hospitio recipit peregrinos, etiam pietate, & nobilitate conspicuos ad veneranda Martyrum cor- E pora, & videndum sub Altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant.

Accidit planè *Hydrunto*, quod antiquis evenisse temporibus *Romæ S. Hieronymus* enarrat in Epist. ad *Paulinam*, cum ad *Titum Livium* lacteo eloquentiæ fonte manantem quamplures nobiles Viri ex ultimis *Hispaniarum*, *Galliarum*que finibus venirent: *Habuit*, inquit, *illa ætas inauditum omni-* 64 *bus sæculis*, *celebrandumque miraculum*, *ut Urbem tantam ingressi*, *aliud extra Urbem quærerent*, *& quod ad contemplationem sui Romam non traxerat*, *unius hominis fama perduxit.*

F Huc spectant S. *Jo. Chrysost.* verba hom. 66. ad Populum Antiochenum explicantis illud Jo. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra*, *omnia traham ad me ipsum:* ait enim hoc verificatum fuisse quando post mortem, & resurrectionem Dominus omnes populos fide, & veneratione ad se traxit: *Christus*, inquit, *tunc omnem Orbem ad se traxit adorandum*, *cum mortuus fuit. Et quid de Christo loquor? cum*, *& discipulos*, *post quam obierunt*, *tunc effulgere fecerit? Et quid dico Discipulos? nam & eorum loca*, *& sepulchra simul & Templa perenni me-*

memoria celebrari curavit. Et paucis interpositis. *Christi Servorum Sepulchra clara sunt, & dies notissimi mundo festum afferentes, & lætitiam*, & infra.
65 *Servorum Crucifixi sepulchra Regiis aulis sunt clariora, non magnitudine, & ædificiorum pulchritudine, sed quod multò magis est, cò convenientium studio.* Et D. August. de Civit. Dei lib. XII. inquit: *Ad aquas Tibilitanas Episcopo afferente Projecto Reliquias Martyris Gloriosissimi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magnæ multitudinis Concursus, & occursus.*

Hydruntinorum Christi Martyrum antiquum primævumque sepulchrum semper habet concursum populorum, religiose frequentantium, ita ut illud rectius usurpabimus pro *Hydruntina* confessione, quod *Prudentius* cecinit de frequentia fidelium ad locum, ubi Sancti Martyris *Hippoliti* corpus quiescebat:

Mane salutatum curritur: Omnis adorat
Pubes; eunt, redeunt, ad Solis usque obitum;

66

CAPUT VI.

De Protectione ac Patrocinio Martyrum Hydruntinorum.

MUlta per ora hominum recoluntur, & in historiis continentur exempla, perpetuum, & pervigil eorum Martyrum in *Hydruntinam* Civitatem patrocinium denotantia, quo eam ab innumeris malorum periculis eripi compertum est, & in hostium cursibus propugnari. Illud in primis mirabilius, quod cum *Solimanus* ille tremendi nominis *Turcarum* Imperator venerit anno 1537. (*a*) ut denuo *Hydruntinam* invaderet Urbem, quam per exploratores nullo, aut parvo præsidio munitam intellexerat; sed perterritus abiit, præ-
67 dictosque Martyres timuit, quos instar militum armatorum in maxima copia ipsius Civitatis muris præesse vidit; prout ex ore Græcorum, qui in ea *Solimani* classe navigabant postea declaratum st.

a Lagett. in sua hist.

Simile omnino contigit anno 1644. die 28. men. (*b*) cum Classis *Turcarum* triginta triremium sub Duce *Bekkit* ad invadendum *Hydruntum* advenisset; & in conspectu prope Civitatis littora copias jamjam emissurus *Bekkit* constituisset, statim ut apparere vidit tam super mœnia, quam per oras maritimas multitudinem copiosam armatorum militum peditum, & equitum, propositum suum divertit. Quidam vero Christiani, qui captivi remigabant in triremi ipsius Ducis, ab eodem interrogati, unde tam citò potuerit exire tam innumerabilis militum multitudo, responderunt, se ni-
68 hil hujusmodi videre, sicut in rei veritate non videbant, quod cum mendacium crederet *Bekkit*, fortiter cæsis remigibus illis, abiit in *Calabriam*, & oppidum *Roccæ Imperialis* invasit, & devastavit.

b Ex informat. Cirtent. in Archivio.

ADNOTATIO.

MEmoriam Sanctorum Martyrum *Hydruntinorum* summa habetur in veneratione non solum propter merita eorum celeberrimi Martyrii, & assiduas gratiarum (illis apud Deum intercessoribus) impetrationes; sed etiam ob fiduciam, & magnam securitatem quam Gens *Hydruntina*, & vicinorum oppidorum habent in patrocinio illorum contra incursiones *Turcarum*, adversus quos specialiter ipsi Sancti Martyres invocantur.

Theofridus Abbas serm. de Sanctar. Reliqu. ut habetur tom. 2. Biblioth. col. 670. *Has*, inquit,
69 *singulis Provinciarum, ac Civitatum Populis dedit Deus in solatium, ut dum importunis urgentur incursibus hostium visibilium, & invisibilium, per horum*
A *defenderentur meritum.* & infrà. *Rex quilibet Urbis defensurus mœnia, quanto audaciora, & plura hostium comperit esse agmina, tanto fortiora, & numerosiora in munitionibus militum opponit pectora. Sic Deus humanæ miseriæ misericorditer consulit, & multiplicatis super arenam patrociniis Civitatem suam, id est Ecclesiam custodit, & protegit.* & infrà. *Accensæ lucernæ sanctorum sunt Reliquiæ:* & anteà dixerat: *lucernæ ubicumque locorum sint, abscondi non possunt, luminis sui splendorem longe lateque spargunt.*

B Sanctus *Chrysostom.* serm. in S. *Juvenantium*, & S. *Maximam* Martyres, postquam Martyres, Columnas, Turres, & Propugnacula dixerat esse Civitatum, apud quas quiescunt, hæc habet de eorum apud Deum Intercessione: *Etenim sicut milites vulnera, quæ in prœliis sibi inflicta sunt Regi* 70
monstrantes fideliter loquuntur, & ita & illi in manibus abscecta capita gestantes, & in medium afferentes, quæcumque voluerint, apud Regem Cœlorum impetrare possunt.

CAPUT VII.

De Mirabilibus Hydruntinorum Martyrum, ac luminarium apparitionibus.

C NOn solum eo tempore, quo prædictorum Martyrum corpora per tresdecim menses insepulta, solique, ac imbribus, exposita extiterunt, super eis nocturno tempore quamplures lampades, & luminaria magna apparuerunt; sed etiam postquam ipsorum Martyrum Corpora in Urbis Ecclesiam fuerunt introducta, visa sunt multoties de nocte luminaria magna in ipsa Basilica, & lucem immensam extra fenestras dictæ Ædis apparere mirati sunt homines Civitatis; ità ut in 71
ipsa prima apparitione accurrerint multi, dubitantes ne illud Sacrum Dei Templum (*c*) penitus
D combureretur, ut pluries contigisse à fide dignis senioribus hujus Civitatis Curia Archiepiscopalis cæpit Testimonium.

c Lagett. in sua hist. deposit. capt. in ann. 1539. de quib. in Archiv. & Capan. in memor. alla posterità a fol. 47.

Similes apparitiones anno præsertim 1677. infra quatuor mensium, minusque spatium, in Ecclesia ipsa Cathedrali mirabiliter sunt ostensæ, quarum numerus redactus fuit ad quatuordecim. Prima fuit post mediam noctem diei Jovis, septimo Januarii. Secunda pariter post mediam noctem adhuc diei Jovis decimæ quartæ ejusdem mensis. Tertia etiam post mediam noctem Sabathi diei trigesimæ ipsiusmet mensis. Et quarta post mediam noctem diei Jovis quartæ Februarii. 72
E Hujusmodi tamen apparitiones solis *Hispanis* militibus vigilias noctibus custodientibus super Regio Castro hujus Civitatis visæ fuerunt, qui splendidissimas luces è fenestris Ecclesiæ per duarum quandoque horarum spatium, quandoque per trium effudi, ac supra tectum elevari mirati sunt.

Aliæ decem hujusmodi apparitiones contigerunt Civibus *Hydruntinis*, inter quas celeberrimæ omnium, ac speciosissimæ fuerunt quinque, quæ nimirum diebus sexta, & vigesima prima Februarii. Vigesima tertia Martii, undecima, & vigesima tertia Aprilis; in quibus præter luminaria
F prædicta, etiam inter eorumdem luminarium splendorem visa est copiosa Gentis multitudo, tam intus, quam extra dictam Basilicam, ac etiam extra Urbis muros ad Templum S. *Mariæ* de Martyribus (ubi Martyrii palmam meruerunt obtinere) processionaliter procedentis, & interdum etiam dulciter suaviterque psallentis: *Gloria Gloria* 73
Altissimo. Jubilate, jubilate. De quibus singulis Archipræsul *Piccolomineus* de *Aragonia* Prædecessor noster ad instantias tum Syndici fidelissimæ Civitatis, tum Prioris Regiæ Cappellæ dictorum

Martyrum, diligentissimas informationes capi mandavit, eisque captis de omnibus *Romam* ad S. Rit. Congregationem, fuit transmissa Relatio.

Sub nostro Præsulatu, ad quem Deus Optimus Maximus, licet impares, & immeritos nos evexit, pluries quoque apparitiones hujusmodi evenerunt, sed utpote quam similes, ne in longius Epitome diffundatur, hic describere omittimus; sunt tamen Informationes diligentissime captæ, quæ apud nos servantur.

74 ADNOTATIO.

Ex historiis, atque Informatione capta de Martyrio *Hydruntinorum* circa apparitiones Lampadarum, & Luminarium plene constat, unde sumpsit exordium venerationis, & cultus eorum Martyrum Christiana devotio. Conformari omnino videntur ad ea, quæ S. Pontifex *Gregorius* Magnus refert de S. *Hermenegildo* Rege, & Martyre. *In* 3. *namque libro Dialog. cap.* 31. describens passionem illius adducit simillima signa, ex qui-

A bus jure merito canonizat ejus Sanctitatem. *Postquam enim*, dixit, *vitam Corporis abstulerunt hocque in eo valuerunt perimere, quod ipsum quoque qui peremptus est, in se constiterat despexisse*, statim subdit. *Sed pro ostendenda vera ejus gloria, superna quoque non defuerunt miracula; nam cœpit in nocturno silentio Psalmodiæ cantus ad Corpus ejusdem Regis, & Martyris audiri.* Et infrà. *Quidam etiam ferunt, quod illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant: unde factum est, quatenus Corpus illius, ut videlicet Martyris jure à cunctis fidelibus venerari debuisset.* 75

B Thomas Waldensis de Sacramentalibus *tom.* 3. *tit.* 14. *cap.* 112. *num.* 2. *ex D. Ambros. lib. de fidel. resurrect.* affert: *Morte Martyrum Religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est. Vicerunt mortui, victi Triumphatores sunt. Itaque quorum vitam nescimus, horum mortem celebramus: unde David prophetice gloriatur in suæ mortis excessu inquiens.*

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

FINIS.

INDEX RERUM ET NOMINUM

Episcoporum, Archiepiscoporum, aliorumque Urbis Hydrunti.

A.

F I N I S.









ANTIQ
ITALIÆ

TOM. I.
P. III.







